SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« Nova et vetera. »
MATTH. XIII, 52.

TOMUS VI.

DE DEO CREATORE

ET

DE ANGELIS

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCMV
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE

ET

DE ANGELIS

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« Nova et vetera. »
MATTH. XIII, 52.

(I - Q. XLIV - XLIX; LXV - LXXIV.
Q. L - LXIV; CVI - CXIV.)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
J267
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCMV
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library
25755

BX
1749
T5
J2
1900
V.6

†
PAX

APPROBATIO

Opus cui titulus *Tractatus De Deo Creatore et de Angelis,* auctore R. D. Laurentio Janssens, S. T. D. monacho Abbatiae nostrae Maredsolensis, necnon Rectore Collegii nostri S. Anselmi de Urbe, et in eodem Sacrae Theologiae Lectore, typis mandari libenti animo permittimus.

Datum Romae, ex Abbatia S. Anselmi de Urbe, die festo Omnium Sanctorum O. N. 1904.

† HILDEBRANDUS,
Abbas S. Anselmi, Primas O. S. B.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

SALVO IURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

Romae. Typis Vaticanis.

SS . PIO . PP . X

PIETATE . DOCTRINA . PRVDENTIA . ZELO

MANTVAE . VENETIIS

IAMDVDVM . GREGIS . FORMAE

IN . PASTOREM . SVPREMVM

MIRABILI . PATRVM . CONSENSV

MIRABILIORI . ORBIS . LAETITIA

EVECTO . EXCEPTO

OPVS

INCLYTO . DECESSORE . FAVENTE

INCHOATVM

PATROCINIO . AEQVE . AVGVSTO

DEO . DANTE . ABSOLVENDVM

GRATISSIMA . DEVOTIONE . DICARE . LAETATVR

HVMILIS . AVCTOR.

Dilecto Filio Laurentio Janssens O. S. B.
Collegii Anselmiani in Aventino Monte Moderatori

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Studiis ingenioque tuo horumque praeclaro fructui *Summae Theologicae* compertum Nobis est et laudem et animum addita a Decessore nostro fuisse, quo tempore alterum operis volumen eidem offerebas. Quum vero prope nunc esse nuncies ut volumen laudatae Summae sextum emittatur, quod erit de rerum conditore Deo et de Angelis, occasionem libet amplecti gratulandi tibi sollertiam, doctrinaequae laudandae. Sacram theologiam novis libris exponens, gravem rem et perdifficilem, at viribus cum maxime aptam sumpsisti: id autem ratione te et via tali esse persecutum ut nova alumnis sacrorum commoda et adiumenta paraveris, cadere profecto in dubium non potest. Quapropter quam ipse discentium spectasti utilitatem Nos etiam ominamur, latique praemium laboris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXXI Octobris anno MDCCCCIV Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

PROLOGUS

« *Domine Dominus noster,*
« *quam admirabile est nomen*
« *tuum in universa terra! Quo-*
« *niam elevata est magnificen-*
« *tia tua super caelos.* (Ps. VIII,
« 1, 2).

Post contemplationem, - qualem exiguae vires suppeditarunt, - Dei considerati in sua Unitate, Trinitate et Incarnatione; post celebratam immaculatam atque virgineam Matrem, quam Homo-Deus sibi delegit suoque triumpho copulavit, iam transitus movendus est ad Deum universi Creatorem atque Gubernatorem [1].

In qua rursus expositione Aquinati gressu docili adhaererem, si, ab alio munere liber, commentatoris unice agerem partes. Quum autem proxime de hominis natura, elevatione et lapsu, necnon de gratia in hac nostra Academia lectiones tradendas habeam, parumper aliter argumentum disponere visum est.

Itaque tribus voluminibus materiam hoc pacto partiri lubet, ut in primo tomo (VI° operis) agatur *De Deo Creatore et de Angelis;* in secundo (VII°) tractetur *De Homine,* sive *De Hominis natura, elevatione et lapsu*; in tertio (VIII°) disseratur *De Gratia.*

[1] Nexum inter tractatum de Deo trino et de Deo creatore eloquenter exprimit sarcophagus christianus celeberrimus, qui in Lateranensi palatio asservatur.

Ut igitur ad hunc tomum VI iam Prologus contrahatur, doctrinam aggredimur imprimis quae spectat ad exitum rerum a Conditore Deo.

In qua expositione si nonnulla ad disciplinam philosophicam pariter spectant, non inde nobis negligenda sunt visa; hac nostra praesertim aetate, in qua, imminuto apud multos fidei splendore, tenebrae iam invadunt campum ipsum, quem lux saltem rationis adhuc illuminare deberet. Ne tamen theologicae nostrae inquisitiones excurrant in immensum, plura ex philosophia tanquam notissima supponemus, parciusque de argumentis pure philosophicis disputabimus.

Viam ostendet passim S. Thomas, quippe qui theologicam suam *Summam* philosophico succo conspersit robusto atque iucundo. Cuius doctrinam novo veluti animo exponendam suscipimus, quum Pius PP. X fauste regnans, inclyti decessoris vestigia premens, Angelici laudes uberrimo nuper sermone cecinerit. Inter alias utilitates, quas Pontifex ex assiduo S. Thomae commercio obventuras exoptat, speciali modo indicat « coërcendam pro virili parte communem illam rationis « fideique pestem quae longe lateque serpit: *Neo-ratio-* « *nalismum* dicimus, cuius ne perniciosus afflatus sacra « praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope « atque opera providendum est » [1]. Iam vero funda-

[1] Breve « *In praecipuis laudibus* », 23 Ianuarii 1904. Cave tamen, ne urgeas sententiam praecedentem, in qua Angelicus proponitur sequendus in omnibus. Ad rem faciunt verba, quae nuper Card. Satolli scripsit ad Cl. Mercier: « È vero che non « mancano i timorosi di questo avvicinamento vitale fra il tomismo e la scienza, che « paventano la rinuncia qualora divenisse obbligatoria, di qualche posizione creduta

mentale dogma, quo iste Neo-rationalismus convellitur, est dogma creationis, omnis religionis fons et origo, imo et reipublicae universae, iuxta verba sapientissima, quae nuper Germanorum Caesar in publica concione ad filios suos protulit: « Quidquid unusquisque agit, vitam « quam degit, munus quod exercet, opus quod complet, « superstruat oportet huic quaestioni : quaenam est mea « relatio ad Deum? » [1].

Iam vero hanc relationem non modo pervertit, sed ex toto tollit, qui negat creationem [2]. Unde audax ille creationis negator Jordanus Brunus veluti symbolum factus est illorum omnium, qui, perversa philosophia imbuti, Monismo adhaerent [3].

Quum autem in hac tractatione non semel confutandi occurrant illi, qui, falsae nomine sapientiae, abutuntur ratione, ut in Auctorem suum rebellent, Ipsum, quasi non esset, de medio tollentes, placet praemittere verba, quibus Dei Spiritus veram sapientiam describit

« inespugnabile. Evidentemente è questa una deplorevole mancanza di fiducia. Per« suasi della intima veridicità del pensiero tomistico, a noi deve importar poco il « sacrificio anche di qualche conclusione secondaria, quando, alla prova dei fatti più « accreditati, il nucleo centrale della filosofia cattolica e scolastica rimane intatto ».

[1] Oratio habita 17 Octobris 1903. Haec verba opportune nuper attulit Cl. Hebbelynck, Rector Magnificus Universitatis Lovaniensis, in solemni allocutione, inchoante anno academico habita, die 18 Oct. 1904.

[2] Inde rebellio morum mentis rebellionem sequatur oportet. Cf. cl. Brunetière: *La renaissance du paganisme en morale. — Le Correspondant*, 10 Juillet 1904.

[3] Ad ostendendum quousque insana rabies hoc nomine abutatur ad calumnias simul et blasphemias, scientiae specie, eructandas, placet afferre ludum scenicum, cui titulus: « Giordano Bruno », ab Othone Borngräber conscriptum, poëma tam impium tamque declamatorium, ut ipsum Haeckel meruerit habere prologi auctorem. In 2.ª scena actus 2.i, chorus inducitur monachorum, litanias cantantium in honorem B. Virginis e S. Annae, quas expresse adorant: « *Wir beten dich an* » (!!), dum Bruno eos vituperiis excipit: « *Ihr Herdenschafe!... Ihr heiligen Weiberanbeter!* » Dein post luctam

atque magnificat. « Fons sapientiae verbum Dei in excel-
« sis, et ingressus illius mandata aeterna. Radix sa-
« pientiae cui revelata est et manifestata? et multipli-
« cationem ingressus illius quis intellexit? Unus est
« Altissimus, Creator omnipotens, et Rex potens et
« metuendus nimis, sedens super thronum illius, et do-
« minans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et
« vidit, et dinumeravit, et mensus est. Et effudit illam
« super omnia opera sua, et super omnem carnem se-
« cundum datum suum, et praebuit illam diligentibus
« se ». Unde scriptor sacer exclamat: « Timor Domini
« gloria, et gloriatio, et laetitia, et corona exultationis » [1].

Et sane tantum abest, quominus Dei negatio sit sapientiae incrementum, in quo genus humanum glorietur [2], ut, e regione, quo magis a Deo mentes recedunt, eo minus evadat cum virtutis, tum veritatis patrimonium. Inde iam tempore suo praeclare orabat

cum imagine Crucifixi, cuius virtutem mysteriosam vix exsuperare valet, erumpente radio solis, Brunus in exstasim raptus *(in dionysischer Leidenschaft)*, astrum luciferum alloquens, prorumpit in pantheisticam laudem universi, saeculumque novum salutat, cuius lucida fragrantia vernalis caliginosam hiemem Christianae stultitiae depellit.

« *So bricht durch finstern Wolkenwahn*
« *Die Sonnenwahrheit!*
« *Und in ihrem lebenschwellenden Licht*
« *Erlächelt der Frühling!*
« *Erblühet ein neues Jubeljahrhundert!*
« *Da, von finstern Todesfesseln frei,*
« *Vom erdrückenden Alp des alten Wahns,*
« *In die* Himmel *atmet die göttliche* Menschenbrust! ».

Et ecce! qui calumniose derident adoratores Deiparae, iam cum emphasi adorant semetipsos!

[1] Eccli. I, 5-11.

[2] Sane, quam miserabile spectaculum dederunt illi athei, nomine *liberae cogitationis* nuper Romam congressi! Quam ignobilis in cogitationis vacuitate servitus!

Psalmista: « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit « sanctus: quoniam diminutae sunt veritates a filiis « hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proxi- « mum suum: labia dolosa et linguam magniloquam. « Qui dixerunt: linguam nostram magnificabimus, labia « nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est? » [1]. Impia protervia, nonnisi caeco irrationalique praeiudicio formulanda! Unde pergit: « In circuitu impii am- « bulant » [2].

[1] Ps. XI, 1-5. Adverte nexum profundum inter utramque partem secundi incisi huius ultimi versus: « Labia nostra a nobis sunt ». En atheismum cum omni licentia cogitandi et loquendi. « Quis noster Dominus est? » En anarchismum, atheismi prolem. Quid aliud sonat illa sententia: « *Ni Dieu ni maître* », quam Italus anarchicus Rubino, qui Regi Belgarum vitam tentaverat auferre, dum ad carcerem duceretur, secum cynice decantabat? — Cf. dicenda mox de nexu inter atheismum et omnium vitiorum colluviem.

[2] Ibid. 9. — Irrationale praeiudicium atheistici materialismi, et ex opposito rationalem methodum creatianismi deistici bene comprehendit et illustravit nuper diarium, cui titulus *Le Bien Public:* « Pour démontrer l'existence de Dieu, pas n'est « besoin de s'isoler des phénomènes. Dieu n'est point une "hypothèse", comme l'af- « firment inconsidérément les positivistes, il est l'Être nécessaire, dont l'existence « est aussi rigoureusement vérifiable, pour le moins, que n'importe quelle loi élé- « mentaire de la physique.

« Lorsqu'un naturaliste, si féru soit-il de science positive, découvre dans les « anciennes couches géologiques des crânes, des ustensiles de cuisine, des armes « sculptées, pense-t-il que la mission du savant soit achevée lorsqu'il a décrit et « étiqueté ces restes?

« Abandonne-t-il le terrain de la science et s'égare-t-il dans les conjectures, « si, de ces restes, il déduit que ce crâne a appartenu à un être vivant, que ces « ustensiles et ces armes ont été confectionnés par un être apte à les confectionner?

« Pourquoi donc, devant les infinies merveilles de la nature, ne pourrions-nous « tout aussi rigoureusement, tout aussi scientifiquement, conclure qu'elles sont l'œu- « vre d'un Être capable de produire de telles beautés, c'est-à-dire d'un Être infini- « ment intelligent, infiniment puissant, infiniment prévoyant?

« Vous dites que la matière s'est donné à elle-même le mouvement et la vie, que « les plantes et les animaux ont non seulement developpé mais créé leurs organes. — « Le prouvez-vous? Non, vous le supposez. Si jamais il y eut une hypothèse gratuite, « ce n'est point l'existence de Dieu, mais cette organisation spontanée de la nature. « Hypothèse gratuite, et aussi saugrenue que si vous supposiez que les débris fos- « siles dont nous parlions il y a un instant, se sont fabriqués eux-mêmes. Et à cette

E contra, Deum praedicare mundi hominisque Auctorem, ac proin Legislatorem et Regem, nihil solidius, nihil rationi magis consonum. Et quidem dupliciter: tum quia Deus de seipso splendida edidit testimonia; tum quia ratio ab effectu ad causam logico nexu assurgit. Egregie utrumque affirmat S. Augustinus: « Visibilium « omnium maximus est mundus, invisibilium omnium « maximus est Deus. Sed mundum esse conspicimus, « Deum esse credimus. Quod autem Deus mundum « fecerit, nulli tutius credimus, quam ipsi Deo. Ubi « eum audivimus? Nusquam interim nos melius quam « in Scripturis sanctis, ubi dixit Propheta eius: " In « principio fecit Deus caelum et terram ". Numquidnam « ibi fuit iste Propheta, quando fecit Deus caelum et « terram? Non. Sed ibi fuit sapientia Dei, per quam « facta sunt omnia, quae in animas etiam sanctas se « transfert, amicos Dei et Prophetas constituit, eisque « opera sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur « eis quoque Angeli Dei, qui semper vident faciem « Patris, voluntatemque eius quibus oportet, annun- « ciant. Ex his unus erat iste Propheta, qui dixit et « scripsit: " In principio fecit Deus caelum et terram ".

« hypothèse, vous vous cramponnez avec obstination et désespoir, parce que en dehors « d'elle vous êtes acculé à l'aveu de la création.

« Dans la nature, tout non seulement provient d'une cause, mais tout atte- « ste un but qui se révèle jusque dans les plus imperceptibles organes du plus « infime des animaux. L'existence de ce but est tellement certaine que la science « le présume comme une loi de la nature et c'est en le présumant qu'elle finit par « le découvrir. Avant d'avoir pénétré toutes les conditions dont l'ensemble permet « à l'œil de voir, la science savait que le moindre filet nerveux a son utilité et « que rien, dans la constitution d'un organe aussi complexe, n'est laissé au hasard » (27 Août 1903).

« Qui tam idoneus testis est, per quem Deo creden-
« dum sit, ut eodem spiritu Dei, quo haec sibi reve-
« lata cognovit, etiam ipsam fidem nostram futuram
« tanto ante praedixerit ». En Deum mundi Auctorem agnitum ex fide [1]. Conspirat autem et ratio : « Exceptis
« enim propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima
« sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium
« pulcherrima specie quodammodo tacitus, et factum
« se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter atque invi-
« sibiliter magno, et ineffabiliter atque invisibiliter
« pulchro fieri se potuisse, proclamat » [2].

Ex dictis patet tractationis de Deo Creatore momentum. Quum enim, iuxta naturalem ordinem a Deo stabilitum, ad « invisibilia Dei » per ea « quae facta « sunt » mens hominum assurgere debeat, eo instantius iste ascensus est vindicandus, quo protervius impia scientia, nec scientia, in creaturis sibi complacet uti in Deo, quem extramundanum recusat, imo deridet, ut in ipso homine ponat fastigium universi, seseque affirmet deitatis ultimum verbum ac proin supremam maiestatem. « Homo ipse », ut egregiis Pii X verbis utar [3], « temeritate summa in Dei locum invasit, ex-
« tollens se " supra omne quod dicitur Deus "; usque

[1] De necessitate fidei optime nuper disseruit Illmus Hedley. O. S. B. in opere cui titulus: *Our divine Saviour (The spirit of faith, or what must I do to believe)*; quod opus et in praecedenti tractatu adduxissem non semel, si prae manibus tunc habuissem, utpote et de Incarnatione praeclara quaedam continens.

[2] *De civit. Dei*, l. XI, cap. 4. Hoc argumentum ex inspecta creatura desumptum nuperrime illustravit Card. Ferrata eleganti sermone in Lateranensibus aedibus habito, die 27 Nov. 1904, ad expositionem operum artis Marianae ibidem collectorum inaugurandam.

[3] Encycl. « *E supremi apostolatus cathedra* ».

« adeo, ut quamvis Dei notitiam extinguere penitus « in se nequeat, Eius tamen maiestate reiecta, aspe- « ctabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedi- « caverit a caeteris adorandus. " In templo Dei sedeat, « ostendens se tanquam sit Deus " » [1]. Haec igitur impietas, quae, ut idem Pontifex ait, « propria est An- « tichristi nota », hic sedulo detegenda est, revocando utique, quaecumque de ascensu a creaturis in Deum, de Atheismo, de Pantheismo, etc., iam fuse tractavimus ubi *de Deo Uno* agebamus [2]; sed imprimis stabiliendo dogma catholicum exitus omnium rerum visibilium et invisibilium a Deo Creatore [3], ac proin eorum, quae libera potentique manu creavit, sapienti supremoque Gubernatore [4].

[1] II. Thess. II, 4.

[2] Liceat verbulum hic addere ad deplorandas nimis faciles concessiones, quas nonnulli faciunt scriptores moderni, fortiores, uti putant, apologistae, quia criterium novum, subiectivum, a Kantianismo non prorsus alienum urgent, veteri apologistica methodo tanquam insufficienti, si minus despecta, saltem nervo orbata. Hi tales, a quibus nec Italia exstat libera, iam incipiunt dubitare de vi argumentorum, quibus S. Thomas Deum esse demonstrat. Sane non sine dolore sequentia verba legi, in controversia recenti inter Cl. Semeria et Cuschieri de hac quaestione mota, priore recentiorum de more placita defendente, altero antiquam disciplinam tenente. « È chiaro che le con- » clusioni non possono superare l'ambito delle premesse: ma gli argomenti tomistici « conducono logicamente ad affermare soltanto l'esistenza di un *movens immobile,* di « un *primum efficiens,* un *necessarium non ex alio,* un *maximum ens,* un *primum* « *gubernans intelligendo,* e sono essenzialmente insufficienti a stabilirne la natura « spirituale o corporea, finita o infinita, ecc... La questione vera è quella che ri- « guarda la natura di questo essere primo e necessario, che, stando ai semplici argo- « menti tomistici, potrebbe esser anche la materia. (C. B.) ». Ad quae ultima verba editores addunt: « Questo non ci sembra vero ». Imo est falsissimum! *(Rivista delle Riviste per il Clero,* ag. 1904 p. 508).

[3] In eadem Encycl.

[4] Cf. de hoc dogmate thesim doctoralem Cl. Van Hoonacker « *De rerum crea-* « *tione ex nihilo* ». (Lovanii, 1886); item Cl. de Dorlodot, *(Quaestionum Quodlibeta-rum* prima *De vera creationis notione.* Lovanii 1903). - Creationis dogma philoso-phice illustrat egregie P. Rossi. *(Principii di filosofia soprannaturale,* l. I).

Nec veritatem hanc dumtaxat in se inspectam, sed et inanitatem [1] illustrabimus systematum, quae praeter Creatianismum Christianum universi problema solvere conantur. Quo in munere non parum iuvabit ostendere contradictiones, quibus adversarii unius verae doctrinae se invicem depellunt ac destruunt, ita ut de hac Babelica errorum confusione valeat apprime verbum Christi: « Omne regnum in seipsum divinum desolabitur, et « domus supra domum cadet » [2].

Hae autem ruinae, quas illi praesertim scriptores accumulant, qui adhuc Protestantismi nomine gloriantur, ipsa sua informi fumantique congerie demonstrant, quam exitiale fuerit principium unde haec magna rebellio mentium ac cordium duxit ortum, tam pronum in occasum [3].

[1] Credulitas cum qua athei plaudentes accipiunt quidquid sibi favere videtur, plerumque ostendit magnam iudicii levitatem. Ita vix detecto miro illo elemento, cui *radii* nomen inventores dederunt, ecce ex radio, utpote seipsum iugiter alente, contra creatrionis dogma triumphantes declamarunt! Tria tamen, problemati essentialia, praetermittebant: estne verum prorsus, radium per emissionem suae virtutis nullomodo minui? - constatne prorsus, radium nullo alio alimento refici praeter semetipsum? - et hoc etiam concesso, estne ideo radium auctor suae virtutis, quin et suae existentiae? - Quanta rursus promptitudine nuperrime exceptum est nuntium ab Helvetico diario buccinatum inventi tandem in Australiae plagis viventis petecanthropi, ac per ipsum evolutionisticam perfici catenam homines bestiis colligantem. Vix emphatico assensu res ab atheis fuerat excepta, nuntii auctor lectorum credulitatem deridens, fraudem ipse suam lepide confessus est!

[2] Luc. XI, 17.

[3] Pluries inde auctores protestantes adducentur in hoc volumine, de quo non sicuti de praecedente nostrae *Summae* conqueri poterit Arthur Titius in ephemeridibus *Theol. Jahrbericht* * « Protestantische Auctoren werden nur sparsam citiert ». Caeterum modus quo in istis protestanticis ephemeridibus auctores catholici leviter et iniuste tractantur, et conspectus protestanticorum scriptorum, quae in eis laudantur, sufficit ad abundantiam ut, qui adhuc haeret dubius, iam certior fiat, raro apud Protestantes reperiri solidam doctrinam et aequum de nostris iudicium.

* T. XXII, 1902, p. 1082.

Criterium autem quo in hoc tractatu Scripturas utriusque Testamenti adhibemus, illud idem emanet, quo passim in praecedentibus tractatibus usi sumus. Quidquid est verae progressionis ultro accipientes [1], a temeritatibus sedulo cavebimus; maxime ab illa, quam in recenti opere Cl. Billot iure appellat « novam haeresim evolutionismi » [2], cuiusque excessus vere intolerabiles Illmus Le Camus lucide ostendit [3]. Verbo: in re exegetica sedulo tenemus principia illa, quae Leo XIII, s. m., in sua encyclica « *Providentissimus Deus* » providentissime consignavit [4].

[1] Cf. dissertationem de Cosmogonia Mosaica, quam dum scribebamus, nonnullos alios libros attulissemus, si tunc prae manibus habuissemus, uti *Das Schöpfungsproblem*. v. Oberbergrath Prof. Dr. Wilhelm Waagen (*Natur u. Offenbarung*. XLIV B. - Munster 1898); *Lusac's semitic text and translation series*. « The seven tablets of creation or the babylonian and assyrian legends concerning the creation of the world and of mankind; edited by L. W. King. M. A. F. S. A., assistant in the department of egyptian and assyrian antiquities british museum. V. Z. english translations, etc. Introd. v. Influence of the babylonian creation legends and parallels in hebrew litterature ». Quam praecipitatae sint multae hypotheses, quas novatores veluti iam scientifice fundatas decantant, nuperrime ostendit P. Ioannes Hyacinthus Cereseto (ex Orat. Sac., unus e Commissione biblica), in opere cui titulus: *Ipotesi del P. Hummelauer e di altri autori moderni su l'autenticità del Deuterenomio di Mosè*. 1904 *. De biblico argumento P. A. Delattre, S. I. tunc in Collegio Maiori Lovaniensi, iam in Universitate Gregoriana S. Scripturae lectore, docte et ponderate conscripsit opus, cui titulus: *Autour de la Question biblique*, (Liège. Dessain 1904).

[2] *De Sacra traditione contra novam haeresim evolutionismi* (Romae 1904). — Cave tamen ne omnem evolutionem doctrinae catholicae excludas. Sed alia est evolutio ab intrinseco, per parabolam grani sinapsis optime expressam; alia evolutio ab extrinseco vel ad extrinsecum, quae transformatio melius diceretur. Prior cum iusto moderamine admittenda; altera proiicienda prorsus.

[3] *Fausse exégèse, mauvaise théologie*. (Oudin 1904).

[4] Iuxta haec principia P. Hildebrandus Höpfl O. S. B. opellam nuperrime conscripsit undequaque egregiam, cui titulus: *Das Buch der Bücher, Gedanken über Lektüre und Studium der Heiligen Schrift*. (Herder, 1904).

* Cf. eiusdem opellam *Tre classi di Dottori, questioni circa gli autori e la data dei Salmi, dei Proverbi e del Pentateuco*. — De qua faventissimum iudicium protulit *Jos. Friedmann*, Hebraeus in rebus biblicis versatissimus ad catholicam fidem recens conversus. (Cf. op. cit. « *Ipotesi...* » p. 239 sqq.).

Methodus antem in hoc tractatu servabitur eadem; nisi quod brevius passim Angelici textum illustrabimus ad prolixitatis periculum securius devitandum [1]; saepiusque brevissimam Quaestionum synopsim omittemus, ubi vel liberior expositio doctrinae vel expolitiora schemata hanc omissionem sponte suadebunt.

Ut autem tractatio nostra, quippe in fide radicata, pietatis sensu, sine quo fides in charitatem non exsurgit, ab exordio veluti irrigetur, fervida quaedam liceat Sancti Anselmi verba eidem de more praemittere: « Nunc « adesto mihi, Deus meus, quem quaero, quem diligo, « quem corde et ore confiteor, et qua valeo virtute, laudo « atque adoro. Mens mea devota tibi, tui amore succensa, tibi spirans, tibi inhians, te solum videre desiderans, nihil habet dulce nisi de te loqui, de te audire,

[1] Iterum movere liceat, nostros tractatus ita esse conceptos dispositosque, ut lector sive tiro textum ipsum Angelici prae oculis habere censeatur. Hinc sane quaedam sequatur opportet apparens carentia unitatis, sive prolixitas, imo interdum repetitio argumenti, ubi doctrina seorsim prius exposita, iam textui Aquinatis illustrando admovetur. Haec autem incommoda, quae ad minimum reducenda studemus, multis aliunde utilitatibus non modo compensari, sed et superari confidimus. Quare ad sedandum iudicium hac de causa minus favens, liceat afferre verba, quibus duo viri critici, mentem nostram rectius assecuti, methodum hucusque adhibitam nuper vindicarunt. Loquens de apparenti defectu unitatis, alter ait: « This must be so. « Beeing commentaries on the text, they could not well avoid this danger. Father J. « however has done much to overcome this difficulty by little schemata which he « has added to each chapter. These schemata are admirable in their way. They give « a connected and scientific view of the subject under dicussion. They go far to make « the want of unity more apparent than real » *. — Alter de ordine servato haec scribit: « Zulk een commentaar, een van onzen tijd: op de hoogte van moderne weten« schap en moderne kritiek, kan naast de talrijke hand en leerboeken waarmee wij « gezegend zijn, voortreffelijke diesten bewijzen, ja is voor menigen goud waard. « Een commentaar schrijvend, was J. natuurlijk gebonden aan de volgorde der « *Summa* » **.

* I. M. H. — *Irish ecclesiastical record*. 1903, p. 280.
** V. N. — *De katholiek* 1903, p. 178.

« de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequen-
« ter sub corde revolvere, ut tui suavis memoria sit
« inter hos turbines aliqua repausatio mea. Te ergo
« invoco, desideratissime, ad te clamo clamore magno
« in toto corde meo. Et cum te invoco, utique in meipso
« invoco; quoniam omnino non essem, nisi tu esses in
« me; et nisi ego essem in te, non esses in me. In
« me es, quoniam in memoria mea manes; ex ea co-
« gnovi te, et in ea invenio te, cum reminiscor tui, et
« delector in te de te, ex quo omnia, per quem omnia,
« et in quo omnia » [1].

Sed et de Angelis acturi, Angelorum Reginam invocare liceat eo fervidius, quo potentius eius auxilium sumus experti, dum, anno elapso, in Angelimontano monasterio graviori morbo detenti, fraternis utique curis, quarum gratam usque memoriam cordi impressam servamus, sed Deiparae imprimis praesidio novae veluti vitae, - utinam minus inutili! - restituti sumus.

Hinc longior in huius voluminis editione mora, quam lectores benigne nobis pro charitate condonaturos esse speramus.

Scribebam Romae, in aedibus Collegii Anselmiani, die festo Michaëlis Archangeli, anno 1904.

[1] *Meditat.* XIV, 1. — *P. L.* CLVIII, 779.

INDEX RERUM.

PROLOGUS. IX
Index rerum. XXI

PRAEVIA.

De ordine et indole tractatus 1

PARS. I.

DE PRODUCTIONE RERUM IN GENERE.

SECTIO I.

DE PRIMA CAUSA RERUM.

QUAESTIO XLIV.

I. De causa efficienti rerum. 5
Articulus I. — Utrum sit necessarium, omne ens esse creatum a Deo 5
Corollaria. 17
II. De causa materiali 20
Articulus II. — Utrum materia prima sit creata a Deo. 20
Corollaria. 29
Appendix. De doctrina S. Anselmi et S. Bernardi. 32
Corollaria. 36
III. De causa exemplari 37
Articulus III. — Utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum 37
Corollarium 45
Appendix. De doctrina S. Anselmi, Ruperti et Hugonis Victorini. 45
IV. De causa finali 48
Articulus IV. — Utrum Deus sit causa finalis omnium. 48
Corollaria. 57
De mente S. Anselmi 63
Appendix. De praecipuis quibusdam erroribus circa originem universi a Deo . 66

I. De Materialismo 66
II. De quibusdam formis Pantheismi 88
1) De Pantheismo monistico 88
2) De Pantheismo evolutionistico 90
3) De Pantheismo revolutionistico 101
4) De Pantheismo theosophico reinvolutionistico 108
5) De Pantheismo pantheistico 114
Brevissima totius Quaestionis synopsis 120

SECTIO II.

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

QUAESTIO XLV.

Articulus I. — Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere 121
Corollaria. 127
De doctrina S. Anselmi 131
Appendix de doctrina Rosminii 134
Articulus II. — Utrum Deus possit aliquid creare. 136
Appendix de analysi actus creativi. 139
Articulus III. — Utrum creatio sit aliquid in creatura 144
Corollarium 148
Articulus IV. — Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium . 148
Articulus V. — Utrum solius Dei sit creare 150
Articulus VI. — Utrum creatio sit proprium alicuius personae. 163
Articulus VII. — Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis. 170
Appendix de mente S. Bonaventurae 173
Articulus VIII. — Utrum creatio admisceatur in operibus naturae et artis. . 175
Brevissima totius Quaestionis synopsis 178

SECTIO III.

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM.

QUAESTIO XLVI.

Articulus I. — Utrum universitas creaturarum semper fuerit 180
Articulus II. — Utrum mundum incepisse sit articulus fidei. 188
Articulus III. — Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis 209
Brevissima totius Quaestionis synopsis 213

PARS. II.

DE RERUM DISTINCTIONE.

Ordo huius Partis 215

SECTIO I.

DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI.

QUAESTIO XLVII.

I. De ipsa rerum multitudine 215
Articulus I. — Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo 216
Articulus II. — Utrum inaequalitas rerum sit a Deo. 220
III. De unitate mundi 229
Articulus III. — Utrum sit unus mundus tantum 229
Corollaria. 233
Brevissima totius Quaestionis synopsis 234

SECTIO II.

DE DISTINCTIONE RERUM SPECIALI.

MEMBRUM I.

DE DISTINCTIONE RERUM EX BONO MALI.

CAPUT I.

DE IPSO MALO.

QUAESTIO XLVIII.

Ordo Quaestionis 236
Articulus I. — Utrum malum sit natura quaedam. 236
Articulus II. — Utrum malum inveniatur in rebus 242
Articulus III. — Utrum malum sit in bono, sicut in subiecto 247
Articulus IV. — Utrum malum corrumpat totum bonum 249
Articulus V. — Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam. . 252
Corollarium 256
Articulus VI. — Utrum habeat plus de ratione mali poena quam culpa . . . 256
Brevissima totius Quaestionis synopsis 259

CAPUT II.

DE CAUSA MALI.

QUAESTIO XLIX.

Ordo Quaestionis 260
Articulus I. — Utrum bonum possit esse causa mali. 260
Appendix de doctrina S. Augustini. 263
Articulus II. — Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali . . . 265
Corollaria 268
Articulus III. — Utrum sit unum summum malum, quod sit causa omnis mali. 270
Corollarium. 275
Brevissima totius Quaestionis synopsis 276

SECTIO III.

DE CREATURA CORPORALI.

(Q. LXV-LXXIV).

De ordine Sectionis 277

CAPUT I.

DE IPSO CREATIONIS CORPORALIS OPERE.

QUAESTIO LXV.

Ordo Quaestionis. 278
Articulus I. — Utrum creatura corporalis sit a Deo 278
Articulus II. — Utrum creatura corporalis sit facta propter Dei bonitatem . . 281
Corollaria. 286
Articulus III. — Utrum creatura corporalis sit producta a Deo mediantibus Angelis 289
Articulus IV. — Utrum formae corporum sint ab Angelis 290

CAPUT II.

DE OPERIS DISTINCTIONE.

Dissertatio de cosmogonia Mosaica 295
Considerationes praeviae. 296
) De ipso textu cosmogoniae Mosaicae. 299
) Brevis conspectus historicus exegeseos Hexaëmeron. 306
3) Praecipuae sententiae catholicae discutiuntur 316
Conclusio 348

I. DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM.

QUAESTIO LXVI.

De ordine argumenti 351
Articulus I. — Utrum informitas materiae tempore praecesserit formationem ipsius. 352
De mente S. Bonaventurae 358
Articulus II. — Utrum una sit materia informis omnium corporum 361
Articulus III. — Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi . 364
Articulus IV. — Utrum tempus sit concreatum materiae informi 370
Corollarium 374

II. DE IPSA OPERUM DISTINCTIONE SECUNDUM SE.

I. DE OPERE PRIMAE DIEI.

QUAESTIO LXVII.

I. De textu Scripturae 377
II. Ad litteram S. Thomae 385

II. DE OPERE SECUNDAE DIEI.

QUAESTIO LXVIII.

I. De textu S. Scripturae. 388
II. Ad litteram S. Thomae 395
Corollarium 399

III. DE OPERE TERTIAE DIEI.

QUAESTIO LXIX.

I. De textu S. Scripturae 400
II. Ad litteram S. Thomae.. 406

CAPUT III.

DE OPERE ORNATUS.

IV. DE OPERE QUARTAE DIEI.

QUAESTIO LXX.

I. De textu S. Scripturae 408
II. Ad litteram S. Thomae 413
Corollarium 416

V. DE OPERE DIEI QUINTAE.

QUAESTIO LXXI.

I. De textu S. Scripturae. 417
II. Ad litteram S. Thomae 420

VI. DE OPERE DIEI SEXTAE.

QUAESTIO LXXII.

I. De textu S. Scripturae 420
II. Ad litteram S. Thomae 424

VII. DE DIE SEPTIMA.

QUAESTIO LXXIII.

I. De textu S. Scripturae. 425
II. Ad Litteram S. Thomae 427
Doctrina S. Augustini de perfectione numeri senarii 428
Conclusio 434

PARS. III.

DE CREATURA SPIRITUALI

SIVE

TRACTATUS DE ANGELIS.

De Ordine Tractatus 443

SECTIO I.

DE IPSIS ANGELIS.

(Q. L. - Q. LXIV).

MEMBRUM I.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM.

CAPUT I.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM ABSOLUTE CONSIDERATA.

QUAESTIO L.

Ordo Quaestionis. 445

I. AN SINT.

Articulus I. — Utrum detur creatura incorporea, sive spiritus 445
Corollaria 460
Appendix 464

II. QUOMODO SINT.

Articulus II. — Utrum Angelus sit compositus ex materia et forma. 469
Corollaria. 477
Appendix I. De haesitationibus scriptorum sacrorum circa puram spiritualitatem Angelorum 479
Corollaria. 492
Appendix. De mente S. Bonaventurae. 493
Articulus III. — Utrum Angeli sint in aliquo magno numero 494
Articulus IV. — Utrum Angeli differant specie. 501
Appendix. De mente S. Bonaventurae. 519
Articulus V. — Utrum Angeli sint incorruptibiles 523
Brevissima totius Quaestionis synopsis 528

CAPUT II.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM PER COMPARATIONEM AD CORPORALIA.

A) DE COMPARATIONE ANGELORUM AD IPSA CORPORA.

QUAESTIO LI.

Ordo Quaestionis 530
Articulus I. — Utrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi unita 530
Corollarium 534
Appendix de mente S. Bernardi 535
Articulus II. — Utrum Angeli assumant corpora 538
Corollaria. 543
Articulus III. — Utrum angeli in corporibus assumptis opera vitae exerceant. 545
Corollaria. 547
Brevissima totius Quaestionis synopsis 548

B) DE COMPARATIONE ANGELORUM AD LOCA.

QUAESTIO LII.

Ordo Quaestionis 549
I. De ipsa Quaestione 549
1) Exhibetur doctrina Patrum 553
2) Praecipuae sententiae theologorum recensentur. 556
3) Conclusiones nostrae feruntur 563
II. Ad textum S. Thomae 566

C) DE MOTU LOCALI ANGELORUM.

QUAESTIO LIII.

Ordo Quaestionis 573
Articulus I. — Utrum Angelus possit moveri localiter 573
Articulus II. — Utrum Angelus transeat per medium 581
Articulus III. — Utrum motus Angeli sit in instanti. 584
Corollarium 688
Brevissima utriusque Quaestionis synopsis 588
Appendix. De mente S. Bonaventurae. 589
Quaestiunculae connexae. 595

MEMBRUM II.

DE COGNITIONE ANGELORUM.

CAPUT I.

DE VIRTUTE COGNOSCITIVA ANGELORUM.

QUAESTIO LIV.

Ordo Quaestionis 598
I. De ipsa Quaestione propositiones quinque 599
II. Ad textum S. Thomae 607

CAPUT II.

DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICAE.

QUAESTIO LV.

Ordo Quaestionis 613
I. De ipsa Quaestione propositiones tres. 613
Quaestiones connexae 620
II. Ad textum S. Thomae 623

CAPUT III.

DE OBIECTO COGNITIONIS ANGELICAE.

A) DE COGNITIONE ANGELORUM A PARTE RERUM IMMATERIALIUM.

QUAESTIO LVI.

I. De ipsa Quaestione propositiones tres. 630
II. Ad textum S. Thomae 638
Corollarium 643

B) DE ANGELORUM COGNITIONE RESPECTU RERUM MATERIALIUM.

QUAESTIO LVII.

I. De ipsa Quaestione propositiones quinque cum corollariis et quaestionibus connexis 644
II. Ad textum S. Thomae 675

CAPUT IV.

DE MODO COGNITIONIS ANGELICAE.

QUAESTIO LVII.

I. De ipsa Quaestione propositiones quatuor cum corollariis 681
II. Ad textum S. Thomae 690

MEMBRUM III.

DE ANGELORUM VOLUNTATE.

CAPUT I.

DE IPSA ANGELORUM VOLUNTATE.

QUAESTIO LIX.

Ordo Quaestionis 797
Articulus I. — Utrum in Angelis sit voluntas 697
Articulus II. — Utrum in Angelis voluntas differat ab intellectu 700
Articulus III. — Utrum in Angelis sit liberum arbitrium 702
Articulus IV. — Utrum in Angelis sit irascibilis et concupiscibilis 704

CAPUT II.

DE VOLUNTATIS ANGELORUM MOTU.

QUAESTIO LX.

Ordo Quaestionis 707

A) DE GEMINA ANGELORUM DILECTIONE.

Articulus I. — Utrum in Angelo sit amor, seu dilectio naturalis. 707
Articulus II. — Utrum in Angelis sit dilectio electiva 709

B) DE OBIECTO GEMINAE DILECTIONIS ANGELORUM.

Articulus III. — Utrum Angelus diligat seipsum dilectione naturali et electiva. 711
Articulus IV. — Utrum unus Angelus naturali dilectione diligat alium sicut seipsum 713
Corollaria. 715

MEMBRUM IV.

DE ANGELORUM PRODUCTIONE SEU CREATIONE.

CAPUT I.

DE PRODUCTIONE ANGELORUM IN ESSE NATURAE.

QUAESTIO LXI.

Ordo Quaestionis 721
Articulus I. — Utrum Angeli habeant causam sui. 721
Corollaria. 725
Articulus II. — Utrum Angelus sit productus a Deo ab aeterno 727
Articulus III. — Utrum Angeli sint creati ante mundum corporeum 728
Appendix de sententia Patrum circa tempus creationis Angelorum 730
Investigatio de mente S. Anselmi 737
Articulus IV. — Utrum Angeli creati sint in caelo empyreo 738

CAPUT II.

DE PERFECTIONE ANGELORUM QUOAD ESSE GRATIAE ET GLORIAE.

QUAESTIO LXII.

Ordo Quaestionis 841
Considerationes praeviae. 741
Articulus I. — Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati. 745
Articulus II. — Utrum Angelus indiguerit gratia ad hoc quod converteretur in Deum. 749
Corollaria. 750
Articulus III. — Utrum Angeli sint creati in gratia. 751
Appendix de sententia quorumdam Doctorum Scholae 756
Articulus IV. — Utrum Angelus beatus suam beatitudinem meruerit 760
Articulus V. — Utrum Angeli statim post unum actum meritorium beatitudinem habuerint 765
Articulus VI. — Utrum Angeli sint consecuti gratiam et gloriam secundum quantitatem suorum naturalium 770
Articulus VII. — Utrum in Angelis beatis remaneat cognitio et dilectio naturalis. 773
Articulus VIII. — Utrum Angelus beatus peccare possit 775
Articulus IX. — Utrum Angeli beati in beatitudine possint proficere 780
Brevissima totius Quaestionis synopsis 783

CAPUT III.

DE CONDITIONE ANGELORUM MALORUM.

A) DE DAEMONUM LAPSU.

QUAESTIO LXIII.

Articulus I. — Utrum malum culpae possit esse in Angelis 784
Articulus II. — Utrum in Angelis possit esse tantum peccatum superbiae et invidiae 790
Appendix. De erroribus quorumdam scriptorum sacrorum circa peccatum daemonum 801
Articulus III. — Utrum diabolus appetierit esse ut Deus 805
Appendix. De mente S. Anselmi et S. Bernardi. 809
Articulus IV. — Utrum aliqui daemones sint naturaliter mali 819
Corollaria. 824
Articulus V. — Utrum diabolus fuerit malus in primo instanti suae creationis per culpam propriae voluntatis. 824
Appendix de mente S. Augustini. 827
Articulus VI. — Utrum aliqua mora fuerit inter creationem et lapsum angeli. 830
Articulus VII. — Utrum angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes 836
Articulus VIII. — Utrum peccatum primi angeli fuerit aliis causa peccandi. . 840
Corollarium 843
Articulus IX. — Utrum tot peccaverunt, quot permanserunt. 845
Brevissima totius Quaestionis synopsis 847

B) DE DAEMONUM POENA SEU DAMNATIONE.

QUAESTIO LXIV.

Ordo Quaestionis 848
Articulus I. — Utrum intellectus daemonis sit obtenebratus per privationem cognitionis omnis veritatis. 848
Corollarium 851
Articulus II. — Utrum voluntas daemonum sit obstinata in malo. 851
Appendix de excessu apocatastico Origenis. 859
Articulus III. — Utrum dolor sit in daemonibus. 763
Articulus IV. — Utrum aër iste sit locus poenalis daemonum 869
Corollarium 877
Brevissima totius Quaestionis synopsis 878

SECTIO II.

DE ANGELORUM MINISTERIO.

(Q. CVI. - Q. CXVI).

MEMBRUM I.

DE MINISTERIO ANGELORUM IN IPSOS ANGELOS.

CAPUT I.

DE ANGELORUM ILLUMINATIONE.

QUAESTIO CVI.

Ordo Quaestionis 881
Articulus I. — Utrum Angelus illuminet alium 881
Articulus II. — Utrum unus Angelus possit movere voluntatem alterius . . . 886
Articulus III. — Utrum Angelus inferior superiorem illuminare possit . . . 888
Articulus IV. — Utrum Angelus superior illuminet inferiorem de omnibus sibi notis 890
Corollarium 792

CAPUT II.

DE LOCUTIONE ANGELICA.

QUAESTIO CVII.

Ordo Quaestionis 893
I. De ipsa Quaestione propositiones tres 893
II. Ad textum S. Thomae 896
Corollarium 900

CAPUT III.

DE ORDINATIONE ANGELORUM.

§ I. - DE ORDINATIONE ANGELORUM.

QUAESTIO CVIII.

Ordo Quaestionis 901
I. De ipsa Quaestione propositiones sex 901
I. Ad textum S. Thomae 914

§ II. — DE ORDINATIONE MALORUM ANGELORUM.

QUAESTIO CIX.

Ordo Quaestionis 932
I. De ipsa Quaestione propositiones duae 932
II. Ad textum S. Thomae 936

MEMBRUM II.

DE PRAESIDENTIA ANGELORUM SUPER NATURAM

QUAESTIO CX.

Ordo Quaestionis 940
Articulus I. — Utrum creatura corporalis administretur per Angelos 940
Articulus II. — Utrum materia corporalis obediat Angelis ad nutum 942
Articulus III. — Utrum corpora obediant Angelis ad motum localem 944
Articulus IV. — Utrum Angeli possint facere miracula 946
Monitum de arte magica 949

MEMBRUM III.

DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES.

CAPUT I.

DE ANGELORUM ACTIONE IN HOMINES.

QUAESTIO CXI.

Ordo Quaestionis 951
Articulus I. — Utrum Angelus possit illuminare hominem 951
Articulus II. — Utrum Angeli possint immutare voluntatem hominis 953
Articulus III. — Utrum Angelus possit immutare imaginationem hominis . . 955
Articulus IV. — Utrum Angelus possit immutare sensum humanum 957
Corollarium 958

CAPUT II.

DE MISSIONE ANGELORUM AD HOMINES.

QUAESTIO CXII.

Ordo Quaestionis 959
Articulus I. — Utrum Angeli a Deo mittantur 959
Corollarium 961

Articulus II. — Utrum omnes Angeli in ministerium mittantur 961
Articulus III. — Utrum omnes Angeli, qui mittuntur, assistant 965
Articulus IV. — Utrum Angeli secundae hierarchiae mittantur 967

CAPUT III.

DE MINISTERIO ANGELORUM.

I) DE CUSTODIA BONORUM ANGELORUM.

QUAESTIO CXIII.

Ordo Quaestionis 970
Articulus I. — Utrum homines custodiantur ab Angelis 970
Articulus II. — Utrum singulis hominibus singuli Angeli ad custodiam deputentur. 975
Articulus III. — Utrum custodire homines pertineat solum ad infimum ordinem Angelorum. 880
Appendix de custodia generaliori Angelis commissa 984
Articulus IV. — Utrum omnibus hominibus angeli ad custodiam deputentur . 989
Articulus V. — Utrum Angelus deputetur homini ad custodiam a sua nativitate. 992
Corollarium 995
Articulus VI. — Utrum Angelus custos quandoque deserat hominem 999
Articulus VII. — Utrum Angeli doleant de malis eorum, quos custodiunt . . 998
Corollaria. 1000
Articulus VIII. — Utrum inter Angelos possit esse pugna seu discordia . . . 1001
Corollarium 1002
Appendix I. De officiis nostris erga Angelum custodem. 1003
Appendix II. De culto Angelis debito. 1005

II) DE DAEMONUM IMPUGNATIONE.

QUAESTIO CXIV.

Ordo Quaestionis 1010
Articulus I. — Utrum homines impugnentur a daemonibus 1010
Corollarium 1013
Articulus II. — Utrum tentare sit proprium diaboli 1013
Articulus III. — Utrum omnia peccata procedant ex tentatione. 1015
Articulus IV. — Utrum daemones possint homines seducere per aliqua miracula. 1016
Articulus V. — Utrum daemon qui superatur ab aliquo, propter hoc ab impugnatione arceatur 1017
Appendix de repraesentatione artistica Angelorum ac daemonum. 1019

EPILOGUS 1021
Index alphabeticus analyticus. 1023

PRAEVIA

DE ORDINE ET INDOLE TRACTATUS.

I. Antequam distributionem huius voluminis assignemus, placet brevissima tabella exhibere methodum, quam Angelicus sequitur a Quaest. XLIV usque ad finem primae Partis *Summae theologicae.*

Tres magnas sectiones haec expositio complectitur: I) de *productione* rerum in genere, II) de *distinctione,* III) de *conservatione* et *gubernatione* rerum.

I. De productione rerum:

- A) de rerum *causa* (a quonam)
  - 1) efficiente,
  - 2) materiali,
  - 3) exemplari,
  - 4) finali;

  (Q. XLIV)
- B) de *modo* procedendi rerum a prima causa, seu de *creatione;* (Q. XLV) (quomodo)
- C) de *principio* durationis rerum. (Q. XLVI) (quando)

II. De distinctione rerum:

- A) in *communi:*
  - 1) de rerum multitudine,
  - 2) aequalitate,
  - 3) unitate;

  (Q. XLVII)
- B) in *speciali:*
  - 1) *boni* et *mali:*
    - *a*) de *ipso* malo, (Q. XLVIII)
    - *b*) de *causa* mali; (Q. XLIX).
  - 2) creaturae spiritualis, (Q. L-LXIV) corporalis, (Q. LXV-LXXIV) et mixtae. (Q. LXXV-CII).

III. De conservatione et gubernatione rerum:

- A) in *communi;* (Q. CIII)
- B) in *speciali:*
  - 1) de rerum conservatione, (Q. CIV)
  - 2) de rerum mutatione:
    - *a*) a Deo, (Q. CV)
    - *b*) a creatura. (Q. CVI-CXIX)

Huic sane optimae dispositioni ad gressum adhaereremus, nisi, uti in Prologo monebamus, quae ad hominem spectant, ad sequens volumen nobis essent differenda. Quare hoc potius modo argumentum distribuere placet, ut in quatuor Partes tractatio dispescatur, quarum Iª agat de rerum *productione*, IIª de rerum *distinctione*, IIIª de *Angelis*, IVª de rerum *conservatione* et *gubernatione*.

Igitur ordinem S. Thomae servabimus, nisi quod Quaestiones LXXV-CII de creatura mixta ad proximum tractatum remittemus, et Quaestiones LXV-LXXIV de creatura corporali ante Quaestiones L-LXIV de natura spirituali transponemus.

Praecipuos autem errores vitandos, necnon auctoritates fontesque consulendos [1] opportuno loco assignabimus.

Interim haec attulisse sufficiat, - praeter scripta Patrum sive apologetica contra Gentiles, sive didactica circa Hexaemeron, sive polemica contra haereticos, maxime Manichaeos, - ex aetate media eminet *S. Anselmus* (*Monol.* c. 5-9), cui tempore Scholae accedunt post *Lombardum* (II. Dist. I) omnes explanatores Magistri, imprimis *S. Thomas* eiusdemque commentatores. Ex aetate sequenti citandi *Suarez* (*Metaph.* disp. 20, sqq.), *Bannez* (*Ctr. Gent.* l. II, c. 1, sqq. etc.), *Petavius* (*De Deo* l. III, c. 6), *Lessius* (*De Div. perf.* l. X, c. 3), *Kilber* (*De Deo Creatore*), etc. E recentioribus, praeter eos qui in decursu sive philosophiae, uti *Zigliara*, *Sanseverino*, *Gonzalez*, *Palmieri*, *Urráburu*, *Lepidi*, *Stöckl*, *Gutberlet*, *Gredt*, etc., sive theologiae, uti *Perrone*, *Hurter*, *Schwez*, *Scheeben*, *Heinrich*, *Chr. Pesch*, *Katschthaler*, *Simar*, *Einig*, *Glossner*, *Paquet*, *Tanquerey*, *Schell*, *Tepe*, etc., de his rebus tractant: *Balmes* (*Philos. elem.*), *Kleutgen* (*Phil. d. Vorz.* II, 9), *Hontheim* (*Institut. theodic.* c. 27, sqq.), *De San* (*Institut. methaph. spec.* t. I, *Cosmol.*), *Lahousse* (*Theol. natur.* c. 9), *T. Pesch* (*Instit. phil. natur.* l. III), Card. *Mazzella* (*De Deo creante*), *Palmieri* (*De Deo creante et elevante*),

[1] Inter fontes studio mysterii Incarnationis perutiles doleo me, nescio quo casu, omisisse tractatum Emi SATOLLI, opus sane, utpote perdocti theologi, et tironibus et provectioribus utilissimum. Placet et addere inter opera in laudem B. Virginis conscripta collectionem egregiam carminum ab erudito pioque viro ORBY SHIPLEY M. A. anglice editam sub titulo *Carmina Mariana*.

Card. *Satolli* (*De operationibus divinis*), *Knoll* (*De Deo creante*), *Kenrick* (*De Deo creatore*), *Iungmann* (*De Deo creatore*), Card. *Zigliara* (*Propaedeut. ad sacr. Theol.*, praesert. l. I), P. *Pesnelle* (*Le dogme de la création et la science contemporaine*), *R. Martinez Vigil.* (*La creación, la Redención y la Iglésia ante la Ciencia*), *I. M. A. Vacant* (*Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican* I, n. 193, sq.), *A. König.* (*Schöpfung und Gotteserkenntnis*), *H. Faye* (*Sur l'origine du monde*), *Klee* (*Schöpfung*), *Schäzler* (*Natur und Gnade*), *Stentrup* (*Das Dogma von der zeitlichen Weltschöpfung*), *Th. Esser* (*Die Lehre des H. Thomas v. Aquin über die Möglichkeit einer anfangslosen Schöpfung*). - Adde e castris Protestantium: *Hickock* (*Creator and Creation*), *Zöckler* (*Theologie und Naturwissenschaft*), *Watson* (*Theological institution*), *Hodge* (*Systematic theology*), *E. V. Gerhart* (*Institutes of the Christian Religion*), etc. - Inter scriptores ordinis insimul ascetici eminent *Bossuetius* (*Elévations sur les mystères*), *Faber* (*Creator and creature*).

II. Porro antequam ad argumentum accedamus, de *indole* huius tractationis pauca sint. Hic iuvat audire S. Thomam, in exordio libri II. *Summae ctr. Gent.* discrimen illustrantem inter modum quo philosophia et theologia creaturas contemplantur. Praemisso nexu inter meditationem ipsius Dei et operum eius (cap. I.); necnon expositis utilitatibus quae ex hac operum Dei meditatione colliguntur, tum *a*) ad fidei instructionem, quia haec meditatio conducit ad admirandam Dei sapientiam, virtutem et bonitatem, necnon ad excolendam in homine similitudinem perfectionis divinae (cap. II.); tum *b*) ad destructionem errorum qui sunt circa Deum, sive negando Deum, sive divina creaturis tribuendo, sive derogando divinae virtuti circa creaturas, sive ordinem in creaturis pervertendo (cap. III.); S. Thomas discrimen triplex ostendit inter modum quo philosophia et theologia contemplantur creaturas. 1) Primum discrimen consistit in diverso *respectu* sub quo. Nam « philosophia humana eas « considerat secundum quod huiusmodi sunt; ....fides autem « christiana eas considerat, non in quantum huiusmodi, utpote « ignem in quantum ignis est, sed in quantum divinam alti- « tudinem repraesentat, et in ipsum Deum quoquomodo ordi-

« natur ». - 2) Consequens huius discriminis est diversitas in *obiecto*. « Et propter hoc etiam alia et alia circa creaturas « et philosophus et fidelis considerant. Philosophus namque « considerat illa quae eis secundum propriam naturam con- « veniunt, sicut igni ferri sursum; fidelis autem ea solum « considerat circa creaturas, quae eis conveniunt secundum « quod sunt ad Deum relata, utpote quod sunt a Deo creata, « quod sunt Deo subiecta, et huiusmodi ». - 3) Tertium discrimen residet in diversis *principiis*. Nam philosophus argumen- « tum assumit ex propriis rerum causis; fidelis autem ex « causa prima, utpote quia sic divinitus est traditum, vel « quia hoc in gloria Dei cedit, vel quia Dei potestas est « infinita. Unde et ipsa maxima sapientia dici debet, utpote « semper altissimam causam considerans;.. et propter hoc sibi, « quasi principali, philosophia humana deservit ». - 4) Quartum demum discrimen consistit in *ordine* utriusque disciplinae. « Nam in doctrina philosophiae, quae creaturas secun- « dum se considerat, et ex eis in Dei cognitionem perducit, « prima est consideratio de creaturis et ultima de Deo; in « doctrina vero fidei, quae creaturas nonnisi in ordine ad « Deum considerat, primo est consideratio Dei, et postmodum « creaturarum; et sic est perfectior, utpote Dei cognitioni « similior, qui seipsum cognoscens, alia intuetur ».

Iuxta haec quatuor discrimina ita hanc totam tractationem moderari conabimur, ut, licet multa argumenta simul ad utramque disciplinam pertineant, methodus tamen adhibita nunquam desinat esse theologica.

PARS I.

DE PRODUCTIONE RERUM IN GENERE.

Tres Sectiones haec prima Pars complectitur, quae respondent triplici quaesito: *quis? quomodo? quando?* ita tamen, ut in primo quaesito *quis?* quaesitum *cur?* etiam involvatur. Nexus et ratio huius distributionis in decursu expositionis apparebunt. Agendum est igitur I) de *prima causa* rerum; II) de *modo procedendi* rerum a prima causa; III) de *principio durationis* rerum.

SECTIO I.

DE PRIMA CAUSA RERUM.

QUAESTIO XLIV.

Haec Sectio quatuor respectus continet, iuxta quatuor causas distingui solitas: 1) *efficientem* (art. 1), 2) *materialem* (art. 2), 3) *exemplarem* (art. 3), 4) *finalem* (art. 4).

Ordo inter has quatuor causas est manifestus. Prima et secunda se tenent stricte ad invicem, seseque complent, maxime ubi de creatione agitur. Pariter tertia et quarta potius ad invicem spectant, et vicissim in se agunt, quatenus exemplar finem illuminat, finisque excitat exemplar.

I. - DE CAUSA EFFICIENTI RERUM.

ARTICULUS I.

UTRUM SIT NECESSARIUM OMNE ENS ESSE CREATUM A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplex quaestio hic moveri potest et debet. *a*) Utrum necesse sit, omnia quae cernimus,

esse ab aliquo alio, quatenus non possunt esse a seipsis. *b*) Utrum necesse sit ea omnia esse a Deo et nonnisi a Deo [1]. Hanc alteram quaestionem pressius investigabimus in sequentibus, ubi creationis analysim instituemus. Hic nos movet quaestio prior, quae sane praecipua est. Nam pone quaedam esse ab aliis creaturis facultate ea producendi dotatis; si tamen haec ipsa sint ab alio et non a seipsis, omnia ab illo dicenda sunt, a quo sunt et ista.

2) Prior autem haec quaestio, licet primo intuitu nondum ponat unitatem illius entis a quo sunt reliqua, involvit tamen hanc unitatem, si rationes quibus demonstratur rerum effectio, simul demonstrent earum effectionem ab unico principio non facto.

3) Quas quidem rationes in primo nostro volumine iam exposuimus, ubi a contemplatione mundi ascendimus ad primam causam, eamque in sua simplicitate, infinitate ac proin unitate contemplati sumus. Quare, quae ibi fuse evolvimus hic iure uti probata supponimus, atque uti principia non amplius firmanda assumimus.

4) Praesens autem veritas enuntiari potest modo vel affirmativo vel negativo. Affirmativo, si dico: Deus creavit caelum et terram. Negativo, si affirmo: Nisi essent creata, caelum et terra non existerent. Utroque autem modo potest haec veritas illustrari tum ex fide, tum ex ratione.

5) Ex *fide* illustratur *a*) modo affirmativo, v. gr., per verba Ioannis: « Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt » [2]; necnon Pauli: « Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia » [3], etc., etc. - *b*) Negativo modo, - qui modus magis argumentationem involvit, - per haec verba Sapientiae: « De his quae vi- « dentur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque « operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex » [4].

[1] Placet modum afferre quo Cl. P. Lepidi, O. Pr. tractationem gradatim disponit. « 1) Massa substantialis corporis, estne aliquid increatum, an creatum? — 2) Si crea- « tum, a quo, quomodo? — 3) Numerus et inaequalitas corporum unde oritur? — « 4) Quis mundi ordinator? — 5) Quod corpora serventur in esse ac operentur, unde » est? — Denique, quoniam causa prima horum omnium est Deus, fit, quod mundus « corporeus totus ac totaliter pendeat a Deo; tunc, quae, qualis, quanta dependentia « est ista? » (*Elem. philos. christ.* — *Cosmol.* l. III, c. 1, t. III, p. 288).

[2] Ioann. I, 3.

[3] Rom. XI, 36.

[4] Sap. II, 1.

6) Ex *ratione a*) modo affirmativo illustratur hac via: Deus existit, ergo Deus est auctor omnium rerum quae extra eum existunt. In quo nulla habetur circulatio. Nam licet ex creaturis pervenerim ad cognitionem Dei, et imprimis ad cognitionem eius existentiae; ab hac ipsa existentia, utpote entis summi et infiniti, concludo ad dependentiam omnium rerum ab ipso tanquam ab unico omnium conditore. Quare licet ex inspecta hac tellure, et quidem quoad minimam partem cognita, ad existentiam Dei concluserim, iure ab hac existentia concludo ad dependentiam totius universi ab hoc Deo tanquam ab unico conditore universi.

b) Modo negativo arguo hoc pacto: quaecumque in universo cernuntur, contingentia sunt et limitata; ergo sunt ab ente necessario et infinito; hoc autem non potest esse aliud praeter unum; ergo universum omne ab uno Deo conditore sit oportet [1].

7) Porro in ascensu a contigenti ad necessarium observa sedulo discrimen inter has duas propositiones: Omne quod est contingens, habet causam; et: Omne quod non est contingens, non habet causam. Prius verum est, at non sufficit. Alterum falsum est, nisi causa restringatur ad sensum pressum causae efficientis. Dantur enim necessaria, quae tamen habent causam, sed logicam: puta in omni demonstratione, quae huc praecise tendit, ut a principiis necessariis deducantur conclusiones pariter necessariae et insimul causatae, at causalitate logica, non efficiente.

8) Ex dictis patet, quid maxime intersit inter ea quae in tractatione de *Deo Uno* quoad nexum inter Deum et creaturas diximus, et ea quae hic exponenda aggredimur. Ibi ordo procedebat de creaturis in Deum, ut contemplatio sisteret in Deo per creaturas ostenso. Hic e contra ordo procedit de Deo in creaturas iam deinceps in seipis contem-

[1] Uterque modus passim valet ubi agitur de cuiusdam operis origine investiganda, v. gr. de reperta tabula, utrum Beati Angelici Fesulani sit, necne. Positiva inquisitio problema solvet, si documentum appareat affirmans, istum eximium pictorem hoc opus tali anno, pro tali ecclesia confecisse; negativa autem pariter solvet, si tales in opere affulgeant qualitates, quales nonnisi in tabulis Angelici reperiri apud peritos constet. Subtilior quidem est haec altera via, sed interdum gloriosior; sicuti exclamatio illa Raphaëli Sanctio tribui solita, dum in pariete Farnesini palatiunculi caput detexit miro vigore delineatum: « Hic adfuit Michaël-Angelus ! ».

plandas. Cum hoc tamen discrimine, quod in demonstranda creationis universi necessitate, praeter argumenta auctoritatis factum ponentia, recurrant argumenta rationis ab indole rerum ad earum creationem concludentia.

9) Porro primordiali veritati Christianae hic evolvendae opponuntur quotquot systemata vel nihil praeter universum quod cernimus, existere agnoscunt, vel rerum principium asserunt duplex, vel Deum cum universo permisceri contendunt. Quum autem in primo volumine huius *Summae* sat multa iam de Pantheismo et de Dualismo dixerimus [1], satis erit hic insuper quasdam tangere errorum formas, quae ad praesens argumentum specialius pertinent. De quibus in appendice huic primae quaestioni adiecta expresse agemus. Melius enim est, ut prius expositio de quatuor causis iuxta S. Thomae ordinem absolvatur, antequam ad haec systemata breviter explodenda fiat accessus.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Duo confundit: elementum explicitum definitionis, et respectum in definitione inclusum. Pariter confundit intellectionem aliqualem et intellectionem plenam. Dato ergo quod res causata possit definiri, quin respectus ad causans explicite exprimatur, iste tamen respectus includitur in ipso causato. Dato pariter quod tale ens possit aliqualiter intelligi sine hoc respectu; excluso tamen hoc respectu iam non recte intelligeretur. Hoc tam verum est, ut praecise propter immensum discrimen quod interest inter ens creans et ens creatum, Deus non possit dici in genere entis. Quomodo ergo posset ens causatum vere intelligi, secluso elemento quod facit plus quam genus, scilicet rationem discriminantem supra genus?

2. Obi. Non attendit dicta n. 7. Ad rectam intellectionem sententiae responsionis: « Non ergo propter hoc solum, etc. » adverte istud « *solum* » valere de causalitate efficiente, non mere logica; secus haec sententia cum praecedenti pugnaret. Hoc autem interest inter primam rationem: « quia effec- « tus potest non esse », et alteram: « quia effectus non esset, « si causa non esset », quod *a*) prima arguit ex sola con-

[1] T. I, p. 222, sqq.; 408, sqq.

tingentia effectus, altera magis immediate ex ipso nexu inter causatum et causans; ac proin *b*) prima ratio supponit contingens possibile, altera abstrahit ab hoc, utrum sit possibile necne: arguit enim ex nexu inter antecedens et consequens.

3. *Obi.* Confundit abstractionem secundum rationem et secundum esse. Prima utuntur scientiae mathematicae, quin inde alteram vel supponant vel affirment.

Sed contra est. Tam fundamentalis est veritas in hoc articulo demonstrata, ut constans eius revelatio ac traditio disertissimaque eius propositio uberius illustranda videatur. Sint igitur nonnulla de Scripturae, Ecclesiae, Patrumque testimoniis, quibus Deus universi conditor proclamatur, definitur, celebratur.

I) **Scriptura** Deum mundi opificem multifariam commendat tam in Antiquo quam in Novo Testamento.

A) In *Antiquo* per omnia stadia, a primis oraculis usque ad Machabaeorum tempora haec veritas tam ubertim exprimitur, ut nulla alia frequentius et eloquentius praedicetur, idque sive directe, sive indirecte.

1) *Directa* testimonia dicimus illa, quae expresse affirmant, Deum effecisse mundum vel mundum habere sui auctorem Deum.

a) In Genesis exordio Deus exhibetur conditor universi: « In principio creavit Deus caelum et terram » [1]. « Igitur « perfecti sunt caeli, et terra, et omnis ornatus eorum. Com- « plevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et « requievit die septimo ab universo opere quod patrarat » [2]. Tantaque est in hominis mente certitudo de hoc universo Dei opificio, ut et in naturae faecunditate virtutem Dei proclamet. Nato Caïno Eva ait: « Possedi hominem per Deum » [3]. - *b*) Dominus ipse ad Iob de turbine loquitur tanquam conditor et minutissimus ac sapientissimus universi gubernator: « Ubi « eras, quando ponebam fundamenta terrae? etc. » [4]. - *c*) Sed et in Psalmis abundantissime haec veritas proclamatur, modo didactice, modo invocatorie, modo lyrice: « Verbo Domini

[1] Gen. I, 1. — De vi vocis « *creavit* » in Q. seq. dicemus.
[2] Ibid. II, 1-2.
[3] Ibib. IV, 1.
[4] Iob. XXXVIII, 4. — De vi vocis « *creavit* » in Q. seq. dicemus.

« caeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum... « Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata « sunt » [1]. « Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit « caelum et terram » [2]. « Qui fecit caelum et terram, mare et « omnia quae in eis sunt » [3]. « Omnia quaecumque voluit, Domi- « nus fecit in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis » [4]. « Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annun- « tiat firmamentum » [5]. « Delectasti me, Domine, in factura « tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo » [6]. « Omnes dii « gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit » [7]. « Quam « magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia « fecisti » [8]. « Confitemini Domino quoniam bonus,... qui facit « mirabilia magna solus,... qui fecit caelos in intellectu,.. qui fir- « mavit terram super aquas,... qui fecit luminaria magna,... « solem in potestatem diei,... lunam et stellas in potestatem « noctis » [9]. - *d*) Libri sapientiales eandem veritatem multifariam proclamant. Coheleth praedicat de Deo: « Cuncta fecit « bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi eorum, « ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio « usque ad finem » [10]. Et infra ait: « Memento Creatoris tui » [11]. Auctor libri Sapientiae idem proclamat: « Deus... creavit ut « essent omnia » [12]. « Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti « eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti « aut fecisti » [13]. « Vani sunt omnes homines in quibus non « subest scientia Dei: et de his quae videntur bona, non potue- « runt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes « agnoverunt quis esset artifex » [14]. Iesus Sirach enumerat

[1] Ps. XXXII, 6, 9. — Cf. Ps. CXLVIII, 5.
[2] Ps. CXXIII, 8.
[3] Ps. CXLV, 4.
[4] Ps. CXXXIV, 6. — Cf. Ps. CXIII, 11.
[5] Ps. XVIII, 1.
[6] Ps. XCI, 4.
[7] Ps. XCV, 5.
[8] Ps. CIII, 24. Lege hunc integrum psalmum.
[9] Ps. CXXXV, 1, 4-9.
[10] ECCL, III, 11.
[11] Ibid. XII, 1.
[12] SAP. I, 14.
[13] Ibid. XI, 25. Sequentia adducemus in ultima parte huius tractatus.
[14] Ibid. XIII, 1.

ex ordine omnia quae Deus fecit, nihil inde excipiens [1]. Imo in Deo haec omnia simul facta dici possunt: « Qui vivit in « aeternum, creavit omnia simul » [2]. Et infra demonstrat, omnia esse bona, quia « omnia opera Domini bona », et « bona « bonis creata sunt ab initio » [3]. - In libro Proverbiorum eloquenter describitur divina sapientia operi creationis assistens. « Quando praeparabat caelos, aderam », etc. [4]. - *e*) Porro Prophetarum oracula de hoc argumento coacervare supervacaneum est. Satis sint sequentia. Isaias exclamat: « Levate « in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui « educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine « vocat: prae multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque « eius, neque unum reliquum fuit » [5]. Et Deus apud eum de se ait: « Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens caelos « solus, stabiliens terram et nullus mecum » [6]. - Ieremias ait: « Qui facit terram in fortitudine sua,... et prudentia exten- « dit caelos » [7]. Apud Danielem tres pueri in camino ignis canunt: « Benedicite omnia opera Domini Domino » [8], eaque enumerando universum describunt. - *f*) Libri historici eloquenter testantur, hanc fuisse fidem apertam populi Iudaici. - Iudith in cantico suo *exclamat:* « Adonai, Domine, magnus « es tu, et praeclarus in virtute tua, et quem superare nemo « potest. Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti et facta « sunt; misisti spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui « resistat voci tuae » [9]. - Mardochaeus ita Dominum deprecatur: « Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua « cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere « voluntati, si decreveris salvare Israël. Tu fecisti caelum « et terram et quiquid caeli ambitu continetur » [10]. - Ionas procella obrutus ait ad nautas: « Hebraeus ego sum, et « Dominum Deum caeli ego timeo, qui fecit mare et ari-

[1] Eccl. xvi, 26-xvii, 16.
[2] Ibid. xviii, 1.
[3] Ibid. xxxix, 21, 30.
[4] Prov. viii. 27, sqq.
[5] Is. xl, 26.
[6] Ibid. xliv, 24. — Cf. xxxvii, 16; xlv, 6-7; etc.
[7] Ier. x, 12; cf. xxxii, 17.
[8] Dan. iii, 57.
[9] Iudith. xvi, 16, 17.
[10] Esth., xiii, 9-10.

« dam »[1]. Nehemias quoque ait: « Tu ipse, Domine, solus tu feci-
« sti caelum et caelum caelorum, et omnem exercitum eorum:
« terram et universa, quae in ea sunt: maria et omnia quae
« in eis sunt: et tu vivificas omnia haec, et exercitus caeli
« te adorat »[2]. - Machabaeorum mater natum iuniorem ita adhortatur: « Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram,
« et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo
« fecit illa Deus et hominum genus »[3].

2) *Indirecte* haec fundamentalis veritas toties praedicatur, *a*) quoties Deus vocatur Dominus universi: « Domini est terra
« et plenitudo eius »[4]; « Meae sunt omnes ferae sylvarum »[5].
« Dominus Dominantium אֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים »[6]. Imo ipsum nomen
« Dominus Deus Sabaoth » continet proclamationem Domini Dei in universum. Exercitus enim illi sunt agmina stellarum ac angelorum[7]. - *b*) Ipse ritus primitiarum omnis fructus tum animati, tum inanimati Deo offerendarum, quid continet nisi confessionem universalissimi dominii Conditoris universi?[8] - *c*) Quin et frequentissima appellatio « Deus Israël », « Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob », implicite idem continet. A maiori enim ad minus valet illatio. Si ergo Deus tanto Domini iure populum uti suum elegit et rexit, quanto magis debet esse ipse Dominus rerum, quas iste populus possidet, ac proin earumdem rerum, iuxta ipsum modum loquendi Scripturarum, Conditor[9]. (Cf. Corollarium in fine art. seq.).

B) In *Novo* Testamento haec veritas passim supponitur. 1) *Directe* ab exordio sui Evangelii, Ioannes de Verbo proclamat: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum
« est nihil »[10]. Idem et Paulus in exordio epist. ad Hebraeos solemni eloquio confirmat: « Novissime, diebus istis locutus

[1] Ion. I, 9. Hunc librum historicis libris heic adnumerare liceat.

[2] II. Esdr. IX, 6. Cf. II. Mach. I, 24.

[3] II. Mach. VII, 28.

[4] Ps. XXIII, 1.

[5] Ps. XLIX, 10.

[6] Deut. X, 17, et alibi pluries.

[7] Cf. Luc. II, 13: « Facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium «Deum». Cf. verba superius allata: «Et exercitus caeli te adorat» (Esdr. IX, 6), etc., etc.

[8] De hoc dominio lege Lessium egregie disserentem (loc. cit.).

[9] Semper hoc dogma apud Iudaeos viguit (Cf. Philo, *De mundi opif.* — Flav. Ioseph., *Archaeol. Prooem.* et l. I, c. 1. — Raym. Martin, *Pugio fidei* p. 46, sqq.

[10] Ioann. I. 3.

est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, « per quem fecit et saecula » [1]. Qui idem Paulus alibi splendida Creatori reddit testimonia. Ad Colossenses scribit: « Quo- « niam in ipso (Filio) condita sunt universa in caelis et in « terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, « sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in « ipso creata sunt » [2]. Imo scopum huius effectionis rerum illustrat: « Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei: « ut ex invisibilibus visibilia fierent » [3]. « Invisibilia enim ipsius, « a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta con- « spiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas » [4]. Imo in hoc consistit dogma primarium doctrinae christianae. Quare ad Lystrenses Paulus et Barnabas indignabundi exclamant: « Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus, « similes vobis, homines, annuntiantes vobis ab his vanis con- « verti ad Deum vivum, qui fecit caelum et terram et mare « et omnia quae in eis sunt » [5]. Et ad Areopagytas pariter Paulus: « Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. « Deus, qui fecit mundum et omnia quae in eis sunt, hic caeli « et terrae quum sit Dominus [6], non in manufactis templis « habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, quum « ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia » [7]. Unde prima erumpente persecutione, Christiani orationem incipiunt verbis: « Domine, tu es qui fecisti caelum et terram, mare et « omnia quae in eis sunt » [8]. Memores sane invocationis psalmistae: « Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit « caelum et terram » [9]. Quam seriem testimoniorum Ioannes in Apocalypsi per hanc laudem claudit: « Dignus es, Domine « Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, « quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant,

[1] Hebr. i, 2.

[2] Col. i, 16.

[3] Hebr. xi, 3. Adverte pulchram synthesim totius theologiae: « Fide intelligi- « mus », unde Anselmus noster dicebat: « Credo ut intelligam ».

[4] Rom. i, 20.

[5] Act. xiv, 14.

[6] Observa nexum inter dominium et eiusdem fundamentum, creationem.

[7] Act. xvii, 23-25.

[8] Act. iv, 24.

[9] Ps. cxxiii, 8.

« et creata sunt » [1]. Et Angelus stans « super mare et super « terram, levavit manum suam ad caelum: Et iuravit per « viventem in saecula saeculorum, qui creavit caelum et ea « quae in eo sunt: et terram et ea quae in ea sunt: et mare et « ea quae in eo sunt » [2]. Et alter Angelus volans per medium caeli clamat: « Timete Dominum... qui fecit caelum et ter- « ram, mare et fontes aquarum » [3].

2) *Indirecte* pariter haec veritas inculcatur quoties dominium Dei in universum urgetur. Huc spectant verba ipsius Christi: « Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque « per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia « est scabellum pedum eius; neque per Ierosolymam, quia est « civitas magni Regis; neque per caput tuum iuraveris, quia « non potes unum capillum album facere aut nigrum » [4]. Imo eruitur ex verbis: « Euntes in mundum universum prae- « dicate evangelium omni creaturae ».

II. **Ecclesia** fundamentale hoc dogma quovis tempore proclamavit atque a variis erroribus idem impugnantibus strenue vindicavit. 1) *Symbola* prope omnia Deum creatorem universi profitentur. Forma Africana habet: « Credo in Deum « Patrem omnipotentem, universorum creatorem, regem sae- « culorum, immortalem et invisibilem » [5]. Forma Gallicana: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et « terrae » [6]. Forma Alexandrina: « Πιστεύω εἰς ἕνα, ἀγέννητον, « μόνον ἀληθινὸν Θεὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ, « κτίστην καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, ἐξ οὗ τὰ πάντα » [7]. Forma Caesareensis: « Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντο- « κράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν » [8]. Forma Antiochena haec habet de Filio: « Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ « Θεοῦ ἀληθινοῦ, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ καὶ οἱ αἰῶνες κατηρ- « τίσθησαν καὶ τὰ πάντα ἐγένετο » [9]. Forma Hierosolymitana:

[1] Apoc. iv, 11.
[2] Ibid. x, 5, 6.
[3] Ibid. xiv, 7.
[4] Matth. v, 34-36.
[5] Denzinger (*Enchirid.* 5). — Cf. I. Tim. i, 17.
[6] Ibid. 7.
[7] Ibid. 10.
[8] Ibid. 11.
[9] Ibid. 12.

« Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ « καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων » [1]. Nicaeno demum « habet: « Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεόν, πατέρα παντοκράτορα, πάν- « των καί ὁρατῶν τε καὶ τῶν ἀοράτων ποιητήν » [2]. - 2) *Professio fidei* Concilii Lateranensis habet: « Unum universorum prin- « cipium: Creator omnium visibilium et invisibilium, spiri- « tualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul « ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, « spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et huma- « nam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et « corpore constitutam » [3]. Pariter professio Tridentina: « Credo « in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et « terrae, visibilium omnium et invisibilium » [4]. - 3) Constitutio dogmatica Concilii Vaticani de fide catholica, quasi ad verba professionem fidei Concilii Lateranensis iterans, haec habet: « Hic solus Deus... liberrimo suo consilio simul « ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam... « etc. » [5]. Unde in canone primo decernit: « Si quis unum « verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Domi- « num negaverit: A. S. » [6]. Et haec pro praesentis articuli scopo de Ecclesiae declarationibus satis sint.

III. **Patrum** testimonia iam plura attulimus in tractatu de *Deo Uno*, ubi de ordine creaturae ad creatorem conclusimus. Alia mox adducemus, ubi de analysi creationis agetur. Interim sufficiat sequentia testimonia attulisse. Athenagoras religionem christianam vindicans, scribit: « Nobis « autem, qui Deum a materia disiungimus, ac plurimo utrum- « que intervallo distare demonstramus (Deum enim increa- « tum et aeternum esse, ac sola mente et ratione cognosci « posse, materiam autem creatam et corruptioni obnoxiam), « nonne immerito atheorum nomen imponitur? » [7]. Pariter Tertullianus: « Quod colimus, Deus unus est, qui totam « molem istam cum omni instrumento elementorum, corpo-

[1] Denzinger, 13.
[2] Ibid. 17.
[3] Ibid. n. 355.
[4] Ibid n. 863.
[5] Ibid. 1632.
[6] Ibid. n. 1648. Reliquos canones loco opportuno assignabimus.
[7] *Legat. pro Christ.* n. 4; cf. n. 19. — *P. G.* vi. c. 897.

« rum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, « virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maie- « statis suae, unde et Graeci nomen mundo κόσμος accommo- « daverunt » [1]. Unde primum regulae fidei articulum statuit: « Unum Deum esse; nec alium praeter mundi Conditorem, « qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum, primo « omnium emissum » [2]. Concordat Origenes: « Species eorum, « quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, « istae sunt: primo quod unus Deus est, qui omnia creavit « atque composuit, quique, cum nihil esset, esse fecit uni- « versa » [3]. Quod iam antea dixerat Pastor Hermae: « Pri- « mum omnium crede unum esse Deum, qui omnia creavit « et consummavit, et ex nihilo omnia fecit » [4].

Concordant Martyrum acta, e quibus haec pauca saltem depromere lubet. S. Ignatius M. ait: « Unus est Deus, qui « fecit caelum et terram et mare et omnia quae in ipsis con- « tinentur » [5]. - S. Nicephorus: « Nos Christiani Christum « Deum habemus Regem; quoniam ipse est solus verus Deus, « et Creator caeli et terrae » [6].

In Corpore. Argumentum paucis ita contrahe. Unum datur esse per se subsistens. Ergo quaecumque existunt praeter Deum, quum nequeant esse existentes per se, et participatae suae existentiae rationem habere debeant, ab hoc unico ente per se subsistente sint oportet.

Adverte quomodo motus huius argumenti differat a motu argumentorum quibus in primo tractatu a creaturis ad Deum ascendimus.

In *Summa ctr. Gent.* S. Thomas per gradus ad praesens argumentum accedit. In cap. IV libr. II prius inquirit utrum Deo competat esse principium essendi; et respondet affirmando sex adductis argumentis: *a*) ex ratione causae efficientis, ne sit frustra; *b*) ex ratione primi moventis; *c*) ex proprietate entis actu; *d*) ex perfectione faecunditatis; *e*) ex

[1] *Apol.* c. 17.

[2] *De praescr.* c. 13.

[3] *De princ.* l. 1. Praef. n. 4. — Plura cf. testimonia apud Schwetz (*Theol. dogm. cathol.* 1. 344, sqq.).

[4] *Mand.* 1.

[5] *Act. MM. sinc.* Aug. Vind. 1802, n. 2, t. 1, p. 33.

[6] Ibid. n. 3, p. 96.

efficacia divinae voluntatis se communicare volentis; *f*) ex comparatione virtutis actus puri cum virtute actus admixti potentia. - Ubi adverte, duo prima argumenta inniti hypothesi existentiae rerum, quae expostulant causam efficientem, primumque moventem.

In cap. XV Angelicus ulterius sciscitatur, utrum Deus sit omnibus causa essendi; quae est ipsissima quaestio nostra. Septem argumenta ab Aquinate ibi adducta hisce verbis breviter contrahi possunt.

a) Esse quod de omnibus existentibus analogice praedicatur, nequit praedicari de singulis secundum quod ipsa. Ergo oportet ut causam entis habeant ab ente sine causa, qui Deus est. - *b*) Gradus rerum in suis propriis naturis demonstrat causam horum graduum; quae causa summa Deus est. - *c*) Effectus communissimus τοῦ entis, qui in omnibus entibus invenitur, causam exposcit communissimam, quae prima sit oportet, seu Deus. - *d*) Deus est suum esse; reliqua habent esse; ergo Deus est causa τοῦ esse omnium. - *e*) Omnia entia contingentia reducenda sunt ad quamdam causam necessariam, quae non potest esse nisi una. - *f*) Deus, utpote ens supremum actu, debet esse omnium factivus; ergo nihil est ab alio quam ab ipso. - *g*) Imperfecta debent originem sumere a perfecto.

Quomodo se habeant haec argumenta ad illa quibus in tractatu de Deo iuxta S. Thomam a creatura mobili, imperfecta, contingente, ad Deum ascendimus, abunde patet.

Hoc autem interest inter argumenta quae ostendunt Deo competere τὸ creare, et ea quibus probatur omnia praeter Deum existentia esse a Deo; quod priora non sunt nisi suasiva, si ad creationis factum concludant; altera, posita rerum praeter Deum existentia, sunt stricte cogentia.

Obiicies. At nonne hic habetur petitio principii? Quid, si cuncta quae cernimus non sint aliquid praeter Deum, sed ipse Deus? - Haec positio repugnat ex inspecta creatura; de qua repugnantia iam plura diximus ubi de Pantheismo, nonnullaque in Appendice addemus. Quum ergo haec existant, et Deus esse nequeant, oportet ut Deum habeant auctorem.

Corollarium I. Ex dictis vides, veritatem Dei auctoris uni-

versi esse veritatem simul revelatam et rationi perviam. Licet enim quoad hanc veritatem erraverint plerique antiqui philosophi, nihilominus processus logicus, cuius ope haec veritas stabilitur, est omnino pressus et cogens. Non inde tamen oportet ut ratio plene perscrutari possit ipsum creationis conceptum [1]. Multum enim distat inter haec duo: videre necessitatem alicuius veritatis, et penetrare ex toto hanc veritatem. Quae duo si in unum redundarent, nos nihil prorsus in nullo ordine rerum demonstrare possemus, quum non solum intima rerum medulla nos fugiat, iuxta profunde dictum Paschal: « Nous ne savons le tout de rien »; sed insuper quia lucem primariae evidentiae quam mente videmus, tam clare quidem cernimus, ut de ea dubitare sine stultitia nequeamus; non autem perfecte intuemur: est enim veluti scintilla lucis divinae.

Corollarium II. Errant proin crasse philosophi illi moderni, qui creationis hypothesim, uti aiunt, a priori reiiciunt, utpote repugnantem rationi. Quasi idem sit repugnare rationi, et rationem exsuperare.

Quin e regione rationi repugnat non admittere creationem. Quae proin, licet in se mentem creatam excedat, non hypothesis, neque postulatum est dicenda, sed veritas rationali discursu partim positivo partim negativo strictissime stabilita, tanquam thesis inconcussa. Dogma igitur creationis est apprime rationi consonum, dum Pantheismus in rectam rationem offendit [2].

Corollarium III. Ex argumentis fidei superius allatis sequitur, falsam esse positionem eorum, qui affectionem rerum tribuebant entibus quibusdam superioribus, non autem ipsi Deo. Ita Simon Magus opificium mundi non Deo tribuebat sed angelis, a Deo et meritrice quadam nomine Selme ortis [3].

[1] Cf. Chr. Pesch *Praelectiones dogmat.* (t. III, p. 10); Hontheim (*Theodic.* p. 748, sqq.).

[2] Quanto minus erit dicendus a priori evidens: et nihilominus a non paucis hodiedum ponitur quasi veritas, quae iam non expostulet ut demonstratione fulciatur. Hinc Cl. De San S. I. in opere egregio cui titulus: *Institutiones metaphysicae specialis* (t. I. *Cosmologia* P. 1.) confutationem Pantheismi ab hac propositione exorditur: « Pantheismus est inevidens » (Loc. cit. p. 54).

[3] Cf. S. Iren. (*Adv. Haer.* l. I, c. 20); idem ferme blasphemabat Menander Simonis discipulus (Ibid. c. 21).

Saturninus mundum a septem angelis effectum docebat sine consensu Patris [1]. - Gnostici passim aliquid simile tradebant: per plures scilicet emanationes a Deo summo usque ad visibilem creaturam distantiam esse emensam intermediis causis a prima causa ad ultimos effectus. - Imo ipse Avicenna inducebat primum angelum seu primam intelligentiam a Deo creatam, quae tunc alteram creavit, et haec vicissim tertiam, usque ad ultimam, quae tunc generationes omnes substantiales perfecit varias materiae formas inducendo [2].

Placet hinc audire S. Irenaeum fusius disserentem:

« Qui autem ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel « ab alio quodam mundi fabricatore, praeter sententiam eius, « qui super omnia Pater est, primo quidem ex hoc ipso pec- « cant, praeter voluntatem Dei talem et tantam conditionem « Angelos fecisse dicentes: quasi efficaciores sint Angeli, quam « Deus... Si autem non praeter voluntatem eius, sed volente « et sciente; iam non Angeli, vel mundi fabricator causae « erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei »... « Verbo con- « didit omnia quae fecit, neque Angelis indigens ad ea, quae « fiunt: neque virtute aliqua valde inferiori ab illo et igno- « rante Patrem... » [3].

Distinguenda est tamen duplex quaestio: alia facti, alia possibilitatis. Certum est ex demonstratis in hoc articulo, non alium praeter Deum esse rerum omnium effectorem. Quousque autem Deus creaturam, utique a se effectam, in opere creationis adhibere potuisset sive possit, infra investigabimus.

Corollarium IV. Gravissime in creationis dogma peccaverunt Ariani contendentes, Deum omnia fecisse per Verbum, quod Verbum non esse Deum blasphemabant; ac proin universi fabricatorem non esse Deum. Quorum impietatem Patres retorquebant demonstrando, Verbum non posse non esse Deum, quia praedicatur Conditor mundi.

Corollarium V. Gravissime pariter praesens dogma offendunt quotquot Manichaeorum dualismo adhaerentes, duplex

[1] TERTULLIAN. (*De praescript.*). et S. AUG. (*De Haeres.* haer. 3); cf. S. IREN. (loc. cit. n. c. 22). Omittimus somnia similia Basilidis, Cerinthi, Carpocratianorum.

[2] Cf. SUAREZ. (*Metaphys.* disp. XV, sect. 2, n. 9). Cf. et URRÀBURU (*Institut. philos.* II vol. *Theodic.* p. 689, sq.).

[3] *Ctr. Haer.* l. II, c. 2.

aeternum rerum fingunt principium, malumque visibilis mundi dicunt effectorem [1]. Praeclare Tertullianus: « Cum Deum hoc « gradu expellimus, cui nulla conditio tam propria et Deo « digna, quam Creatoris testimonium praesignarit, narem « contrahentes impudentissimi Marcionitae, convertuntur ad « destructionem operum Creatoris » [2].

II. - DE CAUSA MATERIALI.

ARTICULUS II.

UTRUM MATERIA PRIMA SIT CREATA A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Notam hic supponimus theoriam scholasticam de materia et forma. Si quis putet, illam materiam primam, sive pure potentialem, non esse nisi fictionem rationis, cui non respondet substratum reale, quatenus ad atomos qualicumque modo simplices possit substantiarum decompositio a parte materiae fieri; ille talis praesenti quaesito simpliciter respondere potest nego suppositum. Affirmare tamen deberet, illud, quomodocumque concipiatur, in quo corpora resolvuntur, esse ex toto a Deo; aut si sit ipsum iam aliquid transformatum, - non illo utique scholastico modo, - id unde transformatum est, a Deo prodiisse.

2) Quo minus autem materia a forma substantiali distinguitur, eo gravius erratur si eadem actioni creantis Dei subtrahatur. Unde hic gradus occurrunt tres, quos S. Thomas in *Corpore* distinguit. *a*) Gravius erraverunt, qui ponentes substantiam corporalem increatam, in rebus non admittebant nisi modificationes accidentales a causis particularibus productas. - *b*) Minus grave erraverunt, qui non iam substantiam sed materiam aeternam ponentes, modificationes substantiales a causis universalioribus repetebant. - *c*) Sed veritas tenet, tam materiam quam formas esse a causa prima, utpote et ipsam pertinentem ad esse radicale, quod a prima causa omnis entis totum sit oportet.

[1] De Manichaeis, Marcionitis, Priscillianistis, cf. inter alios Fritz (*Ketzerlexikon*, Würzb, 1828, t. IV, p. 226 sqq., 264 sqq., 369 sqq.).

[2] *Adv. Marc.* l. I, n. 13. — Cf. quae de Dualismo superius diximus (I, 408, sqq.).

3) Et sane, quaeso, undenam haberet haec materia prima illud esse, incompletum utique, attamen esse, quod non esset a causa totius esse? - Quomodo existere potuisset antequam a Deo informata esset, nisi cum Aristotele haec informatio ponatur et ipsa aeterna? [1] - Imo, uti optime arguit Bossuetius [2], undenam esset Deo actio in aliquid, quod, utpote non ab eo, caret relatione illa fundamentali quae sit principium agendi in illud? - Repones, Deum id habere ex sua omnipotentia, cui illa materia subiaceret, utpote mera materia. Sed hoc nihil est. Nam si Deus est revera omnipotens, cur hac materia ad creandum indigeret? Ergo undequaque gratuita et absurda est haec positio.

4) Instabis. At nonne aeque absurda est creatio catholice accepta? - Hoc quidem contendunt Pantheistae et Materialistae, sed gratis, imo contra rationem. Nam haec absurditas, si daretur, inde unice proveniret, quod ex nihilo nihil fiat. Sed quam levis sit haec assertio, in Quaestione sequenti demonstrabimus [3].

5) Praeiudicium utique sumitur ex modo quo quaecumque causa creata operatur, quae, nisi obiectum habeat circa quod agat, sive corporale, sive spirituale, activa virtute destituitur. Sed praecise in hoc consistit gloria singularis Creatoris, quod actio eius, sicuti est ad intra actus purus, ita sit ad extra effectio pura, id est, totalis. Quare vel negetur, universum esse conditum a Deo; vel praedicetur, universum esse a Deo totum, nulla praeiacente materia infecta.

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Confundit effectionem secundam cum effectione prima. Insuper arguit ac si nos contenderemus, materiam primam effectam esse per se, separatam a forma.

2. Obi. Negligit nexum inter passionem et actionem; quatenus, licet sibi opponantur, prima tamen passio nequit concipi nisi ab actione. Quare in casu materia prima sicuti habet a Deo eum modum imperfectum quo est, habet etiam ab actione Dei quod sit potentia pura, sive passio. Imo quo

[1] Sed neque in hac hypothesi exciperetur ab effectione creatrice, licet aeterna.

[2] Cf. textum infra adducendum.

[3] Cf. ZIGLIARA (*Propaedeut. ad Sacr. Theolog.* I, c. 4, 6, p. 28.).

magis materia habet de imperfectiore, eo evidentius nequit esse a se, sed derivari debet a perfecto.

3. Obi. Haec obiectio probat utique, Deum non creasse materiam primam omni forma destitutam. At non probat, materiam primam esse increatam.

Sed contra est. Praesens veritas abunde demonstratur ex Scripturis, ex auctoritate Ecclesiae, ex traditione catholica.

I) **Scripturae** diserte affirmant, cuncta prorsus quae existunt praeter Deum, esse a Deo conditore. Ergo et materia prima auctorem habet Deum. - In exordio Geneseos Moyses rerum originem primam describens, nihil omnino actioni Conditoris subtrahit. « In principio Deus creavit caelum et « terram ». Pariter in exordio Evangelii sui Ioannes proclamat modo absolutissimo: « Omnia per ipsum facta sunt, et « sine ipso factum est nihil ». - *Obiiciuntur* quidem duo testimonia. 1) Alterum desumptum ex libro Sapientiae, affirmat omnipotentem manum Dei creasse « orbem terrarum ex « materia invisa ἐξ ἀμόρφου ὕλης » [1]. Difficultas ex hoc loco petita potest sub varia forma poni, positiva scilicet et negativa. Positiva, hoc modo: Dicere « ex materia invisa » Deum orbem terrarum creasse, idem est ac affirmare « materiam « invisam », seu primam, esse praeter creationem. - Negativa forma, hoc modo: Auctor huius libri appellat ad divinam omnipotentiam, utpote capacem producendi in ultionem novas bestias crudelissimas. Porro si agnovisset Deum cuncta creasse ex nihilo, id sane affirmasset. - Ab hac altera forma incipiamus. Bene monet Cl. Palmieri [2], de hoc loco fuse disserens, non oportere ut auctor inspiratus de omni re, etiam ad fidem spectante, aequam notionem habeat; sufficit ut, afflante Spiritu, recte conscribat. Quare sub hac forma difficultas reducitur ad hoc: Quomodo potuisset iste scriptor hanc veritatem ignorare, aut hellenisticis praeiudiciis esse imbutus, - eo enim tempore hic liber Alexandriae confectus creditur, quo Platonis ibidem vigebat doctrina, - si haec veritas aperte in Scripturis traderetur? Inde a negativa iam positiva fit obiectio, si re vera scriptoris verba sacri hanc veritatem impugnant. Sed aliud est, quod veritas aliqua non

[1] Sap. xi, 18.
[2] Op. cit., p. 40.

directe affirmetur, aliud est, quod negetur. Insuper haec « materia invisa » potest *a*) esse materia in stadio primae formationis, uti dicitur in Genesi: « terra erat inanis et « vacua » [1]; ita ut quod ibi dicitur « inane et vacuum », hic praedicetur « invisum ». Vel *b*) « materia invisa » potest esse forma aequivalens verbis « non ex materia visa », ita ut idem dicat ac « ex nihilo ». In priori sententia creatio ex nihilo non negatur, in altera affirmatur [2]. Cf. de hoc argumento Patrizi [3].

2) Obiiciitur et textus S. Pauli: « Fide intelligimus aptata « esse saecula; ut ex invisibilibus visibilia fierent » [4]. Haec difficultas evanescit prorsus, si prae oculis habetur locus similis eiusdem Apostoli scribentis ad Romanos: « Invisibilia « ipsius (Dei) a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intel- « lecta conspiciuntur » [5]. Invisibilia ergo saecula sunt in conceptu divino, indeque per creationem visibilia redduntur.

II) **Auctoritates Ecclesiae** pariter dualismum Platonicum Dei et materiae excludunt, quotiescumque affirmant Deum creasse, « universa » « omnia », praesertim ubi additur « ex « nihilo ». Formula Symboli Alexandrina habet: « δημιουργὸν « τῶν ἁπάντων, ἐξ οὗ τὰ πάντα » [6]. Concilium Lateranense IV in definitione fidei contra Albigenses ait: « Unum *universo-* « *rum* principium: creator *omnium* visibilium et invisibilium, « spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute « simul ab initio temporis utramque *ex nihilo* condidit crea- « turam, etc. » [7]. Similia habet professio Concilii Florentini [8]. Concilium Vaticanum disertissime declarat: « Si quis non « confitetur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, « et spirituales et materiales, secundum *totam* suam sub- « stantiam a Deo *ex nihilo* esse productas... A. S. » [9].

[1] GEN. I, 2.

[2] Ita verba II. MACH. VII, 28 « quia ex nihilo fecit illa Deus », in versione Syriaca audit: « ex eo quod non est ».

[3] *De interpr. SS. Script.* l. II, q. 1, a. 18.

[4] HEBR. XI, 3.

[5] ROM. I, 20.

[6] DENZINGER (op. cit., n. 10).

[7] Ibid. 355.

[8] Ibid. 600.

[9] Ibid. n. 1652. Et in declaratione praevia reproducit verba concilii Lateranensis (Ibid. n. 1632).

III) **Traditio** constans Patrum in eamdem veritatem conspirat. Fortiter S. Cyrillus Alexandrinus: « Praecipua Dei « veri proprietas est, ut a nihilo possit substantias produ- « cere » [1]. Et sane S. Iustinus M. (?) Platoni in vituperium vertit, quod Deum dixerit δημιουργὸν et non simpliciter ποιητὴν, « cum inter utrumque plurimum sit, ipsius Platonis « iudicio, discriminis. Creator enim nulla alia re indigens sua « virtute et potestate id quod fit, efficit; opifex vero accepta « ex materia condendi facultate, opus suum constituit » [2]. Praeclare S. Theophilus Antiochenus Platonem eiusque sequaces contradictionis arguit, eo quod « Deum quidem faten- « tur ingenitum et patrem et creatorem omnium esse; sed « deinde statuunt duo esse ingenita: Deum et materiam, « eamque Deo coaevam esse dicunt. Quod si Deus ingenitus « et materia ingenita, non iam Deus creator est omnium « secundum Platonicos, nec Dei constabit monarchia, quan- « tum in ipsis est » [3]. Eamdem contradictionem corripit S. Ioannes Chrysostomus [4], qui de exordio Geneseos egregie proclamat: « Ille Moyses omnes haereses, quae sicut zizania « pullulaturae erant in Ecclesia, eradicat per hoc, quod dicit: « " In principio creavit Deus caelum et terram ". Unde si « Manichaeus ad te accesserit dicens, materiam praeexstitisse, « si Marcion, si Valentinus, si Gentilis, dic illis: In principio « creavit Deus caelum et terram » [5]. Omnipotentiam Dei cum hoc dualismo stare non posse, affirmant strenue S. Athanasius [6] et S. Ambrosius [7]. Optime de more S. Irenaeus: « Attribuere substantiam eorum, quae facta sunt, virtuti et « voluntati eius, qui est omnium Deus, et credibile et accep- « tabile, et constans, et in hoc bene dicitur, quoniam quae « impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum ". « Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid « facere, sed de materia subiacenti. Deus autem, quam homi- « nes hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis

[1] *Thes.* l. VI, c. 2.
[2] *Cohort. ad gent.* n. 22. — *P. G.* VI, 282.
[3] *Ad Antol.* l. II, n. 4. — *P. G.* VI, 1052.
[4] *In Gen.* homil. II, n. 2. — *P. G.* LIII, 28.
[5] Ibid. n. 3, 29.
[6] *Serm. de incarnat. Verbi Dei* n. 2. — *P. G.* XXV, 99.
[7] *Hexaem.* l. II, c. 1. — *P. L.* XV, 145.

« suae, cum ante non esset, ipse invenerit » [1]. - Praeclare pariter Augustinus: « Et ideo Deus rectissime creditur omnia « de nihilo fecisse, quia etiamsi formata de ista materia facta « sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. « Non enim debemus esse similes istis, qui omnipotentem « Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum « considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid « fabricare, nisi habuerint unde fabricarent.... » Et ostensa dependentia fabri a materia quam modificat, pergit: « Omni- « potens autem Deus nulla re adiuvandus erat, quam ipse « non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si autem ad eas res « quas facere volebat, adiuvabat eum aliqua res, quam ipse « non fecerat, non erat omnipotens, quod sacrilegum est « credere » [2].

Doctrinam S. Anselmi et S. Bernardi in Appendice exponemus.

E scriptoribus recentioris aetatis placet magnum oratorem audire, quem solent ultimum Patrum appellare. En quo modo de hoc argumento disserit Bossuetius:

« ... J'ouvre votre Ecriture, et j'y trouve d'abord ces paro- « les: " Au commencement Dieu a créé le ciel et la terre " [3]. « Je ne trouve point que Dieu, qui a créé toutes choses, « ait eu besoin, comme un ouvrier vulgaire, de trouver « une matière préparée sur laquelle il travaillât, et de la- « quelle il fît son ouvrage. Mais, n'ayant besoin pour agir « que de lui-même et de sa propre puissance, il a fait tout « son ouvrage. Il n'est point un simple faiseur de formes et « de figures dans une matière préexistante; il a fait et la « matière et la forme, c'est à dire son ouvrage dans son tout. « Autrement son ouvrage ne lui doit pas tout, et dans son « fond il est indépendant de son ouvrier. Mais il n'en est pas « ainsi d'un ouvrier aussi parfait que Dieu. Lui qui est la « forme des formes et l'acte des actes, il a fait tout ce qui « est, selon ce qu'il est et autant qu'il est; c'est à dire que, « comme il a fait la forme, il a fait aussi ce qui était capable « d'être formé, parce que cela même c'est quelque chose

[1] *Ctr. haer.* l. II, c. 10, n. 4.

[2] *De Gen. ctr. Manich.* l. I, c. 6, n, 10, cf. n. 4.

[3] GEN. I, 1.

« qui, ne pouvant avoir de soi-même d'être formé, ne peut « non plus avoir de soi-même d'être formable » [1].

Paucis interiectis ita philosophos Platonico errori addictos compellat et ulterius confutat:

« O Dieu! quelle a été l'ignorance des sages du monde, « qu'on a appelés philosophes, d'avoir vu que vous, parfait « architecte, et absolu formateur de tout ce qui est, vous « aviez trouvé sous vos mains une matière qui vous était coé- « ternelle, informe néanmoins, et qui attendait en vous sa per- « fection? Aveugles! qui n'entendaient pas que d'être capable « de forme, c'est déjà quelque forme; c'est quelque perfection, « que d'être capable de perfection; et si la matière avait « d'elle-même ce commencement de perfection et de forme, « elle en pourrait aussitôt avoir d'elle-même l'entier accom- « plissement » [2].

Optima sane argumentatio, quam ipse Angelicus in *Corpore* huius articuli adhibet. Imo, uti superius iam innuimus, Bossuetius argumentationem urget ostendens, impossibile esse ut Deus in hanc materiam sibi ab aeterno extraneam agat, eamque positionem contradictionibus intrinsece involvi: « Aveugles, conducteurs d'aveugles, qui tombez dans le pré- « cipice et y jetez ceux qui vous suivent [3], dites-moi, qui a « assujetti à Dieu ce qu'il n'a pas fait, ce qui est de soi aussi « bien que Dieu, ce qui est indépendamment de Dieu même? « Par où a-t-il trouvé prise sur ce qui lui est étranger et « indépendant de sa puissance; et par quel art ou par quel « pouvoir se l'est-il soumis? Comment s'y prendra-t-il pour « le manier? Ou, s'il se meut de lui-même quoiqu'encore con- « fusément et irrégulièrement, comme on veut se l'imagi- « ner, dans ce chaos, comment donnera la règle à ces mou- « vements, celui qui ne donne pas la force mouvante? Cette « nature indomptable échapperait à ses mains, et ne s'y prê- « tant jamais tout entière; elle ne pourrait être formée tout « entière selon l'art et la puissance de son ouvrier. Mais « qu'est-ce après tout que cette matière si parfaite, qu'elle « ait d'elle-même ce fond de son être; et si imparfaite, qu'elle

[1] *Elévations sur la création de l'Univers. II.e Elévation.*

[2] Ibid.

[3] MATTH. XV, 14.

« attende sa perfection d'un autre? Son ornement et sa per-
« fection ne sera que son accident, puisqu'elle est éternel-
« lement informe » [1].

Obiicitur locus sane difficilis S. Basilii, qui in I. Homil. in Hexaemeron haec habet. « Erat enim, ut apparet (ὡς ἔοικεν)
« aliquid ante hunc mundum, quod mente quidem nostra con-
« templari possumus, non est tamen narratione proditum,
« quod rudibus et cognitione adhuc infantibus nequaquam
« congruere videbatur. Erat quidem mundi productione sta-
« tus antiquior, consentaneus virtutibus supermundanis, tem-
« pore anterior, sempiternus, perpetuus. Creaturas autem in
« ipso creator omnium et opifex effecit, intelligibile lumen
« dignum felicitate eorum qui Deum amant, nempe rationa-
« les et invisibiles naturas, et omnem intelligibilem ordinem,
« quaecumque mentem nostram superant, quorum ne nomina
« quidem investigari possunt. Haec enim invisibilis mundi
« substantiam complent, ut nos Paulus his verbis docet:
« " quoniam in ipso creata sunt omnia, sive visibilia, sive in-
« visibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus,
« sive Potestates, sive Virtutes, sive Angelorum exercitus,
« sive Archangelorum praefecturae ". Tum demum oportebat
« et hunc mundum rebus iam exstantibus adiungi, qui esset
« in primis idoneus locus edocendis animabus hominum atque
« erudiendis » [2]. Ecce, aiunt, S. Basilius a creatione excipit aliquid perpetuum, quod creatorem angelici ordinis etiam praecessit, « utpote tempore anterius, sempiternum ».

Resp. Quidquid S. Basilius in hoc loco docere voluerit, *a*) non negat, hoc aliquid esse etiam a Deo; *b*) imo Deum diserte *omnium* creatorem et vocat opificem; *c*) totum mundum materialem visibilem affirmat simpliciter a Deo esse invisibili mundo adiunctum utique per effectionem creatricem. Ergo ex hoc S. Basilii textu nihil contra praesentem veritatem demonstrari potest.

At quomodo interpretanda sunt ista verba parumper singularia? - Quaestionem non carere difficultate ostendunt, praeter ipsum textum, viae diversae quibus theologi eam solven-

[1] *Elévations sur la création.*
[2] Loc. cit.

dam existimarunt. Petavius existimat, statum hunc tempore anteriorem, sempiternum, perpetuum, esse ipsam divinitatem ob irradiationem aeternam Verbi. Cui interpretationi subscribit Cl. Palmieri [1]. Sed haec explicatio vix stare videtur cum verbis ὡς ἔοικεν; nec consonare indoli gradationis a Basilio hic expositae. Quare potius cum Maurinis opinor Basilium hic exprimere sententiam non quidem certam, sed ab aliis quoque, uti Theodoro Mopsuesteno et Ioanne Philipono, admissam, de creatione mundi invisibilis sat longe ante creationem mundi visibilis. Quum autem notio perfectae spiritualitatis huius mundi non tantopere omnibus esset ac perspicua [2], Basilius finxit aliquod veluti indolis supermundanae praeiacens spatium, cum quadam immobilitate, ac proin anterioritate ad omne tempus, in quo spiritus angelici conditi essent [3]. Hanc sane explicationem simul cum praesenti textu et cum aliis scriptis eiusdem S. Doctoris melius concordare putamus [4].

In Corpore. Discursus S. Thomae duplici parte constat. In prima, gradatione ascendente ab errore maiori, qui erat Democriti et Epicuri, ad errorem minorem, qui Platonis et Anaxagorae, exponit duas sententias quas primo et secundo loco n. 2 attulimus. In altera parte utriusque sententiae utpote deficientis vitium ostendit, veramque sententiam exponit, scilicet quae dicit, totum esse debere a Deo, quia in quavis re praeter causas formarum accidentalium, quae faciunt *talia* entia, imo praeter formarum substantialium, quae faciunt *haec* entia, oportet assignare causam entis in quantum est *ens* quocumque modo.

Placet afferre breviter rationes, quibus S. Thomas in *Summa ctr. Gent.* demonstrat, Deum produxisse res ex nihilo. 1) Aut Deus effectum producit nullo praeexistente, et obtentum habetur; aut ex aliqua re praeexistente. Porro quum repugnet processus in infinitum, nec Deus possit esse materia rei creatae, nec aliquid dari possit quod non sit a Deo,

[1] Op. cit., p. 43.

[2] Cf. Petavium (*De Angelis,* l. I, c. 2), ubi inter alios Patres S. Basilium dubie de hoc argumento locutum affert. (De Spir. S. c. 16).

[3] Cf. et *Homil.* II, *in Hexaem.* eiusdem S. Doctoris.

[4] Taceo interpretationem Vasquezii, qui putat, Basilium hic unice loqui de quodam intervallo imaginario ante omne tempus. (In II p., D. 224).

oportet ut in principio habeatur effectio ex nihilo sive creatio. - 2) Agens quod requirit ex necessitate praeiacentem materiam, est agens particulare; Deus autem est agens universale. - 3) Effectus universalissimus debet respondere causae universalissimae. Ergo Deus non solum movet aut transmutat, sed producit esse totum; est enim universale essendi principium. - 4) Formas producere, est agentis per formam; Deus aut est actus purus; ergo producit totum esse. - 5) Pariter productio formae indiget in materia recipi uti in subiecto; Dei autem agere est eius substantia, quod non indiget in patiente recipi. - 6) Non datur proportio inter praeiacentem materiam et operantem Deum. Ergo Deus indigere materia nequit. - 7) Nulla dari potest materia praeiacens in potentia ad omnes formas spirituales et corporales. - 8) Nisi materia prima sit a Deo, oportet vel Deum et materiam esse ab aliquo tertio communi, vel Deum ipsum esse a materia: secus enim perit universi ordo, et non habetur nisi casus. - 9) Materia est ens in potentia, ergo est ab actu. - 10) Istud esse in potentia est saltem aliquid, quod nequit esse nisi a Deo.

Corollarium I. - Ex dictis in his duobus articulis patet, doctrinam de creatione *ex nihilo*, pertinere ad ea dogmata de quibus Scripturae, Ecclesia et traditio nullum dubium sinunt. Errant proin non leviter Sociniani et Arminiani qui putant hanc veritatem non pertinere ad depositum fidei: « A « l'égard de la question, si Dieu a fait le monde de rien, « ou s'il y a employé une matière qui existait éternellement, « je la regarde plutôt comme une question philosophique, « que comme une question de religion ». Ita levissime Beausobrius [1], qui censet, Origenem et Tertullianum hanc veritatem non agnovisse [2]. Idem de aliis, v. gr., de S. Iustino et Clemente Alexandrino contendit Rousseau [3].

Sed Tertullianum et Origenem in hunc errorem trahere velle, aperta confusio est. Tertullianus enim instauratores huius erroris apud Christianos vocavit *Materiarios* [4], regu-

[1] *Hist. des dogm. Manich.* l. v, c. 5; — cf. cl. Simon Episcopium (*Bishop*) (*Instit. theol.* l. iv, sect. 2, c. 14); etc.

[2] Op. cit.

[3] Lettre à M. de Beaumont.

[4] *Adv. Hermog.*, c. 25.

lamque fidei expresse affirmavit, Deum ex nihilo universum condidisse [1]. Quam regulam et ab Origene superius audivimus. - Iustinus autem in locis obiici solitis praeponit quidem informem materiam penitiori efformationi rerum, maxime hominis; at nullatenus negat hanc informem materiam esse a Deo [2]. Imo alibi idem philosophus docet, animas non esse ingenitas, quia ingenitus non potest esse nisi unus [3]. Ergo materiam non putavit ingenitam.

Quod de Iustino diximus, valet quoque de Athenagora, qui quidem in aliquibus locis minus caute loquitur de materia quadam informi a Deo maxime distante, quam Deus per Verbum suum informavit [4]; at e contextu apparet, eum hanc materiam ab effectione divina non exclusisse [5]. Athenagoras scilicet duplicem operationem Dei valde distinguit: alteram scilicet qua ἐποίησε, alteram qua ἐκόσμησε [6]. Unde quando ait divino artifici materiam praesto esse debuisse, intelligendum est in quantum divinus opifex res ἐκόσμησε ex materia, quam tamen ipse ἐποίησε.

Clemens autem Alexandrinus affirmat, philosophos doctrinam suam de materia aeterna accepisse a Moyse, qui dixit: « terra erat invisibilis et informis ». At Clemens non affirmat, id philosophos ex hoc loco recte deduxisse; imo contrariam insinuat esse Christianorum doctrinam, licet ob indolem sui operis ab hac quaestione satius ducat abstinere [7].

Corollarium II. - Quum ita se habeat manifesta Patrum ex Scripturis doctrina, patet quo sensu intelligendi sint catholicae veritates defensores, quando ad suam de creatione fidem propugnandam provocant ad auctoritatem philosophorum ethnicorum, maxime Platonis. Scilicet huiusmodi considerationes non sunt urgendae, sicuti non sunt urgendae considerationes similes circa Trinitatem catholicam cum dicta Platonica trinitate collatam. Plato scilicet docens omnia a

[1] *Praesc.*, c. 13.
[2] *Apol.*, 1, n. 10, n. 59.
[3] *Dial. c. Triph.* n. 5.
[4] *Legat.* n. 10, 15.
[5] Ibid. 15, 6, 19.
[6] Ibid. n. 8; cf. n. 10.
[7] *Strom.* V. - Quo sensu Eusebius recuset formulam *ex nihilo*, videbimus in Quaest. seq.

Deo esse facta, licet materiam aeternam posuerit aliquid tamen magni posuit, informationem scilicet universi ab uno principio summo [1]. Quare, ut redeam ad duplex stadium Athenagorae, Plato cum Christianis convenit quoad τὸ ἐκόσμησε, licet deficiat quoad τὸ ἐποίησε

Utrumque autem optime declarat Tatianus: « Sic autem « res se habet: universam mundi machinam, et quidquid in « ea conditum extat, e materia constitutum esse patet; ipsam « vero materiam a Deo productam (προβεβλήμενην) » [2].

Corollarium III. - Praeiudicium philosophorum ethnicorum quoad impossibilitatem ut Deus universum sine praeiacente materia condiderit, inane demonstratur per ipsum dogma creationis naturarum spiritualium, scilicet Angelorum. Etenim si Deus creare nequeat nisi ex aliquo, creatio Angelorum est dicenda impossibilis, quum nulla fingi possit praeiacens materia ex qua Angeli fiant. Porro si Deus ex nihilo condidit spiritus angelicos, nulla ratio dari potest cur ad creanda entia inferiora indigeat praeiacente materia.

Corollarium IV. - Ex imperfecta cognitione quam philosophi ethnici habuerunt creationis universi ex nihilo, vides rursus quam provide factum sit, ut revelatio divina se extenderit etiam ad ea, quae humana ratio propriis viribus attingere et demonstrare potest. Unde post S. Thomam Concilium Vaticanum optime dixit: « Huic divinae revelationi « tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis huma- « nae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque « generis humani conditione ab omnibus expedite, firma « certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » [3].

Corollarium V. - Si doctrinam praesentis articuli confers cum doctrina articuli praecedentis, apparet causam materialem extra Deum in creatione inde esse negandam, quia causa efficiens est plenissimo sensu affirmanda.

[1] Caeterum Plato effectionem rerum ita describit, ut praeiacens materia omnipotenti opifici nullum limitem ponat. Inde verba quibus Deus supremus alloquitur agmen deorum inferiorum quos condidit, sunt conditoris summi opus suum perfecto dominio alloquentis. (*Tim.*) Insuper modus quo Deus supremus inferiores illos condit, non supponit materiam praeiacentem. Quare non desunt qui putent, Platonem creationem totalem admisisse.

[2] *Orat. ad Graecos*, n. 10.

[3] *Constit. de fid. cath.* c. 2 (DENZINGER, op. cit., n. 1635).

Causam autem materialem in Deo poni non posse, sequitur ex ipsa simplicitate et immutabilitate Dei. Esset Gnosticismus, qui cuncta pervertit, quasi per intermediorum multiplicationem atque ab invicem emanationem distantia infinita compleri possit, quae Deum separat a mundo. Nisi tamen Gnosticismus reducatur ad formam quamdam evolutionis pantheisticae, de qua in fine huius Quaestionis dicemus.

Recte igitur S. Augustinus causam materialem simul exclusit extra Deum et in Deo, doctrinam creationis uti omnino tenendam exhibens: « Unum Deum... fecisse et creasse « omnia, quae sunt, in quantum sunt, *catholica disciplina* « *credi iubet,* ita ut creatura omnis, sive intellectualis, sive « corporalis.... *non de Dei natura,* sed *a Deo* sit facta *de* « *nihilo* » [1].

Corollarium VI. - Ex doctrina huius articuli apparet, quam recte Ecclesia damnaverit propositionem 19 Rosminii, quae ita sonat: « Verbum est materia illa invisa, ex qua, ut dicitur « Sap. XI, 18, creatae fuerunt res omnes universi » [2].

APPENDIX

de doctrina S. Anselmi et S. Bernardi.

I) Placet **S. Anselmum** audire de creationis dogmate subtiliter disserentem.

En quomodo in *Monologio* demonstrat, solum Deum esse per seipsum, et omnia alia esse per eum. « Omne namque « quod est, aut est per aliquid, aut per nihil. Sed nihil est « per nihil: non enim vel cogitari potest ut sit aliquid non « per aliquid. Quidquid igitur est, non nisi per aliquid est. « Quod cum ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quae « sunt cuncta quae sunt. Sed si sunt plura, aut ipsa refe- « runtur ad unum aliquid, per quod sunt; aut eadem plura « singula sunt per se; aut ipsa per se invicem sunt. At si « plura ipsa sunt per unum, iam non sunt omnia per plura; « sed potius per illud unum, per quod haec plura sunt. Si « vero ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis

[1] *De Gen. ad litt. lib. imperf.* c. 1, n. 2.
[2] DENZINGER (op. cit., n. 1754).

« vel natura existendi per se, qua habent ut per se sint. Non « est autem dubium quod per idipsum unum sint, per quod « habent ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta « sunt, quam per plura, quae sine eo uno esse non possunt. « Ut vero plura per se invicem sint, nulla patitur ratio; quo- « niam irrationalis cogitatio est ut aliqua res sit per illud « cui dat esse: nam nec ipsa relativa sic sunt per se invi- « cem. Nam cum dominus et servus referantur ad invicem, « et ipsi homines qui referuntur, omnino non sunt per invi- « cem; et ipsae relationes quibus referuntur, non omnino « sunt per se invicem, quia eaedem sunt per subiecta. Cum « itaque veritas omnimodo excludat plura esse, per quae « cuncta sunt, necesse est unum illud esse, per quod sunt « cuncta quae sunt. - Quoniam ergo cuncta quae sunt, sunt « per ipsum unum; procul dubio et ipsum unum est per « seipsum. Quaecunque igitur alia sunt, sunt per aliud et « ipsum solum per seipsum » [1].

Quam argumentationem hoc schemate tene contractam:

- Omnia sunt
  - I) aut *per nihil* = absurdissimum;
  - II) aut *per aliquid:*
    - A) aut per *plura:*
      - 1) *ad unum relata* (recidit in B);
      - 2) *singula per se,* — sed hoc redundat in 1), quia sunt a virtute qua habent ut sint per se;
      - 3) *ab invicem per se,* — absurdissimum, imo et in relationibus.
    - B) aut *per unum quod sit per seipsum:* — in hoc solo veritas.

Et allato altero argumento petito ex gradibus perfectionum quae occurrunt in rebus et quae expostulant ens summae perfectionis, quod omnis perfectionis inferioris sit causa, S. Anselmus quaerit an et quo sensu omnia sint ex hac natura per quam sunt: « Quoniam itaque placet quod inven- « tum est, iuvat indagare, utrum haec ipsa natura et cuncta « quae aliquid sunt, non sunt nisi ex ipsa, quemadmodum

[1] *Monol.* c. 3. — *P. L.* CLVIII, 147, sqq.

« non sunt nisi per ipsam » [1]. Et primo quidem concedit aliquam reciprocitatem et conversionem vocum *per* et *ex*. « Consequitur ergo ut, quomodo cuncta quae sunt, per « summam naturam sunt id quod sunt, et ideo illa est per « se ipsam, alia vero per aliud: ita omnia quae sunt, sint « ex eadem summa natura, et idcirco illa sit ex seipsa, « alia autem ex illa » [2].

Ut autem pressius hoc problema solvat, prius illustrat quomodo summa natura sit per se, et ex se. Et facto duplici exclusionis discursu, ad hanc conclusionem pervenit: « Licet « igitur summa substantia non sit per aliquid efficiens, aut « ex aliqua materia, nec aliquibus adiecta sit causis, ut ad « esse produceretur: nullatenus tamen est per nihil, aut ex « nihilo; quia per seipsam et ex seipsa est quidquid est » [3]. Scilicet est per et ex se. « Quemadmodum enim se habent « ad invicem lux, et lucere et lucens; sic sunt ad invicem « essentia, esse, et ens, hoc est existens sive subsistens » [4].

Quo posito ad originem rerum orationem convertens, pergit: « Restat nunc de rerum earum universitate, quae « per aliud sunt, discutere quomodo sint per summam sub- « stantiam, utrum quia ipsa fecit universa, an quia materia « fuit universorum » [5]. Et primo quidem reiicit, omnia esse ex illa summa natura « secundo loco et non principaliter ». Sed et depellit universitatem rerum esse ex aliqua materia. Quod sequenti discursu ostendit. Quatuor elementa utique reducuntur ad informem atque confusam quamdam materiam omnium corporum suis formis discretorum. Dicere ergo universitatem rerum esse ex aliqua materia est dicere, eam esse aut ex summa natura, aut ex seipsa, aut ex aliqua tertia essentia. Hoc tertium repugnat: nam supra probatum est, nihil dari quod non sit per summam essentiam; quare haec talis tertia essentia dari nequit. Secundum pariter repugnat: tunc enim esset simul per se et per aliud, esset semetipsâ posterior. Sed nec primum dari potest, quod ita

[1] Monol. c. 5, col. 150.
[2] Ibid.
[3] Ibid. c. VI, col. 152.
[4] Ibid. col. 153.
[5] Ibid. c. VII, col. 153.

probat. « At si ex summae naturae materia potest esse ali-
« quid minus ipsa, summum bonum mutari et corrumpi
« potest: quod nefas est dicere. Quapropter, quoniam omne
« quod est aliud est quam ipsa, minus est ipsa; impossibile
« est aliquid aliud hoc modo esse ex ipsa. Amplius: Dubium
« non est quia nullatenus est bonum, per quod mutatur vel
« corrumpitur summum bonum. Quod si qua minor natura
« est ex summi boni materia, cum nihil sit undecumque nisi
« per summam essentiam, mutatur et corrumpitur summum
« bonum per ipsam: quare summa essentia, quae est ipsum
« summum bonum, nullatenus est bonum; quod est incon-
« veniens. Nulla ergo minor natura materialiter est ex summa
« natura » [1].

Restat igitur ut universitas rerum facta sit per summam essentiam ex nihilo. « Cum igitur eorum essentiam, quae
« per aliud sunt, constet non esse velut ex materia, ex summa
« essentia, nec ex se, nec ex alio, manifestum est quia ex
« nulla materia est. Quare, quoniam quidquid est per sum-
« mam essentiam est, nec per ipsam aliquid esse potest nisi
« ea aut faciente aut materia existente, consequitur de neces-
« sitate, ut praeter eam nihil sit, nisi ea faciente; et quoniam
« nihil aliud est vel fuit, nisi illa, et quae facta sunt ab illa,
« nihil omnino facere potuit per aliud, vel instrumentum, vel
« adiumentum, quam per seipsam. At omne quod fecit, sine
« dubio aut fecit ex aliquo, velut ex materia, aut ex nihilo.
« Quoniam igitur certissime patet quia essentia omnium,
« quae praeter summam essentiam sunt, ab eadem summa
« essentia facta est, et quia ex nulla materia est; procul
« dubio nihil apertius quam quia illa summa essentia tantam
« rerum molem, tam numerosam multitudinem, tam formose
« formatam, tam ordinate variatam, tam convenienter diver-
« sam, *sola per seipsam produxit ex nihilo* » [2].

Deinde penitius investigat circa sensum τοῦ *ex nihilo*. Quam discussionem remittimus ad primum articulum Quaestionis sequentis.

2) Sed et **S. Bernardum** audire placet verba S. Pauli:

[1] Monol. col. 154.
[2] Ibid. c. 7 (6). — p. 154, sq.

« Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia » [1] forti subtilique sermone evolventem. « " *Ex* quo omnia ", creabiliter, « non seminabiliter. " *Per* quem omnia ", ne alium auctorem, « atque alium opificem arbitreris. " *In* quo omnia ", non quasi « in loco, sed quasi in virtute. " *Ex* quo omnia ", non *de* quo, « quia non est materia Deus, efficiens causa, non materialis. « Frustra philosophi materiam quaerunt; non eguerit materia « Deus. Non enim officinam quaesivit, non artificem. Ipse « per se omnia fecit. Unde? de nihilo. Nam si ex aliquo fecit, « illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit ut de sua in- « corrupta incorruptibilique substantia tam multa fecit; etsi « bona, corruptibilia tamen » [2]. Et paulo superius commentans verba: « Qui est » [3], dixerat brevissime: « Quid item « Deus? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam « nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per « hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, et « omnium esse » [4].

Corollarium. - Collige ex his, totam theologiam creationis contineri in hac sublimi definitione quam suimetipsius Deus olim Moysi dedit: « Ego sum, qui sum » [5]. Tantum enim est discrimen inter Ens a se et entia creata, ut haec illi collata potius non esse dicenda sint. Unde Deus ipse apud Isaiam: « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et « quasi nihil et inane reputatae sunt eis » [6]. Quare quotiescumque Scriptura hanc excellentiam singulare τοῦ esse Dei exaltat, toties implicite creationis dogma primarium inculcat.

Non ideo tamen creatura dicenda est nihil. Habet enim suam veram obiectivam extra Deum entitatem, sed participatam, ac proin alterius omnino ordinis ac ens divinum a se. Quare Ioannes XXII inter propositiones Ekkardii proscripsit assertum: « Omnes creaturae sunt purum nihil » [7].

[1] Rom. xi, 36.
[2] *De Consid.*, l. v, c. 6.
[3] Exod. iii, 14.
[4] Ibid.
[5] Exod. Ibid.
[6] Is. xl, 17.
[7] Prop. 26 (Denzinger. op. cit., n. 453). — De errore Rosminii circa creationem in Quaestione proxima dicemus.

Utrumque optime coniungit S. Anselmus hisce verbis: « Quod « sic simpliciter et omnimoda ratione solum est perfectum, « simplex et absolutum, id nimium quodammodo iure dici « potest solum esse; e contra, quidquid per superiorem ratio- « nem, nec simpliciter, nec perfecte, nec absolute esse, sed « vix esse, aut fere non esse cognoscitur, id utique aliquo « modo recte non esse dicitur. Secundum hanc igitur ratio- « nem ille solus creator spiritus est, et omnia creata non « sunt. Nec tamen omnino non sunt, quia per illum, qui solus « absolute est, de nihilo aliquid facta sunt » [1].

Corollarium II. - Collige pariter quam stulti sint homines, qui ex ipsis inspectis creaturis ad negandum Deum concludunt, quemadmodum inflatus ille astronomus Gallus, - qui tamen ex flamma et Orione praedestinatum sibi nescio unde decantat obvenisse nomen, - Flammarion dicere non erubescit, telescopium e caelis expulisse Deum. Quam profunde e contra Psalmista exclamat: « Caeli enarrant gloriam Dei, et « opera manum eius annuntiat firmamentum » [2]. Et: « Dixit « insipiens in corde suo: non est Deus [3] ». Quis iam ferat insipientes superbia eo inflatos, ut sapientibus tanquam insipientibus ipsam eorum sapientiam exprobrent! Belle Sapientiae inspirator: « Vani autem sunt omnes homines, in quibus « non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona, « non potuerunt intelligere eum, qui est [4], neque operibus « attendentes agnoverunt quis esset artifex! » [5].

III. - DE CAUSA EXEMPLARI.

ARTICULUS III.

UTRUM CAUSA EXEMPLARIS SIT ALIQUID PRAETER DEUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplicem scopum habet articulus iste: negativum scilicet et positivum. *a*) Negativus scopus est, refellere doctrinam illorum, qui cum Platone

[1] *Monol.* c. XXVIII. — *P. L.* CLVIII, 182.
[2] Ps. XVIII, 1; cf.
[3] Ps. XXIII, 1, 2.
[4] Adverte rursus vim vocis « qui est », in oppositione ad « quae videntur bona »
[5] SAP. XIII, 1.

inter Deum et res concrete existentes ponunt ideas communes rerum, archetypos realiter existentes. - *b*) Positivus est ostendere, Deum ipsum esse hoc exemplar, et quidem ita, ut istud exemplar in se simplicissimum ac singulare, nihilominus contineat rationem descriptivam omnium formarum ac rerum: ad modum lucis, quae in se supra omnem colorem existens, sensibilia ita illustrat, ut colorum varietate splendescant.

2) Unde vides, quid intersit inter solutionem huius articuli et praecedentis. In praecedenti articulo non solum negatur materia effectioni rerum extra Deum praeexistens; sed et Deus ipse hanc esse materiam negatur. In hoc autem articulo excluduntur quidem huiusmodi exemplaria extra Deum, sed ita ut ipse Deus omnium rerum exemplar praedicetur.

3) Non inde tamen excluditur a rebus creatis omnis exemplaritatis ratio. Imo duplex teneri potest, alia subiectiva, alia obiectiva.

a) Subiectiva ratio habetur, quotiescumque opificio artis, - et artem hic intelligo in sensu latissimo, - praesidet in mente opificis idea operis efficiendi. Ita sane B. Angelicus Fesulanus, mirabilis ille caelestium figurarum pictor, in mente contemplabatur pulcherrima, ad quorum exemplar tabulas parietesque illustrabat. Quod magis adhuc apparet in operationibus gratiae, v. gr., quando Vates afflante Numine interne illuminantur, et iuxta exemplar superne acceptum prophetico sermones imaginibus plenos eructant [1].

b) Obiectiva ratio habetur, quotiescumque res existentes fiunt exemplaria ad quae homines respiciunt, ut aliquid agant. Ita templum Pacis vocari solitum et tholus Panthonianus dicuntur exemplaria fuisse praecipua, quae Michaël-Angelus intuitus basilicam Vaticanam confecit.

4) Imo Deus ipse potest ita creaturas a se factas subordinare ad invicem, ut altiores veluti inferiorum exemplaria existant, utique sub summo exemplari divina Sapientia. Ita Angeli possunt, in aliquo sensu, vocari exemplaria hominum; maximeque in ordine gratiae Christus, ut homo, dici exemplar omnium praedestinatorum, et alma Deipara exemplar omnium Sanctorum.

[1] Inde in litteris humanis nihil inspiratis Prophetis splendidius.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Urget similitudinem quae debet esse inter exemplar et exemplatum. Haec ratio valeret utique ad probandum, Deum non esse materiam ex qua factus sit mundus; non autem valet ad excludendum a Deo rationem exemplaritatis. Secus ipsa exemplaria extra Deum neque dari possent. Nam si ponis haec aequalia Deo, Deum tollis, et absurdum ponis. Si autem inaequalia, iam et ipsa infinite distent oportet. Unde vel haec exemplaria erunt a Deo iuxta exemplar in mente Dei praeexistens, et tunc redit difficultas; unde vel procedendum est in infinitum, vel sistendum in primo, scilicet in exemplari divino. Vel haec exemplaria non erunt a Deo iuxta exemplar in mente Dei praeexistens; et tunc non solum ordo creaturae non est amplius a Deo, sed haec ipsa exemplaria non possunt habere in se exemplaritatis fundamentum.

2. Obi. Duo confundit: ens per participationem reduci ad aliquid per se existens, quod verum est; et homines reduci debere ad hominem per se, quod est falsum. Nam homo est ita ex anima et corpore compositus, ut homo per se non possit existere, nisi in ratione entis superioris, v. gr., in substantia separata, maxime autem in ipso Deo.

3. Obi. Pariter duo confundit: abstractionem a singularibus, sine qua neque a particularibus fit ascensus ad scientiam; et existentiam harum abstractionum extra singularia, quae non requiritur, nisi in mente abstrahentis et in mente Dei.

4. Obi. Gratuito supponit, Dionysium in hoc loco intelligere « per se vita », « per se sapientia » tanquam exemplari vitae et sapientiae extra Deum existentia. Sed non ita Areopagita. Per haec verba intelligit Deum ipsum. Sed sicuti in creatis rebus τὸ esse est substratum vitae et sapientiae, ita ait in Deo τὸ esse primo intelligi et logice prius esse quam vitam et sapientiam. Insuper demonstrat, omnem vitam et sapientiam participatam, quae in creaturis elucent, conducere ad agnitionem vitae essentialis, sapientiaeque essentialis, qui Deus est. En verba Dionysii: « Suppone enim « hominem: hic primum habet ut sit, deinde habet ut vivat « et sentiat et ratiocinetur; et mentes invisibiles primum « esse participarunt, et sic vitam et sapientiam. Haec vero « etiam secundum conceptum distinguuntur. Sicut igitur in

« nobis prima materia concipitur, ex qua constamus, sic « etiam in mentibus incorporeis instar materiae, concipitur « ipsummet cuiuslibet rei esse per vitae speciem, et quatenus « ad vitam et sapientiam et ad divinam similitudinem sub- « stantiatum est. Idcirco dicit, quod ipsum per se esse sit « antiquius quam esse per se vitam et per se sapientiam; « non quod in Deo sit istiusmodi divisio, sive simpliciter, « sive per conceptum, absit; sed ab hoc intelliguntur haec « in his omnibus, quae per creationem existunt ». Vides de exemplaribus extra Deum hic ne verbulum quidem haberi Et concludit optime: « Merito igitur prae caeteris, quae exi- « stendo Deum participant, Deus ipsemet antiquissimum « ipsius entis principium intelligitur » [1].

Sed contra est. Praesens veritas quoad suam partem positivam potest I) multipliciter illustrari *Scripturis*. 1) Cur in Genesi Deus dixit, omnia quae condidit esse valde bona, nisi quia opus optime respondebat exemplari artificis? [2]. - 2) Modus quo Deus hominem condidit, ad imaginem et similitudinem suam, diserte proclamat in Deo rationem exemplaris. Inde Patres tam abunde in homine hanc imaginis dignitatem extollunt. Imo S. Gregorius Nyssenus ex hoc loco Scripturae eleganter demonstrat aequalitatem inter personas SS. Trinitatis. « Cum dicatur " faciamus hominem ad nostri ima- « ginem " numeroque multitudinis Sacrosancta Trinitas indi- « cetur, non erat singulari numero facienda imaginis mentio, « si quidem dissimiles erant, ad quorum exemplar ea con- « formabantur » [3]. - 3) Cur Deus dicitur omnia disposuisse « in mensura, et numero et pondere » [4], nisi quia cuncta condidit iuxta exemplar sibi a se praepositum? - 4) Huc quoque spectant verba: « Sapientia aedificavit sibi domum » [5]. Quis enim sapiens architectus domum fabricavit, cuius non praestatuerit exemplar? - 5) Et sane de ista Sapientia opus Creatoris dirigente, optime intelliguntur verba: « Dominus pos- « sedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam

[1] *De divin. nom.* c. 5, n. 5. — *P. G.* III, 840.

[2] GEN. I.

[3] *De hom. opif.* c. 6. — *P. G.* XLIV, 139.

[4] SAP. XI, 21.

PROV. IX, 1. — Cf. de hoc loco Originem. *In Ioann. P. G.* t. XIV, 39; *Periarch.* l. I; c. 2. — Cf. textum HEBR. III, 4 inferius adducendum.

« faceret a principio.... Cum eo eram cuncta componens » [1]. - 6) Eloquenter hanc rationem exemplaritatis exprimunt verba S. Ioannis: « Quod factum est, in ipso vita erat » [2]. Scilicet vivens exemplar omnium rerum ab aeterno erat omnium rerum vita in Verbo Dei. - *b*) Pariter hoc exemplar insinuatur per verba S. Pauli: « Fide intelligimus aptata esse « saecula Verbo Dei; ut ex invisibilibus visibilia fierent » [3]. Quid sunt haec saecula invisibilia, nisi exemplar omnium rerum ac temporum in Dei mente praeformatum? Imo quid significat haec aptatio saeculorum ad Verbum Dei, nisi conformationem ad exemplar rerum, quod in se gerebat Ille, qui « dixit et facta sunt » ? - 7) Nec tacenda est hic alia sententia S. Pauli: « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini « speculantes, in eamdem imaginem transformamur a cla- « ritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu » [4]. Quae sententia proclamat, splendorem Dei in caelo contemplandum illud esse exemplar ad cuius imaginem facti sumus, et ad cuius imitationem semper perfectiorem per Dei Spiritum excitamur. - 8) Unde quotiescumque Scripturae pulchritudinem universi exaltant, et a rerum ordine ad perfectiones Conditoris concludunt, toties implicite praesentem veritatem inculcant.

II. *Patres* eamdem veritatem eloquenter illustrarunt, uti patet ex locis non paucis, quos in tractatu *de Deo Uno* attulimus, agentes de ideis divinis [5]. Lectorem ad dicta ibidem remittimus. Sint tamen adhuc pauca sequentia. Eleganter Dionysius comparationem desumit a sole: « Si sol ille noster « rerum sensilium substantias et aequalitates, quantumvis « multae sint ac diversae, simul ille, cum sit unicus, et uni- « formiter diffundat lumen suum, omnes renovat et nutrit, et « servat, et perficit, et distinguit, et unit, et refovet, et foecun- « dat, et auget, et immutat, et firmat, et producit, et suscitat,

[1] Prov. VIII, 22; 30. Haec interpretatio nullatenus contradicit explicationi allatae in tractatu *de Deo trino*. Haec duo simul stant: omnia facta esse per Verbum; et cuncta esse effecta iuxta exemplar divinum et aeternum. Quin et haec duo se optime complent.

IOANN. I, 3-4. — Cf. S. CYRILL. ALEX. (THESAUR. c. 6).

[3] HEBR. XI, 3.

[4] II COR. III, 18.

[5] *De Deo Uno* t. II, p. 161, sqq.

« et vegetat, et quodlibet ex iis modo cuique proprio, unius « eiusdem solis particeps existit, et plurimorum se partici- « pantium causas sol unicus in seipso uniformiter anticipa- « vit: potiori utique ratione concedendum est, in ipsius solis « ac rerum omnium Causa secundum unicam supraessen- « tialem copulationem, rerum omnium exemplaria praeexsti- « tisse, quandoquidem haec ipsasmet essentias producat, « secundum excessum essentiae ».

Et explicat quid horum exemplarium nomine intelligat. « Exemplaria vero dicimus esse rationes in Deo substantifi- « catas rerum et unite praeexistentes, quas divinus sermo « vocat praedifationes, et divinas atque bonas voluntates « rerum definitrices et effectrices: secundum quas qui est « supra substantiam, omnia quae sunt, praedefinivit et pro- « duxit » [1]. - S. Gregorius Nazianzenus pulchre exemplar, quo veluti motus Deus factus est universi Creator, describit ita poëtice: « ..... Consideremus quo movebatur divina Mens - « antequam hoc universum staret et formis ornaretur; - non « enim mihi Deus est non agens, nec imperfectus. - Saeculis « vacuis supremus rex in seipso regnans, movebatur propriae « Pulchritudinis dilectum contemplando splendorem, - trine « lucentis Deitatis similem aequalemque fulgorem, - sicut « soli Deitati, iisque quorum Deus est, clare apparet. - « Movebatur et mundi exemplaria intuendo, quae statuerat - « suis in magnis cogitationibus Mens creatrix mundi - postea « futuri sed iam Deo praesentis » [2]. - S. Ioannes Damascenus varias imaginis rationes illustrans, haec inter alia habet: « Secundus modus imaginis est illa, quae in Deo est notio « rerum ab ipso futurarum, hoc est consilium eius aeternum, « quod eodem semper se modo habet... Imagines enim et « exemplaria futurarum rerum, quas ipse facturus est, nihil « sunt aliud, quam cuiusque earum notio, atque a S. Diony- « sio praedefinitiones nominantur. In eius namque consilio « expressae erant formae et imagines eorum, quae, prius- « quam fierent, ab ipso praedefinita erant, et immutabiliter « futura » [3]. - Brevissime S. Augustinus totum dicit: « Secun-

[1] *De div. nom.* c. v, § 8. — Ibid. 824.

[2] *Poëm. dogm.* I, 4. — *P. G.* XXXVII, 420, sq.

[3] *De Imaginibus,* Orat. III, n. 19. — *P. G.* XCIV, 1339.

« dum artem (Verbum) continet omnia, antequam fabricet « omnia » [1].

Qui plura testimonia de hoc argumento quaerit, pervolvat eruditum opus Cl. P. Dubois *De Exemplarismo divino* [2].

Caeterum iam ipsi philosophi Gentiles, imprimis Plato, in Deo hanc rationem exemplaritatis agnoverunt. Mundum enim hunc sensibilem a Deo opifice ortum habuisse, et iuxta superius exemplar effectum esse, Plato extra dubium posuit. « Ortum necessario ex aliqua causa ortum esse diximus. Iam « effectorem quidem et patrem huius universi, et invenire « difficile est, et inventum indicare in vulgus nefas [3]. Rursus « igitur hoc quaerendum de eo, ad quodnam exemplarium « a fabricatore effectum sit: utrum ad exemplar quod eodem « modo et similiter se habet, an ad ortum. Iam si pulcher « est hic mundus, et artifex eius bonus, haud dubie sempi- « ternum intuebatur; sine, quod ne dictu quidem fas est, « ortum. Non dubium igitur cuiquam, quin sempiternum; « nam alter pulcherrimus ortorum, alter optimus efficientium. « Sic ergo ortus ad id est factus, quod ratione et intelli- « gentia comprehenditur et eodem modo se habet » [4]. Rectissime igitur Plato demonstrat, mundum esse Deo praelucente exemplari confectum. Non autem vidit, hoc exemplar esse ipsam Dei essentiam. Imo ex modo quo passim disputat, apparet Platonem rerum ideas exemplaria posuisse extra Deum a Deo uti omnium rerum normas confecta [5]. Inde Patres in hac re Platonem erroris convincunt. S. Iustinus ait, Platonem errasse, quia « existimavit speciem quamdam « separatam ante id quod sensibile est, existere, quod et « exemplar eorum quae facta sunt, saepe nominat » [6]. Et Tertullianus: « Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, « incorporatas, supermundiales, divinas et aeternas, quas « appellat ideas, id est formas, exempla, et causas natura- « lium istorum manifestorum et subiacentium corporalibus

[1] *In Ioann.* tract. I, c. 1, n. 17. — *P. L.* XXXV, 1387.

[2] Tom. I, P. III passim.

[3] Ob inventum enim verum ac singularem mundi fabricatorem Socrates morte damnatus est.

[4] Ibid.

[5] Cf. v. gr. *Republ.* l. I.

[6] *Cohort. ad Graec.* c. 29. — *P. G.* VI, 296.

« sensibus; et illas quidem esse veritates, haec autem ima-
« gines earum ». Et recte addit: « Relucentne iam haeretica
« semina Gnosticorum et Valentinianorum? » [1]. Verum est, non defuisse, qui hunc errorem minus Platoni ipsi quam calumniae Aristotelis tribuendum existiment; sed argumenta solida ad hoc demonstrandum adhuc desiderantur. Quod usquedum valide praestetur, liceat exclamare cum S. Gregorio Nazianzeno: « Platonis ideas impete! » [2]. Unde rursus apparet ex una parte altitudo relativa, ad quam hi philosophi pervenerunt, ex altera vero distantia, quae eos a sublimiori philosophia Scripturarum separat. Quare dicit optime H. Faye: « Quelle différence entre la Science de ces temps et celle
« de la Genèse! mais aussi que de peine la Philosophie ne
« se donnait-elle pas alors pour remonter des ténèbres du
« polythéisme, à l'idée si nette et si pure qui domine la
« Genèse, celle d'un Dieu unique, créateur de l'univers » [3]. Et nihilominus, ut recte monet Card. Satolli [4], philosophi moderni, christiana religione relicta, postpositis veritatibus ad quas antiqui illi tanto nisu pervenerunt, errores ex eis instaurant illos, quos nondum deponere valuerunt.

E scriptoribus mediae aetatis nonnulla in appendice colligemus.

III) Porro Deum iuxta exemplar sibimetipsi in seipso praefixum condidisse universum, *Ecclesia* sat clare definivit, quando ait, v. gr., Deum « liberrimo consilio » [5], mundum creasse: nam istud liberrimum consilium in opifice sapientissimo concipi nequit sine exemplari luce operi praefulgente; pariter quando finem declarat, quem Deus in creationis opere intendit. De quo in art. sequente.

In Corpore. Pulcherrima haec argumentatio ad haec pauca reduci potest. Si quivis artifex exemplar inspicit, sive exterius, sive interius, ad cuius imitationem formam determinatam inducat; quanto magis omnium Artifex Deus iuxta

[1] *De anim.* c. 18. — *P. L.* II, 719, sq.

[2] Additque alterum capitalem errorem: « Animarumque in alia corpora trans-
« migrationem » (*Orat.* XXVII).

[3] *Sur l'origine du monde. — Théories cosmogoniques des anciens et des modernes,* 3 edit. Paris, 1896, p. 46, sq.

[4] Op. cit., p. 230.

[5] Conc. Vatic. *Constit. de fid. cath.* c. 1 (DENZINGER, op. cit., n. 1632); cf. can. 5.

exemplar summum omnia effecit. Quod exemplar unicum est, quatenus identificatur cum divina essentia; multiplex autem est, quatenus identificatur cum rerum ideis in Deo praeexistentibus [1].

Quare, sicuti iuxta S. Anselmum superius diximus [2], in Deo esse vel *multas ideas,* vel *ideam multorum*, ita quoque hic utrumque dici potest, *unum* esse *exemplar multorum*, vel *multa exemplaria.* Magis tamen exemplar, utpote summum, trahitur ad unitatem; et idea, propter specificationes, ad pluralitatem.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli nova ratio apparet, ob quam omnia dicuntur a Patre condita per Verbum. Verbum enim est Imago Patris, speculum nitidissimum paterni fulgoris; est Sapientia principio coaeterna et coaequalis. Atqui est exemplaris, esse veluti speculum, quod artifex in operando intueatur, ut iuxta Sapientiam in eodem expressam operetur.

APPENDIX

de doctrina S. Anselmi, Ruperti et Hugonis Victorini.

Placet de hac quaestione audire tres magistros in media aetate florentes. 1) Sancti **Anselmi** doctrinam de divinis ideis in tractatu *de Deo Uno* fuse investigavimus. Satis sit hic rursus afferre verba, quibus hanc inquisitionem inducit: In *Monologio,* postquam acute demonstravit, omnia facta esse a Deo ex nihilo, iam haec omnia intuetur in mente divina ab aeterno veluti viventia. « Verum videor mihi videre quiddam, « quod non negligenter discernere cogit, secundum quid ea « quae facta sunt, antequam fierent, dici possint fuisse nihil. « Nullo namque pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab ali- « quo, nisi in facientis ratione praecedat aliquod rei faciendae, « quasi exemplum, sive (ut aptius dicitur) forma, similitudo, « aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent uni-

[1] Cf. DANTES ALIGHERIUS *De Monarch.* c. 11, necnon in immortali poëmate. *Inf.* cant. XI, v. 97-105; XIII, 52-54; etc., etc. — Eamdem veritatem pluries in suis poëmatibus evolvit VONDEL.

[2] Tom. II, p. 175.

« versa, erat in ratione summae naturae, quid aut qualia « aut quomodo futura essent. Quare quum ea quae facta sunt, « clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc, « quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; « non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis per « quam et secundum quid fierent » [1]. Egregie!

2) **Rupertus** veritatem simul affirmat et Platonicas ideas depellit. « Quod habuit exemplar faciens haec tria (caelum, « terram et ornatum caeli) nisi seipsum, Deus unus, qui est « Trinitas? Plane non ideas, id est formas, quas philosophi « saeculares effinxerunt, sed seipsum Pater Deus, seipsum « inquam, attendit Deus unus Pater et Filius, cum eo quo « pariter uterque naturaliter ornatus est, Sancto Spiritu, dum « non solum caelum incorporeum, sed etiam corpulentam « creavit substantiam terrae, et utriusque simili compsit « ornatu, caelum scilicet angelicis spiritibus, terram autem « implens hominibus, quos aequales angelis esset facturus » [2].

Illustrans autem quid per hoc exemplar intelligi debeat, eleganter post Augustinum recurrit ad exemplum artificis arcam conficientis, et ex anima rationali assertum confirmat: « Nam unde hoc habet anima rationalis, ut cum fabrili « vel architectonica quidpiam componendum est structura, « prius totum illud apud se intus videat in arte, quam foris « exhibeat in opere? Si enim arcam vel amplae domus fabri- « cam struere velit, eius apud se prius versat imaginem, « iamque mens et cogitatio talis est, qualis postmodum mate- « rialis situs operis videndus est. Recte ergo dicas: quia quod « faciendum est, iam in mente artificis vita est. Unde, quaeso, « hoc habet anima rationalis, nisi quia creavit Deus homi- « nem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illam? » [3].

Et in eodem opere explicans exordium Evangelii Ioannis, et commentans textum libri Proverbiorum « ... Delectabar « per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens « in orbe terrarum » [4], elegantissimam comparationem de mu-

[1] Op. cit. c. IX, col. 157. Reliqua subtilioris discussionis circa hoc verbum mentale Dei creationi veluti in se cum semetipso praeludentis, vide in nostro tractatu *De Deo Uno* (t. II, p. 174, sqq.).

[2] *De Trin. et oper. ei. in Genes.* l. I, c. 1. — *P. L.* CLXVII, 199.

[3] *Comment. in Ioann.* l. I. — Ibid. col. 210.

[4] PROV. VIII, 30, sq.

sica depromptam his verbis simul philosophicis ac mysticis evolvit: « Attamen eorumdem similitudo nonnulla, tanquam « solis imago, quae perspici possit in aqua, nostrae naturae « subrutilat. Verbi gratia: Ecce musicus instrumenta quae- « libet ex arte componit, certisque ac sibimet cognitis dimensa « numeris, vocum intervalla discriminans, flatu vel pulsu « concitatum sonum inanimatae rei, rationem sibi insitam « imitari compellit. Quid ergo? Nonne antequam instrumenta « componeret, aderat ludens in mente et voce eius musica? « Ludens in diversitate vel distinctione modorum; et deli- « ciae eius in multorum suavitate cantuum? Una fuerat, una « nihilominus et nunc est musica, nihilque crescit aut se « multiplicat, quamlibet multas ad canendum voluptas can- « toris comportet citharas.

« In hoc, ut dictum est, nonnulla similitudo est. Nam, quid « sumus nos, nisi magni Musici Dei quaedam instrumenta? « Unde et in citharis et in organis [1], quae profecto corda et « corpora nostra sunt, Dominum laudare iubemur. Ipse quo- « que Dominus noster, musicum Dei Patris maxime instru- « mentum est, cui dicit idem Pater, dum secundum corpus « in sepulchro iacet: " Exurge, gloria mea, exurge psalterium « et cithara " [2]. Imo totus mundus divinae laudis instrumen- « tum est, licet solus homo vel angelus laudem Dei decan- « tare sciat; sicut in citharis sola corda, sed non sine ligno « modum cantilenae personat. Igitur quemadmodum naturae « musicae in anima musici vita est, quam instrumentorum « ars imitata est; sic totius mundi compositio, qui, ut iam « dictum est, divinae laudis instrumentum est prius quam « fieret, in hoc Verbo vita erat, de qua et subditur: " Et vita « erat lux hominum " » [3].

3) Ex **Hugone Victorino** pulcherrima verba adducimus quibus, Hipponensem pariter secutus, illustrat verba Ioannis: « Quod factum est, in ipso vita erat » [4]. Dicit Evangelista: « Quod factum est, in Ipso vita erat. Id est Deus, a quo omnia, « quod ab aeterno providit immutabiliter, tempore complevit: « Deus enim per Sapientiam, quae ipse est, omnia ab aeterno

[1] Ps. CL. 3, 4.
[2] Ps. LVI, 9.
[3] Ibid. — IOANN. I, 4.

« disposuit, et disposita tempore complevit. Unde et a Sa-
« pientia Dei, omnia et vitam et esse habent. Unde et bene
« ibi vita esse dicuntur, quia inde vitam contrahunt. - Vel
« ibi vita fuit, quia iuxta Sapientiam Dei, quae vita omnium
« est, factum est omne quod factum est. Hoc enim exemplar
« Dei fuit, ad cuius exemplaris similitudinem totus mundus,
« et hic est ille archetypus mundus ad cuius similitudinem
« mundus iste sensibilis factus est. Neque enim dicendum
« est, quasdam rationes in mente divina esse infra Creato-
« rem, et supra creaturas consistentes. Nihil enim in Deo
« est, quod Deus non sit. Neque varietas proprietatum ibi
« potest esse, ubi nihil nisi Esse est. Etenim Deo idem esse
« et vivere. Unde et simplex Essentia, et carens partibus
« et proprietatibus » [1].

IV. - DE CAUSA FINALI.

ARTICULUS IV.

UTRUM DEUS SIT CAUSA FINALIS OMNIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplici sensu potest haec quaestio intelligi: *a*) utrum in creando omnes res Deus intendat seipsum; - *b*) utrum omnes res tendant in Deum uti in causam finalem. Priori sensu quaestio directius ad praesens argumentum pertinet; altero sensu minus directe, at per reciprocam repercussionem arctissimam.

2) Deum in creando mundum aliquid intendere, manifestum est. Secus quo spectaret liberum mundi opificium, et quomodo posset ex ordine universi fieri argumentum ad demonstrandam summam Causam eiusdemque perfectiones? Tolle enim finem aut rationem agentis, et non remanet nisi casus.

3) At hic magnum discrimen occurrit inter Deum causam primam per se, et omnes causas secundas participatas. Hae quum sint imperfectae, simul agunt et patiuntur, ac proin agendo acquirere aliquid intendunt. Causa autem prima,

[1] *Alleg. in Nov. Test.* l. v, c. 2. — *P. L.* CLXXV, 834.

utpote infinite perfecta, est tota agens, nil autem patiens; unde non intendit acquirere, sed unice dare, per effusionem bonitatis. Quare Deus est causa finalis omnium rerum, quatenus Deus per creationem intendit manifestare suas perfectiones creaturis sese communicando.

4) Porro si hic est finis seu ratio rerum a parte Conditoris, impossibile est ut res ipsae non finem habeant ipsum Deum. Hic autem creaturae distribuendae sunt in rationales et irrationales. Irrationales in Deum tendunt materialiter, tendendo in suam perfectionem, quae est participatio bonitatis divinae [1]. Rationales autem in Deum tendunt materialiter et formaliter; materialiter quidem necessario propter innatum sibi impulsum in verum et in bonum [2]; formaliter libere, at ex officio arctissimo ac supremo, si Deum uti finem suum agnoscunt et amplectuntur.

5) Unde vides in creaturis ratione praeditis et ad ordinem supernaturalem elevatis tripliciter elucere bonitatem Dei: *a*) quatenus conditae sunt ob manifestandam divinam bonitatem; *b*) quatenus summa felicitas creaturae identificatur cum fine, quem Deus in eisdem condendis prosequitur; *c*) quatenus supra appetitum et capacitatem naturae destinantur ad fruendum Deo per veram et immediatam visionem cognito atque possesso.

6) Imo vides, liberalitatem pleno sensu nonnisi in Deo haberi posse, quum ipse Deus, ob suam infinitam actualitatem est tantum agens, non patiens. Reliqua omnia agentia, etiam quando maxime a proprio bono abstrahere videntur, non possunt ita agere unice in bonum alterius, ut non simul aliqualiter tendant in augendum bonum proprium. Sed, quum perfectio creaturarum consistat in actuando fine a Deo in eis intento, nedum imperfectio sit, quod homo, dum, v. gr., ex charitate sese curandis infirmis devovet, Deum per hoc opus sibi conciliandum intendat, maior inde operi nobilitas cum finalitate altiori accedit.

[1] Insuper indirecte manifestando creaturis rationabilibus perfectiones sui Auctoris.

[2] Adde et rationem indirectam modo de creaturis irrationabilibus allatam. Homo enim prae omni alia creatura visibili est imago Dei et Deum praedicat. Blasphemet atheus et tabescat! Imaginem Dei in se destruere non valet.

7) Ne autem quae hic dicimus de fine a Deo per creationem intento pugnare videantur cum doctrina in tractatu *de Deo Uno* exposita [1] de causa divinae voluntatis, quatenus ibi diximus, Deum non velle hoc propter hoc, sed velle hoc esse propter hoc; sedulo distinguendum est inter finem, quem aliquis ita in opere prosequitur ut sit causa actionis per quam in finem tendit, et finem in sensu rationis, quam agens vult esse in opere quod agendo producit. Quare ut omni confusioni via praecludatur, et simul argumentum plenius illustretur, distinctiones quaedam de finibus utiliter hic exponendae supersunt.

8) Multipliciter enim finis distingui potest. *a*) Ut finis distinguatur a ratione, - quatenus finis presse sumptus involvit in agente passionem cum actione, ratio vero per se non dicit nisi actionem cum adsignificatione sapientiae qua actio ordinatur, - alius potest dici *finis causans* actum, alius *finis causatus* ab agente. Hic alter unice in Deo creante habetur, non prior [2].

b) Rursus distinguendi sunt *finis cui* et *finis qui*. Finis *qui* est bonum quod intenditur; finis *cui* est subiectum cui intenditur. Finis *qui* subdistingui solet secundum quod dicit ipsum bonum intentum, vel possessio eiusdem. Prior servat nomen *finis qui;* alter dicitur *finis quo*.

c) Ratione subordinationis finium, alter est *finis ultimus,* alter *proximus;* alii, si dentur, sunt *intermedii*. Ratio est tam manifesta, ut vix illustratione egeat. Pone scelestum hominem, qui gladium emit ad divitem occidendum, ut occisi pecunia arrepta villam inde sibi emat, qua empta puellam nobilem sibi uxorem accipere possit. Finis ultimus est puella in uxorem ducenda, finis proximus emptio gladii, fines intermedii sunt occisio divitis et ablatio eiusdem pecuniae.

d) Ratione agentis et operis, alter est *finis operis,* alius *finis operantis*. Ita, v. gr., mater cernens filiolum in eo ut pedibus equi conculcetur, violentissimo gestu eum ita arripit, ut puerulus, dum salvatur, prae dolore lacrimas fundat.

[1] T. II, p. 247, sq.

[2] Hoc sensu Cl. PALMIERI thesim suam de finalitate mundi ita exorditur: « Nulla « quidem est causa finalis divinae voluntatis » (Op. cit., th. X, p. 95, sqq.). Lege hanc egregiam expositionem. — Cf. et GLOSSNER (*Lehrb. d. Kath. Dogm.*, t. I, p. 234, sqq.).

Finis operis est violenta pueruli detractio; finis operantis, eiusdem salvatio. Possunt quidem ambo concurrere; at finis operantis saepius ultra finem operis excedit. Finis autem operis passim concordat cum fine operantis proximo. Ita in creatione rerum visibilium finis operantis proximus et finis ipsius operis sunt manifestatio perfectionum Dei; finis autem ulterius operantis est manuductio creaturae rationalis ad Deum ope mundi visibili.

8) Finis ultimus rerum nequit non esse *finis cui*. At ex ipsa perfectione operis Dei iste finis *cui* idem est ac *finis qui*. Imo in hoc consistit triumphus potentiae simul et bonitatis Dei, quod *finis qui* sit ipsa possessio *finis cui;* nec possessio qualiscumque, qualem ordo naturae per cognitionem et amorem naturalem suppeditaret; sed perfectissima, ope visionis ac fruitionis beatificae, quae pariter est simul *finis qui* et *quo,* quatenus Deus immediate a beatis cernitur et amatur.

Intermedius autem ordo est duplex, si a creatura materiali ad ipsum Deum hac fruitione possidendum assurgimus: scilicet ordo cognitionis rationalis naturalis, et ordo gratiae per stadium viae.

9) Porro gloria Dei, qui finis est ultimus in quem omnia tendunt, iuxta illud Psalmistae: « Caeli enarrant gloriam « Dei » [1], distingui solet in gloriam essentialem seu internam et gloriam accidentalem seu externam. Prior, quae identificatur cum ipso Deo, subdistinguitur, - (quae tamen distinctio est dumtaxat rationis; nisi dicatur insuper realis, quatenus involvit processiones ad intra, quae ponunt tres personas realiter ab invicem distinctas), - in gloriam *obiectivam,* seu naturam divinam cum tribus personis quatenus sunt infinite excellentes, - et gloriam *subiectivam,* quatenus Deus unus, et trinus semetipsum infinite cognoscit et dignam sibi inde laudem et amorem agit. Inde potest definiri SS. Trinitas: subiectiva gloria Dei. Nostra autem gloria per divinam bonitatem consistit in ipsa extrinseca seu accidentali gloria Dei. Hinc profunda illa invocatio hymni Angelici: « Gratias agi- « mus tibi propter magnam gloriam tuam » [2].

[1] Ps. XVIII, 1.

[2] Lege de hoc argumento LESSIUM pulcherrime disserentem (op. cit., l. XVI, c. 1.).

10) Rursus, uti iam innuimus, manifestatio perfectionum Dei est alia *materialis* [1], ope creaturarum ratione destitutarum; alia *formalis,* ope creaturarum ratione aut intellectu praeditarum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si Deus esset simul agens et patiens.

2. Obi. Error seu cavillatio est in verbis: « finis generationis est forma generati ». Scilicet distinguendus est ipse generans et actus generationis. De actu generationis assertum admitti potest; non autem de ipso generante, nisi in sensu limitato. Unde nihil sequitur in casu. Nam in Deo actus creandi identificatur cum ipso creante. Unde licet creaturae effectio sit quidem finis creationis in quantum consideratur ut effectio in fieri, non est finis creationis in quantum consideratur creaturae ipsius finalitas a creante intenta. Quare in Deo creans et creationis finis sunt unum.

3. Obi. Non attendit dicta n. 4.

4. Obi. Confundit prioritatem realem cum prioritate logica.

Sed contra est. Multipliciter 1) *Scriptura* praesentem veritatem inculcat. Quum autem thesis nostra triplici aspectu praecipue constet: Deum condidisse mundum, *a*) non ut per creationem aliquid acquireret; sed *b*) ut omnia ad eum, tanquam in finem ordinarentur; *c*) idque per creaturam rationalem ordinatam in Dei servitium, laudem et amorem: placet sacro eloquio haec tria fulcire.

a) Primum docemur per verba: « Dixi Domino: Deus « meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges » [2]; « Quo « mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? « plenus sum » [3]; « Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut « quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? » [4]; « Nec « manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omni- « bus vitam et inspirationem et omnia » [5]. Huc spectant et

[1] Cl. Bouquillon eam vocat « *obiectivam* ». Praeferimus terminum « *materialem* », quatenus melius respondet termino « *formali* ». Caeteroquin lege expositionem plane egregiam huius laudati theologi. (*Theolog. moralis fundamentalis.* p. 144, sqq.).

[2] Ps. xv, 2.

[3] Is. i, 11.

[4] Iob. xxii, 3.

[5] Act. xvii, 25.

verba Christi Domini: « Cum feceritis omnia, quae praecepta « sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus » [1]. Cur inutiles? quia, sicut Deus nos non creavit, ut per nos aliquid acquireret; ita et nos Deo nihil per opera nostra conferre valemus. - *b*) Alter adspectus declaratur per verba hic in *Corpore* a S. Thoma allata: « Universa propter semetipsum « operatus est Dominus » [2]; id est, iuxta textum hebraicum: ut sibi respondeant tanquam auctori [3]. - *c*) Tertius respectus toties in Scripturis inculcatur α) quoties affirmatur, mundum eo spectare, ut manifestet perfectiones veri Dei iuxta verba Psalmistae: « Caeli enarrant gloriam Dei, etc. » [4], et alia plura huiusmodi, quae superius iam attulimus [5]. « Ego Domi- « nus, hoc est nomen meum ». Id est: Ego creator, huc spectat opus meum, ut hoc nomine agnoscar. « Gloriam « meam alteri non dabo » [6]; id est: Nolo frustrari laude mihi praestanda a creaturis, quae nonnisi ad hunc finem a me creatae existunt. - β) Quoties docet, hominem esse factum ut Deo serviat, Deumque diligat: « Omnem qui invocat nomen « meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci « eum » [7]; et miracula a Deo patrata esse in gloriam Dei: « Et salvavit eos propter nomen suum » [8]. - γ) Quoties excitat omnem creaturam, maxime hominem in laudem Dei: « Laudate Dominum de caelis, laudate eum in excelsis.... « Laudate Dominum de terra..., Reges terrae et omnes po- « puli,.. quia exaltatum nomen eius solius » [9]. - δ) Quando ait, hominem in cultu Dei consistere totum: « Deum time « et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo » [10]. - Haec omnia Christus Dominus nos docuit orando, tum per

[1] Luc. xvii, 10.

[2] Prov. xvi, 4, Versio Graeca: « Πάντα τὰ ἔργα Κυρίου μετὰ δικαιοσύνης » sensum parumper debilitat. Verbum enim לְמַעֲנֵהוּ vertit ac si simpliciter diceret. « secundum suum consilium ». Fortius intelligitur sententia: « ut respondeat sibi »,

[3] Huc facit quoque locus Pauli de Christo: « Decebat eum *propter quem* omnia, « et per quem omnia, etc. ». (Hebr. ii, 10).

[4] Ps. xviii, 1.

[5] Cf. Sap. xiii, 1, sqq.; Rom. i, 20; etc. etc.

[6] Is. xlii, 8.

[7] Is. xliii, 7.

[8] Ps. cv, 8.

[9] Ps. cxlviii. — Cf. psalmos passim.

[10] Eccl. vers. penult.

primam petitionem orationis Dominicae ab eo nuncupatae: « Sanctificetur nomen tuum » [1]: finis quippe ultimus universi est primo loco ponendus atque precibus implorandus; tum per initium solemnis suae orationis ad Patrem: « Clarifica « Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te » [2]: glorificatio enim Christi, per quam Pater summe glorificetur: en eiusdem sanctificationis nominis Dei altissima expressio.

2) *Patres* hanc doctrinam egregie illustrarunt. Et primo quidem placet audire fortissima verba, quibus S. Augustinus a voluntate Dei universum condentis excludit omnem finem qui in hanc ipsam voluntatem veluti causa egerit: « Si ergo « isti dixerint: Quid placuit Deo facere caelum et terram? « respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis huma- « nae, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim « voluntatis Dei scire quaerunt, cum voluntas Dei omnium « quae sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas « Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas « est credere. Qui ergo dicit: Quare fecit Deus caelum et « terram? respondendum est ei: Quia voluit. Voluntas enim « Dei causa est caeli et terrae; et ideo maior est voluntas « Dei, quam caelum et terra. Qui autem dicit: Quare voluit « facere caelum et terram? maius aliquid quaerit quam est « voluntas Dei: nihil autem maius inveniri potest » [3]. Rectissime et profundissime, si *causa* sumitur in sensu stricto *finis causantis*. Non ideo tamen a voluntate creante excludenda est *ratio,* seu quem appellavimus *finem causatum.*

Videamus ergo iuxta Patres triplicem respectum, quem Scripturae in hac ratione illustrant. *a*) Et primo quidem Patres excludunt in Deo ullam in creando indigentiam. Praeclare Athenagoras: « Deus nec frustra hominem fecit; est « enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile; nec « ad proprium suum usum; nulla enim re indiget; qui autem « nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium « usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se crea- « tarum hominem condidit » [4]. Et S. Chrysostomus: « Nulla

[1] Matth. vi, 9.
[2] Ioann. xvii, 1.
[3] *De Gen. ctr. Manich.* l. i, c. 2. — *P. L.* xxxiv, 175.
[4] *De resurr. mort.* n. 12. — *P. G.* vi, c. 995.

« re indigens Deus, quae in nostra sit potestate, nos condi-
« dit. Nullius autem ipsum egisse monstravit in eo quod nos
« postea fecit. Nam si opus habuisset, olim condidisset. Quod
« si sine nobis erat ille, nos autem posterioribus temporibus
« facti sumus, non utique fecit nos indigens nostri » [1]. - *b*) Alter autem respectus fluit immediate ex priori, unde Athenagoras prosequitur « Quapropter, si nec sine causa, nec frustra crea-
« tus est homo,... nec ad ipsius creatoris usum, nec ad alterius
« cuiuspiam rei ab eo conditae; liquet Deum, si prima et
« latius patens consideretur ratio, propter seipsum et elucen-
« tem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam
« adductum fuisse, ut hominem faceret » [2]. Et Origenes optime scribit: « Bonum esse et iustum et omnipotentem Deum crea-
« torem universorum ex Scripturis divinis, quibus valuimus
» assertionibus, frequenter ostendimus. Hinc cum in principio
« crearet ea quae creare voluit, id est, rationales naturas, nul-
« lam habuit aliam creandi causam, nisi propter seipsum, id
« est bonitatem suam » [3]. - Et Gregorius Naz.: « Eo mihi veri-
« tatis ille splendor, quem heic exigue haurimus, tendit, ut
« Dei claritatem et videam, et sentiam dignam eo qui et con-
« struxit et dissolvet, ac rursus sublimius colligabit » [4]. Et Theophilus: « Omnia fecit Deus ex nihilo esse, ut per opera
« cognoscatur, et intelligatur magnitudo ipsius » [5]. Et Tertullianus: « De nihilo mundum expressit, in ornamentum maiestatis
« suae » [6]. - *c*) Quae verba iam et tertium respectum includunt. Placet addere sequentia ex S. Hilario deprompta: « Nullum
« a nobis nisi innocentiae et religionis et fidei obsequium
« Deus postulat. Amari se a nobis exigit, non utique amoris in
« se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed
« amore pro nobis potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam
« amari se, sibique nos obsequi, idcirco ut nobis bene sit, expe-
« tit, ut digni beatitudinis suae ac bonitatis suae munere, per
« meritum amoris sui et obsequii iudicemur... Quod ergo

[1] *Hom. 3* in epist. ad Philem. — *P. G.* LXII, c. 717.
[2] Ibid.
[3] *De princ.* l. II, c. 9, n. 6. — *P. G.* XI, 230.
[4] Or. XXXVIII, n. 9.
[5] *Ad Autol.* l. I, c. 4. — *P. G.* VI, 1030.
[6] *Apol. adv. Gent.* c. 17. — *P. L.* I, 432. Vide ex his et praecedentibus verbis simul exponi nitidissime doctrinam art. 2.

« sumus, profectus noster est potius quam eius, qui nos in id, « quod sumus, instituit: quia Deus bonorum eorum, quae in se « sunt aeterna non invidens, in sensum nos atque usum beatae « suae bonitatis assumit » [1]. Quae verba, si bene perpendantur, totum problema, quo tenemur, ponit ac solvit; possunt contrahi verbis Apocalypseos: « Ego sum α et ω, principium « et finis » [2]. Motum autem totius creaturae in Deum pie simul et eloquenter describit Augustinus: « Clamat caelum « Deo: Tu me fecisti, non ego. Clamat terra: Tu me condi- « disti, non ego.... Attende caelum, pulchrum est; attende « terram, pulchra est: utrumque simul valde pulchrum est. « Ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernantur... Cum vides « haec et gaudes, et attolleris in artificem et invisibilia eius, « per ea quae facta sunt, intellecta contueris... Non ergo ita tibi « placeat quod fecit, ut recedas ab eo, qui fecit; sed si amas « quod fecit, multum magis eum, qui fecit. Si pulchra sunt « quae fecit, quanto pulchrior est qui fecit? » [3].

3) Conspirat prorsus *Ecclesiae* auctoritas. *a*) Primum respectum diserte proclamat concilium Vaticanum his verbis: « Deus bonitate sua non ad augendam suam beatitudinem, « nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem « suam... utramque de nihilo condidit creaturam [4]. - *b*) Secundus respectus exprimitur his verbis eiusdem Concilii: « Si « quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, « A. S. » [5]. - *c*) Tertium demum respectum Patres eiusdem Concilii ita inculcant: « Deus ex infinita bonitate sua ordi-

[1] *Tract. in psalm.* II, n. 15. — *P. L.* IX, 269.

[2] *Apoc.* I, 8. — Cf. illud Dantis:

Lo ben che fa contenta questa corte
Alfa ed Omega è di quanta scrittura
Mi legge Amore o lievemente, o forte.
(*Par.* c. XXVI, 16-18).

[3] *Enarr.* in ps. CXLVIII, n, 15. — *P. L.* XXXVII, c. 1946 sq.

[4] *Const. de Fid.* c. 1. (DENZINGER, op. cit., 1632). — Idem clare docet Concilium Coloniense (ann. 1860): « Si id, quod Deum ad creandum impulerit, seu finis operantis « quaereretur, dicendum esset, nihil Deum, quod ab eo sit distinctum, impellere « potuisse, cum utpote sibi sufficiens, nihil sibi possit appetere. Cum porro Deum » creasse constet, et cum, quidquid agit, ex amore bonitatis suae absolutae eum « agere pariter constet, recte dicimus, Deum bonitate sua, ut libere mundum crearet, « motum esse. Hoc etiam sensu S. Augustinus dicit: Quia bonus est, sumus ». (Tit. 3, c. 13).

[5] Ibid. can. 5. (Ibid. 1652).

« navit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda « scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam « omnino superant; siquidem oculos non vidit, nec auris « audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit « Deus iis, qui diligunt illum » [1].

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. In priori S. Thomas ostendit, omne agens agere propter finem; qui finis est simul agentis et patientis, licet aliter et aliter. - In altera, declarato discrimine inter agens perfectum, quod est tantum agens, et agens imperfectum, quod est simul agens et patiens, ostendit, Deum agere ob communicandam suam bonitatem, quin per hanc communicationem sibi aliquid acquirere intendat; reliqua omnia suam appetere perfectionem, quae in participationem divinae bonitatis redundat.

Corollarium I. - Ex dictis vides, quantopere tota lex moralis qua regitur homo, fundamentali dogmate creationis innitatur. Fac hominem sponte nescio unde exortum, qui eum convinces, aliquam dari regulam, cui pareat moresque conformet? E contra veritas Dei ultimi finis a quo et ad quem

[1] *Const. de Fid.* c. 2. (DENZINGER, op. cit , 1635). — I. COR. II, 9. — Haec rursus docet fuse Concilium Coloniense: « Si... finis operis quaeritur, dicendum profecto est, eum « (Deum) hoc intendisse et intendere adhuc, quod cum eius actione ita est coniunctum, « ut ab ea separari non possit... Quod ab opere Dei abesse non poterat, erat ipsa per« fectionum divinarum, potentiae in primis, sapientiae et bonitatis manifestatio, quae, « cum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. Deum vero perfectionum « suarum agnitionem et amorem seu gloriam externam revera intendisse, dubium « esse non potest, sive spectamus res effectas, quae natura sua Dei perfectionem « manifestant; sive hominem, qui ratione praeditus est, ut Deum ex operibus agno» scat et amet; sive Deum ipsum, qui ut ex opere suo agnosceretur, utpote sanctus, « non velle non poterat. Hinc illae tam crebrae Scripturarum voces, quibus ad lau« dandum Deum ex operum eius magnitudine monemur. Intime inter se connectun« tur hominum felicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homines promovent, sua « augent merita suamque felicitatem; et Deus quo maiora bona hominibus largitur, « eo maiora praebet suae bonitatis documenta suamque auget gloriam; unde sicut « haec ad illam, ita illa ad hanc ducit. Si tamen de utriusque finis ordine quaeritur, « dicendum est, ultimum operis finem esse Dei gloriam, ad quam etiam rerum crea« tarum et singillatim hominis felicitas referatur. Dei enim gloria, cum utpote Deum « respiciens altioris sit ordinis, quam hominis felicitas, hanc sibi missam subser« vientemque habeat decet. Neque ex hoc existimandum est, detrahi aliquid Dei in « nos bonitati. Nam bona nobis collata, cum ad Dei referuntur gloriam, non minuun« tur, imo quo studiosius per ea nos Dei gloriam quaerimus, eo magis ditescimus « ipsi; nec Deus ita suam in mundo intendit gloriam, quasi ex ea aliquid, quod non « habeat, boni acquirat, cum id solum velit, quod rectus ordo exigit » (Ibid.).

homo, totam morum legem et harmoniam in germine continet. Principalis enim morum norma est, ut ordo inter finem et media recte servetur. « Fine in moribus constituto, ait « profunde Tullius, constituta sunt omnia » [1]. Inde tam bene scripsit S. Ignatius: « Creatus est homo ad hunc finem, ut « Dominum Deum suum laudet ac revereatur eique serviens « tandem salvus fiat. Reliqua vero supra terram sita creata « sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae « prosequendum iuvent » [2]. Hinc S. Benedictus monasterium vocat « scholam Dominici servitii » [3]. Hinc Ecclesia Sanctos vocare solet, « servos Dei ». Adde, quum universum sit liberrima Dei voluntate ortum, hanc ipsam voluntatem Creatoris esse morum creaturarum sacratissimam normam [4].

Corollarium II. - Etenim si Deus universum non quasi ulla re indigens aut aliquid inde sibi acquisiturus condidit, sequitur, creationem fuisse liberrimam. Ita Conc. Vatican. affirmat, universa facta in « liberrimo consilio Dei ». Et infra decernit: « Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni « necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam amat « seipsum: A. S. » [5]. Nec aliter Catechismus Romanus [6]. Inde etiam, indipendenter ab incautis verbis, damnatae sunt prima et tertia propositio Ekkardi, quae necessitatem involvere videntur ut Deus crearit, imo confundere opus ad extra cum processione ad intra: « Quod Deus non potuit produ- « cere mundum, quia res non potest agere antequam sit; « unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit. - « Quod simul et semel quando Deus fuit, quando Filium sibi « coaeternum per omnia coaequalem Deum genuit, etiam

[1] *Leg.* V. S. Hinc etiam apparet necessitas ut theologia moralis fundamento dogmatis strenue fulciatur. Lege de hoc argumento eruditam ac undequaque solidam dissertationem Cl. Thom. Bouquillon (*Moral Theology at the end of the nineteenth century.- Cathol. univers. Bulletin,* 1899), viri sane ob fidem integerrimam, vastissimam eruditionem et acutissimum ingenium inter primos huius aevi theologos adnumerandi. Cuius mortem praematuram continens utraque luget.

[2] *Princ. exerc. spirit.*

[3] *Prol. S. Reg.*

[4] De hoc moralitatis motivo a voluntate Dei desumpto lege Rm̃um SAUTER O. S. B. (*Colloquien über die H. Regel.* in c. 5. p. 45, sqq.).

[5] *Const. de fid. cath.* (DENZINGER. op. cit., 1632, 1652).

[6] « Deus non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit, idque « nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit » (P. I, c. 2, « n. 15).

« mundum creavit » [1]. - De errore Güntheri in hac re superius diximus, quatenus creationem posuit necessariam ad aequalitatem inter Verbum et Patrem obtinendam. Hic fundamentalis error eius sicut et Hermesii tangendus est, quo docuit creationem esse necessariam tanquam completivam et manifestativam scientiae Dei de seipso [2]. Optime e contra S. Augustinus: « Ubi nulla indigentia, nulla necessitas; ubi « nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus « in Deo, nulla ergo necessitas » [3]. Quae doctrina est unanimis Patrum.

Nec solide obiici potest locus quidam in quo Dionysius vim creatricem, quae a Deo exit confert cum virtute solis: ut enim sol noster, non cogitatione aut voluntate, sed eo « ipso quod est, omnia illustrat, quae eius lumen pro modo « suo capere possunt, sic etiam ipsum bonum, quod ita prae- « stat soli ut prima species tenui obscuraeque imagini, per « se ipsaque essentia sua, iis quae sunt omnibus, pro eorum « captu, totius bonitatis radios emittit » [4]. Comparatio Dionysii cadit in ubertatem et universalitatem effusionis utriusque; non in hoc quod ambae fiunt « non cogitatione aut « voluntate ». Imo haec addit de sole, quia sentit in hoc comparationem deficere; quasi pro Deo supplere velit, « sic etiam « ipsum bonum », utique cogitatione et voluntate, etc.

Corollarium III. - Etsi actus creationis liberrimus sit dicendus, nihilominus aliquae creaturae hypothetice et relative dici possunt necessariae. Etenim, quum totum opus creationis tendat in manifestandam gloriam Dei, haec autem manifestatio exposcat entia ratione sive intellectu praedita, quae hanc Deo gloriam externam per adorationem et amorem reddere possint: necessario Deus, posito creationis decreto, debuit creare huiusmodi entia. Insuper, posita creatione mundi materialis sive corporalis, debuit condere aliquam creaturam rationalem, quae sat propinqua esset materiae seu corpori, ut per haec ad Deum duci posset. Angeli enim

[1] Denzinger, op. cit., 428, 430.

[2] Cf. de hoc errore Kleutgen (*Theol. d. Vorz.* ed. 2, l. i, p. 541, sqq.), Berlage (*Kathol. Dogm.* t. iv, p. 27, sqq.).

[3] *De div. Q. Q.* xxii. — *P. L.* xl, 16.

[4] *De div. nom.* c. 4. — *P. G.* iv. 693.

materiam excedunt nimis, ut ad finem suum attingendum, id est, ad Deum agnoscendum, laudandum et amandum, mundo sensibus visibili indigeant. Inde aliquo sensu dici potest, posito mundo materiali, hominem magis esse necessarium, quam angelum. Sed iste mundus sensibilis non erat necessarius; et nisi creatus esset, potius erat necessarius angelus quam homo, necessitate utique hypothetica, quae nihil tollit de absoluta et plenissima libertate, qua Deus se creaturum decrevit.

Hinc Deus primo condidit ornavitque universum visibile, antequam hominem in eodem formaret. « Si postremus homo « creatus est, ait S. Gregorius Nazianzenus,... nemini mirum « videri debet. Construendum enim prius tanquam regi pala- « tium erat, atque ita rex introducendus omni iam suo satel- « litio stipatus » [1].

Corollarium IV. - Deficiunt valde in praesenti argumento quotquot cum Cartesio, Petro Kingio [2], Bayle, Wegschneider, Kantio [3], Stattlero, finem universi ponunt felicitatem hominum. Hoc quidem verum est, non autem dicit totum. Haec enim felicitas ordinatur in Dei gloriam; cuius bonitas praecise per hoc triumphat, quod felicitas hominum atque angelorum, in ipsa gloria Dei proclamanda et per fruitionem possidenda consistat. Hanc veritatem splendide illustrant verba Concilii Coloniensis modo citata.

Deficiunt autem gravissime Cartesius [4] et Hermes, quando Deo, indignum utpote egoisticum asserunt, si omnia in propriam gloriam ordinarit. « Exigitne moralis ratio, ait hic « alter, ut ego honorem meum quaeram, eumque ut finem « constituam operum meorum, et quo magis eum quaero, « sim perfectior? Cum magnus esse volo in oculis eorum, « mea propria ratione ego me imperfectum efficio. Qui hono- « rem quaerit, etsi illum mereatur, est ambitiosus, ambitio « autem secundum rationem et revelationem est reprehensi- « bilis et prohibita » [5]. Ita arguere, est pervertere rerum

[1] Orat. XLIV, 4. — *P. G.* XXXVI, 612.
[2] In opere de origine mundi.
[3] *Kritik der prakt. Vernunft,* pag. 388, sqq.
[4] Medit. IV.
[5] *Dogm.* p. II, § 177.

ordinem, et confundere Creatorem cum creaturis. Ideo enim creatura nequit indebito modo [1] suum quaerere honorem, nec unquam illum appetere tanquam finem ultimum, quia creatura est, Deus autem non potest non intendere honorem suum, seu bonitatem suam participatam et redundantem in honorem suum extrinsecum, quia Deus est. Porro quum iste titulus sit infinitus, solus modus quo Deus suum honorem digne quaerit, est illum quaerere finaliter supra omnem modum [2]. Rectissime ergo Concilium Tridentinum statuit: « Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse nega- « verit, A. S. » [3].

Corollarium V. - Quemadmodum gloria sive bonitas Dei, uti *finis cui* ultimus universi, non impedit quominus beatitudo creaturarum sit *finis qui,* aut etiam *finis cui obnoxius* operum divinorum; ita quoque amor Dei erga creaturas, licet imprimis redundet in ipsam divinam bonitatem, nihilominus erga illas est vèrus amor benevolentiae et amicitiae, benevolentiae quidem in ordine naturali, amicitiae insuper in ordine supernaturali. Nostra heic libenter facimus verba, quibus Cl. Palmieri thesim de hoc argumento formulat: « Nul- « lum est quidem proprie dictum motivum formale divinae « voluntatis; si autem quaestio fiat de formali ratione sub « qua Deus creaturas intelligentes diligit, respondendum est, « universim creaturas quaslibet non esse amabiles Deo nisi « sub respectu ad suam infinitam bonitatem: atque adeo ra- « tionem formalem, propter quam creaturae quoque intelli- « gentes amantur, esse divinam bonitatem dilectam. Id autem « non impedit quominus in Deo vere sit, excellentiori qui- « dem modo, et ut ipsum decet, amor benevolentiae et ami- « citiae erga creaturas intelligentes » [4].

Ex quo apparet, altiorem charitatem, qua in proximum

[1] In hoc enim excedit Hermes; debitum enim honorem debito inquirere modo, nedum vitium, virtus est. Sed ratio debiti et modi stat in ipso ordine.

[2] Lege de hoc Lessium (op. cit., l. c., c. 3).

[3] Loc. cit. (Denzinger. op. cit., 1652). — Huc spectant illae tesserae Ordinum religiosorum: « *Ut in omnibus glorificetur Deus!* », « *Ad maiorem Dei gloriam!* » etc... Nisi enim Deus omnia in se ordinari vellet, vanus esset Sanctorum conatus omnia in Deum ordinandi.

[4] Op. cit., th. xi, p. 106, sqq. Prima pars huius theseos est directa contra Ripaldam, qui putat, (*De caritate divina,* disp. xxxi, sect. 1, sqq.) Deum res a se creatas, sicut cognoscit et immediate in eis ipsis, ita quoque et immediate ob ea ipsa amare.

ferimur, respicere in eo non tantum dotes gratiae, quibus in Deum tendit, sed ipsum amicitiae amorem, quo enim prosequitur Deus.

Corollarium VI. - Quemadmodum superius in tractatu *de Deo Uno* [1] argumentum ad demonstrandam existentiam Dei desumpsimus ex impetu, quo in beatitudinem anima fertur, quin in creatis bonis expleri possit; ita doctrina praesens per eumdem impetum corroboratur, iuxta pulcherrimam sententiam S. Augustini ibidem allatam: « Fecisti nos ad te, et « inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te » [2]. Huc spectant verba regii Psalmistae: « Quemadmodum desiderat « cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, « Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando « veniam, et apparebo ante faciem Dei? » [3].

Corollarium VII. - Ex dictis rursus manifestum est, totum universum esse veluti magnam harmoniam [4], cuius concentus laudem Creatoris multisona voce celebrat. In qua harmonia eo horribilius dissonat blasphemia Deum negantis, quo eloquentius vox inanimis creaturae per os hominum et angelorum Deo laudes concinit, iuxta illud Psalmistae: « Laudate « Dominum de caelis,... laudate Dominum de terra ». Hanc naturae vocem in Dei laudes incitantem imprimis intellexe-

[1] T. I, p. 160, sqq. — Lege dicta ibidem.

[2] *Confess.* l. I, c. 1. — *P. L.* XXXII, 661.

[3] Ps. XLI, 1. 2. — Pulcherrime de hoc psalmo Archiabbas Maurus Wolter: « Gott ist des Geschöpfes Ziel, deine traute, süsserquickende Heimath, die Stadt des « Friedens (" Ierusalem ") und der Ruhe für Geist und Herz. Wehe dem, welcher « von diesem Ziele sich abwendet, die Heimath flieht und die " Quelle " nicht sucht, « die allein Seligkeit spendet! Wie der " Iordan ", dem Schoos des Hermon " Kata- « rakt " zu " Katarakt " in's todte Meer sich wälzt, so stürzt das Gott abtrünnige « Geschöpf je weiter es von seinem " Quelle " sich entfernt, in immer jähere Tiefen « des Unglückes. " Ein " Sünden " Abgrund ruft dem Andern ", und in jeden er- « giessen sich " donnernd die Katarakten " des hoch gehenden göttlichen Zornes « und " Fluthen " unermesslichen Elends, bis der Feuersee der Hölle zu ewigem « Verschmachten und Sterben das unglückliche Dasein verschlingt. Dagegen Heil « dem Geschöpfe, das unablässig sein Ziel, seine lebendige Heimath, den ewigen « " Born " seines Lebens sucht, und nach ihm verlangt mit heissem, durch nichts « Anderes zu stillendem " Durste! ". In seinem Herzen geht die Frage nicht aus: « " Wo ist dein Gott? " und alle Creatur antwortet ihm: Nicht in mir, suche « weiter! Und immer heftiger " sehnt sich die Seele, der Hindin vergleichbar, « nach Dir, o Gott, dem Starken, dem Lebendigen ", ausser dem ihr Alles Tod athmet. « " Wann ", ach, " wird sie erscheinen vor Gottes Angesicht? » (*Psallite sapienter*. t. II, ps. XLI et XLII, 4, ed. 1876, p. 152, sq.).

[4] Hanc harmoniam eleganter insinuat Tullius in somnio Scipionis.

runt ex Sanctis Antiqui Testamenti rex David, ex Sanctis Novi Testamenti S. Franciscus Assisiensis, non iste, protestantismi imo neo-pantheismi antesignanus, qualem « subiective » sibi finxit Sabatier, sed « obiectivus » ille quem historia nobis monstrat intimo laudis amorisque commercio cum tota natura seraphico intuitu ardoreque viventem [1].

De hoc concentu universi placet audire celebrem oratorem Monsabré: « Le monde est un vaste temple; Dieu l'a « créé pour que sa gloire y fût chantée. Et, de fait, l'ensem- « ble des créatures est une musique immense dont les phra- « ses infinies se croisent, s'entremêlent sans se confondre, « soumises aux lois du nombre, enchaînées par des rythmes « savants, douées d'une admirabile variété d'expression. Har- « monies de la fixité et du progrès, des ressemblances et des « contrastes, des densités et des rayonnements, de la lumière « et des ombres, des lignes et des couleurs, des mouvements « et des sons, tout y est, tout pénètre jusqu'à l'intime de nos « âmes par la porte des sens. On ne saurait dire lequel est le « plus charmé; mais, à coup sûr, l'oreille reçoit sa large part « de la musique de la nature. Nous n'entendons pas encore « les sons profonds que rendent les sphères conduites par « une main invisible sur les cordes de leurs ellipses, ni le « concert de leurs mouvements variés, où les dissonnances « et les retards harmoniques relèvent la beauté et l'accord. « Cette sensation est réservée, sans doute, à notre nature « transfigurée par resurrection, et nous révèlera le sens com- « plet de cette parole du prophète: « Les cieux racontent « la gloire de Dieu: *Caeli enarrant gloriam Dei* " » [2].

De mente S. Anselmi.

Placet rursus de praesenti argumento audire S. Anselmum. Postquam ostendit, rationalem creaturam in se ferre imaginem Trinitatis, ita pergit: « Consequi ita videtur quod « rationalis creatura nihil tantum debet studere, quam hanc

[1] Hunc S. Franciscum arte musica concelebrarunt Edgar Tinel et e franciscali coetu P. Hartmannus. Hymnus solis, a priori conscriptus iuxta ipsius Seraphici Patris carmen sublimem inspirationem eructat.

[2] Alloc. ad inaugur. novum organum.

« imaginem sibi per naturalem potentiam impressam per « voluntarium effectum exprimere. Etenim, praeter hoc, quod « creanti se debet hoc ipsum quod est; hinc quoque, quia « nihil tam praecipuum posse, quam reminisci et intelligere « et amare summum bonum, cognoscitur, nimirum nihil tam « praecipue debere velle convincitur. Quis enim neget, quae- « cumque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere « in voluntate? Denique rationali naturae non est aliud esse « rationalem, quam posse descernere iustum a non iusto, « verum a non vero, bonum a non bono, magis bonum a « minus bono; hoc autem posse omnino inutile est illi et « supervacuum, nisi quod discernit, amet vel reprobet secun- « dum verae discretionis iudicium. Hinc itaque satis patenter « videtur, omne rationale ad hoc existere, ut sicut ratione « discretionis aliquid magis vel minus bonum sive non bonum « iudicat, ita magis aut minus id amet, aut respuat. Nihil « igitur apertius quam rationalem creaturam ad hoc esse « factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, « sicut ipsa est summum bonum; imo ut nihil amet nisi illam, « aut propter illam; quia illa est bona per se, et nihil aliud « est bonum nisi per illam. Amare autem eam nequit, nisi « eius reminisci et eam studuerit intelligere. Clarum est ergo « rationalem creaturam totum suum posse et velle ad memo- « randum et intelligendum et amandum summum bonum « impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscat « habere » [1].

Et ope dilemmatis hanc veritatem ulterius illustrat: « Du- « bium autem non est animam humanam esse rationalem « creaturam: ergo necesse est eam esse factam ad hoc, ut « amet summam essentiam. Necesse est igitur eam esse « factam aut ad hoc, ut sine fine amet; aut ad hoc, ut ali- « quando vel sponte vel violenter hunc amorem amittat. « Sed nefas est aestimare, summam sapientiam ad hoc eam « fecisse, ut aliquando tantum bonum, aut contemnat, aut « volens tenere, aliqua violentia perdat. Restat igitur eam « esse ad hoc factam, ut sine fine amet summam essentiam » [2]. Et pergit inde illustrans felicitatem aeternam aut aeternam

[1] *Monol.* c. XLVIII. — *P. L.* CLVIII, 214.
[2] Ibid. c. LXIX, 215.

miseriam, quam anima sibi per hoc deligit secundum quod summum bonum amaverit aut contempserit.

Et in *Meditatione I.* hisce pulcherrimis verbis finem hominis describit: « De omni corde suo laudavit Dominum. Ecce « ad quod creatus es; ecce opus famulatus tui. Ut quid enim « te Deus tam praeclaro conditionis privilegio sublimaret, « nisi te suis laudibus indesinenter intendere vellet? Ad lau- « dandum igitur Conditorem tuum creata es, ut eius laudibus « vacans, et hic iustitiae merito in illum semper proficias, « et in futuro bene vivas. Laus enim eius et hic iustitiam, « et ibi beatitudinem tribuit » [1]. Vides Anselmum hanc identitatem praedicare. Deus scilicet hominem condidit in propriam laudem, ita tamen ut haec laus esset beatitudo aeterna laudantis. Est enim laus ex amore: et in amore beatitudo sita est. « Sed si laudas, ex toto corde lauda, diligendo lauda. « Haec est enim in sanctis laudandi proposita regula: " De « omni corde suo laudavit Dominum; et dilexit Deum, qui « fecit illum " [2]. Lauda ergo, et ex toto corde lauda, et quem « laudas, dilige; quia ad hoc facta es, ut laudes et diligas... « Sed, cum ex toto corde eum laudaveris, et diligens lauda- « veris, nihil ab eo aliud, quam ipsum expectes, ut ipse sit « finis desiderii tui, ipse praemium laboris, ipse solatium « huius umbratilis vitae, ipse possessio illius beatae vitae. « Ad hoc itaque facta es, ut eum sine fine collaudes; quod « tunc utique intelliges plenius, cum eius beata visione subli- « mata videbis te sola et gratuita bonitate illius, cum non « esses, de nihilo tam beatam et ad tam ineffabilem beati- « tudinem creatam, vocatam, iustificatam, glorificatam. Talis « namque contemplatio infatigabilem tibi amorem dabit eum « sine fine laudandi, ex quo et per quem et in quo tantis et « tam immutabilibus bonis te beatificatam gaudebis » [3]. Vide quam perfecta harmonia Conditoris laus et felicitas creaturae concordent; ita tamen ut haec felicitas creaturae sit in laudem Creatoris [4].

[1] *Monol.* c. LXX, sqq., 216, sqq.
[2] ECCLI. XLVII, 10.
[3] Loc. cit., cap. 2. — Ibid. 711.
[4] De hac concordia subordinata lege laudatum BOUQUILLON (op. cit., p. 150 sqq.).

APPENDIX.

De praecipuis quibusdam erroribus circa originem universi a Deo.

Superest ut, iuxta promissa, quosdam errores praecipuos tangamus catholicae doctrinae de origine rerum a Deo oppositos. Post ea, quae in tractatu *de Deo Uno* sat fuse de Dualismo et de Pantheismo in genere diximus [1], satis erit hic addere nunnulla de Materialismo, deque praecipuis quibusdam formis Pantheismi.

I. - De Materialismo.

Quum homo sit compositus ex anima et corpore, duplicemque in se veluti motum experiatur, sursum et deorsum, iuxta verba Domini: « Spiritus quidem promptus est, « caro autem infirma » [2]; nil mirum si in contemplatione philosophica rerum alii, spiritui nimis tribuentes, in excessivum subiectivismum; alii, corpori nimis indulgentes, in obiectivismum excessivum abierint. Inde, cum omnibus sequelis in re ethica et religiosa, duplex campus oppositus: alter *Solipsistarum* (venia verbo!), alter *Materialistarum*.

De prioribus vix hoc loco sermo est habendus; quippe quorum deliramenta non tam directe cum praesenti nostra materia connectuntur. Hi nimirum, cum A. Schopenhauer, F. A. Lange, multisque Kantianistis, existimant mundum universum non esse nisi repraesentationem a quovis homine sibi confectam. Etenim nonnisi homo seu microcosmus, si H. Lotze credas, veram realitatem habet. Universum scilicet, iuxta Physiologos, uti E. H. Weber, C. Rokitanzki, J. Czermak, H. Helmholtz aliosque, mundum universum nihil esse contendunt, nisi sensuum affectiones, quas ex vibrationibus undulisque per sensus percipiens unusquisque sibi efformat [3]. Sed absurditas huius systematis ex hoc solo iam

[1] T. I, loc. cit.

[2] MATTH. XXVI, 41.

[3] Iuvat audire miram argumentationem Helmholtz: « Ich sehe nicht, wie man

patet, quod, si singuli homines ius habeant affirmandi nonnisi se esse vere existentes, vel omnes revera existunt, vel nullus. Insuper quo spectat consortium sociale, si quisque homo solus vere existat? Imo quid erit in hoc homine existens; et quo iure id re vera existens praedicabitur? Scilicet aut dubium absolutum proclametur, imo de hoc ipso dubio, et de dubio dubii, et de dubio dubitante; aut extra apicem cogitantis iam alia iuxta legitimae inductionis processum uti vere existentia habeantur. Sed de his opportunius alibi.

Impraesentiarum autem, quidquid sit de hoc toto systemate solipsistico, si quaeritur de habitudine solipsistae ad suum principium, quaestio de origine solipsistae a Deo manet integra. Etenim vel solipsista iudicat, se non habere mentem, quae cum certitudine aliquem logicum nexum percipere possit, et tunc, quum logice nihil certi apprehendere valeat, de demonstranda existentia Dei quaestio ipsi esse nequit, nec poterit certis legibus moralibus ipse teneri. De facto tamen iste, qualiscumque fingatur solipsista, nequit rationem solidam habere ad se solum cogitandum excluso quoque Deo. Quodnam enim praesto erit criterium aut fundamentum, ut se putet totum quod est, quum neque rationabiliter credere possit, se causare unice ex se repraesentationem universi? Sed per hoc ipsum obiectivitas tum sensationum ab universo productarum, tum ipsius universi in radice demonstratur [1]. Et haec de Solipsistis pro scopo nostro satis.

« ein System selbst des extremsten subjectiven Idealismus widerlegen könnte, wel-
« ches das Leben als Traum betrachten wollte... Die mit Karakter der Wahrneh-
« mung auftretenden Bewusstseinsakte verlaufen so, *als ob* die von der realistischen
« Hypothese angenommene Welt der stofflichen Dinge wirklich bestände. Aber über
« dieses "*als ob*" kommen wir nicht hinweg; für mehr als eine ausgezeichnet brauch-
« bare und präcise Hypothese können wir die realistische Meinung nicht aner-
« kennen, nothwendige Wahrheit dürfen wir ihr nicht zuschreiben, da neben ihr
« noch andere unwiderlegbare idealistische Hypothesen möglich sind » (*Die Thatsachen in der Wahrnehmung*. Berolini 1879, p. 34, sq.). Mira sane divagatio! Pone astronomum negantem systema telluris circa solem volventis, quot conviciis obrueretur! Et nihilominus probabilitas summa, quae pro hoc systemate stat, non est nisi hypothesis debilissima, si cum illa certitudine confertur, qua tot homines, eadem phaenomena constanter eodem modo cernentes, ad rerum obiectivam realitatem concludunt.

[1] Lege de hoc systemate brevem confutationem apud T. Pesch S. J. (Op. cit., p. 546, sq.). Dolendum valde, recentem quamdam scholam philosophicam apud Gallos, et quidem nomine catholicam, ab hoc systemate, ut minus dicam, non satis abhorrere.

Iam ad Materialistas gressum moveamus. Et quidem ut genesis huius erroris ac nexus melius appareant, ab antiquis philosophis eodem imbutis brevissima synthesi exordiamur. Parens Materialistarum seu Physicorum passim habetur *Democritus* (nat. 460 ant. Chr.). Iuxta hunc ex nihilo oritur nihil, nec quidquam existens in nihil abire potest. Omnia quaecumque existunt et apparent, sub formis maxime diversis, a rudi corpore usque ad animam humanam, non sunt nisi diversae dispositiones atomorum plus minusve subtilium aeterna lege in invicem agentium, praeside suprema atomorum subtilitate, quae veluti anima mundi haberi potest, Deo [1]. Huic theoriae suam ethicam voluptati superstructam [2], iuxta placita Aristippi Senioris, infusit *Epicurus* (nat. 435 ant. Chr.). Qui deos quidem nomine servavit; utrum autem subiectivos, ideales [3]; an et veros, imo immortales, mere ex atomis subtilioribus conflatos, mundique cursui ob quietem quin et perfectionem plane extraneos, inter eruditos hinc inde disputatur [4]. Hanc doctrinam maxime illustravit, - si tam tetro errori tam clara vox conveniat, - *Titus Lucretius Carus* (an. 99-55 ant. Chr.) in famoso suo poëmate *De rerum natura* [5]. Cuius operis scopus imprimis irreligiosus est dicendus. Epicurum enim ideo Lucretius maxime extollit, quod de medio tulerit cultum Dei, magnum illum voluptatis inimicum; totusque in eo est, ut immortalitatem animae, poenasque post mortem vitiis reservatas inficietur. Ipsum autem religionis sensum ab imaginatione mortalium derivari contendit [6].

Apud Iudaeos ad materialismum appropinquabant Sadducaei.

Porro inter alia mala, quibus neo-paganismus, Humanismi nomine aut Renascentiae pompose decoratus, christianam

[1] Cf. Zeller (*Die Philosophie d. Griechen* I, 3, edit. 1869, p. 734, 735); Döllinger (*Heidenthum u. Judenthum*, 1857, 239).

[2] Περὶ γαστέρα γὰρ τὸ ἀγαθόν. Ita discipulus eius Metrodoras.

[3] Ita Lange (*Gesch. des Materialism.* 3 ed. Iserlohn 1873. I, 76). Sane Tullius ait: « Epicurus re tollit, oratione relinquit deos « (*De nat. deorum*, II). Nec aliter Eusebius (*Praep. Evang.*, l. I, c. 8).

[4] Ita Gruber S. I. (*Kirchenlexikon Hergenr-Kaulen.* art. *Materialismus.* t. VIII, col. 981).

[5] V. gr. l. II, v. 82, sqq.; 177, sqq.

[6] Adde istis antiquis philosophis Thalem, Anaximenen, etc.

rempublicam deturpavit, non ultimo sane loco ponenda est antiqui Materialismi instauratio; quo vitio imprimis laborabant Laurentius Valla, Petrus Pomponazzo, Ulricus Huttenius. Saeculo autem XVIII apud Gallos Materialismum invexerunt, maxime in caetum cultiorem Iulianus *Offray de la Mettrie* (1709-1751), scriptor undequaque voluptuosus [1], *Helvetius* (1715-1771), prioris aemulus [2], quippe cui « le plaisir des femmes » [3] summus est humanae activitatis stimulus, vir proin in religionem, maxime catholicam infensissimus, liberae moralitatis patronus, licet specietenus Materialismi crimen a se depellere voluerit. Adde praeter frivola scripta Voltaire, Diderot, necnon philosophica Condillac, auctorem Germanum origine Holbachium (1723-1789) [4], cuius opus ab Encyclopaedistis acceptum veluti Materialismi evangelium evasit [5]. Huic in Germania successit poëta Henricus Heine.

Apud Anglos philosophi Materialismum propugnarunt Thomas Hobbes, Woolston, Bolingbroke.

Quod scriptores isti Galli ex eleganti voluptatis pruritu praecipue confecerant, hocce saeculo Germani in crassiora robustiora utpote magis absoluta systemata redegerunt. Hic in capite nominandus est Hegelianus philosophus *Ludovicus Feuerbach* (1804-1872), qui sibi scopum praefixit liberare, uti aiebat, hominem a quovis iugo sive religioso, sive politico, sive sociali. « Der Zweck meiner Schriften ist die Menschen « aus Theologen zu Anthropologen, aus Theophilen zu Phi- « lanthropen, aus Candidaten des Jenseits zu Studenten des « Diesseits, aus religiösen und politischen Kammerdienern « der himmlischen und irdischen Monarchie und Aristokra- « tie zu freien, selbstbewussten Bürgern der Erde zu ma- « chen » [6]. Id autem in hoc materialista valde notandum, quam strenue hoc ipsum suum systema omni religioni infensissimum, tanquam prolem Protestantismi a Luthero natum

[1] Cf. opera: *Histoire naturelle de l'âme; L'homme machine; L'homme plante, L'art de jouir ou l'école de la volupté; Vénus métaphysique ou essai sur l'origine de l'âme humaine.* Tituli sat alte loquuntur, imo faetent.

[2] *De l'homme.*

[3] Ibid. sect. II, c. 10.

[4] Dietrich Feiherr von Holbach.

[5] *Système de la nature.*

[6] Opp. 1. edit., VIII, 29.

proclamarit [1]. Inter alias negationes religiosas ipse reiicit, ut clericale commentum (pfäffischer Kniff), creationem ex nihilo. « Homo homini Deus » [2]: en principium fundamentale totius ordinis theologici et moralis. Haec religio unica. Quum autem moralitas sita sit in explendis voluptatibus in quas impellit natura, discretio sexuum est fundamentum moralitatis, et mulier philosophiae moralis compendium. Atheismum autem suum vocat positivum, quum omnem cultus rationem ponat in homine. « Reddite quae sunt hominis, « homini »: en unica forma omnis officii, loco sententiae Christi: « Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, « Deo » [3]. Rectissime iuxta eum S. Paulus de inimicis religionis christianae dixit: « Quorum Deus venter est » [4]. Parens quoque Socialismi habetur. Nec mirum, quum testibus eiusdem ducibus, materialisticus universi conceptus sit fundamentum cui iste superstruitur [5].

Feuerbachio accedit proxime *Carolus Vogt,* cuius operi principi titulus « *Köhlerglaube und Wissenschaft* » cuiusque famosa sententia: Cogitatio est ad cerebrum, sicuti bilis ad iecur, vel urina ad renes [6]. Plura scripsit permixtim de homine et bestiis [7], quippe zelantissimus defensor originis hominis a simia, necnon propugnator, materialistico sensu, evolutionis Darwinisticae. Noluit tamen caece agnoscere quaecumque

[1] Princeps eius opus titulum habet: *Das Wesen des Christenthums* (1841. — Opp. VII). Cf. dicenda mox de hoc nexu.

[2] Discipulus Feuerbach Maxim. Stirner crassius dixit: « Homo sibi quisque « Deus ».

[3] MATTH. XXII, 21.

[4] PHIL. III, 19. — Et sane si non sit Deus nisi homo; homo autem sensu voluptatis maxime constet; virtus vero non in domanda sed in explenda voluptate, imprimis libidinosa, sine qua non habetur amor verus: quid interest inter vituperium Paulinum et systema Feuerbach? « Huiusmodi enim, ut ait Apostolus alibi, « Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri » (ROM. XVI, 18).

[5] Cf. DIETZGEN (*Die Religion der Socialdemokratie* 3. ed. 1875, p. 40).

[6] Iam simile dixerat Cabanis (*Rapports du physique et du moral* 1796-97. — Mém. II, § 7).

[7] « *Bilder ans dem Thierleben* », « *Altes und Neues aus dem Thier-und Men-* « *schenleben* ». Eodem sensu uni ex suis libris imposuit titulum « *La bête humaine* » EMILIUS ZOLA, propudiosus ille scriptor, aetatis gentisque suae probrum simul ac flagitium, cuius tumulo elogium funebre condecens inscribenda esset haec gemina sententia Scripturarum: « Sepulcrum patens guttur eius. Amplexatus est stercora! » *. Dignus sane, quem neo-pagani Itali impio obscenoque clamore uti suum vindicent!

* PS. V, 11; THREN. IV, 5.

ab aliis in eumdem finem asseruntur. Inde contra Haeckel, de quo mox, non semel aperte decertavit [1].

Praecipui vulgatores Materialismi Feuerbachiani nominandi sunt *Iacobus Moleschott* et *Ludovicus Büchner*. Prioris opus princeps est « *Der Kreislauf des Lebens* » (circulatio vitae), in quo apertissima oratione docet, nihil haberi praeter materiam aeternam, cuius virtus ad omnia potens, iuxta multiplices proportiones et veluti ascensiones, motu circulari ab infimo gradu materialitatis ad apicem, sive ad id quod falso habetur uti anima, ascendit, ac rursus per dissolutionem totius, quam dicimus mortem, ad ima descendit. Ipsa proin materia fit sui conscia in cerebro, quin existat aliquid, quod supra materiam sit. Unde neque datur libertas. Imo in natura non habetur vera teleologia. Teleologia enim et theologia eadem radice nutriuntur. Pretiosa sane confessio! Quare nulla creatio, nulla prorsus revelatio. Imo in universo neque locus est Deo. Quippe nihil existit, nisi materia aeterna a parte principii sicuti a parte termini. Nulla scilicet creatio, nisi improprio sensu, id est, illa transformatio materiae, ex innata vi eiusdem ac propria prorsus virtute, quae ab elementari statu per omnes gradus vitae usque ad vitam humanam assurgit, et per mortem dissoluta, quae instrumentum est vitae, rursus simile curriculum instituit [2]. Inde effatum: « Die schaffende « Allmacht ist die Verwandschaft des Stoffes » [3].

In idem redit doctrina, aut ut verius dicamus, declamatio *Büchner*, quippe qui in opere praecipuo: « *Kraft und Stoff* », quotiescumque in suis elucubrationibus insolubilem quamdam difficultatem, exsuperandam tamen incurrit, ipse dogmatismi religiosi fanaticus exosus, ad dogmatismum provocat

[1] Cf. « *Lehrbuch der praktischen vergleichenden Anatomie* »; « *Origine de « l'homme* »; « *Quelques hérésies Darwinistes* » (*Revue scientifique*, 1877, 1887).

[2] Accipe quaedam verba Moleschott: « Derselbe Kohlenstoff und Stickstoff, wel« chen die Pflanzen der Kohlensäure, der Dammsäure, und dem Ammoniak ent« nehmen, sind nach einander Gras, Klee und Weizen, Thier und Mensch, um zuletzt « wieder zu zerfallen in Dammsäure und Ammoniak, hierin liegt *das Wunder* (!!) « des Kreislaufes... denn das ist die erhabene Schöpfung, von der wir täglich Zeu« gen sind, die nichts veralten und nichts vermodern lässt, dass Luft und Pflanzen, « Thiere und Menschen sich überall die Hände reichen, sich fortwährend reinigen, « entwickeln, verjüngen, veredeln, dass jedes Einzelwesen nur der Gattung zum Opfer « fällt, dass der Tod nichts ist, als die Unsterblichkeit des Kreislaufs » (Op. cit. p. 84).

[3] Ibid. — Plures vide sententias eiusdem apud GRUBER. S. J. (loc. cit., col. 989 sqq.).

sed suum: « So ist's einmal; erklärt es, wie ihr wollt » [1]. Profunditatem philosophicae contemplationis huius impiissimi scriptoris ex hoc solo eius dogmate dimetiri poteris: Deus, ait, est absolute impossibilis: nam, si existeret, daretur aliqua virtus absque materia; atqui connubium virtutis cum materia est tantopere necessarium, ut virtus sine materia undequaque repugnet (!!). Nil mirum, si viro tantopere materiae immerso christiana religio paganismo collata, nedum progressio, sit lugendus retrocessus, a quo, post tot saecula tenebrosae captivitatis, praelucente scientia, iam populi cultiores liberentur oportet. Si attendis, tam pessimum opus ac est « *Kraft und Stoff* », vicesies prope editum esse, de excidio intellectuali, morali, religioso inde quotidie obveniente nonnisi cum terrore cogitabis. Quonam enim tendere poterit res publica, si tam perversa systemata, non docentium modo, sed agentium mentes, voluntates, conamina tota susque deque verterint? [2].

[1] Op. cit., 132, 192, XXIV, 185. — Alia scripta edidit: « *Natur und Geist* »; « *Physiologische Bilder* »; etc., etc.

[2] Quis, nisi superficialis rerum spectator, nexum neget inter has materialisticas doctrinas et persecutiones, quas Ecclesia catholica hisce temporibus nomine vere Bückeriano *Kulturkampf* in Germania dire perpessa, eheu! nunc in Gallia sustinet? Sicuti enim Herodis tempore, adultera uxor peperit filiam saltantem, et utraque provocavit martyrium Ioannis; ita Protestantismus, rupto nuptiali vinculo cum Ecclesia Christi, peperit materialisticae levitatis atque libidinis monstrum, quod, instigante, plaudente matre, voluptuoso veluti odio in Ecclesiam invehit.

Nec mirum cuivis sit istud, licet luctuosum, quod inter Protestantismum et Materialismum atheisticum ipsi huius systematis propugnatores asserunt esse connubium. Protestantismus, maxime Germanicus, tam vagus evasit titulus, ut nulla prope negatio ab eo excludatur. In ephemeridibus « *Allgemeine Evangelisch-Lutherische* « *Kirchenzeitung* » ad recens « *Reformationsfeste* » inter alia legitur: « Die alte « Predigt ist fast verschollen. Alles kann mit ins Reich Gottes hineingenommen wer- « den, wovon die Väter glaubten, dass es aussen bleiben müsse. Alles darf als christ- « liche Lehre gelten. Es ist christliche Lehre zu leugnen, Jesus sei vom Himmel « herab in das Fleisch gekommen, christliche Lehre, die Auferstehung Jesu zu ver- « neinen, christliche Lehre, die Wunder zu bezweifeln, die Propheten zu verachten, « das Zeugnis der Apostel zu entwerthen. Das alles sieht und hört die Kirche mit « an. Weil sie so matt geworden ist, sind die Gemeinden verwirrt worden ».

Quodsi antiquam christianam terminologiam pastores protestantes adhuc servant, sensum iam omnino alium, - pantheisticum scilicet materialisticum, - sub verbis intendunt. Audi querelas, nec tam recentes, cuiusdam praedicatoris magis orthodoxi: « Unsere Pastoren reden von einem göttlichen Erlöser und meinen damit einen hoch- « begabten Menschen, sie reden von einem auferstandenen Heiland und meinen « damit, dass Iesus Christus auferstanden sei in den Gedanken seiner Iünger; sie « reden von einer Erlösung, die Christus vollbracht habe, und meinen damit eine

Vix a praecedentibus scriptoribus differt *Ernestus Häckel*, nisi quod apertiori adhuc modo fateatur, totum suum systema huc dirigi, ut cum Creatianismo Deismum ac proin religionem veri nominis depellat omnem. Teleologiam naturae vehementissime impugnat. Imo, - quae rursus confessio pretiosa, - agens contra suos contradictores Virchow, Du Bois-Reymond, Semper, hoc « indeclinabile (durchschlagend) » dilemma formulat: aut caeca fides in creationem et miracula, aut theoria evolutionis phylogeneticae. Opus eius princeps, utpote maiori scientifico apparatu instructum, sonat " *Generelle Morphologie* " (1866); alia tamen perplura edidit indolis magis popularis: « *Schöpfungs Geschichte* » (1868) et « *Anthropogenie* » (1874). Adhaeret asserto Bücheriano de inseparabili connubio inter virtutem (*Kraft*) et materiam (*Stoff*). In hoc autem ab aliis Materialistis differt, quod omnem materiam animatam proclamet, quo faciliorem scilicet ab imis manifestationibus usque ad summos gradus evolutionis sibi paret ascensum. Inde cellulae primariae animas habent inamissibiles, *Zellseelen;* nec atomi dantur, quae non possideant rudimentalem quamdam sensibilitatem. Casuali at felici congressu atomicae animae (*Atomseelen*) evadunt anorganicae moleculares (*Molekulseelen*), et organicae protoplasmares-moleculares (*Protoplasma-Molekul-Seelen*). Hae rursus redeunt in

« Erlösung, die jeder an sich selbst vollbringt. So brauchen sie dieselben Worte, « die die christliche Kirche gebraucht, verbinden aber damit eine ganz andere Mei- « nung, um durch solche Täuscherei die Herzen zu verführen » *.

Protestantismus quippe, teste ipso aulico concionatore Stöcker, periodum criticam peragit, qua sors eius atque valor aeque dependent: « Die evangelische Kirche » Deutschlands geht heute durch die grösste Krisis, welche sie jemals zu bestehen « hatte, Es handelt sich für sie um die Frage, ob sie in dem Gemeinglauben der « Christenheit bleiben wird, oder nicht. Dränge die moderne Theologie durch mit « ihrer Bestreitung der Gottheit Christi und der Dreieingkeit, mit ihrer Leugnung « der übernatürlichen Geburt und Himmelfahrt des Herrn, mit ihrer Ablehnung « der biblischen Eschatologie, dann wäre sie von der Kirche der früheren Iahrhun- « derte und der Gesammtheit der Kirche getrennt, damit wäre der Nachweis erbracht, « dass die Reformation ein grosser Fehler und eine schwere Sünde war » **.

Lege de hoc gravissimo argumento strenuam concionem ad coetum *Katholischen Schulvereins* die 15 nov. 1902 Vindobonae habitam a R. P. Albano Schachleiter O. S. B. indefesso illo catholicae religionis defensore contra apostaticam invasionem « *Los von Rom* », a boreali Protestantismo Austriacum imperium fraudulenter et clamorose minitantem, conspirantibus, eheu! incredulis Austriacis ipsis.

* *Neuen luther.-Kirchen-Ztg.* (1891, Nr 19).
** *Evangel.-Kirchen-Zeitung* (1902, n. 6).

animas cellulares, in quibus tota vis universi residet: ex ea enim exurgit usque ad animam humanam, quae non nisi summa est omnium activitatum animarum cellulicarum. Quae anima historico processu sese discrevit ab anima simiae. Et sane nemo maiori ardore simium proavum sibi vindicat; quippe a quo originem nobiliorem duci existimat, quam a lapso Adamo. Intuitu Darwinisticae selectionis propugnat in re domestica amorem liberum sine vinculo coniugali; in re politica, formam republicanam [1]; in re oeconomica, socialisticam bonorum partitionem.

Iuxta hos scriptores veluti pontifex quidam unctuosus et pacificus exsurgit *Fridericus Strauss,* scopum sibi praefigens angulos quadrilateri Feuerbach, Moleschott, Büchner et Häckel in elegantiorem formam obtundendi, ad componendam quamdam doctrinam non minus impiam radicitus, sed hominibus « Evangelio » addictis magis acceptabilem. Hinc liber cui titulus: « *Der alte und neue Glaube* », qui titulus recte intellectus dicit totum. Veterem scilicet fidem christianam, Deo creatori, animae immortali, verbo revelato superstructam, expulit fides nova in Deum cum universo identificatum; fides tamen, quia et ipsa creditur, quum nova illa scientifica rerum expositio obscuritatibus non careat. Ne autem potentes cultioresque a systemate suo deterreat, Strauss Monarchiam et Aristocratiam tuetur, in Socialismum vero furiose invehit. Tota moralitas Straussiana consistit in hoc: Memento homo semper, te hominem, aliosque homines esse. Tota religio continetur in hoc: Memento semper, te una cum omnibus rebus derivari ab uno fonte totius vitae, totius rationis, totius boni. Hic cultus in universum aequivalet pietati Deistarum in quodcumque suum Numen. Cultus historiae, rerum naturalium, poëtarum et musicorum confert magis aedificationi asceticae quam templorum, concionum orationumque commercium. Non minus a simia se ortum ducere gloriatur Strauss ac Häckel, eamdem comparationem frivolo stylo deturpans.

Porro, uti nobili desiderio a simia isti, ita re a Strauss

[1] Ex amore constanti quo isti homines hanc gubernii formam complectuntur, iniuste deduceres, eamdem esse intrinsece cum istis doctrinis connexam. Facile quidem ad eas deflectitur, uti apud pseudo-republicanos Galliae cernimus. Potest tamen forma republicana cum vera religione sanaque philosophia optime componi.

ortum duxit *E. Renan,* elegantioris atque non minus blasphemae Materialismi apud Gallos propugnator. Mitius tamen, pro indole lectorum quibus scribebat, religiones deisticas tractat, quatenus in omnibus illud bonum commune reperiri dicit, quod coluerint vagum pantheisticum vel materialisticum conceptum idealem, licet sub symbolis quibusdam determinatis atque concretis [1].

Ad Materialistarum conclusiones conducit quoque Empirismus [2], seu *Positivismus,* quorum hac recentiore aetate praecipui patroni exstiterunt in Gallia *Aug. Comte, Em. Littré* [3]; apud Anglos *Stuart Mill* [4], *Ioann. Herschel, Gul. Whewell, Car. Darwin* [5], *Henricus Limes, H. Spencer;* apud Germanos *R. Virchow, Du Bois-Reymond, F. Brentano,* et ex Kantianis redivivis *F. A. Lange.* Quantopere autem hae doctrinae in universitatibus Italiae dominentur, neminém latet [6].

Et haec de conspectu historico huius erroris satis. Pauca iam sint ad ostendenda, praeter ea quae iam evolvimus, quantopere Materialismus cum fide et recta ratione pugnet.

I. **Fides** enim multipliciter Deum extramundanum, invisibilem praedicat, necnon animam humanam supra sensibilia elevat. Ut caetera iam allata taceam de conditione rerum, de homine ad Dei imaginem facto, de invisibilibus perfectionibus Dei per creationem visibilia factis, etc., quanta maiestas, v. gr., in narratione modi quo Deus poscenti Moysi plenam sui visionem denegat, sed umbratili splendore se veluti a tergo conspiciendum praebet [7]. - Quantus despectus superbi simul ac lascivi Materialismi in verbis quibus Christus cum Sadducaeis arguit: «Erratis nescientes Scripturas, neque

[1] Cf. *Etudes d'histoire religieuse,* Préf. et p. 334, 423, et passim.

[2] A Saeculo XVIII hoc nomine vocabatur schola Locke, Condillac, Hume, etc.; qui sicut ad Materialismum, ita ad Positivismum logice conduxerunt. Philosophia *associationis* dicta, parente Iac. Mill (1773-1836) non est nisi conatus empirismum cum metaphysica componendi.

[3] Adde Hippol. TAINE, qui non solum de arte et re politica-historica scripsit, sed de re philosophica ad mentem Positivistarum.

[4] Adde eiusdem discipulum scotum Alex. Bain.

[5] De ipso Darwinio alibi fusior sermo redibit.

[6] Satis sit nominasse Rob. Ardigò, Car. Cattaneo, Ios. Ferrari, Henr. Ferri, Lombroso, Turati, etc.

[7] EXOD. XXXIII, 12, sqq.

« virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque « nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in caelo. De resur- « rectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est « a Deo dicente vobis: " Ego sum Deus Abraham, et Deus « Isaac, et Deus Iacob? " Non est Deus mortuorum, sed viven- « tium » [1]. Quo ex loco docemur existentiam Dei, cuius virtus infinita sortes regit, cuiusque sapientia per Scripturas homines illuminat; existentiam angelorum, purorum spirituum; immortalitatem animae; futuram hominum conditionem super praesentem vitam carnali appetitui obnoxiam; errorem Materialismi, qui nedum religionem superbe despiciat, ignorantiae suae satius erubescat: « Erratis ignorantes! ». - Quantopere autem doctrina christiana spiritualitate perituro mundo superemineat, habes ex aliis verbis Christi: « Si quis vult post me « venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequa- « tur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, « perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, « inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum uni- « versum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? « Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? « Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum « angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera « eius » [2]. En magna charta Christianismi; en maximarum virtutum stimulus, divino praehabito exemplari, sublimique mercede numquam peritura. - Quanta homini sub Deo rectore dignitas: « Quid est homo, quod memor es eius? aut « filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo « minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et con- « stituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subie- « cisti sub pedibus eius: oves et boves universas, insuper et « pecora campi, volucres caeli et pisces maris, qui peram- « bulant semitas maris. Domine, Dominus noster, quam admi- « rabile est nomen tuum in universa terra! » [3]. - E contra quot vituperia, quot contumeliae, quot pessima vitia fontem habent sensualem superbamque denegationem Dei: « Homo, cum in « honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insi-

[1] MATTH. XXII, 29, sqq.
[2] MATTH. XVI, 34.
[3] Ps. VIII, 5, sqq.

« pientibus et similis factus est illis » [1]. Audi iam degradationis sequelas: « Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis: non « est qui faciat bonum, non est usque ad unum... Sepulchrum « patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, vene- « num aspidum sub labiis eorum; quorum os maledictione et « amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effunden- « dum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et « viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos « eorum. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquita- « tem, qui devorant plebem meam sicut escam panis? Domi- « num non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non « erat timor » [2]. Eloquens nimis descriptio civitatum, quas Atheismus materialisticus invasit! Nec minus acriter S. Paulus vitia ex denegatione Dei profluentia describit: « Quia « cum cognovissent Deum [3], non sicut Deum glorificaverunt, « aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, « et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se « esse sapientes, stulti facti sunt. Propter quod tradidit illos « Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam,.. in pas- « siones ignominiae,.. in reprobum sensum, etc. » [4].

Audiatur et S. Petrus. De hisce doctrinae monstris veluti prophetans, describit eos, « qui post carnem in concupiscen- « tia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, « audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere « blasphemantes. Ubi angeli fortitudine et virtute cum sint « maiores, non portant adversum se execrabile iudicium, hi « vero, velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, « et in perniciem in his quae ignorant blasphemantes, in cor- « ruptione sua peribunt,.. voluptatem existimantes diei deli- « cias... Hi sunt fontes sine aqua, et nebulae turbinibus agi- « tatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim « vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriae « eos qui paulatim effugiunt, qui in errore conversantur;

[1] Ps. XLVIII, 13.

[2] Ps. XIII, 1.

[3] Quanto magis hoc valet de Atheismo isto post tot Christianae fidei saecula ingrate redivivo!

[4] ROM. I, 21, sqq.

« libertatem illis promittentes, cum ipsi sint servi corruptio-
« nis: a quo enim quis superatus est, huius et servus est ».
Quam tremenda, quae sequuntur: « Si enim refugientes coin-
« quinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salva-
« toris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta
« sunt eis posteriora deteriora prioribus [1]. Melius enim erat
« illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem
« retrorsum converti ab eo, quod illis traditum sancto man-
« dato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis rever-
« sus ad suum vomitum; et: Sus lota in volutabro luti » [2].
Imo magis abominanda conditio istorum: quae enim eructant hi moderni Materialistae, vomitu antiqui canis Epicurei faetida sunt magis.

Haec non eo sensu dicta intelligas, quasi omnes hisce placitis addicti hac descriptione digni sint habendi. Individuorum conscientiam iudicat solus Deus. Doctrinam autem per se verbis illis respondere, extra dubium est. Imo ulterius progreditur, quum omnes moralitatis leges vel tollat vel invertat, nihilque servet nisi pomposam at vacuam de moribus verbositatem [3].

II. Porro hinc iam et **ratione** haec doctrina falsitatis arguitur, si ita gemino vitio fundamentali hominis blanditur, ut ordinem quemvis perturbet. Superbiae spiritus dicit: « legitima
« es: nam ipse homo est Deus ». Concupiscentiae carnis dicit:
« exple temetipsam: nam homo materia constans, per mor-
« tem dissolvendus, voluptate fruendo naturae legem implet ».
Sed ecce effrenato independentiae et illecebrarum impetu turbatam pacem politicam [4], ruptam domesticam fidelitatem, sopitum laboris studium, exstinctum mutui solaminis ardorem, ipsumque artium litterarumque sublimius exemplar ad

[1] Est ipsissima parabola de forti armato. Civitas a daemone per Christum liberata, ecce septem vitiis capitalibus obruta, peiorem priori conditione sortem incurrit (MATTH. XII, 45).

[2] II PETR. II, 10, sqq.

[3] De morali systemate Huxley, Clifford, Stuart Mill, etc., lege opus P. Forbes S. J. « *Is life worth living?* ».

[4] Placet optima afferre verba Londini nuper a catholico oratore HEALY in minori aula Nationis prolata: « I believe that the whole reason for these anarchist
« movements which have disturbed Europe and led to the assassination of the Pre-
« sident of the United States and the French Republic have been due to the expul-
« sion of God from the schools ».

nudam obscenamque cruditatem depressum [1]. Ubique colluctatio, ubique impatiens auri libidinisque fames, ubique lassitudo [2], sine fide, sine spe, sine casto sanctoque amore. « Ex « fructibus eorum cognoscetis eos » [3]. Potestne doctrina ad haec conducens esse bona? Et nisi bona, potestne esse vera?

Sed et aliunde multipliciter constat, hanc doctrinam nullatenus esse scientificam. Et sane *a*) nimis aperte demonstrat, se non ex impulsu scientifico, sed ex irreligioso praeiudicio ortam atque confectam. Quod vitium apud Häckel tam est manifestum, ut stomachum etiam non credentium moveat, quippe quem non semel fraude usum convicerint. Tota enim illa elucubratio huc tendit, ut Deum de mundi systemate pellat, hominem ad materiam usque deprimat, nec locus supersit verae religioni veraeque legi morum post vitam sanctione praemiandae. Gloriatur Feuerbach, se religionem « humanizasse »; glorietur et hominem se « bestificasse ». Quo tandem fine, nisi ut Deum vivum, vitam futuram, liberum arbitrium, poenas vitiis in aeternum destinatas vel gaudia virtutibus, sub Iudice Creatore de medio tolleret? Iam vero haec praedeterminata thesis inductionem scientificam reddit a priori suspectam [4].

[1] Connubium inter Materialismum aut Pantheismum et artem dictam modernam, est manifestum.

[2] Bene editor novarum ephemeridum *Gottesminne* praefationem suam his verbis exorditur: « Durch die moderne Menschheit geht ein tiefes Sehnen nach einem Reiche, « das nicht von dieser Welt ist. In vielen hatte der Materialismus wie ein Feuer « gebrannt, und sie jauchtzten vor Glück, die flammende Wiege eines unsterblichen « Phoenix gefunden zu haben. Wo ist nun der Wundervogel, die versprochene « Schwinge einer neuen Kultur? Nirgends auf den Spuren des modernen Messias « ein neues Leben, und selbst das alte liegt zum Teil verbrannt unter der unfrucht- « baren Lavadecke, unter dem Eise, das langsam, aber um so siegreicher über den « starrenden Krater hereinbrach. *Siehe da die grosse Öde des Materialismus, der « Tod jeder wahren Kunst und Kultur, der Erbfeind alles dessen was Menschen- « herzen feierlich macht.* Das war auch der Einwand gegen ihn ».

[3] Matth. vii, 20.

[4] Hinc celeber Humphry Darvy luctam inter veluti innatum Deismum et Materialismum ita describit: « Die Lehre der Materialisten war für mich auch in der « Iugend eine kalte, schwere, trübe, unerträgliche Lehre, die mir nothwendig auf « den Atheismus hinzugehen schien. Wenn ich in den anatomischen Sälen mit Ekel « das System der Physiologen entwickeln hörte, wie sich die Materie allmählig « anhäufe, und mit Irritabilität begabt werde, wie sie zur Sensibilität reife, durch « die inhärirenden Kräfte die nothwendigen Organe erhalte und endlich zu einer « intelligenten Natur sich erhebe, da brachte ein Gang in die grünen Fluren, in die

Et re quidem vera non solum scientifice aprioristica dicenda est, imo phantastice in ipsam sanam rationem offendens [1]. *b)* Quid magis consonum dictamini mentis nullo praeiudicio detentae, quam in naturae mirabili ordine atque harmonia agnoscere legem finalitatis sive teleologicam? Iam vero ex suo praeiudicio Materialistae hanc legem agnoscere nolunt, ne per hanc legem - et in hoc iudicant rectissime - Deum ipsum agnoscere cogantur. Et tamen in sociali commercio qui hanc legem in rebus longe minus cogentibus, recusaret tanquam amens haberetur. Num forte evidentius statua demonstrat sculptoris artem, quam mirabile opus humani corporis artem Creatoris? Nullus sanae mentis hoc affirmaret, nisi negando cogeretur, quem a priori recusat, admittere creatorem Deum. Praeter testimonia superius de hoc argumento allata, quando existentiam Dei ex mundi ordine demonstravimus [2], placet adducere hic Lactantium: « Est igitur divina « Providentia, cuius vi ac potestate omnia quae videmur, et « facta sunt et reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, « tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus temporibus- « que constantia aut olim potuit sine provido artifice oriri, « aut constare tot saeculis sine incola potenti, aut in perpe- « tuum gubernari sine perito ac sentiente rectore: quod ratio « ipsa declarat. Quidquid est enim, quod habet rationem, « ratione sit ortum, necesse est. Ratio autem sentientis « sapientisque naturae est: sapiens vero sentiensque natura « nihil aliud potest esse quam Deus. Mundus autem quo- « niam rationem habet qua et regitur et constat: ergo a Deo « factus est » [3]. Optime et S. Irenaeus ordinem gradationem-

« Wälder, dem Strome entlang, meine Gefühle von der Natur zu Gott zurück ». (*In den letzten Tagen eines Naturforschers* - apud HETTINGER - *Apol.* t. I, p. 195).

[1] Optime id proclamat HOFMANN: « Schwerlich kann sich in irgend einer andern « Annahme zur Welterklärung ein solch massenhaftes Conglomerat von Wider- « sprüchen zusammenhäufen, als in der Lehre des Materialismus. Aus dem Unver- « änderlichen soll die Veränderung, aus dem Unvergänglichen die Vergänglichkeit, « aus der absoluten Ruhe die Bewegung, aus dem Todten das Leben, aus dem Sinn- « losen der Sinn, aus blindwirkenden Ursachen der Zweck, aus dem Verstandlosen « der Verstand, aus dem Ungeistigen der Geist entspringen ». (*Zur Wiederlegung der absoluten und bedingten Atomistik,* p. 22).

[2] *De Deo Uno* t. I, p. 116, sqq. Quantum discrimen inter sapientiam Platonis, Aristotelis, Tullii, etc. et insipientiam istorum modernorum paganorum! Cf. textum Ciceronis in fine adducendum.

[3] *De ira Dei,* c. 10.

que in universo contemplans, ait: « Ipse (Pater) in semet-« ipso, secundum id, quod est inenarrabile, et inexcogitabile « nobis, omnia praedestinans fecit, quemadmodum voluit; « omnibus consonantiam, et ordinem suum, et initium crea-« tionis donans, spiritualibus quidem spiritualem et invisibi-« lem, et supercaelestibus caelestem, et angelis angelicam, « et animalibus animalem, et natantibus aquatilem, et terri-« genis terrigenam, omnibus aptam qualitatis substantiam: « omnia autem, quae facta sunt, infatigabili Verbo fecit » [1].

Egregie ad rem P. Carbonelle: « O incrédules les plus « crédules! Ainsi ils n'hésitent pas plus que nous à déclarer « que telles entailles grossières sur un morceau de silex « accusent un travail intentionnel, et ils ne voient absolu-« ment rien d'intentionnel dans les innombrables merveilles « du monde organique. Ils regardent avec nous comme pra-« tiquement impossible que les 27 lettres du jeune Hilde-« brand se soient réunies au hasard, et ils ne font pas diffi-« culté d'admettre que des millions d'atomes puissent con-« stituer une cellule sans qu'aucun plan préside à leur union. « A ce compte, pourquoi ne soutiennent-ils pas qu'un mil-« lion de lettres se sont un jour iuxtaposées au hasard chez « un imprimeur, pour former le livre (Darwinii) *de l'Origine « des espèces?* » [2]. Quid iam, praeter iuxtapositionem quae de singulis cellulis facit opus artis vere mirabilis, de legibus quibus viventia sese evolvunt, ac per generationem sese transfundunt? Quid de provida sapientia qua mundus ita instruitur, ut viventium exigentiis sit perfecte accommodatus? [3].

[1] *Ctr. haeres* l. II, c. 2, n. 4.

[2] *Les confins de la science et de la philosophie*, c. IX, p. 382.

[3] Optime ait DUMAS *(Eloge historique d'Aug. de la Rive)*: « L'oxygène pur « serait mortel; mitigé dans l'air qui nous entoure, c'est lui qui entretient la « vie. L'oxygène ozonisé serait donc toxique; à doses moderées, c'est lui qui puri-« fie l'air empesté et qui féconde le sol ouvert par la charrue, en donnant aux « grains leur signification agricole. — Si c'est le hasard qui dans l'atmosphère de « la terre, a délayé l'oxygène au point précis qui convient à la respiration de l'homme, « si c'est lui qui fait naître à propos l'ozone pour détruire les germes qui mena-« cent notre vie, ou pour préparer la nourriture nécéssaire aux plantes qui nous « alimentent; si c'est le hasard qui marque les limites à la concentration de l'oxi-« gène, en rendant presque immobile la quantité du gaz inerte dont il est mêlé dans « l'air que nous respirons; si c'est lui qui a rendu, de la sorte, possible et durable, « à travers de longs siècles, l'existence de l'homme sur la terre, répétons avec Auguste

Porro eo usque progreditur impietas, ut spreto Auctore legum quibus universum constat ac regitur, super Conditorem quem negant, inventores, et quidem partiales dumtaxat et deficientes, extollant. Ecquis, v. gr., hanc ferat blasphemiam Aug. Comte: « Les cieux ne racontent plus la gloire de « Dieu; ils ne racontent plus que la gloire de Newton et « de Laplace? » Quam doctius Edison ex Eifeliana turri primum nuntium emissurus, laudes summi Architecti naturae proclamavit! Quam fortiter ex ordine universi S. Paulus arguit: « Omnis domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia « creavit, Deus est! » [1]

3) Porro si iam ad examen axiomatum huius scholae accedimus, quot ibidem gratis, quin contra omnem simul experientiam et sanam philosophiam asserta!

Mittimus hic, quae spectant ad dictam transformationis legem, quam alibi discutiemus, et ad simianam hominis originem, de qua in tractatu proximo fusiori calamo disputabimus. Pauca hic tetigisse sufficiat.

a) Etiamsi quaecumque cernimus, ope solius materiae explicari possent, nondum inde sequeretur, nihil existere praeter hanc materiam; imo nihil sequeretur contra Dei existentiam; nam semper remaneret quaestio de huius materiae origine. - *b*) Quare iure Hartmann Materialistis insufficientiam ipsorum systematis improperat. Sed quum ipse ad materiae ipsius rationem reddendam tanquam fundamentum universi primissimum ponat *das Unbewusste, τὸ Inconscium,* veluti aliquam vim radicalem, quae nonnisi in organizatis entibus fit conscia: aliquid sane ponit gratuitum ac prorsus intelligibile. Potius ergo longe, si recurrendum sit ad mysterium, tale saltem affirmetur, quod mentibus leges in se satisfaciat, et rerum quarum causa inducitur, rationem reddere possit. - *c*) Porro quando Materialistae illi recentiores proclamant, nullum ens concipi posse, quod non exstet gemino principio virtutis ac materiae, ac proin Deum esse impossibilem: non modo ponunt aliquid plane gratuitum, sed et illogicum, ac proin prorsus despiciendum. - *d*) Nec satis.

« de la Rive, et en complétant sa pensée, que le hasard est bien intelligent, et qu'il « mérite un autre nom ».

[1] Hebr. III, 4.

Contra rationis dictamen est, omnia ad materiam redigere velle. α) Libertas nostra, quam sentimus, exposcit principium materia subtilius. Negare autem, quam quisque in se sentit libertatem, ne pereat aliqua thesis audacior, quae esset solide demonstranda, et de qua, ut minus dicam, apud nullum est innata certitudo: est offendere methodum scientificam [1]. - β) Imo, quum neque de methodo, neque de scientia possit esse quaestio sine legibus veri recte perceptis, hae ipsae leges, imo sola veritatis notio demonstrat principium cogitans supra materiam elevatum, ac proin immortalitatis dote praeditum. - *e*) Et sane miror, Materialistas adhuc loqui de vero et de bono. Equidem si, quod avertat Deus! in hunc errorem inciderem, scientiam omnem omnemque morum legem de medio simul esse tollenda praedicarem, quippe firmo fundamento carentia. Nil remaneret, nisi quaedam apparentia veri et boni, de qua inter homines, nescio quo casu, hodie conveniretur, quin dici posset non fore ut, alio futuro quodam casu, aliter mentes voluntatesque convenirent. Sed neque hoc, licet absurdum et exitiale nimis, problema solveret, quum adhuc huius actualis convenientiae ratio esset quaerenda. - *f*) Et re vera quid infirmius quam fundamenta moralitatis a Materialistis poni solita? Ecce tibi Comtii discipulus de Blignières, ut unum pro aliis afferam, totam virtutem ait consistere in victoria *altruismi* super *egoismum* [2]. Bene quidem, licet non semper. At quanam ratione? Ita enim, ait, laudem ab hominibus accipimus, quae laus est unica merces virtutis. « Vani vanam! ». Sed esto. Quaero: iste appetitus laudis innititurne altruismo an egoismo? Egoismo evidentis-

[1] Non possum hic non corripere, quae ita scribit Littré: « La métaphysique est « la théorie des principes de l'esprit, d'où l'on tire les principes des choses, *ce qui* « *est impossible;* la philosophie positive est la théorie des principes des choses, d'où « l'on tire les principes de l'esprit, *ce qui est possible* » (*Revue de la philosophie positive,* n. 1, Juillet 1867). Quae sententia, nisi ludat in voce *principes,* recte intelligi nequit. Nisi enim ratio vel intellectus haberet in se fundamentalia principia evidentiae, ad cuius dictamina res externas ponderet, hae res nunquam rationis principia, non dicam parere, sed neque evolvere possent. Quare mutuo si invicem corroborant et iuvant, principia mentis et res perceptae, ita quidem ut ex hoc ipso connubio tum positiva inquisitio sit fructuosa, non tamen totum; tum metaphysica disciplina legitima, modo ad normam positivorum factorum procedat; imo ita ut materia spiritu regi et illuminari demonstretur.

[2] De *altruismo* et *egoismo,* necnon de fundamento moralitatis lege eruditas collationes in ecclesia Nostrae Dominae Lutetiae Parisiorum habitas a Cl. D'Hulst.

sime. Ergo cur non melius stabo in egoismo simpliciter; aut saltem cur ex egoismo per altruismum debellando, non renuntiabo huic appetitui laudis, ac ita in egoismum ex altruismo recidam? Nisi enim superior sit moralitatis norma, egoismus et altruismus sunt verba, sonora quidem, sed vacua. Unde nil mirum, si unus in explendo egoismo [1], alter in altruismo evolvendo hominis felicitatem collocet [2]. - *g*) Sed et superficialis est methodus a Materialistis et Positivistis adhibita. Ab hoc enim quod homo cognitiones suas de rebus accipere debet processu empirico prudenter a rebus instituto, ita ut nulla conclusio legitime ferri possit, quin sufficiens inductio praecesserit, concludunt isti ad negandam omnem scientiam, quae se iam speculative iuxta principia rationis movet, imo ad negandam omnem veritatem seu rem, quae facta per sensus accepta superet. Sed hoc est leviter arguentis.

Ad summum ex hac theoria vir positivista concludere potest ad quemdam agnosticismum, non autem ad negationem eorum, ad quae cognoscenda ingenium per se non valet.

[1] De morali systemate Nietzsche mox dicemus.

[2] Idem dic de religione magnorum hominum. Quid valet iste cultus, nisi criterium sternatur iuxta quod homines sunt vere magni et cultu digni? Audiatur idem de Blignières: « Ainsi donc la religion de l'humanité, c'est le culte du cœur, le culte « des grands hommes, c'est l'adoration du dévouement. Bien loin qu'il nous fasse « peur, nous l'eussions inventé ce mot d'adoration, si cela n'avait été fait. Nous ado- « rons donc, et nous adorons ceux qui ont le plus aimé et qui aiment le plus. Nous « adorons le dévouement et le génie. *Nos dieux sont les grands hommes.* Cette lon- « gue suite de siècles fournit à chacun des supérieurs, des modèles... La prière du « culte positif n'est pas le fruit d'un désir égoiste, comme elle l'a été dans les reli- « gions anciennes, » (quasi impetratio esset tota oratio christiana! nunquam ergo ille impius legit Orationem Dominicam?), « mais une élévation de l'homme vers l'huma- « nité, par laquelle nous témoignons notre reconnaissance à cette humanité ou plu- « tôt à ses principaux représentants.... Les sacrements sont toutes les cérémonies du « culte de l'humanité ». (*Exposition abrégée de la philosophie et de religion positive,* pp. 543, 545). Quam invidiabile Pantheon tot ex toto mortuorum! Recolas memoriam, si tamen digna cultu, esto; ipsos autem magnos homines uti Deos adorare, stultum nimis, quum iuxta Positivismum materialisticum de illis nil supersit nisi materia, quae quonam evaserit, nescitur. Reliquum nihil est prorsus. Insuper non fuit nisi quaedam felicior materia, idque sine merito, quia casu producta, et absque agentis libertate effecta utilis. Crassior utique, at longe consequentior illa suprema lex cultus et morum qualem proclamabat Max. Stirner (Gasp. Schmidt): « Quisque « sibi Deus », « Cuique omnia ». Imo in ore veri materialistae nomen ipsum Dei aut religionis non amplius habet unde proferatur. Quare rursus sincerius Atheismum his verbis oppugnat Arnoldus Ruge: « Atheismus adhuc est systema religiosum: atheus « non est liberior hebraeo porcinam carnem manducante. Religio non est impugnanda,

Et sane nihil amplius obtinent verba sequentia Liard unius ex praecipuis Comtii discipulis: « L'esprit humain recon- « naissant enfin l'impossibilité d'obtenir des notions abso- « lues, renonce à chercher l'origine et la destination de « l'univers, et à connaître les causes intimes des phénomè- « nes pour s'attacher uniquement à découvrir par l'usage « bien combiné du raisonnement et de l'observation, leurs « lois effectives, c'est à dire, leurs relations invariables de « succession et de similitude. L'explication des faits reduite « alors à ses termes réels, n'est plus désormais que la liaison « entre les phénomènes particuliers et quelques faits géné- « raux, dont les progrès de la science tendent de plus en plus « à diminuer le nombre » [1]. Bene quidem. Sed si, uti ais ipse, « usus aeque temperatus ratiocinii et observationis » me conducit a contemplatione huius mundi, qualem cerno, ad necessitatem totalis eiusdem effectionis a principio summo, necessario, perfectissimo: ecce vi horum verborum Deismum pono. Si vero tu putas, ratiocinatione ex observationibus naturae hoc non posse concludi, suspende iudicium de Deo, quem ego mihi demonstro; at noli tuam ignorantiam uti doctam negationem exhibere. Idem valet de modo quo Stuart Mill leges humanae scientiae circumscribendas affirmat [2]. At ipse, mitius et sanius agens, reliquit unicuique liberum, ut ad primam causam rerum concluderet Deum [3]. Caeterum ipse

« sed oblivione terenda » (Cf. S. René Taillandier: *Revue des deux Mondes,* 15 iuil- « let 1874). Inde a textibus in manus puerorum tradendis pellunt isti nomen Dei usque ad artis formam inepte deturpatam:

Petit poisson deviendra grand
*Pourvu que l'*on *lui prête vie* (!!).

Utinam hoc doctrinae monstrum in ruinam civitatum non diutius vivere et excrescere sineretur!

[1] *Cours de philosophie positiviste,* 58 leçon.

[2] En iuxta versionem gallicam (textus anglicus mihi prae manibus deest) verba Millii: « Nous ne connaissons que les phénomènes et notre connaissance des phéno- « mènes est relative. Toute action est un énigme: nous ne savons d'aucun fait com- « ment il se produise, nous ne connaissons que les rapports de succession et de res- « semblance, qui relient les faits entre eux. Ces rapports sont constants, toujours « les mêmes dans les mêmes circonstances. Ces rapports, nous les appelons *lois,* « et c'est la seule chose que nous connaissions des faits. Leur nature, leurs causes, « leurs forces et leur fin sont inaccesibles à notre faculté de connaître » (*A system of logic rationative and inductive,*1843).

[3] Cf. Lambrecht (Op. cit., p. 48).

Herbertus Spencer, dum ait: « id per quod omnia existunt, « est τὸ *Incognoscibile* »[1], nonnisi ignorantiam humanae mentis proclamat, ac proin illegitimum ostendit systema in negationem cum despectu sese evolvens[2]. - *h*) Demum, - in quo sane non parvum vitium est, - quo facilius de Deismo triumphent, Materialistae ipsique Positivistae passim doctrinam christianam sive catholicam de Deo universi conditore aut pervertunt aut frivolo calamo deturpant, aut facili saltu praetergrediuntur. De ipso creationis conceptu in proxima Quaestione appositus sermo erit. Modo sufficiat afferre sceptica verba, quibus idem Spencer inquisitionem de prima rerum causa contrahit: « De hac quaestione nonnisi tres hypotheses « moveri possunt: aut mundus existit per semetipsum (habes « Atheismum), aut semetipsum creat (habes Pantheismum), aut « est ope potentiae externae creatus (habes Deismum). Hae « tres hypotheses sunt inconceptibiles, et tertia est prae aliis « absurda. Credendum est existentiae τοῦ *Incognoscibilis*, « quin ulla eiusdem notio ulterius investigetur: omnis enim « huiusmodi conatus ad absurditates conduceret »[3]. Haec sane sunt non modo irreverenter, sed incaute dicta, et confundunt duo valde distinguenda: profunditatem alicuius doctrinae et eius absurditatem. Caeterum, si revera de hac quaestione non dantur nisi tres hypotheses, impossibile est unamquamque ad veras absurditates conducere; neque verum esse potest, mentem nostram in earum hypothesium examine necessario ad absurditates duci. Tunc enim absurditas iaceret vel in ipso problemate vel in mente nostra; nec simul stare potest, tripartitionem illam esse adaequatam, et singula membra penitius investigata necessario absurda involvere[4].

[1] In opere cui titulus: « *First principles* » (ed. Gall. p. 100).

[2] Fatendum est, praestare Positivistas Anglos, quatenus sese magis inter limites prudentis Agnosticismi continent. Quare iniuste Littré improperat Stuart Mill, quod possibilitatem supernaturalis principii mundi concesserit.

[3] Ibidem p. 25-40, iuxta versionem gallicam apud Lambrecht (op. cit., p. 49).

[4] Quis autem crassam Materialistarum doctrinam cogitare potest, quin non solum prope infinitam distantiam miretur, qua Christiana veritas illam exsuperat, sed et altitudinem, qua ab ipsis gentilibus Stoicis vincitur. Liceat hic quaedam depromere ex celebri Somnio Scipionis. Quum Scipio iunior inquisivisset « viveretne ipse et Paulus « pater, et alii, quos nos extinctos arbitraremur », « Immo vero, inquit, ii vivunt, qui « ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt; vestra vero, quae dicitur « vita, mors est ». Porro apparentem sibi patrem Scipio ita alloquitur. « Quaeso,, pater

Inter sic dicta absurda, quae contra creationem isti movent, satis sit illud afferre ex Viardot, creationem inde quoque respuente, quod esset miraculum [1]. Ast, bone Deus! quid est miraculum, nisi derogatio a legibus naturae? Porro si creatio ponit naturae leges cum ipsa natura, quomodo, quaeso, dici potest contra easdem leges esse? Est aperta circulatio. Nec circulatio modo, sed et petitio principii. Nam si mundus est a Deo creatus, nulla solida ratio valet afferri ad impossibilitatem miraculi demonstrandam; si autem non est creatus a Deo, quatenus aut mundus sibi sufficere dicitur, aut Deus existere aliunde negatur, tunc utique miraculum dari nequit; sed non ob hoc creatio neganda; quin e converso procedendum est: nam si mundus sit creatus, miraculum est possibile.

Difficultates petitas ex malo quod in mundo abundat, et ex Dei, si detur, infinitate, cui nullum addi possit, melius dicemus in proxima parte huius dissertationis, ad quam mox accedimus.

Quum autem tantopere glorientur increduli de irreconciliabili duello, quod existere contendunt inter scientiam et dogma catholicum in genere, et in specie de creatione, iuvat audire verba, quae scripsit nuper vir benevolentiae in catholicismum sane parum suspectus: « Au lieu de s'attaquer « directement aux dogmes, le plus souvent avec une igno- « rance des choses théologiques qui fait sourire nos adver- « saires, ayons plutôt la préoccupation d'organiser un ensei- « gnement populaire rigoureusement scientifique, laissant à « chacun le soin de décider si la conciliation est possible

« sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid « moror in terris? quin huc ad vos venire propero? — Non ita, inquit ille. Nisi « enim Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custo- « diis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Quare et tibi, Publi, et piis « omnibus retinendus est animus in custodia corporum: nec iniussu eius, a quo ille « est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum « a Deō defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus et ego, qui te genui, « iustitiam cole et pietatem... Ea vita via est in caelum, et in hunc coetum eorum, « qui iam vixerunt et corpore laxati illum incolunt locum quem vides ». Lege et sequentia de exiguitate huius telluris cum immenso splendore caelestis templi collatae; necnon de sorte prope divina in supernis his sedibus reservata beatis. In quo ultimo sane Tullius apotheosim magnorum nimis extollit. Sed et in hoc excessu aliquid agnosce de psalmo: « Ego dixi: dii estis, et filii Excelsi omnes » (Ps. LXXXI, 6).

[1] *Le libre examen.*

« entre les résultats de la science et les révélations des livres « saints.... » [1].

Claudamus hanc partem huius dissertationis afferendo canonem Concilii Vaticani: « Si quis praeter materiam nihil « esse, affirmare non erubuerit: A. S. » [2].

II. - De quibusdam formis Pantheismi [3].

Superest ut breviter quasdam formas Pantheismi tangamus in sua relatione ad dogma originis universi a Deo creatore [4]. Scilicet agemus de Pantheismo *a*) *monistico, b*) *evolutionistico, c*) *revolutionistico, d*) *theosophico, e*) demum, quae forma mitior est, de Pantheismo *panentheistico.*

1) De Pantheismo monistico.

Etsi de essentia Pantheismi est, ut aliqualem Monismum praedicet, liceat tamen hoc nomen tribuere specialius systemati vel systematibus, quae hanc identitatem magis prae oculis habent atque urgent. Etenim si omni Pantheismo perfecto, id est immanenti, duplex est commune axioma: 1) dogma *identitatis universalis (die All-eins Lehre)*, 2) dogma *evolutionis immanentis et fatalis (die Entwickelungs Lehre);* quae doctrina axiomati priori potius instat, peculiari veluti titulo monistica audit. Porro nullus hoc axioma cum maiori audacia et, - in quantum absurdum fundamentum consequentiam logicam admittit, - cum maiori nexu formulavit quam *Iordanus Bruno* († 1600), qui proin iure tanquam antesi-

[1] Ita Æmilius VANDERVELDE, socialistici agminis apud Belgas antesignanus. Utinam haec et in aula Nationis animose diceret, quotiescumque a suis sociis stultissima de religione catholica stultissime proferuntur!

Caveant vicissim catholici, ne, quae sunt liberae discussionis, tanquam non libera exhibeant, sed dogmate contenta; caveant, ne suasibiles interpretationes librorum sacrorum tanquam solutiones certas propugnent.

[2] *Const. de Fid. cath.* can. 2 (DENZINGER, op. cit., 1649.).

[3] Aliter et aliter solent philosophi distribuere varia Pantheistarum systemata. Modo sat facili Cl. DE SAN (op. cit. p. 7, sq.) distinguit Pantheismum in duo genera: 1) *emanasticum* et 2) *immanentem;* quem alterum subdividit in duas species: *a*) *idealem* et *b*) *realem*. Pantheismus emanationis nonnisi imperfectus est habendus.

[4] Cf. quae de Pantheismo iam diximus in tractatu *de Deo Uno* (t. I, 222, sqq.). Quae ibidem, v. gr., de forma idealistica transcendentali Hegel, Fichte et Schelling diximus, hic non sunt iteranda.

gnanus colitur a Pantheistarum agmine hisce temporibus miserabiliter adaucto [1]. Iuxta hunc philosophum, si tamen philosophum, omnia unum sunt in uno eodemque esse, in quo habetur omnium contrariorum identitas, indifferentia omnium differentium, unitas omnium multorum ac diversorum. Hanc magnam veritatem non sat penetravit Aristoteles; nec in profundum huius identitatis sat ingressi sunt logicae scholasticae magistri (!). Quare quae nobis contradictionem oppositionis habere videntur, uti actus et potentia, in hoc esse commune sunt unum. Est igitur omne in omnibus rebus, sed non totum nec omnimode in omnibus; et proin differentia discretiva quae in rebus apparet, non est nisi varius aspectus unius eiusdemque rei [2].

[1] Hinc cultus ille peculiaris, quo neo-pagani Itali memoriam Iordani Brunonis usque ad delirium inter impias blasphemias extollere solent.

Quare ex professo de eo hic tacemus. Redibit tamen sermo in Quaestione sequente.

[2] Accipe quasdam assertiones ipsius Iordani Brunonis.

« È dunque l'universo uno, infinito, immobile. Una, dico, è la possibilità assoluta, uno l'atto, una la forma o anima, una la materia o corpo, una la cosa, uno lo ente, uno il massimo et ottimo, il quale non deve posser essere compreso, e però infinibile et interminabile, e per tanto infinito et interminato e per conseguenza immobile » (Giordano Bruno, *De la causa, principio et uno,* dialogo v, ed. Wagner Lips. 1830).

« Nell'uno infinito, immobile, ch'è la sustanza, ch'è l'ente, vi si trova la moltitudine, il numero, che, per esser modo e moltiformità dell'ente, la quale viene a denominar cosa per cosa, non fa questo che lo ente sia più che uno, ma multimodo e moltiforme e moltifigurato. Però, profondamente considerando con li filosofi naturali, lasciando i logici nelle lor fantasie, troviamo che tutto lo che fa differenza e numero, è puro accidente, è pura figura, è pura complessione » (Ibid.).

« Questo è termine di sorte che non è termine, è talmente forma che non è forma, è talmente materia che non è materia, è talmente anima che non è anima; per che è il tutto indifferentemente, e però è uno, l'universo è uno » (Ibid.).

« A quello essere non più ti avvicini con esser sole, luna, che un uomo o una formica, e però nell'infinito queste cose sono indifferenti. E quello, che dico di queste, intendo di tutte l'altre cose di sussistenza particulare. Or se tutte queste cose particulari nell'infinito non sono altro et altro, non sono differenti, non sono specie, per necessaria conseguenza non sono numero; dunque l'universo è ancor uno immobile » (Ibid.).

« Prendi i segni e le verificazioni per le quali conchiuder vogliamo li contrarii concorrere in uno, onde non sia difficile al fine inferire che le cose tutte sono uno » (Ibid.).

« Comprende tutte contrarietadi nell'essere suo in unità e convenienza » (Ibid.).

« Aristotele non ha lasciato di essere poco avveduto nella verità, per non profondare alla cognizione di questa unità e indifferenza della costante natura et essere » (Ibid.).

« Or contempla il primo et ottimo principio, il qual è tutto quel che può essere,

Certe, si hae assertiones sint verae, non poterit amplius argui contra Pantheismum ex differentia, oppositione, mutabilitate, finitione omnium rerum. Sed difficultates has insolubiles auferre ope axiomatum, quae rationem offendunt et quae nulla prorsus argumentatione fulciuntur, non est philosophantis, sed inintelligibilia inintelligibiliter dogmatizantis. Quare omnia argumenta quibus ex rerum limitationibus, imperfectionibus, contingentia et oppositione demonstratur necessitas originis omnium rerum ab uno principio efficiente infinite perfecto, necessario ac simplici: haec omnia argumenta contra Iordanum Brunonem plenam suam virtutem servant.

2) De Pantheismo evolutionistico.

Huic formae Pantheismi potius assignandi sunt illi philosophi vel scriptores, qui, unitatem quidem radicalem rerum agnoscentes, magis tamen insistunt principio evolutionis rerum. Hi Deum ipsum sese mysterioso quodam modo evolventem fingunt, ab infimo in ordines superiores, usque ad hominem, qui, utpote huius evolutionis apex, est suprema actuatio divinitatis per saeculorum spatia evolutae. Singularis homo, pro tempore quo existit, est nobilissima expressio divinitatis; quando moritur, individuum hoc ut tale, perit quidem; sed nihil de universo inde demitur. Impulsus divinitatis per hominem sese exprimentis et evolventis est

« e lui medesimo non sarebbe tutto, se non potesse essere tutto; in lui dunque l'atto « e la potenza son la medesima cosa » (Ibid. dialogo III).

« La potenza sì assoluta non è solamente quel che può esser il sole, ma quel « ch'è ogni cosa e quel che può essere ogni cosa, potenza di tutte le potenze, atto « di tutti gli atti, vita di tutte le vite, anima di tutte le anime, essere di tutto l'es- « sere » (Ibid.).

« Però intendete tutto essere in tutto, ma non totalmente et omnimodamente in « ciascuno. Però intendete come ogni cosa è una ma non unimodamente » (Ibid. dialogo V).

« Dite che quel tutto che si vede di differenza ne li corpi quanto a le formazioni, « complessioni, figure, colori e altre proprietadi o comunitadi, non è altro che un « diverso volto di medesima sustanza, volto labile, mobile, corrottibile di un immo- « bile, perseverante et eterno essere, in cui sono tutte forme, figure e membri, ma « indistinti e come agglomerati, non altrimenti che nel seme, nel quale non è distinto « il braccio da la mano, il busto dal capo, il nervo da l'osso » (Ibid. dialogo V).

Multa quae in his assertionibus continentur, verum utique, imo optimum sensum habent, si agatur de existentia supereminenti, transcendentali, quam omnia, licet in se maxime differentia, quin et opposita, habent non quidem in se, sed in Deo.

talis, cum quo et sub quo libertas stare nequeat. Fatum aliquod impenetrabile gubernat universum in fines, quorum a nullo ingenio potest auferri velum. Missis elucubrationibus transcendentalibus, quarum ope Fichte, Hegel et Schelling hunc Pantheismum evolutionis in systema logicum (!) redigere conati sunt, et quae per accumulationem absurditatum [1] tantam in mentibus lassitudinem provocarunt, ut multi se inde proiecerint in apertum Materialismum; - missis, inquam, his elucubrationibus iam superius expositis, placet tangere paucis systema illud, - si tamen systema, - quod τὸ *Pan Cosmicum* colit sensu quodam veluti mixto, inter Materialismum et Pantheismum. Quis enim in huiusmodi fictionibus praecise determinet conceptum, qui solemnioribus verbis subiacere dicendus sit? [2] Inter modernos scriptores, uti *Leopardi* [3], *Maeterlinck* [4], et alios [5] huic vago Pantheismo adhaerentes, citandus est *Edm. Picard,* qui nuper in libro « *Confiteor* », forma elegante at pompose diffusa ne dicam confusa, exponit proprii utique animi processum, sed quem, heu! tot animorum hodie dicere cogimur. Ab infantia in catholica religione peracta hic ad Pantheismum pervenit, et quidem impulsu « instinctivo », uti ex ipsa libri dedicatione apparet: « la vie « que j'ai instinctivement vécue ». Audi quomodo in prologo « *Acte de sincérité* » fatalisticum suum Pantheismum describit: « Avec des milliers d'êtres je fus charrié à travers le « temps, subissant l'influence toute puissante de l'universelle « Evolution, rouage infime dans la mécanique supérieure du « Cosmos; poussé et transformé, simple épisode, par des « causes et pour un but dont le mystère alla augmentant à « mesure que se prolongeaient le drame et son spectacle » [6]. Nullam admittit immortalitatem. Homo enim est « un inconnu « qui sort des ténèbres pour rentrer dans les ténèbres » [7]. Libertas non est nisi apparens; vita enim, quam ipse suam

[1] Lege, v. gr., convicia quibus Schopenhauer Hegelium aliosque duos « sophistas » obruit.

[2] Confer mox dicenda de Schopenhauer, Hartmann et Nietzsche.

[3] Christiana tamen morte obiit.

[4] Hic inter homines, qui virtutum splendore humanum genus maxime illustrarunt, Christum utique adnumerare dignatur, sed non primo loco.

[5] Ita et Goethe Heine, Rich. Wagner, etc. pantheistae dicendi sunt.

[6] P. 2.

[7] Ibid. p. 6.

denarrat, est « ce phénomène auquel ma volonté n'eut qu'une « part apparente et qui s'est imposé à ma prétendue liberté « comme à l'arbre une croissance infailliblement conforme « au modèle invisible contenu dans la graine » [1]. Quaenam moralitatis lex inde exsurgere potest, quum ipsum boni malique fundamentum soliditate careat? Bonum enim est « ce que nous croyons être le Bien »; malum, « ce que, aven- « tureusement, nous disons être le Mal ». Quid ergo superest? et quomodo poterit attingi ille, qui instinctu divino se semper pulsum existimans, omni passioni sive irascibili sive concupiscibili indulget?

Porro audi quomodo veluti per gradus a catholico cultu ad hunc, - quem putat formam religionis perfectissimam, qua capacia sint cerebra moderna, - Pantheismum suum syntheticum pervenerit: « Tous les cultes positifs, toutes les doctri- « nes en lesquelles les races, et au-dessous des races les « peuples, et au-dessous des peuples les sectes s'épuisent « en efforts étranges et pénibles, ont extériorisé leur incom- « préhensible besoin de marquer les liens qui les unissent aux « puissances du Panthéisme cosmique, m'apparaissent en ten- « tatives jalonnant la marche du sentiment religieux vers « l'état où je suis arrivé, et au-delà duquel moi homme du « XIXème siècle, n'ayant que le cerveau du XIXème siècle, « perfectible sans doute mais non encore perfectionné [2], je « ne conçois plus d'espace à conquérir [3]. Un idéal plus gran-

[1] Ibid. p. 4. Imo, licet de hoc argumento in ultimo libri capite « *Le libre arbi- « tre* » (p. 265, sqq.) cum quadam haesitatione loquatur, in libero arbitrio non amplius agnito salutat progressionem cerebri per pleniorem evolutionem melius ad Pantheismum perfectum aptati: « L'homme ne sera plus alors que le spectateur regar- « dant avec un intérêt inlassable les phénomènes s'accomplissant en lui et autour « de lui; ou plutôt, pour reprendre cette image, il sera l'acteur séduit par l'intérêt « puissant du rôle « imposé » qu'il joue dans l'incomparable tragédie du Monde, se « contentant de l'exprimer et ne songeant pas à la créer. A l'inatteignable joie de « vivre, se substituera la savoureuse curiosité de vivre » (P. 284, sq.). Et de hac amissa libertate glorians ait: « il me semble qu'ainsi je me trouve mieux d'accord « avec l'immense Univers utilisant la parcelle que je suis pour l'accomplissement de « son œuvre prodigieuse » (P. 286).

[2] Quis non commiseratione respiciat ad Aquinatem, imo ad Augustinum, qui non habebunt in sua « boître crânienne » (p. 78) nisi cerebrum XIII.^i^ quin et IV.^i^ saeculi! De Aristotele seu Platone iam non amplius sit sermo. Nimis enim ab eorum tenebris ad nostram lucem ope pantheisticae evolutionis sese hominum cerebrum in perfectius evexit, quam ut tam remotae voces in philosophorum concilio adhuc audiantur!

[3] Huc enim tendit istud mirum « *Confiteor* », ut auctor ostendat, se de omni argu-

« diose s'est démasqué et a enfin rassasié mon âme, d'abord « satisfaite des ingénuités légendaires [1] qui l'avaient alimentée « dans mon jeune âge, vide ensuite de toute croyance [2], éprise « plus tard d'un rêve humanitaire, se rattachant maintenant « à l'Univers par un lien discret et pur, dépouillé de toute « fantasmagorie intermédiaire, de tout arrangement, de toute « combinaison que ma mentalité ne peut plus admettre, quel- « que effort de foi elle voudrait s'arracher » [3]. Et tamen in hanc aberrationem credit; quin et ea gloriatur. Sed petamus ab hoc pantheista tam profundo, ut dogmata nostra despiciat, tanquam cerebro suo evolutiori indigna, quid iudicet de hoc suo Mundo, quem vocat « mon créateur et mon maître su- « prême, de qui j'ai tout reçu, de qui je dois tout attendre »; quem definit: « Total infini, qui n'eut pas de commencement, « qui n'aura pas de fin, qui est le Tout-Puissant, l'universel « générateur, le créateur et le conservateur, qui peut et réa- « lise tout ce qui est et tout ce qui arrive, qui est " Dieu ", « puisqu'à travers les âges ce monosyllabe héroïque a tou- « jours servi à designer l'Inconnu formidable » [4]. Audiatur haec nimis efflata scientia in ignorantiam explodens atque ineptiam. Bonum est huiusmodi verba prae mente habere, ad

mento pantheisticam comprehensionem adepto, in perfectissima synthesi, quam aetas nostra ferre valet, beate sancteque quiescere.

[1] Nihil intolerabilius solemni despectu, quo isti homines de religione Christiana loquuntur, quasi nugis constaret vix pueris mulierculisque aptatis. Quid autem dicendum de modo blasphemo aeque ac ignaro, quo de supremis dogmatibus deque catholici cultus oeconomia loquuntur? Satis sit sequentia verba huius scriptoris afferre, ut appareat quo tanta petulantia descendat. « Qu'a fait le Catholicisme en organisant la Cour « céleste de son Dieu, chef de famille d'un ménage divin, chef de clan d'une tribu de « bienheureux investis chacun d'une spécialité, si ce n'est réaliser en ce polythéisme « plus fourmillant que celui du monde antique, une attribution religieuse des multi- « ples activités de la nature...? » (p. 79 sq.).

[2] Hoc stadium Positivismi ab Augusto Comte accepti ita antea descripserat: « C'était bien le positivisme s'installant en moi, expulsant le transcendental de la « métaphysique. Ce n'est pas que je fusse devenu athée; non, c'était plus simple, « et moins intransigeant; je jugeais inutile de nier ou d'affirmer Dieu (quasi ageretur « de re indifferenti!); j'en détournais mon esprit sans irritation et sans inquiétude, « tenant l'Etre incertain objet d'un si énorme problème, pour un phénomène légi- « timement négligeable, parce qu'il apparaissait un phénomène insoluble pour l'intel- « ligence en l'état actuel et imparfait de la cervelle humaine » (P. 15). Cf. superius textum Arnoldi Rugi, et quae diximus de Agnosticismo.

[3] P. 76, sq

[4] P. 83.

ponderandum quam levis et vacua sit haec pantheistica sapientia, et quanta celsitudine ac securitate superemineat non fides modo nostra, sed et sana philosophia. « Ce que c'était, « ce " Dieu ", s'il fallait nommer ainsi le total énorme qui « me le figurait, nulle tension de mon cerveau ne pervenait « à le figurer. Je demeurais perdu en hésitations obscures, « quand je me demandais s'il avait, comme moi, conscience « de lui-même (!) ou s'il n'était qu'un ensemble monstrueuse- « ment grandiose, évoluant lui-même, sans arrêt, sans terme, « à travers le temps dans l'immensité de l'espace qu'il occu- « pait tout entier (!) ». Quasi immensitas Dei bene intellecta ullo modo opponeretur cognitioni, quam Deus habeat de se. « Dans ce trouble sombre je me retrouvais encore quand « j'essayais de creuser cet autre mystère: y avait-il pour « " ce Dieu " une distinction entre le bien et le mal (!), était-il « préoccupé de cette force morale qui constamment nous « tourmente et nous fait haleter vers la Justice, nous les « humains lamentables? ou impassible et insensible, se dé- « roulait-il dans l'infini des heures et des lieux, sans autre « sentiment que celui de sa puissance, de sa nécessité et « de son éternité? ». Hic rursus tot prope confusiones quot verba. Non modo Deus curat de bono et de malo; sed sine Deo fonte et criterio boni in se, et mali per oppositionem ad se, nulla ratio boni et mali apud homines dari potest. Potentia autem, necessitas et aeternitas Dei, sunt ipsa Dei essentia, quae simul est totius justitiae fons et mensura. Successio autem locorum et horarum non vere infinitum sed indefinitum producere potest in gemino ordine temporis et spatii. « L'Absolu avait-il un organe analogue à notre cerveau (!) « raisonneur et juge, ou n'en avait-il pas, satisfait et complet « par celà qu'il vivait et déroulait invincible l'incommen- « surable de sa vie pour nous énigmatique, non pas l'Ame « de " l'antique Univers impérissable ", mais l'impérissable « Univers lui-même? » Et isti, qui de tali re dubitant, num Deus cerebro indigeat uti nostro, sunt iidem, qui Deum nostrum, simplicem, spiritualem, actum purum, vere immensum et perfectum, uti anthropomorphisticum despiciunt! Sed haec omnia dubia, si intelligibilia pro homine de Deo sane cogitante, sunt quasi necessaria, etsi absurdissima, pro viro

pantheisticum Deum sibi efformante. Quare in his ipsis divagationibus inevitabilis residet ipsius erroris damnatio.

Caeterum, si ab his Pantheistis quaeris, undenam sciant, universum esse non modo phaenomenum materiale, sed et « Pan divinum » cultu supremo dignum; cur istud « Pan » existat; cur sese evolvat et iuxta quodnam criterium; quomodo haec evolutio possit esse aeterna, etc., etc.: nihil habent quod reponant. Confugiunt ad sesquipedalia mystica verba [1]; multiplicant allusiones ad insondabilia mysteria; sed nihil proferunt quod cum rationis dictamine concordet. Quum autem in re morum fundamentum boni et mali concutiant, et meriti instrumentum adimant libertatem, idque tanquam sui systematis consequens: rursus inde erroris convincuntur. Et sane qui legit philosophiam de amore, qualem idem pantheista voluptuoso calamo exponit [2], is non potest nisi ruinam humani consortii [3] pessimaeque libidinis fomitem iudicare doctrinam, quae, rupto dogmatico freno, iam nihil quod habeat aut in quod feratur corrupta peccato natura, non putet non modo licitum, sed et sanctum, sed et divinum.

Audi iam de iure, - scriptor enim est causidicus, - sententiam notatu dignissimam. « En matière juridique, l'Homme

[1] Dolendum valde nonnullos scriptores catholicos, - nomina taceo, - ab hoc stylo non satis abhorrere. Nonne forte quia ab huiuscemodi ideis ac scholis mentem non habent satis adversam?

[2] Qui legit attente, v. gr., p 207, sqq. ideam habebit de libidinosa superbia huiusmodi scriptorum. Hic noster exaltat quod vocat « le vaste Erotisme du monde »; iubilàt de gaudio « purissimo », quod reperit in speciali, at nobilioribus animis reservato septimo sensu: « le sens érotique », - sextus enim est « le sens esthétique ». Hoc septenarium sors est veluti mystica illuminati Pantheismi.

[3] Nil mirum proin si, quo magis neo-paganismus ille grassatur, eo instantius vinculum coniugale dissolvitur; usque dum, quod avertat Deus! ad amorem prorsus liberum deveniatur. Et qui civitatem ab ideali conceptu christiano ad inferiorem conditionem vinculi domestici conantur detrahere, sese *ordinaturos* familias impie buccinant! Quasi non omnia Christus tam perfecte instauraverit, ut praeter ordinem ab Eo stabilitum non sit nisi via dissolutionis? Egregie Leo XIII in responsione ad vota natalitia sibi hoc anno (1902) a Purpuratorum coetu per os Emi Decani Oreglia a Santo Stephano oblata: « Violate già in cento guise le ragioni della Chiesa « e del nome cattolico, ecco andar oltre per la stessa via, sino al sovvertimento legale « di sante istituzioni cristiane. Ma non sono esse una porzione, e la più eletta, del- « l'eredità lasciata da Cristo ai popoli redenti, e ordinate espressamente a custodia « e tutela di sovrani beni morali, prima radice di ogni altro bene all'umano con- « sorzio? Ah non è sincero amore di pubblica prosperità o d'incrementi civili, che « muove gli artefici di tali sciagure: ciò che si vuole e si cerca, è il crollo degli « ordini cristiani e la ricostituzione degli Stati sulle basi del naturalismo pagano ».

« est un acteur dont la Nature est le souffleur et le dra-
« maturge. Une chose n'est pas juridique parce que l'homme,
« ou même Dieu l'a dite, mais l'Humanité ou la Divinité la
« dit parce qu'elle est juridique ». At, quaeso, quodnam ius, sine fundamento cui superstruatur? quodnam fundamentum, si Deus ipse, qualiscumque sit, huic iuri subiaceat? Quaenam erit ratio huius iuris? Porro, sublato quovis iure, quid remanet de moralitate? Nam si iura alia ex lege morum fluunt, mores passim a iure derivant. Iuris autem fundamentum unicum, ad quod omnia iura omnesque morum leges deriventur oportet, est veritas ac sanctitas Dei conditoris universi. Et sane quid causidicus tali Pantheismo logice imbutus, sine impia contradictione perorabit ad poenam provocandam in adulterum, latronem, homicidam, si scelestus ille, eiusdem Pantheismi iura sibi invocans, protestabitur volentem quidem, ut non liberum [1], imo divino impulsu actum, se id egisse, quod τό Pan cosmicum per ipsum fieri decreverat? Quomodo pantheista iudex talem supplicio plectet? Scilicet fac triumphare huiusmodi doctrinae monstra: res publica susque deque brevi pervertetur. Non homines amplius cum hominibus morum ac iurium vinculo pacifice et beate colligabuntur, sed belluae inter belluas feroci egoismo crudelique voluptate actae, cupiditates, iras, odia, inconstantes amores zelo sanguineque permiscebunt.

Nec dicas, hasce doctrinas esse coetui cultiori reservatas [2], iis scilicet quorum mens elevatior et purior capax sit ferendi veritates, quae, perperam intellectae, in crassiora conducere possent indignos, iuxta illud Horatianum:

« *Odi profanum vulgus, et arceo* ».

Doctrina haec, si vera sit, vera est omnibus; si falsa, cuivis quoque falsa. Quin et cultiores illos, quorum moralis cor-

[1] Cf. « Je me sens un être " volontaire " certes. Je sens en moi un organe fonc-
« tionnant sans arrêt, un moteur indiscutable nommé volonté, agissant à un certain
« point du mécanisme de mes actions ». « Mais quelle force le met en mouvement?
« Est-ce ma Liberté personnel ou la Fatalité? » (Ibid. p. 262).

[2] Ita Picard erotico sensu ait percipi: « le fluide amoureux répandu dans la na-
« ture, simplement sensuel pour le plus grand nombre, l'intellectualisant, l'idéalisant
« pour les âmes modernes de notre race, mais péniblement encore, à titre d'exception,
« comme une fleur superbe et rare couronnant une tige lente à croître ». Ita sensum

ruptio eo interdum vilior quo externe honoratior, ad omnia vitiorum blandimenta hanc doctrinam conducere, manifestum est.

Post Agnosticismi confessionem, quam modo attuli, quid insuper addam de gratuitis dogmatibus ab huiusmodi Pantheistis accumulatis? Quomodo ostendunt, τό Pan esse re vera magnam illam divinitatem? quomodo demonstrant phaenomena illa evolutionis, sine quibus nihil obtinere possunt? quid est istud Fatum, ad quod fatali necessitate semper recurrunt? Quomodo concordant illum qualemcumque cosmicum Deum cum proprietatibus, quas recta ratio invincibili nexu demonstrat in Deo esse debere? Nimirum Pantheistae mystico stylo, at vacuo, maiusculas litteras multiplicantes, libenter, at in pantheistico sensu, insondabile mysterium proclamantes, mysteria coacervant absurditatibus plena, ut unum, at multiplici via demonstratum, de medio tollant: Deum unum, aeternum, extramundanum principium, a quo est universum omnisque creatura; a quo homo tum corpus mortale, tum animam immortalem accepit, ut, per bonum usum liberi arbitrii Deo suo ac Conditori debita servitute exhibita, immortale meritorum praemium consequatur. Hunc Deum esse, probant mundus et homo; ab hoc Deo esse cuncta, demonstrat universum, maxime microcosmicus homo.

Paucis: si conferantur inter se forma pantheistica Bruniana summe monistica, et forma haec evolutionistica, illa, licet paradoxalis magis, minus tamen nobis repugnare videtur, quatenus saltem exhibet conceptum altiorem atque nobiliorem.

Difficultates autem quasdam a Pantheistis imprimis evolutionisticis contra Creationismum adduci solitas placet hic breviter tangere, praeter obiectionem: « ex nihilo nihil », quam in Quaestione sequenti ex professo tangemus.

1) Opponunt creationi difficultatem ex libertate Dei, quae componi non possit cum actu, qui cum necessaria essentia Dei identificatur. Haec difficultas pro parvitate nostri intel-

estheticum modeste describit « celui qui met en rapport si peu d'entre nous en l'état « actuel de la mentalité humaine avec cet autre fluide tellurique pénétrant et cou- « vrant les œuvres de la Nature ou de l'Homme, la Beauté » (Ibid. p. 219).

lectus est utique non levis, quia non videmus, quomodo actus purus et simplex tantam in se multiplicitatem et diversitatem quoad terminos habere possit. At neque videmus, in actu hoc simplici ac puro non dari posse istos respectus tum ad Deum ipsum ratione necessitatis aut libertatis, tum ad creaturas ratione diversitatis et successionis. Actus creans, re identicus cum essentia creantis, dicit quidem infinitam perfectionem, quae hanc identitatem exigit; at nihil dicit absurdum [1]. E contra absurdum vocare quiquid, licet aliunde demonstratum, in se tamen exsuperat vires limitatae mentis: hoc sane absurdissimum. Iam vero actus creativus substantialis, re idem cum Deo, etsi liber, est consequens trium veritatum, quae singulae demonstrantur ratione: *a*) universum, utpote contingens atque contigentibus rebus compositum, esse a necessario principio extra ipsum; *b*) hoc principium libera voluntate universum causasse; *c*) hunc voluntarium creandi actum non esse in Deo re distinctum ab ipsa essentia divina.

2) Eodem modo solvitur alia obiectio petita ex divina immutabilitate. Etenim immutaretur quidem Deus per actum creandi, si iste actus, uti distinctus ab ipsa Dei essentia, eidem in tempore aut cum tempore obveniret. Sed nulla immutabilitas inde sequitur, si in Deo actus creandi re idem est cum illo actu purissimo, qui Deus est. Caeterum, uti optime monet Iulius Simon, si haec difficultas aliquam speciem habet in ore materialistae, in ore pantheistae est illogica, quum huius systematis asseclas non minus, imo magis torqueat [2].

[1] Id bene exprimit Hettinger, in laudato suo opere apologetico. « Das kommt « dem göttlichen Willen als dem Willen des Absoluten zu, dass wegen der Fülle « seiner Vollkommenheit er in einem und demselben Acte alles das setzt, was die « Creatur in verschiedenen, und in sich entgegengesetzten Acten vollzieht. So ist « denn der Act der Liebe, mit welchem Gott nothwendig sich selbst liebt, nicht « wesentlich verschieden von jenem Act der Liebe, mit welchem er das Geschöpf « liebt; nur tritt in dem letzteren Falle eine neue Beziehung des Actes su dem « Objecte ein, aber kein zweiter von dem ersten verschiedener Act " ». (*Apol.* T. II, par. 1, p. 168). — Cf. et SUAREZ (*Metaph.* disp. XXX, sect. 9).

[2] « Cette objection ne devrait pas être à l'usage des Panthéistes. Est-ce que leur « Dieu, enchaîné au monde, a commencé à produire des phénomènes? Puisqu'ils ad- « mettent l'éternité, qu'ils n'en fassent pas un obstacle pour les autres. Il y a cette « différence pour eux, que le monde n'étant pas séparé de Dieu, la divisibilité fait « partie de l'unité. Est-ce là ce qu'ils appellent la clarté et la compréhensibilité de « leur hypothèse? » (*Religion naturelle,* p. I, ch. 3, p. 103).

3) Alia est obiectio contra creationem moveri solita, difficultas, quin, uti aiunt, impossibilitas concipiendi quomodo Deo, infinito in ratione entis, possit addi aliquid; nam creatura non est nihil; ac proin Deus cum creatura est aliquid amplius quam Deus solus; et tamen Deus est absolutissima Entis plenitudo. Haec rursus difficultas esset insolubilis, si Deus et creaturae essent in eodem genere entis. Sed evanescit prae oculis habenti, tantum esse discrimen quoad τό esse inter Ens a se et ens participatum, ut nulla inter se ratione possint conferri. Quare, quemadmodum alibi iuxta S. Thomam diximus, Deum et creaturas simul non esse plus perfectionis quam Deum solum, licet sint plures perfectionem habentes; ita quoque hic dicendum est, Deum et creaturas non esse plus in ratione entis quam Deum solum, sed esse plura entia. Sed et hoc caute dicendum: Deus enim est supra genus, quia neque in genere entis cum creatura continetur.

Sed et ista difficultas, si in ore materialistae magis premens, in ore pantheistae vim amittit, quum facile retorqueatur, uti bene monet idem Iulius Simon, qui tamen difficultatem in se nimis putat insolubilem; unde melius eam ipse urget, quam solvit [1].

[1] « Cette difficulté est grave; tellement grave, qu'à notre avis, elle doit être « plutôt écartée que résolue. Nous montrerons que les panthéistes n'ont pas le droit « de nous la faire, et qu'elle est plus redoutable pour eux que pour nous. Elle ne « prouve rien contre notre doctrine, mais elle prouve quelque chose contre la science « humaine. — Il est très clair, que Dieu se suffit à lui même. Il est également clair « qu'il a la plénitude de l'être. S'il a la plénitude de l'être, s'il est impossible qu'au- « cune réalité lui manque, comment y a-t-il de l'être en dehors de lui? Aussitôt que « Dieu n'est pas seul, on peut par la pensée, ajouter à Dieu quelque chose et par « conséquent augmenter Dieu, ce qui est absurde. Cette obiection étonne l'ésprit; « mais qu'en peut-on conclure? Que la raison ne peut pas tout expliquer, et que « par conséquent la raison a des limites. Et ensuite? Rien de plus, c'est ce que nous « allons démontrer » (Op. cit., p. 99).

« La coëxistence de l'unité et de la pluralité ou si l'on veut, du parfait et de « l'imparfait, est inexplicable; mais est-elle plus inexplicable dans l'hypothèse de la « création que dans celle du panthéisme? Que les esprits de bonne foi pèsent atten- « tivement ce que nous venons de dire, et ils se convaincront de la parfaite et scru- « puleuse exactitude de cette formule. Or le monde, selon les panthéistes, fait partie « de Dieu, et, selon nous, il est extérieur à Dieu. De sorte que la question peut encore « se traduire ainsi: l'unité et la pluralité coëxistent: est-il plus difficile de com- « prendre que la pluralité fasse partie de l'unité, ou que la pluralité soit en dehors « de l'unité? Ou enfin, en d'autres termes: est-il plus difficile de comprendre que « l'imparfait fasse partie du parfait ou que l'imparfait existe en dehors du parfait? « Voilà tout. La question ainsi posée est résolue » (Ibid., p. 100).

4) Nec tacenda obiectio petita ex malo, quod in mundo reperitur. Quomodo enim, aiunt, potest esse a Deo mundus, quem cernimus tot malis repletum?

Posset, iuxta dicta superius, radicitus truncari difficultas, dicendo: quomodo sciremus esse mala, nisi esset Deus? Insuper deflectere possumus difficultatem dicendo: Quomodo non est a Deo, principio sapiente et bono, mundus, in quo tot elucent res optimae, in finem optimum sapienter ordinatae? [1] Ipsa enim structura hominis, licet aliunde malis oppressi, opus est harmoniae tam mirabilis, ut Deum auctorem demonstret.

Adde iam tria summi momenti: *a*) vitam praesentem non esse nisi probationis stadium; *b*) conditionem hominis, qualis a Deo est conditus, imo ipsius naturae ad hominem, olim fuisse longe feliciorem; *c*) abusum liberi arbitrii, - quod in se bonum est praestantissimum [2], - esse omnis mali moralis causam, ac iuste divina in mundum provocare flagella; haec, inquam, adde et hanc difficultatem efficaciter solves.

Quae difficultas, si pro materialista est facilius declinabilis,

[1] Non satis vidit Iulius Simon haec duo optime stare: tum ex imperfectione mundi, tum ex eius perfectione logico nexu ad Deum argui. Caeterum iste philosophus hoc loco nimis abstrahit a conditione lapsa, ac proin parum caute, imo parum reverenter loquitur: « Dieu est bon et tout puissant, il a fait librement le monde: « pourquoi le monde est-il mauvais? Les partisans de la création ont deux langages: « tantôt pour prouver que Dieu existe, ils démontrent que le monde est imparfait: « et tantôt, pour répondre à l'obiection que nous venons de formuler, ils essaient » timidement de nier les imperfections du monde. Ces tergiversations les condam- « nent: ils n'ont que des demi-raisons et des vues contradictoires. Si le monde est « parfait, qu'ils le disent: s'il est imparfait, qu'ils l'expliquent.

« Leurs explications mêmes sont des contraditions nouvelles. Si on ouvre leurs « livres, on voit les uns soutenir que ce qui nous parait être du mal est au contraire « du bien, et que s'est notre ignorance seule qui nous trompe. Que veut dire cette « réponse? Qu'il n'y a pas de mal ou seulement qu'il y en a moins qu'on ne pense? « Eh! qu'importe le degré. Il suffit qu'il y en ait, pour limiter la bonté de Dieu « et sa puissance. Les autres soutiennent que le mal était nécessaire pour que l'homme « pêut être éprouvé. Cela n'est que subtil. À quoi bon cette épreuve, pour qui pou- « vait du premier coup nous faire meilleurs? Qui réussit dans cette épreuve? Le « grand nombre? Non, de l'aveu de tous, c'est le très petit nombre. Ainsi, pour une « famille d'élus, qui achète son bonheur par de longues et terribles souffrances, l'im- « mense majorité n'a que l'épreuve sans le bonheur! Et c'est après avoir proclamé « cette vérité désespérante, qu'on vient chanter des hymnes en l'honneur de la bonté « divine » (Ibid., p. 91). Haec ultima verba sane displicent in scriptore tam lucido, tam concinno, tam moderato. Caeterum Iulius Simon christiana morte tam pulchri ingenii amissionem bonis lenivit.

[2] Cf. exordium Encyclicae Leonis XIII « *Libertas praestantissimum* ».

quatenus, quum omnia casui tribuantur, sicuti bona a felici, et mala ab infausto sunt casu, - pro viro pantheista ita excrescit, ut fiat vere insuperabilis. Nam si ipsum universum sit Deus sese evolvens; malum quod in universo abundat, non modo est ab ipso Deo, sed est ipse Deus. Imo eo durius conditio tot hominum est infelix, quod ipsi sine liberi arbitri demerito, et sine vitae alterius spe, ob fatum caecum et inexorabile pati absque remuneratione coguntur, et patiendo ex toto perire [1].

Iam ad Pantheismum quem vocavimus revolutionisticum.

III. - De Pantheismo revolutionistico.

Hoc nomen dare liceat systematibus, quae non modo docent, mundum pantheistico processu evolvi, sed et in hoc processu haberi reditus ad modum revolutionis. Huiusmodi reditum docebant ex antiquis philosophis quotquot erant metempsychosi addicti. Inter modernos Pantheistas, - in quantum isti Pantheistae vocari possunt - revolutionem do-

[1] Id rursus contra Pantheistas bene urget Iulius Simon. « Que nous donne le « panthéisme à la place de cette immortalité, de cette identité? Ils laissent la lutte, « et ils ôtent la récompense. Ils sondent la blessure, mais ils arrachent l'appareil. — « L'homme peut gémir et souffrir, pourvu que la sérénité du tout ne soit pas altérée. « Il meurt, mais en mourant il sait qu'il ne diminue pas la masse de l'être.... Et « quelle différence y a-t-il entre la destinée de mon cadavre et celle que le panthéisme « promet à mon âme? Ainsi, je mourrai entier, car l'avenir de ma substance n'est « pas mon avenir. Il n'y a que ma souffrance qui soit à moi, celle-ci m'appartient « en propre, sans compensation. Et vous parlez de la justice de Dieu? Et vous nous « reprochez, à nous, de ne pas la respecter assez, quand nous avons le dogme de la « vie future, quand nous proclamons la personalité humaine, la persistance de la « personne, les punitions et les récompenses? N'est il pas évident que si le mal est « pour nous un embarras, il est pour vous une impossibilité?

« Que sera-ce, si au lieu de la souffrance, nous parlons de la faute? Il est pour « nous-mêmes difficile d'expliquer la faute. Nous l'attribuons à notre liberté; mais « nous reconnaissons que la passion est bien forte contre la liberté, que la raison est « chancelante, que les victoires sont rares, difficiles, pénibles. Nous avons peine à re- « tenir la plainte sur nos lèvres, quand nous nous rappelons que Dieu pouvait aug- « menter nos lumières, nos forces et nos tendances vers le bien. Mais au moins dans « le système de la création, le principe de nos fautes est en nous: où est-il suivant « les panthéistes? Il est en Dieu! Car pourquoi parler de la personne humaine et la « distinguer de la nature divine, là où il n'y a pour Dieu et pour l'homme qu'une « substance, une vie, une histoire? Les panthéistes peuvent essayer de répondre: « Quelque réponse qu'ils fassent, il est impossible que leurs arguments ne prouvent « pas plus pour nous que pour eux » (Ibid., p. 106).

cent praesertim *Schopenhauer*, *Hartmann* et *Nietzsche* [1]. Sint pauca de singulis.

1) Iuxta *Schopenhauer* († 1860), cuius principale opus est: « *Die Welt als Wille und Vorstellung* (1817), Mundus ut vo- « luntas et repraesentatio » [2], omnia reducit ad caecam quamdam voluntatem uti principium universi. Quae voluntas, utpote una, indestructibilis [3], libera [4], Deus Schopenhaueri dici potest. Ratio autem huius caecae voluntatis dari nequit.

Ad explicandum autem quomodo haec voluntas una se sistat in gradibus diversis, quibus fit individua et multiplex, Schopenhauer recurrit ad ideas Platonicas, utpote reales specierum typos. Quomodo autem istae ideae individuentur, non explicatur ulterius; neque ratio assignatur principii individuationis rerum. Quotiescumque enim agitur de « re in se », Schopenhauer suum Agnosticismum affirmat. At quaenam, quaeso, methodus philosophandi, quae, ubi ad primas causas explicandas esset pertingendum, silet; aliunde vero, praeter phaenomena quae cernuntur, dogmatizat?

Porro quum omne velle in individuis voluntatibus sit pati, quo minus aliquis vult, eo perfectior est. Inde egoismus vitium pessimum; commiseratio autem optima. Inde Protestantismus inferior Catholicismo. Perfectissimi sunt ascetae Catholici et Indi, qui voluntatem vivendi abrenuntiantes, interitum speciei humanae intendunt. (?) Suicidium esset perfectionis cumulus, si committi posset cum plena alienatione voluntatis; at quum fiat ex voluntate liberandi se a malis, haec ipsa voluntas vivendi, quae implicite in suicidio continetur, per palingenesiam redibit ad vitam [5].

[1] Nil mirum, si interdum isti auctores citantur tanquam simpliciter athei. Devitant quidem omne, quod cultum religiosum dicit; sed nihilominus ponunt aliquid ideale, quod materiae ut tali supereminet, universumque pervadit. Quare, velint nolint, latentem quemdam Pantheismum excolunt, quo a puris Materialistis distant.

[2] Schopenhauer se tanquam discipulum Kantii exhibet, licet a magistri systemate non parum recedat; Hegelium autem tanquam omni philosophico valore destitutum irridet; quippe quem necnon cum Fichte et Schelling « tres sophistas » appellat. Inde quanto tempore floruit Hegelismus, Schopenhauer vixit prope ignotus.

[3] Est enim « nunc stans », et mors individualis est illusio.

[4] Libera est haec voluntas unica universalis, quaetenus est extra categoriam causalitatis posita; in mundo autem sensibili, utpote subiecto causalitatis principio, viget determinismus.

[5] Quid autem, si quis vitam sibi adimit unice quia non amplius vivere vult? Cur non ipse Schopenauer hanc sibi mortem delegit? Sed multum interest inter systemata

Ratione huius palingenesiae theoria Schopenhaueri revolutionistica dici potest. Nam si ille qui magis appropinquat ad renuntiationem voluntatis vivendi, hac palingenesiae lege tenetur, haec lex fundamentale aliquid sit oportet.

Caeterum finis omnium rerum, hominis sicuti mundi, est reditus ad nihilum, ad Nirvanam Buddhisticam. Imo Schopenhauer putat, Buddhismum esse suae philosophiae imaginem. Si autem quaeras, utrum haec Nirvana sit aliquid necne, respondet aphoristice Schopenhauer: « Iis qui pleni sunt adhuc « voluntate propria, certe est nihil. Sed pariter iis qui plene « renuntiaverunt suae voluntati, mundus visibilis est nihil » [1].

2) Elementum revolutionis in sua philosophica qualicumque modo pantheistica urget *Edw. Hartmann* (nat. 1842). Hic in opere cui titulus « *Philosophie des Unbewussten.* Philosophia τοῦ Inconscii » (1869) systema conflavit ex idea Hegeliana et caeca voluntate Schopenhaueriana. Idea ponit essentiam rerum, voluntas existentiam [2]. Mundus ita ortus pessimus quidem est, quatenus in eo praevalet voluntas (illa Schopenhaueriana); at, quatenus oritur ex idea (illa Hegeliana), est omnium possibilium optimus.

Finis omnium est beatitudo. Dum antiqui, uti Iudaei aliique, hanc beatitudinem in praesenti vita quaerebant, Christiani autem eam in vita futura expectant, moderni eam reponunt in statu feliciori at terreno humanitatis sese evolventis. Huc tendendum. At nimiae mundi miseriae hunc finem arcebunt. Quare humanum genus sat evolutum ut cognoscat inanitatem sui conatus, per aliquod « humani generis consultum », maiori numero suffragiorum hanc voluntatem tendendi in finem abrogabit. Erit finis mundi: nam reliqua inferiora non existunt nisi in ordine ad hunc appetitum humanum. - Non erit tamen finis decisivus. Nam ens inconscium hac tragoe-

quae conscribuntur et ipsam vitae rationem. Ita Ugo Foscoli, atheus ille poëta Italus, quum iuvenis quidam, scriptis eius ad suicidium motus, antequam vitam sibi adimeret, poëtam utpote benefactorem gratias acturus adiret, in risum explosisse fertur, dicens, haec quidam bona esse dictu scriptuve, stulta autem actu.

[1] *Die Welt als Wille und Vorstellung,* versus finem.

[2] Agnosce distinctionem et modum loquendi, quibus saepe utitur Schell, imo ope cuius ipsum Deum per Trinitatem causam sui explicare conatur. (Cf. quae de hoc diximus in tractatu nostro *De Deo Trino,* p. 417, sqq.).

dia non fiet sapientius; unde rursus incipiet suas evolutiones, usque ad similem finem, ac ita infinities [1]. Vide *Pessimismum* systematis Schopenhaueri ab Hartmanno adhuc fieri crudiorem.

3) Revolutionem hanc urget adhuc fortius impiissimus at

[1] *Philosophie des Unbewussten* 3. ed. 753, 756. Nequit Hartmanno vis dialectica sat acuta denegari, quousque agitur de aliorum systematum vitiis detegendis atque explodendis. At ubi agitur de aedificando systemate proprio, ipse facillime exploditur. Ita omnes isti philosophi, quorum agmen quotannis excrescit, sunt utique omnes religioni catholicae infensi. At inter se intestina bella movent, quibus se invicem destruunt. Quare nos recte illis dicimus: Quando inter vos de aliqua veritate solide demonstrata conveneritis et ipse qua communibus, nos armis impetatis, tunc vobiscum conferemus signa. Interim satis nobis est, veluti e theatri gradibus vos in arena dilaniantes invicem conspicere et plausum dare.

Quantopere Edw. Hartmann a suis extollatur, demonstrant sequentia verba Dr. Arthuri Drews: « Alles Bedeutsamste, was die Welt im letzten Menschenalter bewegt « hat, alle Strömungen und Gedankenrichtungen, die in ihm auf den verschiedensten « Gebieten zu Tage getreten sind, haben in seiner Philosophie einen begrifflichen « Ausdruck erhalten und zu ihrer näheren Ausgestaltung mit beigetragen. In der « klaren Tiefe des Hartmann'schen Geistes haben sich die Wogen der Leidenschaft « gleichsam beruhigt, die während jenes Zeitraumes die Gemüther in der Wirk- « lichkeit erregt haben... Fast zu derselben Zeit, wo die politische Sehnsucht der vor- « ausgegangenen Generation ihre Erfüllung fand, hat Hartmann, ein Bismarck des « Gedankens, die auseinander gehenden Richtungen der bisherigen Philosophie zur « Einheit zusammengefasst, die Bestrebungen der neueren Philosophie zum relati- « ven Abschluss gebracht und vollendet, worauf fast alle grossen Denker vor ihm « bewusst oder unbewusst abgezielt haben... Die häufig gehörte Aeusserung, dass es « heute bei der ungeheuren Anhäufung des Wissensstoffes nicht mehr möglich sei, « die Resultate der Einzelwissenschaften in einer philosophischen Weltanschauung « zu umspannen, hat er durch sein Lebenswerk widerlegt ». *(Eduard. v. Hartmann's philosophisches System im Grundriss.* - Heidelb. Winter. 1902). Longe sanius iudicium de eo profert Dr. C. Gutberlet his severis at iustis verbis: « In der Beurthei- « lung christlicher Wahrheiten und in der Sicherheit, mit der er seine eigenen Hirn- « gespinnste als absolute Wahrheiten hinstellt, zeigt sich ein geradezu empörender « Hochmuth. Solche abfällige leidenschaftliche Ausfälle stehen einem Denker, der « die höchsten Probleme der Menschheit endgiltig lösen will, schlecht an, am schlech- « testen einem Systembauer, der noch selbst nicht von den Ergebnissen seiner « Speculation überzeugt sein kann. Ich habe eine zu hohe Meinung von der Gedan- « kenschärfe Hartmann's, als dass ich glauben könnte, er nehme die Erlösung des « Absoluten durch den Massenmord der Menschheit und alles was damit zusammen- « hängt, ernst. Ich will ihn darum nicht der Verlogenheit zeihen; ich glaube, er « erlaubt sich einen Spass, indem er die blasirte Welt, welche an solchen sensatio- « nellen Einfällen Freude findet, an der Nase herumführt: sie will es ja nicht bes- « ser haben: mundus vult decipi: ergo decipiatur. Auf diese Auffassung seiner Phi- « losophie führt mich seine eigene Erklärung von der Stellung, die er der modernen, « so sehr bewunderten Cultur gegenüber einnimmt; er geniesst sie mit Ironie in « Mitleid mit der armen glücksheisshungrigen, bethörten Welt. - O hätte doch dieser « gewaltige Denker seine Kräfte einer ernsteren, würdigeren Aufgabe gewidmet! ». *(Philosoph. Jahrbuch.* xv. B. 3 Hft. 1902 p. 361,)

tamen aliqualiter pantheisticus scriptor. *Fred. Nietzsche* (1844-1901) [1]. Etenim non tantum admittit infinitam seriem evolutionum, sed contendit singulas fore prorsus inter se ad minima usque persimiles; ita ut unicuique nostrum eadem prorsus vita infinities sit vivenda.

Differt insuper ab Hartmann quatenus loco voluntatis vivendi, quam excoluerant Schopenhauer et Hartmann, ponit voluntatem dominandi *(Wille zur Macht)*. Haec voluntas est nutrix boni atque moralitatis. Inde quidquid ad potestatem augendam confert, est bonum [2]. E contra quidquid est miserum ac debile, est malum. Dum Schopenhauer, - quem inde impugnat acerrime, - christiane sentiebat, quando com-

[1] Quod ad blasphemias, et ad vere satanicum odium attinet, quo divinitatem in genere et modo specialissimo Christianam religionem impetit, vix unquam Nietzsche adaequatus est. Inde, — non nego et alias rationes ordinis esthetici intervenisse, — quando Richardus Wagner *Parzival* scripsit, Nietzsche, qui usque ad hoc tempus hunc musicum, utpote artis pantheisticae genialem praeconem, summis laudibus extulerat, indignabundus eum despexit, ac si ingenium laude crucis polluisset: « Richard « Wagner, ita ille, scheinbar der Siegreichste, in Wahrheit ein morsch gewor- « dener, verzweifelnder *décadent,* sank plötzlich, hilflos und zerbrochen, vor dem « christlichen Kreuze nieder.... Hat denn kein Deutscher für dieses schauerliche « Schauspiel damals Augen im Kopfe, Mitgefühl in seinem Gewissen gehabt? » * « Weh! dass auch du am Kreuze niedersankst » **.

Hinc sane illa celebritas Nietzsche, quae in ordine impietatis aequivalet famae Zola in ordine obscenitatis. Recte Dr. Ernestus Seidl: « So sehr auch Nietzche Kri- « tik übt an der modernen Zeit und der modernen Kultur, er ist doch ein Kind sei- « ner Zeit, und zwar ein *enfant terrible* seiner Zeit. Er hat alle Zeitirrtümer in sich « aufgenommen, sie radikal zu Ende gedacht und spricht sie mit unverblümter Of- « fenheit und offener Unverschämtheit aus. Es ist daher ein anerkennenswertes Un- « ternehmen, wenn man den Zusammenhang der Nietzsche Anschauungen mit den « Irrtümern der gottentfremdeten modernen Zeit aufzeigt und dartut » ***.

Quanta autem erat audacia eius impietatis, tantus et in re morum cynismus. Quippe super omnes leges semetipsum hominem constituens, apertissime proclamabat, omnia sibi licere, quae placerent. Imo in hac libertate ab omni praeiudicio morali characterem hominis cultioris consistere dictitabat. Bene Cathrein Nietzsche confert frenetico, qui in platea omnibus vestibus inverecunde abjectis, pudorem derideret, tanquam hominis ignobilioris servitutem:

« Das ist die Moral des Grössenwahnes, der sich für zu vornehm hält, um noch « unter einem Gesetze zu stehn. Wenn der etwas drastische Vergleich erlaubt ist, « so macht Nietzsche den Eindruck eines Irrsinnigen, der auf offener Strasse alle « Kleider von sich wirft und den Vorübergehenden zuruft, der geniale Mensch stehe « jenseits der Regeln des Anstandes » ****.

[2] Inde aristocraticum despotismum, ipsaque bella tuetur.

* Op. ed. minor. t. VIII, Lips. 1899, p. 200.
** Ibid. p. 362.
*** *Zur neueren Nietzsche-Literatur.* — *Literarischer Anzeiger.* 15 Oct. 1902, p. 4.
**** *Moralphilosophie* I. 3. p. 140, sq.

miserationem erga alios extollebat, Nietzsche e regione, pessimo pagano crudior, invehit in debiles [1]: « Omnes miseri « pereant! » en primum principium modernissimae moralitatis. Misericordia e contra, utpote opposita instinctui dominationis, est vitium. Ideale hominis est homo superior « Über- « mensch », a communis vitae legibus prorsus exemptus.

« Dominus autem irridebit eos » ! Et ecce ille vir, qui petulantia blasphemandi in Deum et in Christum coaevos impios superavit omnes, ita ut Antichristus non iniuria nuncuparetur [2], - nonne terribili iudicio Dei? - dementia correptus, miserrimam mortem praemature oppetiit. Felix saltem, quod non in ipsum alii, despectu insuperbientes, inhumanam illam sententiam exercuerint: « Omnes miseri pereant! »

At cum delirantis obitu non ipsa perierunt deliria. Imo pauci exstiterunt, non dicam philosophi, - Nietzsche [3], licet au-

[1] Si vir catholicus umquam nomine suae religionis tam inhumane scripsisset, undique indignabundi clamores eum obruissent; haec scribit homo christiani nominis infensissimus, et plerique mirantur. Sed nec iste error, etsi pessimus, dicendus est a moderno spiritu tantopere alienus: « Dieser subjektivistische und selbstherrliche Zug, « ait laudatus Seidl, ist bei Nietzsche zu schärfster Ausprägung gelangt, er ist aber « schliesslisch nur ein charakteristischer Grundzug der modernen Zeit. Daher sagt « auch Nietzsches Philosophie den Modernen zu: die Tendenz, das Individuum frei « zu machen von allem Zwang der gesellschaftlichen Verhältnisse; es auf sich selbst « zu stellen und selbst die dunklen Triebe der Herrschsucht und Grausamkeit mit dem « Glorienschein einer höheren Moral zu umkleiden, muss doch der dem Christentum « entfremdeten Welt zusagen, zumal es Nietzsche versteht, seine Ansichten in glän- « zender und gleissender Form darzubieten » *.

[2] Cf. Engell. Laur. « Fischer : *Friedrich Nietzsche der Antichrist in der neuesten Philosophie* » Ratisb. 1901. — Non Catholici scriptores tantum, sed et Protestantes contra Nietzsche scripserunt. At non semper felici calamo. Ita, v. gr., E. Pfennigsdorf (in protestantica ephemeride « *Theologische Rundschau* », ad ostendendum quantopere spiritus Christianismi individualismum excolat, quin ad excessus Nietzsche sit recurrendum, exempla profert splendidissima Lutherum et Principem de Bismarck. Verius dixisset, Lutherum fuisse magnum Nietzsche antesignanum, quatenus, qua iste in Christianismum, ille olim in Catholicismum petulantia doctrinae morumque licentia insurrexit; principem autem de Bismarck, pantheistam potius quam Christianum, uti ex litteris eius manifesto constat, exemplar sat felix exstitisse τοῦ Nietzschiani « Übermensch ».

[3] Solent opera Nietzsche in tres periodos distingui. In prima, maior pars operum tractat de re litteraria : ex hac periodo princeps elucubratio est: « *Die Geburt der « Tragödie* ». — In secunda iecit fundamenta suae absolutae revolutionis in ordine idearum ac morum: opus princeps huius periodi est: « *Also sprach Zarathustra* ». — In tertia periodo maxime evolvit suum aristocraticum individualismum τοῦ *Übermensch* usque ad apotheosim egoismi crudelis atque superbi: huius stadii scriptum

* Ibid., p. 5.

dacis ingenii, classici gustus, splendidaeque imaginationis, non erat philosophus, - sed scriptores, quorum opera tam parvo annorum spatio tot alia provocarint [1].

Lugendum sane, virum, optimis quidem dotibus praeditum, at omni modo destitutum, a pia infantia, - filium quippe protestantici pastoris, - ad extrema impietatis esse transgressum. At longe magis est dolendum, huiusmodi scriptorem, qui tenerrimas virtutes brutali pede conculcabat; qui artes omnes, utpote necessario fabulis addictas, de nova sua civitate pellere conabatur, stolidae, frigidae, superbae scientiae cuncta submittens; qui durus in debiles, in tyrannos bellatoresque pronus, humiles scabellum superbiae devovebat; qui pudorem omnem, omnesque morum leges de medio tollebat, quin eorum loco aliquid substituere valuerit: dolendum, dico, talem hominem tantopere a nostratis extolli; hominem sane, utpote generis dedecus silentio obterendum, nisi aetas nostra, in apostasiam eheu! lapsa, ipso pruritu blasphemiae, ipsa licentia voluptatum, duritieque egoismi in Nietzsche agnosceret veluti symbolum sui.

Interim mirare rursus quantopere veritas in medio triumphet. Ecce tibi ex una parte Pantheistas multos et Materialistas, qui collectivismum humani generis tantopere urgent, ut destruant prorsus individuum, ad rationem machinae prope redactum; ex alia parte ecce tibi Nietzsche individuum tantopere excolentem, ut collectivitas non videatur nisi superbo egoismo paucorum in praedam destinari. Utrimque pessimus apparet excessus.

Veritas autem Christiana stat in medio. Personalitas hu-

eminet: « *Wille zur Macht* », in quo feroci ira invehit in Christianismum (1. *Antichrist*).

Non conveniunt scriptores, in quanam epocha systema Nietzschianum fortius et purius sit expressum. Plerique existimant, periodum mediam fuisse transitionis tantum; veramque magistri doctrinam in tertia reperiri. At non desunt qui putent, Nietzsche in tertia periodo a semetipso deviasse, sive ex innato ei impulsu aristocratico et praeiudicio gustus hellenistici; vel forsan ex iam invadente ingenium dementia *.

[1] Cf. Dr. Ern. Seidl (*Zur neueren Nietzsche-Literatur.*, loc. cit.). Problema enim urget Nietzschianam criticam, discernendi scilicet quid adhuc integro quid iam insaniente cerebro scripserit.

* Cf. Otto Flake — *Nietzsches zweite Periode* (*Beilage zur Allgemeinen Zeitung*, 12 Nov. 1902, p. 280, sqq.).

mana nequit nullis limitibus contineri, quum homo ipse sit totus a Deo, cui per fidem et amorem inserviat ac pareat. Sed personalitas humana nihilominus est aliquid dignissimum, tum quia homo tota anima exsuperat alias creaturas visibiles, tum quia haec anima singularis et immortalis ordinatur in ipsum Deum cognoscendum et amandum, imo supra vires naturae per visionem beatificam possidendum. Quomodo ergo non esset magnum, quod ad tam sublimem sortem aeternamque destinatur? Non est utique illa destinatio apotheosis, qualem Tullius in somnio Scipionis pulcherrime quidem exaltat, at cum pantheistico excessu [1]. Est tamen sat sublimis, ut participative homo possit vocari filius Dei, divinaeque consors naturae [2]. Adde iam, hominem ad ipsam divinitatem esse sublimatum in Christo vero Filio Dei simul et homine, qui solus est adorabilis ille « *Übermensch* », in cuius exemplar nos omnes oportet transformari a claritate in claritatem [3].

At si Christianismus individuum, sub Deo utique Rege ac Domino, sancte excolit, simul nutrit amorem proximi fraternamque charitatem, quae civitates, tanquam maiores familias conglutinat dulcique robore mutuo fulcit [4].

IV. - De Pantheismo theosophico reinvolutionistico.

Post ea quae iam plus semel de hoc systemate superius diximus [5], pauca verba heic scopo facient satis.

Est scilicet Theosophia hybrida quaedam rerum permixtio, quae tum de Buddhismo, tum de Gnosticismo, tum de Pantheismo moderno elementa conflavit.

[1] Etenim putabant Stoici, hominem quantum ad animam participare immortalem dignitatem Dei, quem habebant uti animam universalem universi: « Tu vero « enitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc. Non enim tu is es, quem « forma ista declarat; sed mens cuiusque, is est quisque, non ea figura quae digito « demonstrari potest. Deum te igitur esse scito.... Ut mundum ex quadam parte mor« talem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet ». Et interpositis pulcherrimis sententiis de Deo omnium rerum principio sine principio, (v. gr.; « Caeteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo ») ad virtutem excitans, sedes aeternas bene operaturis promittit. (Op. cit., c. 8, 9).

[2] Ps. LXXXI, 6; II. PETR. I, 4.

[3] II. COR. III, 18.

[4] Cf. SCHAEPMAN (*Aya Sofia*, ed. 3.ª, p. 193, sq.).

[5] Cf. T. III, p. 869; t. IV, 139, sqq. 198, sqq.

Totius systematis medulla continetur radicitus in hac definitione Theosophiae: « *Question.* - On parle souvent de « la Théosophie et de ses doctrines comme d'une religion « nouvellement inventée; est-ce une religion? - *Réponse.* Ce « n'en est pas une. La Théosophie est la Connaissance ou la « Science divine. - *Q.* Quel est le vrai sens du terme? - « *R.* La sagesse divine *(Theo-sophia)* est la sagesse des « dieux, comme la Théogonie *(Theo-gonia)* est la généalo- « gie des dieux. Le mot *theos* signifie un Dieu en grec, « c'est a dire un être divin, et non pas Dieu, dans le sens « qu'on attache de nos jours à ce terme. En consequence, « la Théosophie n'est pas la " Sagesse de Dieu ", comme on « traduit par erreur, mais la *Sagesse divine,* la connais- « sance possédée par les dieux. C'est un terme vieux de « plusieurs milliers d'années » [1]. Igitur remittimur ad antiquissimam formam Pantheismi, illius scilicet cultioris, quo homo seipsum ut Deum agnoscens, nulla religione praeter suae dignitatis conscientiam teneri potest; in quam religionem, uti in solem, omnes particulares religiones, uti septem colores, convergunt [2].

Porro haec Theosophia est ad Buddhismum vulgarem, sicut ad Christianismum vulgarem secreta doctrina Christi [3].

Homo theosophicus est scintilla divina. « Nous disons que « l'étincelle divine dans l'homme est une et identique en es- « sence avec l'Esprit universel; et que par conséquent notre « Moi spirituel est en réalité omniscient, mais que les obsta- « cles de la matière l'empêchent de manifester sa connais- « sance » [4].

Re non differunt materia et spiritus, nisi quatenus in priore alter latenti modo continetur. « D'après nos ensei- « gnements, l'Esprit et la Matière sont *identiques;* l'Esprit « contient la matière à l'état *latent,* et la Matière n'est que « l'esprit cristallisé, comme la glace est de la vapeur soli- « difiée ». Conditio tamen prima omnium rerum est meta-

[1] H. P. Blavatsky (*La clef de la Théosophie,* traduit de l'anglais par M.me *de Neuville.,* p. 3, 4; cf. p. 81). — Cf. alios fontes allatos in fine t. III.

[2] Ibid. p. 84.

[3] Cf. ibid. p. 21.

[4] Ibid. p. 43.

spiritualis, et per genesim aliquomodo simul gnosticam et evolutionisticam tendit velut per circulum, ut cuncta redeant in id a quo initium ducunt [1]. Inde τὸ *Ego* personale, distinguendum a τῷ Ego individuali, per varias formas transit, sicuti in theatro idem actor plures successive agit personas [2]. - Humanum autem genus essentia unum est, et haec essentia una, infinita, increata, aeterna est Deus. « L'humanité est « absolument d'une seule et même essence, et cette essence « (que nous appelons Dieu en la nature) est une, infinie, in- « créée et éternelle » [3]. Inde si multi Darwinistae, ob legem suam fundamentalem selectionis, charitatem offendunt, Theosophia in fraternam charitatem maxime inducit [4]. Ratio obvia est: petitur ab identitate, quae omnes homines ad invicem colligat: « La racine de toute la nature, objective et subjec- « tive, et de tout ce qui se trouve dans l'Univers, visible « et invisible, *est, a été* et sera toujours, une seule Essence « absolue, dont tout provient et vers qui tout retourne » [5]. Totum itaque genus humanum est veluti una eademque planta [6].

Deus igitur, quem colit Theosophia, non est nisi pantheisticus conceptus. « *Q.* Croyez-vous en Dieu? - *R.* Cela dépend « de ce que vous entendez par ce terme. - *Q.* Je veux par- « ler du Dieu des Chrétiens, du Père de Jésus, du Createur; « du Dieu de la Bible et de Moïse, en un mot. - *R.* Nous « ne croyons point en un Dieu semblable à celui-là. Nous « rejetons l'idée d'un Dieu personnel, ou extra-cosmique et « anthropomorphe [7], qui n'est que l'ombre gigantesque de « l'*homme,* sans même reproduire ce qu'il y a de meilleur « dans l'homme. Nous disons et prouvons que le Dieu de « la Théologie n'est qu'un amas de contradictions, une im-

[1] H. P. Blavatsky, *La clef de la Théosophie.*
[2] Ibid. p. 50, sq,
[3] Ibid. p. 60, sq.
[4] Ibid. p. 63.
[5] Ibid. p. 64.
[6] Ibid. p. 67.
[7] Semper hi impii locutione ista stulte abutuntur, ut Christi divinitatem recusent, et facilius Deismum christianum impugnent. Imo negant, τὸ Absolutum cogitare, uti alibi vidimus. Simile quid reperitur apud Hartmann, qui contendit conscientiam sui esse imperfectionem, quia supponit cerebrum (!!) (*Philos. des Unbewussten*, p. 394, 537). — Inde forsan subtile illud dubium Edm. Picard.

« possibilité logique. Voilà pourquoi nous refusons de le re-
« connaître » [1].

Visne, amice lector, unam alteramve audire ex rationibus istis tantopere cogentibus, quae verum Deum absurditatis convincunt? Ecce duas primas. « Ce Dieu n'est-il pas « déclaré infini et absolu par ses adorateurs? - Il me semble « que oui. - Mais alors, s'il est infini, c'est-à-dire, sans limi- « tes, et surtout s'il est absolu, comment peut-il avoir une « forme ou être créateur de quoi que ce soit? L'idée de « forme correspond à celle de limite, de quelque chose qui « a un commencement et une fin; ensuite, pour créer, il faut « qu'un Etre pense, fasse un plan. Comment l'*Absolu* pour- « rait-il penser, c'est-à-dire, avoir la moindre relation avec « ce qui est limité, fini et conditionné? C'est une absurdité « au point de vue de la philosophie et de la logique » [2]. Quis, nisi haec scripta oculis cerneret, tam absurda audiens, non potius se somniare putaret? Et tales nugae, blasphemiis permixtae, uti profunda buccinantur!

Et pergit auctor Pantheismum suum theosophicum describendo: « Nous croyons en un Divin Principe Universel, ra- « cine de Tout, de qui tout provient, et en qui tout sera « absorbé, à la fin du grand cycle de l'Etre.... Notre Déité « .... se trouve partout: dans chaque atome du Cosmos vi- « sible et invisible;... car c'est le pouvoir mystérieux de l'évo- « lution et de la réinvolution, la puissance créatrice omni- « présente, omnipotente et même (!) omnisciente » [3].

Ex his ultimis verbis patet, hunc Pantheismum theosophicum recte vocari posse Pantheismum evolutionis et reinvolutionis.

Taceo consequens ex hac doctrina quoad orationes ad Deum faciendas. Theosophi nonnisi orationes voluntatis (*will-prayers*) admittunt [4]. Ecce quomodo D. A. Courmes in suo libro catechistico « *Questionnaire théosophique élémentaire* » hanc orationis indolem describit: « Se mettre en état de « méditation et " élever ainsi son âme vers Dieu ", c'est à

[1] H. P. Blavatsky, op. cit. p. 88.
[2] Ibid. p. 89.
[3] Ibid. p. 90, 92.
[4] Alias orationes despiciunt, utpote personalitati nocivas.

« dire tendre à élever son centre de conscience vers le *Soi* « supérieur, vers *Atma* [1] ou le rayon atmique qui éclaire « chacun de nous. Atma, en effet, est pour nous la représentation la plus rapprochée de la Divinité suprême, c'est « en quelque sorte notre Dieu individuel, notre Père qui est « dans les Cieux » [2].

Talis erat et oratio Christi, secus est absurda. Curnam? Audi rursus hominem, quae ignorat, crasse blasphemantem: « Sans cela, si nous identifions Jésus avec la déité universelle, il faudrait en venir à l'inévitable conclusion d'une « absurdité par trop illogique, que " Dieu lui-même " a prié « soi-même et sépara sa volonté de celle de Dieu auquel il « s'adressait! » [3].

Gnosticum autem elementum in Theosophia apparet tum ex toto systemate expirationis et inspirationis, tum ex multiplicibus naturae planis a supremo ad physicum.

Audiatur rursus D. A. Courmes: « *Q.* Que dit la Théosophie de la manifestation divine? - *R.* Qu'elle procède « par *expiration* et *inspiration,* comme si c'était la respiration d'un grand Etre, l'Absolu. Pendant l'expiration tout « vient en manifestation, c'est le *Grand Manvantara;* pendant l'inspiration tout se dissout, c'est le *Grand Pralaya.* « Cette sorte de mouvement alternatif dure éternellement, « comme l'Absolu dont il émane et qui est seul éternel. Chacune de ces phases est de durée limitée » [4].

Quare nulla datur creatio vera: « Rien ne vient de rien, « *ex nihilo nihil* ». Et in hoc Cosmo omnia sunt unum. « Chaque partie du Cosmos est semblable au tout.... Tout

[1] Cf. quae de variis partibus hominis theosophici alibi diximus (t. III, p. 140, sq.).

[2] P. 63, sq. Noli mirari modum, quo Theosophi ad Christum passim appellant. Christus enim iuxta eos erat Theosophus, quemadmodum iam pluribus Pantheistis protestantibus Christus est Pantheista. — Imo verba maxime sibi contraria Christi interdum ad sua placita detorquent. Visne scire, v. gr., quid significent verba Iesu orationem diserte commendantis: « Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam » *? Posito quod *Christus* idem sit ac *Atma-Buddhi-Manas* sive τὸ *Se*, « voici « ce que cela veut dire: le seul Dieu que nous connnaissons et que nous prions, ou « plutôt à l'unisson duquel nous agissons, est cet Esprit de Dieu dont notre corps « est le temple et qui y demeure ». (!!) (H. P. BLAVATSKY, op. cit., p. 102).

[3] Ibid. p. 102, sq.

[4] Op. cit. p. 14.

* IOANN. XIV, 14.

« est dans tout, et ce qui est en haut se trouve aussi en bas. « Telle est la base de la *Loi de l'Analogie* » [1]. « Dans leur « origine et dans l'éternité ces trois (scil. Deus, anima et « homo) comme l'Univers et tout ce qui s'y trouve contenu, « sont *un* avec l'Unité absolue, l'essence divine inconnais- « sable.... Nous ne croyons pas à une *création* [2], mais aux « apparitions périodiques et consecutives de l'Univers, pas- « sant du plan subjectif au plan obiectif de l'être, à des « intervalles réguliers qui comprennent des périodes d'une « immense durée » [3].

Plana autem sunt septem, per quae descendit manifestatio τοῦ Absoluti tempore expirationis, et per quae rursus ascendit tempore inspirationis, veluti per fluxum et refluxum emanationis et reditus. Sunt ordine descendente: planum 1) supremum, 2) paranirvanicum, 3) nirvanicum, 4) spirituale praenirvanicum, dictum archetypum, 5) spirituale ideale, dictum creativum, 6) astrate seu formativum, 7) physicum. Physicum autem in septem subplana distribuitur, hoc ordine rursus descendente: *a*) 1.m aethericum, *b*) 2.m aethericum, *c*) 3.m aethericum, *d*) 4.m aethericum, *e*) gazzeum, *f*) liquidum, *g*) solidum.

[1] H. P. Blavatsky, op. cit., p. 13.

[2] Visne audire profundam rationem a Theosophis istis allatam, ob quam, v. gr., repugnat catholica theoria de animabus, quas Deus in corporibus creat? Si Deus ita crearet animas, fieret complex adulterii quotiescumque animas infunderet corporibus ex huiusmodi congressu conceptis. Mira logica! Quasi malitia adulterii consisteret in conceptione uti tali, aut quasi in ordine morali eadem esset occasio et causa. Si valeret haec mira argumentatio, Deus nulli actui malo concurrere posset. Imo difficultas ex concursu divino ad actum materialiter malum est longe maior, quam difficultas ex concursu divino ad effectum materialem actus mali (Cf. H. P. Blavatsky. op. cit., p. 99. sqq.).

[3] H. P. Blavatsky, op. cit., p. 118. En, si hisce elucubrationibus delectaris, modum quo Theosophi hasce periodos veluti vates describunt. Nulla hucusque revelatio durationem nobis significavit magni motus expirationis et inspirationis τοῦ Absoluti. Systematis solaris periodus, quae vocatur *Mahakalpa*, complectitur circiter (quam modeste sonat istud circiter!) 311,040,000,000,000 annos. Pro catenatione planetaria ad quam terra nostra pertinet, periodus *Kalpa* simplex durat 40,320,000,000 annos. Periodus terrestris seu *Manvantara* est 306,720,000 annorum: constat autem septem Gyris, quorum media duratio est 43,817,000 annorum, quique et ipsi quatuor magnos Cyclos comprehendunt: *Krita Yuga* 1,728,000, *Treta Yuga* 1,296,000, *Divapara Yuga* 864,000 et *Kali Yuga* 432,000 annorum; qui Cycli ita sibi succedunt, ut se invicem parumper compenetrent; quod compenetrationis spatium crepusculum audit: quare Cyclorum spatium totale, sive *Mahaiuga*, non adaequate summae Cyclorum seiunctim sumptorum duratione aequivalet. Mundus nunc est quarto Gyro primi Manvantara, quo Gyro et homo esse incepit.

Logos est veluti sol centralis, cuius irradiatio per spatium, uti per luminosam substantiam primordialem, est vita absoluta, unica, divina. Per hanc irradiationem dum scintillae vitae divinae varia plana penetrant, in eisdem cum substantia horum planorum propria commiscentur, aliqualiterque sui fiunt consciae, incipiuntque viam ad individuationem, quippe in septem planis excitantur septem status conscientiae ad actuationem apti [1].

Quum Theosophi libenter ad axiomata Christi recurrant, satis sit hisce divagationibus addere verba: « Qui potest ca-« pere, capiat! » [2].

Et haec sunt somnia quae homines sapientiam semper in ore habentes praeferunt doctrinae christianae tam rationali, tam simplici de Deo aeterno universi hominisque in tempore aut melius cum tempore Creatore!

V. - De Pantheismo panentheistico.

Remanet ut de ultima quadam forma Pantheismi loquamur, de illa scilicet, quae, formulam Monismi mitigans, affirmat omnia quidem esse Deus, minus autem quatenus sunt in se, quam quatenus sunt in Deo. Theosophi ipsi ad hanc formam aliqualiter appropinquant, quando non simpliciter concedunt se esse Pantheistas [3]. Quare a Theosophia ad hanc formam sat intimus est nexus.

Huius Pantheismi aliqualiter uti antesignanus haberi potest *Ioannes Scotus Erigena* († 883), qui in opere Περὶ φύσεως μερισμοῦ haec scribit: « Quod ergo *nihilum* significat sacrae « theologiae ex quo omnia facta sunt, ineffabilem et incom-« prehensibilem divinae naturae, inaccessibilemque omnibus « intellectibus claritatem eius eo nomine significatam credi-« derim: quae dum per se ipsam cogitatur, neque est, neque

[1] Courmes, op. cit., p. 17, sq.

[2] Quae in Theosophia directius spectant ad originem hominis, ad legem τοῦ *Karma,* ad conditionem Nirvanicam, etc., melius differentur ad tractatus, in quibus data opera de his aspectibus christianae veritatis agetur.

[3] « La Théosophie reconnaît l'omniprésence divine, mais elle ne limite point là « les *aspects* de la Divinité. Ces aspects ne se bornent même pas à la somme de ceux « que présentent un ou plusieurs Univers, ils sont en nombre infini, car l'Absolu, — « leur racine, — est infini » (Ibid. p. 12).

« erat, neque erit. In nullo enim et a nullo intelligitur exi-
« stentium, quia superat omnia; cum vero per condescensio-
« nem quamdam ineffabilem in ea quae sunt, prodit, multis
« obtutibus conspicitur, ipsaque sola in omnibus esse inve-
« nitur » [1].

Huic positioni vicina est sententia *Almarici* Carnutensis († 1209) affirmantis, Deum esse principium formale omnium rerum, veluti animam mundi [2]; necnon sententia *Davidis a Dinando,* Almarici discipuli, docentis, Deum esse subiectum omnium rerum tam corporalium quam spiritualium, id est, « ὕλην seu materiam respectu corporum, νοῦν seu mentem « respectu animarum, Deum denique respectu intelligentia-« rum separatarum » [3]. Nec valde difert conceptus Pantheismi manifestationis, qualem finxit *Spinoza.*

Panentheismum proprie dictum seu doctrinam omnium rerum in Deo induxit *Kranse* († 1832) [4]. Est conatus hybridus componendi Theismum cum Pantheismo. At sicut plerumque de huiusmodi conatibus accidere solet, utrimque claudicat, ac proin parvo favore acceptus, brevem sortem habuit. Potior difficultas ad hoc systema movens videtur fuisse dilemma iam superius solutum: aut Deus est totum et creatura est nihil; aut creatura est aliquid, quod, nisi sit in Deo, totalitatem Dei destruit. Inter praecipuos fautores huius systematis adnumerandi sunt *Ahrens* († 1874), qui e Germania ob politicas rationes pulsus, illud invexit in Belgium, et successor eius atque discipulus *Tiberghien* († 1900) professor diu sat famosus in Universitate libera (massonica) Bruxellensi [5].

[1] *De divisione naturae,* c. III. De nexu inter hunc Pantheismum et conceptum Rosminii mox dicemus.

[2] Cf. S. Th. I. Q. III. a. 8. Ad hunc conceptum appropinquat *Hylozoismus,* qui animam ponit totum mundum unam pervadentem; sed non vocat eam Deum.

[3] Cf. De San (op. cit., p. 15).

[4] Cf. *Wesenlehre und Gotteslehre.*

[5] En quomodo Tiberghien hunc Panentheismum exponit: « Mais si Dieu est tout « l'être, où est donc le monde, où sont donc les êtres finis? Les êtres finis sont dans « le monde et le monde est en Dieu. Si le monde était hors de Dieu, Dieu ne serait « plus l'Etre, il serait un être, un être déterminé ou limité, existant à côté du monde. « Saint Paul a dit: « C'est en Dieu que nous sommes, que nous vivons, qui nous nous « mouvons », et tous les auteurs ont approuvé ces paroles. Les êtres finis ne se con-« fondent pas pour cela avec Dieu, pas plus que l'effet ne se confond avec la cause, « quoiqu'il soit contenu dans la cause. Tout ce qu'il y a d'être en eux vient de l'Etre-« a sa raison dans l'Etre et tire sa subsistance de l'Etre. C'est pourquoi ils sont sem-

Et haec dicta de Materialismo et de quibusdam Pantheismi formis pro scopo nostro satis sint. De *Darwinismo* simpliciter dicto satius duximus remittere sermonem ad Hexaemeron. Interim unum monere sufficiat: licet doctrinae Darwinianae passim addicantur patroni sivi Atheismi materialistici, sive Pantheismi evolutionistici [1], Materialismus tamen et Pantheismus nec historice nec logice ad essentiam Darwinismi pertinent. Quare de hoc systemate, utique puro, tunc disseremus, ubi de creationis operibus erit agendum.

Ex dictis patet, quo iure Concilium Vaticanum in varias Pantheismi formas sequentes canones decreverit: « Si quis « dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium sub- « stantiam vel essentiam: A. S. - Si quis dixerit, res finitas « tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e di- « vina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui ma- « nifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum « esse ens universale seu indefinitum, quod sese determi- « nando constituat rerum universitatem in genera, species, « et individua distinctam: A. S. » [2].

Corollarium. - Ex dictis in tota hac prima Sectione patet, dogma Dei Creatoris universi pertinere ad essentiam Christianismi, et quidem Dei Creatoris in stricto sensu creationis, principii scilicet efficientis extramundum, a quo omnia sunt totum id quod sunt, et ad quod omnia ordinantur [3].

« blables à Dieu, comme l'effet est semblable à sa cause, mais ils ne sont pas Dieu « ni une fraction de Dieu. Ils font partie du monde, qui est un tout collectif, mais « ils ne font pas partie de Dieu, qui est l'Etre pur et simple. Dieu est la cause du « monde, la cause première de tout ce qui est, parce que les divers ordres du monde « sont, en effet, déterminés selon l'essence ou les attributs divins. C'est à ce titre que « Dieu s'appelle le créateur et les êtres finis des créatures. La création est l'expres- « sion du rapport de causalité qui existe entre Dieu et le monde »: (*Eléments de morale universelle à l'usage des écoles laïques*, p. 183). In quibus verbis multa sunt optima; scopus autem est excessivus.

[1] Iterum monere liceat, non satis ab evolutionismo excessivo cavere nonnullos scriptores nomine catholicos; v. gr. e Germanis Cl. Schell et e Gallis Cl. Loisy. De ultimo libro prioris « *Religion und Offenbarung* » lege severum at aequum iudicium Cl. Glossner (*Iahrb. f. Philos. u. specul. Theol*, XVII, 2, p. 160 sqq.).

[2] *Const. de fid. cathol.* (DENZINGER, op. cit., n. 1650, 1651). — Cf. not. 4, p. 134.

[3] Alfr. LOISY, in opere « *L'Evangile et l'Eglise* », de essentia Christianismi uti ex Evangelio apparet contra opus A. Harnack (*Das Wesen des Christentums*) disputans, bene monet, essentiam Christianismi nullatenus in his tantum reponi debere, quae non iam in Antiquo Testamento continebantur. « Il est souverainement arbi-

Claudamus hanc appendicem fidei nostrae rationabilitatem proclamando. Ecce praecipua audivimus, quae humana ratio in Deum rebellis de origine rerum dogmati christiano praetulit. Quot contradictiones! quot absurditates! quot difficultates longe potiores! imo quot gratuita ad modum dogmatum affirmata! Revera non est, cur de fide nostra erube-

« traire de décréter que le christianisme doit être essentiellement ce que l'Evan-« gile n'a pas emprunté au judaisme, comme si ce que l'Evangile doit à la tradition « juive était nécessairement de valeur secondaire ». (*Introduction,* p. XVII). Et infra ad hominem arguens contra Harnack, qui essentiam Christianismi collocat totam in affectu ad Deum uti bonum Patrem, Loisy haec egregia scribit: « On dirait « que le Dieu de M. Harnack, chassé du domaine de la nature, chassé aussi de l'his-« toire en tant qu'elle est matière de fait et mouvement d'idées, s'est refugié sur « les hauteurs de la conscience humaine et n'est plus aperçu que là, de ceux qui « l'aperçoivent encore. Est-il bien certain qu'on ne puisse le voir d'ailleurs, et que, « si on ne le voit pas ailleurs, on le trouve là infailliblement? Ne pourrait-il pas, si « l'on ne faisait effort pour le retenir, être chassé aussi bien de ce dernier retran-« chement et identifié à " la catégorie de l'Idéal ", ou à " l'Activité imparfaite aspi-« rant au Parfait ", ces fantômes de Divinité dont la raison s'amuse, quand elle s'est « égarée en se cherchant elle-même, et qui ne sont rien pour la religion? La conscience « pourra-t-elle garder bien longtemps un Dieu que la science ignore, et la science « respectera-t-elle toujours un Dieu qu'elle ne connaît pas? Dieu sera-t-il bonté, s'il « n'est d'abord être et vérité? Ne le conçoit-on pas aussi facilement et aussi néces-« sairement comme source de vie et de vérité que comme bonté indulgente? Auronsnous besoin de lui pour rassurer nos consciences, si nous n'avons pas eu besoin « de lui pour affermir nos intelligences? N'est-ce pas avec toute son âme et toute son « activité que l'homme peut chercher Dieu et le trouver? Ne faut-il pas que Dieu « vive dans la nature et dans l'homme, et la formule intégrale de la vraie philo-« sophie religieuse ne serait-elle pas: " Dieu partout ", comme la formule intégrale « du christianisme est: Le Christ dans l'Eglise et Dieu dans le Christ? » (p. XXXIV). Haec sane, — si ultimam sententiam demas, amphibologiae obnoxiam, — eloquenter et acute dicta sunt. Quam dolendum, Loisy in hoc opere adversarium longe melius debellare, quam Catholicismum historice ex Evangelio vindicare! imo vindicare dicam, an prodere imbellem? Et sane nihil facilius erit ipsi Harnack quam demonstrare, inter Catholicismum et Evangelium Loisyanum non haberi solummodo illud discrimen evolutionis organicae eiusdem formae, quod habetur inter arborem et semen, sed *transformationis Darwinisticae de forma in formam;* ac proin Ecclesiam catholicam esse Evangelium non modo evolutum, sed *transformatum.* Quare non puto nimis durum esse iudicium, quod de hoc libro tulit « *Abbé Gayraud* » in folio « *l'Univers* » (1, 2, 3, 4, 9, 10 Jan. 1903), nisi quod quaedam nomine Harnack dicta, tanquam e mente ipsius Loisy prolata interpretetur. En verba quibus Gayraud iudicium suum claudit: « Quelle conclusion donnerai-je à ces articles? Assurément, il en ressort que « la crise biblique de la foi est d'une gravité redoutable. C'est pour attirer l'atten-« tion sur cette crise que j'ai longuement exposé dans ce journal les opinions du « savant éxégète sur le développement du christianisme primitif et son identité avec « le catholicisme d'aujourd'hui. Ses assertions générales, que j'ai citées dans le pre-« mier article, sont justes et traditionnelles. Il écrit: " Les anciens dogmes ont leur « racine dans la prédication et le ministère du Christ, dans les expériences de l'Eglise « et ils ont leur développement dans l'histoire du christianisme et dans la pensée

scamus. Quinimo alta fronte nos in Creatianismum credentes, de fide hac nostra gloriari oportet, utpote in pleno nobilique sensu vocis rationales [1]. Nedum enim haec nostra fides offendat rationem, quicumque eam reicit, rationem simul offendit [2]. Est enim, ut sententiam Ioanneam argumento accommodem, « rationis victoria, fides nostra » [3].

« théologique ; il ne pouvait en être autrement " : Rien n'est plus exact en paroles. « Mais, dans le fond, M. Loisy ne sauvegarde pas l'identité substantielle du catho- « licisme et du cristianisme de Jésus. A l'en croire, Jésus ne voulait, ne prêchait, « ne préparait que le prochain avènement du règne messianique ; il ne visait pas à « fonder l'Eglise, qui est venue, s'est établie et organisée comme société religieuse, « *praeter intentionem Christi,* tout en conservant une quintessence raffinée, mais « non chrétienne, de la prédication de Jésus. Divinité consubstantielle du Christ, « mystère de la Rédemption, culte sacramentel et hiérarchie écclésiastique, rien de « tout cela ne serait, à parler rigoureusement, d'origine chrétienne pure : c'est du « paulinisme, du johannisme, de l'hellénisme, de l'augustinisme, du romanisme, etc..., « d'où aurait résulté le catholicisme historique ; ce n'est pas du christianisme de « Jésus. Il y a *succession* de doctrines, mais non pas *progression* ou *explication* d'une « même pensée religieuse. A mon avis voila l'erreur et l'hérésie.

« M. Loisy cède trop à l'adversaire et compromet la cause catholique. Depuis « longtemps, je crois comme lui l'évolution du christianisme, et, comme lui encore, « je tiens que le travail théologique le plus nécéssaire à notre époque, c'est l'étude « de cette évolution et la mise en lumière des germes, des sources d'où le catholi- « cisme est issu, en d'autres termes, la description exacte et précise du christianisme « primitif. Je ne suis donc pas hostile aux recherches et à la méthode des critiques. « Mais je trouve qu'on va trop loin et je crains que la critique n'ait pour effet de « rendre suspects des travaux nécéssaires et légitimes. M. Loisy l'a écrit lui-même : « "Le Christ est inséparable de son œuvre et l'on tente une entreprise qui n'est « qu'a moitié réalisable, quand on veut définir l'essence du christianisme d'après le « pur Evangile de Jésus, en dehors de la tradition ". Eh bien, restons fermes sur « le terrain de la tradition et nous retrouverons dans les Evangiles et le divin « royaume des cieux et la filiation divine et la rédemption et la justification et la « substance du catholicisme tout entier. C'est la condition indispensable du progrès « théologique. Le Christ-Dieu constituant l'Eglise, voila tout le christianisme ; il « est tel dès l'origine dans la foi crétienne, ou ce n'est qu'une idole de l'esprit hel- « lénique et le catholicisme une idolatrie ».

[1] Hanc rationalitatem fidei simul cum irrationalitate incredibilitatis nuper strenue et acute vindicavit Cl. L. Meddi in dissertatione « *La ragione nella fede* », e qua placet haec saltem adducere verba: « L'uomo è ragione innanzi tutto; nè il ra- « zionalista può negarlo. Educhiamo nell'uomo la ragione. Fin dove vede chiaro di « per sè col lume, che si ebbe da chi la creò; fin dove vede un altro lume più risplen- « dente che si aggiunga al suo lume in chi la creò; fin dove s'inchina ossequiosa e « credente a quel lume infinito, che la creò. Educhiamo la ragione. Nò, non è vero « che ne' dogmi di fede sieno contradizioni alla ragione. Basta la sana ragione, la « sana logica, la sana scuola ». (P. 15). Hoc connubium Dantes in suo poëmate symbolice significat per Virgilium, figuram philosophiae rationis, et Beatricem, figuram theologiae fidei.

[2] Cf. *The world and its Maker,* by Father I. Gerard. S. I.

[3] I. Ioann. v, 4.

E contra de Materialistis illis sive Pantheistis valet illud Ieremiae: « Obstupescite caeli super hoc, et portae eius deso-« lamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit « populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et « foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere « non valent aquas » [1].

Utinam increduli, fame sitique veritatis ad meliora conversi, mox exclament: « Ergo erravimus a via veritatis, et « iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non « est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perdi-« tionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini « ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? » [2]. Utinam Christiani populi [3], strage erroris perterriti, iura Dei Conditoris rursum agnoscant, ut verificent illud quod canit Ecclesia: « Venient ad te qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia « pedum tuorum » [4]. Lux quippe Christi omnem aliam lucem exsuperat [5]; nec ulla praeter hanc est hominibus civitatibusve [6]

[1] Ierem. ii, 12, sq.

[2] Sap. v, 6, sqq.

[3] Quid autem dicendum de licentia impietatis, quae in mediis populis non modo christianis sed et catholicis, ex universitatum cathedris mentes iuvenum quotidie pervertit. Hoc anno, ex. gr., Vindobonae lector scientiarum naturalium ob incredulitatem famosus, lectiones incepit fidem uti superstitionem deridendo. « Die stolzen « Männer der Wissenschaft treten als Götter auf, die alles wissen und in ein par « Worten mit dem " alten Aberglauben " fertig werden ». Ita mihi scribebat catholicus iuvenis ad talia subeunda damnatus; et paucis interiectis addebat: « Wahrlich « von den Hochschulkathedern geht ein Strom des Verderbens aus, dessen Verwü-« stungen man erst erkennen wird, wenn es einmal zu spät ist ».

[4] Antiph. Matut. diei vi Oct. Epist.

[5] Placet hic referre verba pulcherrima quibus A. Harnack exorditur suam thesim « *Das Wesen des Christentums* »: « Der grosse Philosoph des Positivismus, « Iohn Stuart Mill, hat einmal gesagt, die Menschheit könne nicht oft genug daran « erinnert werden, dass es einst einen Mann Namens Sokrates gegeben hat. Er hat « recht; aber wichtiger ist es, die Menschheit immer wieder zu erinnern, dass einst « ein Mann Namens Iesus Christus in ihrer Mitte gestanden hat. Von Jugend auf « ist uns freilich diese Thatsache nahe gebracht worden; aber man kann leider nicht « sagen, dass der öffentliche Unterricht in unserem Zeitalter geeignet ist, uns das « Bild Jesu Christi auch nach der Schulzeit und für das ganze Leben eindrucksvoll « und als einen unveräusserlichen Besitz zu erhalten. Und wenn auch kein Mensch, « der einmal einen Strahl von Seinem Lichte in sich aufgenommen hat, je wieder « so werden kann, als habe er nie etwas von Ihm gehört, wenn auch auf dem « Grunde jeder einmal berührten Seele ein Eindruck zurückbleibt - diese verwor-« rene Erinnerung, oft nur eine " superstitio ", genügt nicht, um Kraft und Leben « aus ihr zu schöpfen ».

[6] Ipse Goethe, licet Pantheismo infectus hanc laudem Christianismi, ut principii

quaerenda, iuxta illud ex Isaia depromptum: « Venit lumen « tuum, Ierusalem, et gloria Domini super te orta est, et « ambulabunt gentes in lumine tuo » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum omne ens per participationem reducatur ad ens a se tanquam ad causam; et ens a se, utpote perfectissimum, non possit esse nisi unum, sequitur, omnia entia quibus constat universum, esse ab uno principio necessario, infinito, qui Deus est omnium causa *efficiens*.

2) Porro hoc primum principium alia entia condidit non ex aliqua praeiacenti materia, sed ex nihilo; nam singula condidit non solum quatenus sunt *haec* entia, aut *talia* entia, sed *entia*. Quare creata, ut creata, carent causa *materiali*.

3) *Exemplaris* autem causa omnium rerum Deus est: sapientia enim divina, universi artifex, omnia condidit iuxta rationes rerum, quas in mente tanquam exemplaria gerebat. Non ideo tamen nequeunt quaedam creata esse aliarum rerum creaturarum exemplaria, sed sub exemplari summo Deo.

4) Quum autem agens agat propter finem, et Deus solus sit seipso uti fine dignus, causa *finalis* omnium rerum Deus est, tum quia ipse in se omnia ordinavit, tum quia omnia modo suo, conscio vel inconscio, tendunt in Deum.

civitatum cecinit: « Mag die geistige Kultur nur immer fortschreiten, der menschli- « che Geist sich erweitern, wie er will; über die Hoheit und sittliche Kultur des « Christentums, wie es in den Evangelien schimmert und leuchtet, wird er nicht « hinauskommen ». Cf. SILVIO PELLICO (*Le mie prigioni*, c. 38).

[1] 2. Antiph. Vesp. Epiph.; Is. LX, 1, 3. — Pulcherrime Cl. SCHAEPMAN, perceleber ille poëta Batavus Romae nuper extinctus, gentes ut ad Deum redeant, ita compellat:

Gij kleinen en gij grooten,
Knielt en aanbidt hem weêr:
Eén Schepper, één Verlosser,
Eén Rechter, éenen Heer *.

* *Aya Sofia* (*Voorzang*, ed. 3.ª p. 14).

SECTIO II.

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

QUAESTIO XLV.

Posito dogmate creationis, - scilicet posito quod omnia, quae praeter Deum existunt, Deum habeant causam efficientem, sine praeexistente causa materiali, at praeexistente in mente divina causa exemplari et in divina voluntate causa finali, - iam penitius inquirendum est in *modum*, quo creata a Creatore procedunt.

Ordo, quem S. Thomas in hac investigatione sequitur, ex dicendis magis apparebit.

Tres veluti partes haec Quaestio complectitur. In prima S. Thomas directe quaerit, quid sit creatio, considerans scilicet actionem (1), agentem (2) et terminum (3, 4). - In secunda quaerit de subiecto creationis, utrum Deus solus (5), utrum SS. Trinitas, an una e tribus personis (6, 7). - Demum confert creationem cum operibus naturae et voluntatis.

ARTICULUS I.

UTRUM CREARE SIT EX NIHILO ALIQUID FACERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Antequam creationis possibilitatem, - pro Deo scilicet, - demonstremus, quod in sequenti articulo praestabitur, de ipsa definitione creationis inquirendum est. Nec praesupponit haec definitio possibilitatem rei; nam et impossibilia definire possum; imo nisi praehabita aliquali definitione impossibilitatem praedicare non valeo.

2) Definitio autem rei non exigit comprehensionem plenam ipsius rei definitae: secus quid iam definire possemus? Exigit autem ut ita res definienda notis circumscribatur, aut genere, ac specie seu differentia limitetur, ut non nisi rei definiendae conveniat.

3) Aliud rursus est definire rem et definire vocabulum. Vocabulum quidem latinum *creare*, - idem dic de voce graeca κτίζειν, - in usu classico usurpatur pro effectione aut evectione aut generatione: ita creantur consules, et procreantur filii. Imo non occurrit in significatione pressa dogmatis christiani, deficiente conceptu. Quare per usum Christianum haec vox evecta est ad hoc ut presso sensu perfectissimum genus effectionis exprimeret; quin tamen inde desierit omnino usurpari in sensu antiquo minus presso: unde et nunc dicuntur creari Pontifices, Cardinales, Episcopi, etc.

Aliter dicendum est de voce hebraica בָּרָא, quae, maxime in forma *kal*, teste ipso Gesenio [1], significat creare in sensu catholici dogmatis. Caeterum, quum superius ostensum sit, creationis veritatem fuisse Hebraeis notissimam, nihil magis rationi congruum quam ut dicamus, vocem בָּרָא ad hunc conceptum exprimendum ab eis fuisse usurpatum, licet interdum ad formationem secundam aut imo ad emanationem generationis exprimendum usurpetur. Contextus ergo in dubio consulendus est ad discernendum, quo sensu hic terminus adhibeatur. Ita in principio Geneseos, dubium esse nequit, vocem בָּרָא usurpari in sensu creationis proprie dictae. Id enim evincunt *a*) verba " in principio ", utpote primum initium exprimentia; *b*) verba " caelum et terram ", quae idem sonant ac universitatem rerum, quin ulla fiat mentio alicuius elementi seu materiae praeiacentis; *c*) verba " terra autem « erat inanis et vacua ", quae ostendunt, in primo versu non esse sermonem de formatione secunda, sed de prima elementorum conditione. Idem dic de aliis locis multiplicibus Scripturae, in quibus eadem forma בָּרָא occurrit in sensu absoluto, quia ex toto contextu apparet, agi de hac plena effectione quae soli Deo competit et ob quam Deus vocatur שַׁדַּי, παντοκράτωρ [2].

4) Iam ad definitionem τοῦ *creare* accedamus. Et primo quidem constat, creationem esse in genere *effectionis*, seu *productionis*, - licet modo minus proprio possit ad genus emanationis redigi, uti mox apparebit ex ipso S. Thoma.

Porro triplex datur praecipue effectionis species. Vel

[1] *Thesaúr. ling. hebr. et chald.*

[2] Gen. xvii, 1; Ex. vi, 3; Iob. v, 17; vi, 4.

enim *a*) producuntur mere novae formae, sive novi modi in subiecto praeexistente, et haec operatio servat nomen genericum effectionis, vel vocatur *fictio, plasmatio,* aut aliquid huiusmodi; - vel *b*) ens vivens producit de se vivum simile sibi, quae *generatio* audit; - vel *c*) totum producitur sine ulla re praeexistente nexum qualemcumque habente cum hac re producta: et dicitur *creatio.* Accipe schema.

Effectio seu productio	*a*) novarum formarum seu modorum:	effectio, productio, fictio, plasmatio, etc.;
	b) entis vivi de vivo eique similis:	generatio;
	c) totius entis sine ulla re praeexistente:	*creatio.*

5) Quaeramus ergo penitius de definitione huius ultimae speciei effectionis, quae est creatio. Iam vero, uti alias iam diximus, definitio procedere potest vel modo negativo, vel modo positivo. In casu, possum in creatione considerare duplicem negationem: aliam a parte subiecti, aliam a parte temporis. Pariter affirmando possum intueri vel unice creationis terminum, vel simul et principium. Iuxta hanc utrimque geminatam bipartitionem, ecce sex definitiones creationis, quarum tres sunt potius negativae, tres autem positivae.

6) Definitiones potius *negativae* sunt. *a*) « *Productio rei* « *ex nihilo* eorum quae ad eius constitutionem spectant ». Quae ultima verba sunt declaratoria. Etenim quaecumque effectio producit aliquid, quod antea non erat, ac proin ex nihilo effectus illius, qui directe producitur, saltem formaliter. In creatione autem id « *ex nihilo* » afficit totam rem quae dicitur creari. Non insistimus multum huic considerationi in praesenti articulo, quia de hoc respectu directe agetur in articulo quarto huius Quaestionis. Interim observa, τὸ « *ex nihilo* », ἐξ οὐκ ὄντων, in hac definitione sumi, non α) in sensu causae materialis, qui sensus absurdus est; sed β) in sensu exclusae praecedentiae in ordine temporis, qui tamen sensus magis exprimitur in tertia definitione mox afferenda; maxime γ) in sensu exclusi cuiusvis subiecti ex quo effectus creationis educatur.

Interest autem inter sensum β) et γ), quod hic ordinem negat, dum ille ordinem affirmat. Quare sensus β) plus habet de positivo, saltem quoad formam; quae est ratio ob quam tertio loco ponimus definitionem, quae hunc sensum magis explicite exhibet.

Mox videbimus, tritam, sed crassam difficultatem, quae contra definitionem « productio rei ex nihilo movetur », provenire ex sensu α), qui omnino excluditur [1].

b) Vix differt ab hac prima formula definitio altera: « *Effec-* « *tio rei ex nihilo sui et subiecti* » (ἐκ μηδαμοῦ καὶ μηδαμῶς ὄντων). Verba enim « ex nihilo sui et subiecti » determinant verba « ex nihilo », quae in praecedenti definitione habentur.

c) Propinqua est tertia formula, quae tamen, uti modo monebamus, iam habet magis aliquid positivi, quatenus ordinem quemdam temporis proclamat inter id quod est effectum et quod nullomodo prius erat: « *ex non esse ad esse deductio* » (ἐκ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ εἶναι παραγωγή). Quae tamen definitio, ut recta sit, ita intelligi debet, ut verba « *ex non esse* » intelligantur, non solum de illa formalitate quae per operationem producitur, sed de tota entitate rei. Quae animadversio conducit ad eas definitiones, in quibus iam directius entitas termini consideratur.

7) Definitiones potius *affirmatae* sunt rursus tres: « *Productio rei secundum totam suam substantiam* ». Quibus verbis si cum quibusdam ad maiorem claritatem addo « *nullo prae-* « *supposito* » [2], iam definitio elemento negativo permiscetur. Sed haec verba nonnisi ad abundantiam adiunguntur, ut recte monet Cl. Palmieri [3].

b) Si iam penitius inquiro de obiecto formali talis effectionis, ecce habeo aliam creationis definitionem valde philosophicam: « *Productio entis in quantum est ens* ». Etenim, uti superius iam vidimus, aliae effectiones seu operationes possunt producere *ens* in quantum est *hoc* vel *tale:* solius autem creantis est producere ens in quantum est *ens*.

c) Unde assurgendo ad primum omnis entis principium huius effectionis capax, habemus demum definitionem, quam

[1] Cf. Th. Esser. (op. cit., p. 80, sqq.).
[2] Cf. S. Th. (I Quaest. LXV, art. 3, ad 3.m).
[3] Op. cit., th. I, — Lege hanc integram expositionem.

in hoc *Corpore* affert S. Thomas: « *Emanationem totius entis* « *a causa universali* ». Quae definitio simul exprimit terminum *a quo,* et *ad quem,* seu, ut pressius dicamus, principium actionis et eius terminum. Adverte tamen in hac definitione vocem « *emanationem* » intelligendam esse in sensu generico processionis, quatenus haec potest esse ad intra vel ad extra; nullatenus autem cum adsignificatione gnostica eductionis de propria substantia.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit, decursu temporis factum esse, ut vox « *creare* » staret pro effectione totius entis. Hic non est quaestio de voce, sed de re.

2. Obi. Concedi potest minor, saltem collatis ad invicem operibus naturae et artis. Vitium est in maiori. Supponit enim ad nobilitatem rationis conferre etiam nobilitatem termini a quo; quod falsum est, nisi sumatur in latiori sensu agentis. Dicendum ergo nobilitatem actionis mensurari a termino ad quem in sua relatione cum discrimine inter hunc terminum et subiectum ante actionem. Quum ergo in creatione hoc discrimen sit summum, quatenus creatio est productio ex nihilo subiecti, obiectio haec non solum solvitur, sed et validissime retorquetur.

3. Obi. Haec est trita obiectio, quam non solum creationi opponebant antiqui, sed et quae apud modernos adhuc recurrit (Cf. dicenda in Corollario I). Quae obiectio, licet inanis et crassa, ostendit tamen hunc modum loquendi non esse undequaque felicem, quum in sensum absurdum sat obvie inducat.

Sed contra est. Praeter testimonia Scripturae et Patrum in art. 1. Quaest. praecedentis allata, satis sit unum alterumve Patrem ex utraque Ecclesia audire.

1) E Patribus *Graecis* S. Irenaeus discrimen inter potentiam hominum et Dei his verbis ostendit: « Homines quidem « *de nihilo* non possunt aliquid facere, sed de materia subia- « centi; sed Deus quam homines hoc primo melior, eo quod « materiam fabricationis suae, *quum antea non esset*, ipse « adiuverit » [1]. Vides Irenaeum verba « *ex nihilo* » interpre-

[1] *De Haeres.* l. II, c. 10. — *P. G.* VII, 736.

tari maxime in sensu tertio (γ), quem supra attulimus, adiuncto utique secundo (β). - S. Chrysostomus pariter ait: « Audis, « Deum in principio fecisse caelum et terram, et *ex nihilo* « quae facta sunt, exstitisse; et dicis, prius exstitisse mate- « riam? Numquid opifex ille est homo, ut opus habeat sub- « iecto aliquo ad demonstrandam suam artem? » [1]. Hic Chrysostomus potius in recto ponit sensum γ), in obliquo sensum β). - S. Damascenus tertiam definitionem supra allatam adducit: « Ipse Deus noster fecit caelum et terram, et « omnia quae in eis sunt, *ex nihilo ad esse deducens*. Uni- « versa haec quidem: caelum, terram, aërem, aquam non « ex subiecta materia; alia autem fecit ex iis quae ab ipso « facta fuerant, puta animalia, plantas » [2].

2) E Patribus *Latinis* satis sit hunc locum addere S. Augustini: « Deus rectissime creditur omnia *de nihilo* fecisse, quia « etiamsi omnia de ista materia facta sunt, haec ipsa tamen « materia *de omnino nihil* facta est » [3]. Et pergit discrimen ostendens inter opificem humanum et divinum. Alibi idem Augustinus formulat egregiam definitionem quam quinto loco posuimus: « effectio omnium quae sunt, in quantum « sunt » [4].

Formula *ex nihilo* consecrata est, uti iam vidimus per Concil. oecumen. Lateran. IV [5], et per Concil. Vaticanum [6]. Catechismus autem Romanus ait: « Deus non ex materia « aliqua fabricatus est, sed ex nihilo creavit » [7], interpretans verba « *ex nihilo* » in sensu negativo tertio (γ).

In Corpore. Argumentatio S. Doctoris ita contrahi potest. Emanatio totius entis a principio generali eodem modo se habet ad totum ens, quo emanatio entis particularis a causa particulari ad ens particulare; atqui ens particulare non praesupponitur causae particulari; ergo nihil (scil. totalis negatio totius entis) praesupponitur causae universali; ergo creatio est ex nihilo seu ex non ente.

[1] *In Gen.* Homil. III, n. 2. — *P. G.* LIII, 34.
[2] *De Fide* l. II, c. 5. — *P. G.* XCIV, 879.
[3] *De Gen. ctr. Manich.* l. I, c. 6. — *P. L.* XXXIV, 178.
[4] *De Genes. ad litt.* op. imperf., c. 16. — *P. L.* XXXIV, 243.
[5] DENZINGER (op. cit., n. 355).
[6] Ibid. n. 1632.
[7] Art. I *Symb. fid.*

Comple hic dicta per ea, quae iam in art. 2. Quaest. praecedentis exposuimus.

Corollarium I. - Ex dictis apparet inanitas declamationum, quae contra creationem fiunt ex famoso axiomate « *ex nihilo* « *nihil* ». Est crassa confusio inter primum sensum (α) et duos alios (β, γ) supra allatos. Hoc sensu α) formula christiana « effectio rerum ex nihilo » nunquam est intellecta. Imo iam Eusebius contra hanc deturpationem protestabatur, et quidem in loco in quo simul catholicum dogma creationis exponebat: « Unum est, ait, omnium rerum principium... quod causa « est omnium rerum. Itaque quodcumque vult, id etiam est continuo, ipseque est sola causa τῆς οὐσιωρεως τε καὶ ὑπάρ- « ξεως omnium quae facta sunt: sunt enim illo volente... Quare « cum velit simul et possit, nulla re prohibente, neque impe- « diente, quidquid pulchrum et utile est tam in visibilibus « quam invisibilibus, ipse sibi confecit, quippe qui quasi mate- « riam quamdam et essentiam generationis constitutionisque « universorum suum consilium suamque potentiam praetu- « lerit. Ut nulla iam ratione dici possit ἐξ οὐκ ὄντων esse « quidquam eorum quae sunt; neque enim esse quidquam « potest ἐκ μὴ ὄντος: quomodo enim quod non est, causa « alteri erit ut sit? omne autem quod est, ex uno qui solus « et ante est, τὸ εἶναι λαβὸν ἔχει: quippe cum qui solus est « et semper est, iis omnibus quae ex ipso esse acceperunt, « causa fuerit, ut essent » [1].

Mirum inde est hominem acutum, qualis certe erat Cousin, tam leviter de hoc argumento scripsisse: « Qu'est- « ce que la création? Qu'est-ce que créer: Voulez-vous la « définition vulgaire? La voici: créer, c'est faire quelque « chose de rien, c'est tirer du néant, et il faut que cette « définition paraisse bien satisfaisante, puisqu'on la répète « aujourd'hui presque partout. Leucippe, Epicure, Lucrèce, « Bayle, Spinoza et tout les penseurs un peu exercés [2] demon- « trent trop aisément que *de rien on tire rien,* que du néant « rien ne peut sortir; d'où il suit que la création est impos-

[1] *Demonstr. Evang.* l. IV, c. 1. — *P. G.* XXII, 251.

[2] Mirare petulantiam huius modi loquendi. Igiturne S. Augustinus, S. Anselmus, S. Thomas, Bossuetius, etc. etc. non erant « des penseurs quelque peu exercés » ?

« sible » [1]. Est circa definitionem « vulgarem » vulgarissima confusio. - Longe melius Rabbi Moses Maiemonidis : « Nos enim « credimus, caelos non ex re aliqua (en sensum γ), sed post « simplicem et absolutam privationem (en sensum β) : ipse vero « (Plato) credit, quod existant et facti sint ex materia aliqua » (en inde falsam imaginationem τοῦ ex nihilo in sensu α). « Mun- « dum totum, hoc est, omnia entia praeter creatorem, post « puram putam privationem existentiam suam a Deo acce- « pisse, et prius Deum solum fuisse, ac praeter Deum nihil « plane... exstitisse ; postea vero demum secundum eius volun- « tatem et beneplacitum existere coepisse, prout sunt et « quidem *ex nihilo* » [2].

Corollarium II. - Collige pariter ex doctrina huius articuli, incredulos Pantheistas sine iure in creationem invehere, quasi haec notio constet verbis quibus nullus rationabilis sensus subesse possit. Etenim, uti recte advertit Iulius Simon [3], licet mens nostra intelligere nequeat, quomodo Deus

[1] *Introd. à l'histoire de la Philosophie,* 1. Leçon. Et paulo inferius, confundens emanationem totius entis a causa universali cum emanatione entis particularis a causa particulari, haec scribit : « Créer, c'est une chose très peu difficile à conce- « voir, car c'est une chose que nous faisons à toutes les minutes ; en effet, nous « créons toutes les fois que nous faisons un acte libre.... *Ainsi causer, c'est créer :* « mais avec quoi ? Avec rien ? Non, sans doute ; tout au contraire, avec le fond même « de notre existence » (5. Leçon). Vides rursus confusionem inter negationem subiecti et affirmationem causae materialis, vel negationem causae efficientis.

[2] *More Nevochim.*

[3] « Quand je dis : Dieu a crée le monde ; cela veut dire : Dieu a produit le monde « et il l'a produit en dehors de lui-même. Cette affirmation et cette négation sont « l'une et l'autre de la plus incontestable clarté. — Le mot de création implique « quelque chose de plus. Il signifie que, quand Dieu a produit le monde en dehors « de lui-même, il n'existait rien en dehors de Dieu, ni substance, ni phénomène. « Est-ce que cette troisième idée n'est pas aussi claire que les deux autres ? — Ainsi « donc sous les mot de création sont renfermées trois idées parfaitement intelligibles, « si intelligibles que toutes trois provoquent des négations très explicites et dans les- « quelles ne se rencontre pas la moindre cause d'obscurité. Que vient-on nous parler « de doctrine insignifiante ? Il n'y en a pas de plus pleine de sens. Certes, quand « j'affirme la création, je sais fort bien ce que j'affirme, et ce que je nie. Qu'y a-t-il « donc de réellement incompréhensible sous ce mot de création ? Une seule chose, mais « capitale. Je comprends que Dieu est la cause du monde ; je comprends que Dieu a « produit le monde hors de lui ; et je comprends enfin qu'avant la production du « monde, il n'existait rien en dehors de Dieu. Mais je ne comprends pas comment « Dieu a pu produire le monde dans ces conditions. Maintenant la prétention des « pantheistes apparait dans toute sa nudité : ils veulent savoir comment Dieu a « produit le monde. Nous aurons beau leur dire dans quelles conditions il l'a pro- « duit : si nous pénétrons le secret même de sa puissance créatrice, ils nous accuse-

creaverit, conceptum creationis nihilominus sat clare percipit, ut sciat quid per creationem significare velit. Tres scilicet veritates apprime intelligibiles per creationem affirmamus: *a*) Deum effecisse mundum, et quidem *b*) extra se, et quidem *c*) ita ut ante creationem nihil ad modum causae materialis existiterit extra Deum.

Haec tria, quid dicant, mens nostra percipit. Non ideo tamen percipit modum, quo Deus creat. Sed hoc non requiritur, ut rationabiliter creationem affirmemus. Quot enim res in simplici ordine naturae, quas solide affirmamus, imo recte definimus, quin tamen eas perfecte comprehendamus. Est confusio inter rem et modum rei [1].

Corollarium III. - Definitiones quas supra exposuimus demonstrant quid intersit inter creationem et alias operationes vel phaenomena alia plus minusve similia.

1) Creatio differt a *generatione Verbi,* tum quia Verbum non est factum, tum quia non est ex nihilo sed de substan-

« ront de ne pas nous entendre nous-mêmes, et de mettre des mots à la place des « idées. La vérité est que loin de savoir le comment de la création, nous ne savons « le comment de rien, pas même de la cause que nous sommes. Quelle est donc la « cause, en nous ou en dehors de nous, dont nous puissions dire le comment?.... « Notre ignorance est invincible, même quand il s'agit des causes secondes, même « quand il s'agit de la cause que nous sommes. Que sera-ce quand il s'agit de « Dieu? » (Loc. cit., p. 96).

[1] Nihil intolerabilius exigentia, qua increduli a nobis exposcunt, ut ex toto explicemus etiam illa, quae ob suam celsitudinem vires mentis creatae exsuperare debent. At illa nihilominus esse rationabilia, stricte demonstramus. Illi autem, praeter irrationabilia, quibus systemata sua permiscent, suam ipsi incredulitatem nequeunt probare rationabilem. Optime Brunetière: « J'admets un instant que nos adversaires « puissent nous prouver que les croyances que nous voulons annoncer à nos enfants « ne se démontrent pas. Je me retourne vers eux et je leur dis que leur incrédulité « se démontre bien moins » *. Inde nihil gente incredula credulius. Quid, v. gr., absurdius nuper dici potuit de fuga illa principissae Saxoniae cum filiorum suorum praeceptore, viro religionis experte, quam hanc scandalosam calamitatem opus esse Iesuitarum? Et nihilominus haec calumnia typis infinities prope vulgata, protestanticos lectores sat credulos invenit. Lepide Fontanius suo tempore dixisset:

On ne s'attendait guère
A voir Jésuite en cette affaire.

Recordor ludimagistri Wurtembergensis, qui, dum in nostro monasterio Maretiolensi hospes, pertinaci oculo ad pedes nostros respiceret, rogatus cur id ageret, erubescens confessus est, se a pueritia ita edoctum credidisse, catholicos monachos pedes gestare caprinos!

* Concio die 18 ianuarii 1903 Insulis Flandrorum habita ad libertatem scholarum christianarum contra massonicos tyrannos vindicandam.

tia Patris. Inde Ioannes dicit, per Verbum facta esse omnia; et Ecclesia canit: « genitum, non factum »; et in controversia Ariana Patres orthodoxi definierunt, Verbum non esse ἐξ οὐκ ὄντων. Praeclare S. Augustinus: « Ex quo fit, ut de « nihilo creaverit omnia, de se autem non creaverit, sed « genuerit quod sibi par esset, quem Filium Deum unicum « dicimus, quem, quum planius enuntiare rogamur, Dei vir- « tutem et Dei sapientiam nominamus, per quem fecit omnia, « quae de nihilo facta sunt » [1].

2) *Transsubstantiatio* eucharistica nonnisi improprie creatio vocari potest. Est enim conversio, non productio; unde terminus a quo, si ita fas sit loqui, non est nihilum, sed substantia panis et vini. Improprie tamen a Patribus interdum creatio appellatur.

3) Neque potest creatio proprie vocari *mutatio;* nam vera mutatio supponit saltem duplex instans in re quae dicitur mutari; creatio autem est instantanea productio totius entis. « In creatione, ait S. Thomas, per quam producitur « tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter « se habere nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum; « sicut si intelligitur aliqua res prius non fuisse totaliter et « postea esse » [2]. Est sensus β) ordinis temporalis, quem superius dedimus formulae « *ex nihilo* ».

Corollarium IV. - Pariter ex dictis manifestum est vitium in gemina definitione sequenti: *a*) « Creatio est transitus a « statu ideali ad statum realem », vel « a possibilitate ad « existentiam ». Hae formulae falsae sunt, quia quod res creata habebat in statu ideali aut possibilitatis, id totum servat postquam facta est realis et existens; quare hic nullus datur transitus, nisi improprio sensu.

b) Pariter falsa est definitio: « Conversio nihili in realita- « tem »; nam τὸ nihil est omnis conversionis incapax, utpote nihil. Desinit tamen τὸ nihil per creationem rei, sed istud nihil non erat τὸ nihil illius rei, quasi haec creata esset ex hoc nihil.

Corollarium V. - Doctrina huius articuli manifestum reddit quanto iure S. Congr. Inquisitionis die 18 Sept. 1861 se-

[1] *De lib. arb.* l. I, c. 2, n. 5.

[2] I. Q. XLV, a. 2. — *Sma ctr. Gent.* l. II, c. 17.

quentem definitionem creationis proscripserit: « Creatio sic « explicari potest: Deus ipso actu speciali quo se intelligit « et vult, tanquam distinctum a determinata creatura, homine, « v. gr., creaturam producit » [1].

Scholion I. - Ex hoc articulo rursus apparet error Scoti Erigenae affirmantis, omnia facta esse de ipsa substantia divinitatis.

Scholion II. - Ex analysi τοῦ creare conclude, creationem esse omnium operationum nobilissimam, quippe cuius terminus est nobilissimus, ens scilicet ut ens. Modo advertas in unione hypostatica praeter nobilitatem creatae, non quidem personae, sed naturae humanae, haberi in eodem instanti potentissimam nobilissimamque evectionem eiusdem naturae usque ad substantiam divinam. Quare haec unio creationi longe supereminet.

Quaeres. Estne omnino certum, Aristotelem adduxisse effatum « ex nihilo nihil » ad negandam possibilitatem creationis? – Nequaquam. Admittebat enim Aristoteles mundum aeternum, quatenus negabat mundum initium habuisse tempore mensurabili. Non autem inde negabat hunc mundum a prima causa causatum. Id patet ex modo quo locutus est de motu. Æternum scilicet pari ratione motum admittebat; at nullomodo hunc primum mundi motum eximebat a primo motore. Caeterum quomodo haec duo in mente Aristotelis stare non potuissent, quum ipse S. Thomas pronus sit in possibilitatem mundi aeterni vindicandam? Quare, nisi directe constet, Aristotelem intellexisse effatum suum « ex nihilo nihil fieri » ad excludendam rerum creationem, ex hoc solo effato non potest exclusio ista deduci [2].

De Doctrina S. Anselmi.

Postquam auctor *Monologii* solido argumentationis processu demonstravit, quaecumque in universo cernuntur, esse a Deo uti principio efficiente, et quidem non ex Dei substantia,

[1] Denzinger (Op. cit., n. 1522). - Cf. dicenda mox de Rosminio.
[2] Cf. Sylvium (In art. seq. S. Thomae).

sed ex nihilo condita, iam penitius investigat de significatione huius formulae « *ex nihilo* » [1].

1) Et primo geminam sibi ex hac formula difficultatem opponit. *a*) Sumendo *ex* in sensu causali, quam obiectionem per dilemma ita urget: aut hoc nihil contulit aliquid ad hoc quod ex nihilo factum est, et tunc quomodo nihil? aut nihil contulit, et tunc quomodo dicitur aliquid factum ex nihilo? - *b*) Premendo magis hoc dilemma circa ipsam vocem « *nihil* ». Scilicet « nihil » est aliquid vel non aliquid: si aliquid, ergo omnia facta sunt ex aliquo; si non aliquid, quum ex non aliquo nihil fieri possit, iuxta axioma: « nihil de nihilo », ergo nihil fit ex nihilo. Quod si verum esset, iam periret tota disputatio praecedens: « Ex eo namque quod quamdam substantiam « maxime omnium existentem inveneram, ad hoc ut omnia « alia sic facta essent ab ea, ut nihil esset unde facta essent, « ratiocinando perveneram. Quare si illud unde facta sunt, « quod putabam esse nihil, est aliquid; quidquid inventum « aestimabam de summa essentia, est nihil » [2].

Ita posita gemina difficultate, quarum altera per secundum membrum redundat in priorem, S. Anselmus in formula « ex nihilo » tres significationes repetit: primam prorsus negativam, veram utique, sed inusitatam, et in casu extra rem, quum neque ponat terminum ad quem; secundam positivam in sensu principii causalis, falsam, imo absurdam ac prorsus reiiciendam; tertiam rursus negativam a parte termini a quo, veram atque tenendam.

Audiatur ipse S. Doctor: « Tribus itaque, ut puto, modis, « quod ad praesentis impedimenti sufficit expedimentum, « exponi potest si qua substantia dicitur esse facta ex nihilo. « Unus quidem modus est, quo volumus intelligi penitus non « esse factum quod dicitur ex nihilo esse: cui simile est, cum « quaerenti de tacente unde loquatur, respondetur: de nihilo, « id est, non loquitur. Secundum quem modum de ipsa « summa essentia, et de eo, quod penitus nec fuit, nec est, « quaerenti unde factum sit, recte responderi potest, de nihilo, « id est, nequaquam factum est. Qui sensus de nullo eorum, « quae facta sunt, intelligi potest. - Alia significatio est, quae

[1] Cap. VIII (VII). — *P. L.* CLVIII, 155, sq.
[2] Col. 156.

« dici quidem potest, vera tamen esse non potest: ut, si dica-
« tur aliquid sic esse factum ex nihilo, ut ex ipso nihilo, id
« est, ex eo quod penitus non est, factum sit: quasi ipsum
« nihil sit aliquid existens, ex quo possit aliquid fieri. Quod
« quoniam semper falsum est, quoties esse ponitur, impos-
« sibilis inconvenientia consequitur. - Tertia interpretatio qua
« dicitur aliquid esse factum de nihilo, est cum intelligi-
« mus esse quidem factum, sed non esse aliquid, unde sit
« factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo
« contristatus sine causa, dicitur contristatus de nihilo. Secun-
« dum igitur hunc sensum si intelligatur, quod supra conclu-
« sum est, quia praeter summam essentiam cuncta, quae sunt
« ab eadem, ex nihilo facta sunt, id est; non ex aliquo: sicut
« ipsa conclusio praecedentia convenienter consequetur, ita
« ex eadem conclusione nihil inconveniens subsequetur » [1].

Sed ecce dum penitius hunc sensum tertium considerat, S. Anselmus aliam in eo significationem reperit, veluti quartam, quae habet aliquid positivi, non quidem ordine causalitatis, sed temporis: « Quamvis non inconvenienter et sine
« omni repugnantia, ea quae facta sunt a creatrice substantia,
« dici possint esse ex nihilo facta, eo modo quo dici solet dives
« factus ex paupere, et recepisse quis sanitatem ex aegritu-
« dine; id est: qui prius pauper erat, nunc est dives, quod antea
« non erat; et qui prius habebat aegritudinem, nunc habet
« sanitatem, quam antea non habebat. Hoc igitur modo non
« inconvenienter intelligi potest, si dicatur creatrix essentia
« universa fecisse de nihilo, sive quod universa per illam
« facta sint de nihilo; id est: quae prius nihil erant, nunc
« sunt aliquid. Hac ipsa quippe voce qua dicitur, quia illa
« fecit, sive, quia ista facta sunt, intelligitur: quia illa fecit,
« aliquid fecit; et cum ista facta sunt, non nisi aliquid facta
« sunt. Sic enim aspicientes aliquem de valde humili fortuna,
« multis opibus, honoribusve ab aliquo exaltatum, diximus:
« Ecce ille fecit istum de nihilo, aut factus est ille ab isto
« de nihilo: id est, ipse qui prius quasi nihilum reputabatur,
« nunc illo faciente vere aliquid aestimatur » [2].

[1] Loc. cit. 156, sq.
[2] Loc. cit. 157.

Appendix de doctrina Rosminii.

Praemissa, uti nota et alibi exposita, doctrina Rosminii de habitudine inter ens absolutum et ens relativum, inter ens initiale et entia finita, nonnulla pressius consideranda sunt de modo quo hic philosophus creationem sibi fingit.

Ante omnia prae oculis habenda est Rosminiana notio de quidditate entis infiniti et finiti. Audiatur prop. damnata 11ª: « Quidditas, - id quod res est, - entis finiti non constituitur eo « quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis « infiniti constituitur entitate, et est positiva; quidditas « vero entis finiti constitutur limitibus entitatis, et est nega- « tiva » [1]. Quae assertio duo confundit. Ex eo quod perfectionem entis infiniti tu ponere potes in affirmatione; non ideo quidditas seu perfectio entis finiti ponenda est in simplici negatione.

Audi iam consequens huius falsi conceptus. Si quidditas entis finiti est sita in negatione, ens finitum ponetur potius per actum negativum: « Finita realitas non est, sed Deus « facit eam esse addendo infinitae realitati limitationem » [2]. Et: « esse quod actuat naturas finitas ipsis coniunctum, est « recisum a Deo » [3]. In quo apparet contradictio: nam quatenus ens finitum dicitur constitui negatione aut limitatione, nimis deprimitur; ubi autem dicitur esse « recisum a Deo », longe nimis dicitur: Pantheismus enim affirmatur [4].

Ecce autem tres operationes divinae ad creationem concurrentes: scilicet abstractio, imaginatio, creatio. « Divina « abstractione producitur esse initiale primum finitorum « entium elementum; divina vero imaginatione producitur « reale finitum seu realitates omnes quibus mundus constat. »-

[1] Denzinger (op. cit., n. 1746).

[2] Ibid. prop. 12, n. 1747.

[3] Ibid.

[4] Propinqua est huic propositioni, alia propositio, sexta scilicet ex supramemoratis propositionibus 18 sept. 1861 a S. Congr. Inquisit. damnatis: « Res crea- « tae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infi- « nito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione « extra se ponit ». (Denzinger, n. 1521).

« Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina « synthesis, ideo unio duorum elementorum: haec sunt *esse* « *initiale*, commune omnium finitorum entium initium atque « *reale* finitum, seu potius diversa realia finita, termini di- « versi eiusdem esse initialis. Qua unione creantur entia « finita » [1]. Igitur creatio est operatio, quae triplici gradu constat; proprie autem tertio gradu completur. Abstractio enim et imaginatio praecedunt, utpote ponentes terminos, quibus omnia constant: ens scilicet initiale et ens reale finitum. Operatio autem synthetica, quae haec duo coniungit, proprie creatio est. Haec quam arbitraria sint et confusa, satis liquet [2].

Si autem quaeras quomodo haec synthetica operatio aliquid creare possit, Rosmini ait: « Esse initiale per divinam « synthesim ab intelligentia relatum, non ut intelligibile, sed « mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut exi- « stant entia finita subiective et realiter » [3]. In quo modo concipiendi creationem praeter alia vitia, illud sane obvium est, iam aliquid realitatis praesupponi in his terminis finitis realibus; quae realitas et ipsa deberet esse tota per creationem producta.

Hinc actus creativus Rosminianus non est omnino efficiens, sed ponens; « Id unum efficit Deus creando, quod « totum actum esse creaturarum integre ponit: hic igitur « actus proprie non est factus, sed positus » [4]. Utique in hac conclusione aliqualis consequentia habetur, sed haec ipsa consequentia novum vitium manifestat.

Iam et aliud vitium profluit ex tota indole pantheistica systematis Rosminii: creatio scilicet non est productio ex nihilo, sed, quemadmodum Scotum Erigenam affirmantem audivimus, est emanatio ex Deo: « Verbum est materia illa « invisa ex qua, ut dicitur Sap. XI, 18, creatae fuerunt res « omnes universi » [5]. Nec satis, libertatem actus creativi Rosminius insuper negat; ideo sane quia creationem nimis con-

[1] Cf. dicenda in articulo sequenti.
[2] Ibid. propr. 14, 15, n. 1749, sq.
[3] Ibid. prop. 16, n. 1751.
[4] Ibid. prop. 17, n. 1752.
[5] Ibid. prop. 19, n. 1754.

cipit ad modum emanationis: « Amor quo Deus se diligit « etiam in creaturis, et qui est ratio qua se determinat ad « creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente « perfectissimo semper inducit effectum: huiusmodi enim « necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis inte- « gram relinquit libertatem bilateralem » [1]. De qua libertate Dei creantis, post ea quae superius diximus [2], non superest hic tractandum. Observa tamen, quam parum praecise Rosminius exordiatur: « Amor quo Deus se diligit etiam in crea- « turis... » At, quaeso, in quibusnam creaturis; possibilibus an iam factis? Si prius, locutio est impropria; caeteroquin iste amor, quantum ad hoc quod habet de necessario, expletur per amorem divinae essentiae uti imitabilis. Si alterum, creatura de qua condenda quaeritur, iam existens praeoccupatur.

Et haec de Rosminio satis. Considerando falsam creationis definitionem quam suggerit, intimo nexu conducimur ad penitius inquirendum de divino creationis actu.

ARTICULUS II.

UTRUM DEUS POSSIT ALIQUID CREARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Determinato creationis conceptu, iam accedimus ad possibilitatem ut Deus aliquid creet. A conceptu ad possibilitatem actus non semper in Deo valet illatio, et quidem ob duas rationes: *a*) quia possumus nobis conceptum efformare rei impossibilis, v. gr. circuli quadrati, aut trianguli quadrilateralis; *b*) quia res concepta potest talem imperfectionem involvere, quae in Deo repugnet, puta malum culpae.

2) Porro demonstrabitur, Deum aliquid creare posse, si demonstrabitur, in conceptu creationis *a*) nihil haberi quod intrinsece repugnet, *b*) neque quod Deum ullomodo dedeceat. Haec duo sufficiunt pro Deo, quippe cui omnipotentiae sanc-

[1] Ibid prop. 18, n. 1753.

[2] Praeter auctoritates superius de hoc argumento allatas, cf. GLOSSNER (op. cit., p. 242, sqq.), et Card. MAZZELLA (op. cit., disp. I, art. 4).

tissimae nihil nisi ex hoc duplici fonte esse potest impossibile.

3) Creationem autem nihil habere intrinsece impossibile, demonstratur ostendendo, in conceptu qualem in praecedenti articulo exposuimus, nihil haberi quod contradictionem involvat. Haec autem contradictio sita esse deberet vel in transitu, vel in termino ad quem; in termino enim *a quo* nequit esse, quum iste desit; Deus enim non est terminus sed agens; et in Deo creante nulla contradictio reperiri potest, nisi habeatur a parte transitus, aut a parte termini.

Iam vero *a*) a parte transitus esse nequit contradictio, quia creatio α) non est mutatio, β) est sine medio inter nihil et creaturam, γ) fit in istanti [1]. Propter α) non exigit terminum a quo; propter β) potest infinita distantia inter nihil et esse transiri; propter γ) potest esse terminus simul in fieri et in facto esse.

b) Nec potest esse contradictio a parte termini ponendi, quum nihil praesupponat; nisi ageretur de facienda aliqua re contradictionem involvente; sed tunc impossibilitas non esset a parte creationis in se, sed creationis talis rei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ut valeret haec obiectio, duo deberent constare: *a*) antiquos Philosophos hoc axioma tanquam primae evidentiae habuisse, et quidem *b*) in sua relatione ad primam originem rerum. Iam vero hoc alterum non adest. - De difficultate mota ex eodem effato, ob male intellectam significationem formulae « *ex nihilo* », in praecedenti articulo satis diximus.

2. Obi. Supponit, creationem esse mutationem proprie dictam, quod falsum est. Habet tamen de mutatione secundum modum intelligendi, quia apprehenditur per modum motus, imo et transitus a non esse ad esse.

3. Obi. Supponit erronee, haec duo: τὸ fieri et τὸ factum esse, non posse stare simul in eodem instanti. Imo creatio, intellecta in sensu primae effectionis, non potest non esse talis, ut haec duo non sint simul.

4. Obi. Falso fingit, infinitum distans inter nihil et crea-

[1] Cf. Corollarium in fine huius articuli.

turam transeundum esse per aliquod medium. Quod utique esset, nisi, iuxta solutionem praecedentem, de essentia creationis stricte dictae esset, ut fieret in instanti [1].

Sed contra est. Hic recole quaecumque diximus in initio Sectionis primae, ubi dogma creationis ex Scripturis, Patribus et ex auctoritate Ecclesiae multipliciter demonstravimus.

Directe huc spectat titulus Παντοκράτωρ, Omnipotens, quem Scriptura, Liturgia et Symbola Deo libenter tribuunt. « Credo « in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et « terrae, visibilium omnium et invisibilium ».

In Corpore. Adverte, hoc argumentum non tam probare, Deum creare posse, quam Deum omnia creasse. Quare conclusio sonat: « Unde necesse est dicere, quod Deus ex nihilo « res in esse producit ». Scilicet: « ab esse ad posse valet « illatio ». Posse autem, - si non omnino directe, - quod in rebus quae captum rationis excedunt, vix unquam praestari potest, - indirecte multipliciter probatur: tum solvendo obiectiones contra hanc possibilitatem motas, tum ostendendo necessitatem ut quae sunt contingentia, quoad totum quod sunt, rationem habeant sui.

Processus autem Angelici est simplex. Per gradus enim assurgit ab opere artis ad opus naturae, et ab opere naturae ad opus Creatoris.

Alibi S. Thomas plures affert rationes ad directius demonstrandum, Deo competere ut sit aliis rebus principium essendi. Placet ultimam rationem transcribere in cap. 6, libri II, *Sm̃ae*

[1] Iuvat hic notare cum Sylvio *, ex S. Thoma **, duorum distantiam ad invicem se posse habere tripliciter; ut scilicet:

1) *ex utraque parte sit infinita:*	infinita albedo et infinita nigredo; — Esse divinum et nihil:	non datur pertransire;
2) *ex utraque parte sit finita:*	finita albedo, et finita nigredo; — ens creatum et non esse secundum quid:	frequenter transitur;
3) *ex una parte sit infinita, ex altera, finita:*	albedo finita et infinita nigredo; — ens creatum et non ens simpliciter:	potest transiri ex parte illa qua est finita.

* In S. Th. hoc loco.
** Cf. loca S. Th. ibidem allata, *De Verit.* Q. XXVII, a. 3, ad 9; *De Pot.* Q. III, a. 1, ad 3; n. 4, ad 2; IV *Sent.* Dist. V, Q. I, a. 3; Q. III, ad 3.

ctr. Gent. adductum: « Quanto alicuius actionis principium « est perfectius, tanto actionem suam potest in plura exten- « dere et magis remota; ignis enim si sit debilis, solum pro- « pinqua calefacit; si autem sit fortis, etiam remota. Actus « autem prorsus, qui Deus est, perfectior est quam actus « potentiae permixtus, sicut in nobis est; actus autem actio- « nis principium est. Quum igitur per actum qui in nobis « est, possimus non solum in actiones in nobis manentes, « sicut sunt intelligere et velle, sed etiam in actiones quae « in exteriora tendunt, per quas aliqua facta producimus, « multo magis Deus potest, per hoc quod actu est, non solum « intelligere et velle, sed etiam producere effectum; et sic « potest aliis esse causa essendi ».

Fatendum tamen, ex aliis effectionum speciebus nullam desumi posse comparationem strictam cum actione creativa. Sed in hoc ipso nobilitas singularis et virtus huius actionis resident.

Appendix de analysi actus creativi.

Superest ut breviter analysim instituamus huius actionis, quam superius multipliciter definivimus et quam S. Ambrosius tam eleganter describit his verbis: « Auctorem Ange- « lorum et Dominantium et Potestatum facile intelligimus « eum, qui momento imperii sui hanc tantam pulchritudinem « mundi, ex nihilo fecit esse, quae non erat, et non de extan- « tibus aut rebus aut causis donavit habere substantiam » [1].

Iam vero prae oculis habita doctrina hucusque exposita, actus creativus describi potest: « *Actus liber et aeternus « divini intellectus divinaeque voluntatis, formaliter imma- « nens, virtualiter seu terminative transiens* ». Quam descriptionem paucis verbis per partes evolvamus [2].

1) *Liberum* esse debere actum creativum, iam superius ostendimus; et sane, si non esset hic actus liber, quomodo esset creatura contingens? quomodo ipse Deus sibi esset vitali beatitudine ad intra sufficiens?

2) *Aeternus* nihilominus est iste actus, quum nihil possit immutabili Dei accedere, neque perfecto Deo adiungi.

[1] *Hexaemer.* l. I, c. 4.
[2] Cf. in Scholio II. propositionem damnatam Abaelardi.

3) *Divini intellectus* autem dicitur, licet ex omnipotentia fluat et potentia ad voluntatem spectet; nam divina Sapientia nihil agere potest, quin sapienter id agat. Haec est causa exemplaris praelucens causae efficienti. Huc spectat sententia Ioannis, omnia Deum fecisse per Verbum [1].

4) *Divinae voluntatis* proprius est actus creativus, quatenus actum intellectus ponit in obliquo, ne dicam logice praesupponit; actum autem voluntatis in recto. Utrumque habetur in verbis: « Dixit: fiat lux! ». « Dixit » involvit actum intellectus; « fiat » ponit actum voluntatis.

5) *Formaliter immanens, virtualiter seu terminative transiens.* Ut vis huius partis sane praecipuae nostrae analysis appareat melius, recolendum est, quid sit operatio immanens, quid transiens. Utramque S. Thomas ita describit: « Est « duplex rei operatio. Una quidem, quae in ipso operante « manet, et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelli- « gere, velle; alia vero, quae in exteriorem rem transit, « quae est perfectio facti, quod per ipsam constituitur, ut « calefacere, secare, et aedificare » [2]. Formaliter autem immanens est operatio, « quae secundum totam suam realitatem « manet in eodem subiecto, a quo procedit, illudque perfi- « cit »; formaliter transiens est operatio, « quae non est « secundum suam realitatem saltem totam in subiecto agente, « sed extra ipsum completur » [3].

Ex his apparet,creationem non posse esse in Deo actionem formaliter transeuntem. Etenim, ut ait rursus S. Thomas, « Deus non agit aliqua actione, quae sit extra ipsum, « quasi ab ipso exiens et in creatura terminata, sicut calefactio « exit ab igne et terminatur in ligna; sed eius velle est eius « agere; et hoc modo sunt res, secundum quod Deus vult « eas esse » [4]. Et paulo superius: « Divina actio non potest « non esse de genere illarum actionum, quae non sunt in « agente, cum sua actio sit sua substantia.... Oportet igitur « quod sit de genere earum actionum quae sunt in agente,

[1] Quando ergo Patres dicunt, Deum operari sola voluntate (cfr. S. Clem. Alexandr. *Admonit. ad Gent.*: « Ipsius Dei sola voluntas est »), hoc sensu sunt intelligendi.

[2] *Sma ctr. Gent.* l. II, c. 1.

[3] PALMIERI (op. cit., th. V, p. 61).

[4] Ibid. c. XXXI, n. 3.

« et sunt quasi perfectio » [1]. Actio ergo creativa est formaliter immanens.

Haec tamen formula non sufficit, quum non dicat respectum et influxum huius rationis in terminum externum quem ponit. Nam licet generatio Verbi et creatio mundi sint ambae operationes immanentes, prior non ponit terminum nisi ad intra, altera ponit terminum ad extra. Quum igitur a termino extrinseco operatio habeat ut sit transiens, creatio autem non possit dici formaliter transiens, ad exprimendam virtutem, qua terminus ponitur, vel ipsum terminum, utique extrinsecum, dicitur recte *virtualiter seu terminative transiens*.

Est scilicet actus creativus tantae virtutis ad extra, tamque potenter ponit terminum ab agente intentum, ut, nisi in Deo operatio formaliter transiens aliunde repugnaret, actio creativa talis esset dicenda. Quare ad simul servandum quod exigunt perfectio divinae operationis ad intra et efficacia eiusdem ad extra, hoc nomine veluti medio nuncupatur.

Si autem quaeris ulterius, quomodo possit haec efficacia illustrari, placet respondere cum laudato Palmieri: « Actus « immanens voluntatis nostrae, prout est volitio eorum quae « sunt alia a se, iam habet ordinem quemdam ad res quae « sunt extra; prout est imperium movens facultates ad opera- « tionem, iam est principium quoddam executionis et produc- « tionis eorum effectuum, qui procedunt a facultate activa « quae subest imperio voluntatis: inest proinde actui volun- « tatis quidam ordo et quaedam efficacia ad extra. Haec qui- « dem efficacia in voluntate finita est limitata, et non nisi « mediata; si vero actus voluntatis sit infinitae perfectionis, « eius efficacia erit quoque infinita, neque indigebit aliis viri- « bus intermediis ad productionem effectus, sed ex se efficax « erit. Quocirca erit quidem actus formaliter immanens, sed « virtualiter transiens, quia efficax ad extra. Itaque actui im- « manenti repugnat esse formaliter transeuntem, nequaquam « vero repugnat esse virtualiter transeuntem » [2].

[1] Ibid. c. XXIII, n. 4.

[2] Op. cit., p. 64, sq. Ex quo rursus vides, quantopere problemata divina conceptus philosophicos sua luce collustrent. In tractatu de *Deo Trino* aliquid simile ex mysterio SS. Trinitatis accepimus, scilicet relationem non esse necessario contra

Fatendum est nihilominus, non deesse Scholasticos, qui cum Suarezio [1] existiment, creationem esse formaliter transeuntem. Sed iste modus loquendi pendet a doctrina quadam philosophica de actione considerata ut motu. Si enim inter vim agentis ut est in agente, et effectum actionis uti est in patiente, semper datur aliquid medii, scilicet effluxus agentis uti est in patiente [2]; iste effluxus consideratus in creatis poterit aliqualiter vocari actio, non quidem uti est in Deo, sed uti est in termino quem ponit. Utrum autem in creatione hoc medium sit admittendum, videbimus in articulo sequenti. Caeterum etiamsi istud medium admittatur, nondum per hoc explicatur, quid sit actio creativa in ipso Deo, et quid in hac actione sit radix huius medii extra Deum, medii scilicet inter Deum et terminum creatum uti effectum.

Scholion. - Ex hac analysi conclude, in Deo voluntatem agendi esse ipsam agendi potestatem. Praeclare Toletus: « Deus hoc habet proprium, ut actione sua immanente, quae « potentissima est, agat etiam exteriora: nam dum intelligit « et vult, res fit. Nec alia est in Deo actio quam volitio et « intellectio; nec enim aliam habet potentiam exsecutivam « praeter voluntatem: quod si haberet, tunc actio esset extra « ipsum in passo, sicut quum ignis calefacit » [3].

Profunde ergo Scriptura testatur: « Omnia quaecumque « voluit, Dominus fecit in caelo et in terra »; id est, volendo fecit, quia libere et potenter [4]; et Hippolytus: « Fecit sicut « voluit, Deus enim erat » [5].

Corollarium I. - Ex dictis in hac appendice vides, erronee Kuhn [6] in Deo posuisse duplicem operationem, aliam immanentem, qua seipsum evolvit in personalitatem et libertatem, alteram transeuntem, qua alia a se producit. Consequens huius doctrinae erat, negare, Deum uno eodemque

substantiam uti alia octo praedicamenta contradistinguendam, sed esse posse accidentalem vel substantialem.

[1] *Metaph.* disp. xx, dist. 5.

[2] De hac causalitate media inter causam et effectum ut talem lege MAURUM (*Quaest. philos.* l. II, Q. 20).

[3] *Enarr.* in I p. Q. xxv, a. 1.

[4] Cf. in hunc locum Theodoretum (*De curand. Graec. affect.* IV. *De Materia*).

[5] *Adv. Noët.* n. 10.

[6] *Tüb. theol. Quart.* 1845, p. 219.

actu velle seipsum et alia a se. Et sane, ut optime animadvertit Glossner [1], id ponere debebat Khun, ne, si Deus eodem actu seipsum evolveret et alia crearet, haec alia de evolutione divinitatis pantheistice participarent. Sed haec doctrina tum quoad evolutionisticam operationem immanentem, tum quoad operationem transeuntem admitti nequit, quum offendat Dei perfectionem et immutabilitatem.

Corollarium II. - Ex analysi actus creativi, qualem modo instituimus, sequitur quoque, creationem *non esse successivam,* sed *instantaneam.* Id diserte affirmat pluribusque argumentis illustrat Angelicus. « Omnis creatio absque succes-« sione est, nam successio propria est motui; creatio autem « neque est motus, neque terminus motus, sicut mutatio; « igitur nulla est in ipsa mutatio ». - Et sane, ubi datur successio, datur medium inter extrema: « Inter esse autem et « non esse, quae sunt quasi extrema creationis, non potest esse « aliquid medium ». - Rursus, ubi datur successio, fieri est ante factum esse. « Hoc autem in creatione non potest accidere, quia « fieri, quod praecederet factum esse creaturae, indigeret ali-« quo subiecto, quod non posset esse ipsa creatura, de cuius « creatione loquimur, quia illa non est ante factum esse; nec « etiam in factore, non enim moveri est actus moventis, sed « moti ». - Quod dictum est de motu, valet et de tempore. Nequit esse creatio successiva, quia nequit dividi tempore, nec secundum quantitatem, nec secundum intensionem, sive consideretur a parte dispositionis ad formam inducendam, sive a parte formae inducendae. « Nam ipsum esse substantiale crea-« turae non est divisibile modo praedicto: quia substantia non « recipit magis et minus; nec in creatione praecedunt dispo-« sitiones, materia non praeexistente, nam dispositio a parte « materiae est ». Et sane in aliis effectionibus successio requiritur vel quia materia est praedisponenda ad effectum, vel quia ipse agens suam virtutem successive evolvit. « In crea-« tione autem nihil praeexigitur ex parte materiae, nec « aliquid deest agenti ad agendum, quod postea per mo-« tum ei eveniat, cum sit immobilis..... Relinquitur igitur « quod creatio sit in instanti: unde simul aliquid dum

[1] Op. cit., p. 245, sq.

« creatur, creatum est, sicut simul illuminatur et illumina-
« tum est » [1].

Haec instantaneitas actus creativi eloquenter insinuatur in Scripturis: « Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et « creata sunt » [2].

Scholion I. Vides ex dictis, errorem Scoti Erigenae fuisse, quod non satis perceperit necessitatem ut operatio divina esset formaliter immanens. Qui error communis est omnibus Gnosticorum speciebus.

Scholion II. Pariter vides, quanto iure Innocentius II post Concilium Senonense (ann. 1140) damnaverit propositionem septimam Abaelardi: « Quod ea solummodo possit Deus facere « vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo « facit, et non alio » [3]. Etenim actus Dei virtualiter transiens liberrimus praedicandus est, non tantum libertate a coactione, sed libertate contradictionis, quatenus quidquid extra se fecit, potuisset Deus non facere si ea non facere praetulisset.

ARTICULUS III.

UTRUM CREATIO SIT ALIQUID IN CREATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de creatione activa, hoc est, de actu quo Deus creat; iam de creatione passiva, seu de ea re quam creatio in creato ponit.

2) Iam vero creationem passivam non esse nihil, manifestum est. Quidquid enim entitatis est in rebus, id totum a creatione activa tanquam effectus a causa derivatur. Quare damnata est a Ioanne XXII propositio 26ª Ekkardi: « Omnes « creaturae sunt purum nihil » [4]. Quod elementum positivum Rosminius in creatione passiva non satis agnovit [5].

3) Si iam quaeris, quid sit id quod in creatis respondeat creationi activae, respondendum est, esse relationem qua

[1] *Sma. ctr. Gent.* l. II, c. XIX.

[2] Ps. CXLVIII, 5. — Cf. « Fiat lux, et facta est lux ». Licet hic stricte agatur de rerum efformatione, a fortiori valet argumentum de creatione.

[3] DENZINGER, n. 316.

[4] Ibid. n. 443.

[5] Cf. appendicem praecedentem.

creaturae in auctorem suum feruntur, et quidem relationem cum adsignificatione novitatis essendi; per quam adsignificationem in creatis distinguitur relatio creationis ad Deum creantem, et relatio sustentationis ad Deum conservantem: « Creatio, inquit S. Thomas, nihil aliud est realiter, quam « relatio quaedam ad Deum cum novitate essendi » [1]. Haec autem relatio est summae dependentiae, scilicet, ut cum Aquinate loquar: « ipsa dependentia esse creati ad princi- « pium, a quo instituitur » [2].

4) Si ulterius quaeris, utrum haec relatio sit rationis an realis, respondetur, esse realem: nihil enim ei deest ex his, quae realem relationem constituunt [3]: sunt enim termini reales, realiter ab invicem distincti, et fundamentum relationis in creaturis est reale. - Nec obest, hanc relationem in Deo esse tantum rationis. Nam *a*) non oportet ut utrimque relationes sint eiusdem gradus sive speciei; *b*) in Deo ratio ob quam relatio ad creaturam nequit esse realis, est ipsa immutabilis aeternitas Dei: quae ratio pro creatura non adest, nec adesse potest. Nam licet creatio non sit mutatio stricte dicta, ponit nihilominus cum ipso initio mutabilitatem.

5) Si demum ulterius quaeris, utrum ista relatio realis sit ipsa realitas creaturae considerata sub formalitate relationis, an aliqua realitas distincta ad modum accidentis, in diversa abeunt theologi. Scotus, aliique putant, esse relationem transcendentalem identificatam re cum creatura; plerique Thomistae existimant, esse praedicamentalem.

Equidem fateor, me non videre rationem cogentem, ut haec relatio dicatur praedicamentalis ad modum accidentis distincti a subiecto. Utique si creatio posset fieri ab alio quam a Deo, distinguendum esset realiter esse creaturae a relatione ad suum factorem; sed quum nonnisi Deus creare possit, idem esse, quatenus consideratur in sua dependentia a suo auctore, dicitur esse relatio eius ad Creatorem. Putamus proin, inter hoc esse creaturae et hanc relationem non haberi nisi distinctionem rationis; relationem autem hanc

[1] *Pot.* Q. III, a. 3, c.
[2] *Sma ctr. Gent.* l. II, c. XVIII.
[3] Cf. S. Th.: Opusc. XLIV, tract. 5, c. 1.

inde magis fieri realem, quum eius realitas sit ipsissimum totumque esse eius [1].

6) Potest nihilominus esse creaturae considerari tanquam subiectum huius relationis, quatenus haec relatio apprehenditur veluti consequens operationem divinam. Hoc sensu possunt intelligi verba S. Thomae: « Si sumatur passive « (creatio), sic est quoddam accidens in creatura, et sic signi- « ficat quamdam rem, non quae sit in praedicamento passio- « nis proprie loquendo, sed quae est in genere relationis; et « est quaedam habitudo habentis esse ab alio, consequens « operationem divinam; et sic non est inconveniens quod « sit in ipso creato, quod educatur per creationem sicut in « subiecto » [2]. Quae verba ita explicat Valentia: « Secundum « quam opinionem dicendum est, fundamentum huius rela- « tionis esse entitatem creaturae ut productam et dependen- « tem a Deo, tanquam a causa. Unde sequitur ut ex natura » rei haec entitas creaturae sit ordinata, ut effectus ad cau- « sam, ad Deum. Quapropter Deum respicit creatura, formali- « ter relatione reali de fundamento ad aliquid » [3].

7) Scilicet in instantanea actione creativa triplex veluti momentum sive respectus distingui potest. *a*) Primum momentum seu primus respectus est actionis creativae quatenus est veluti media inter agentem et terminum, seu quatenus est actio ut in passo, iuxta ea quae in praecendenti articulo diximus. Est principium τοῦ fieri. - *b*) Secundum momentum seu secundus respectus est ipsa effectio creaturae, seu ipsa creatio passiva. Est ipsissimum τὸ fieri. - *c*) Tertium momentum seu tertius respectus est habitudo seu relatio esse creati ad suum auctorem. Est consequens τοῦ factum esse. Re tamen haec tria sunt unum, atque sunt in instanti.

8) Potest tamen dari relatio quaedam creati distincta realiter ab esse creato, in his scilicet in quibus facultas superstructa essentiae impulsu innato in auctorem suum tendit, iuxta illud S. Augustini: « Fecisti nos ad te, et inquietum

[1] In hac nostra sententia habes hic rursus exemplum relationis substantialis, et quidem in creaturis; praeter hoc autem nullum aliud datur, nisi in ipso sinu divinitatis ob reales relationes subsistentes divinarum personarum SS. Trinitatis ad invicem.

[2] II *Sent.* Dist. I, Q. 1, a. 2, ad 4.

[3] T. I, Dist. III, Q. 2, p. 1.

« est cor nostrum, donec requiescat in te » [1]. Sed realis distinctio, quae in huiusmodi creaturis fieri potest inter ens creatum et eius relationem ad Creatorem, non fundatur in ipsa creatione passiva ut tali, sed in distinctione inter substantiam talis entis et eius facultatis. Caeterum et in huiusmodi ente datur relatio totius entis ad suum auctorem, et haec iuxta nostram sententiam, non magis distinguitur re ab ipso esse eiusdem, quam in aliis entibus.

9) Inter auctores qui contrariam sententiam propugnant, placet citare Sylvium, cuius hic accipe conclusiones. 1) Crea-« tio active sumpta significat actionem divinam, quae est « eius essentia, cum relatione rationis ad creaturam. - 2) Crea-« tio passive sumpta est quaedam habitudo seu relatio haben-« tis esse ab alio, consequens operationem divinam. - 3) Re-« latio quam importat creatio, in Deo est solum rationis; « sed in creatura, est realis. - 4) Quamvis nonnulli opinentur, « relationem creationis non differre ab ipsa creatura realiter, « verius tamen apparet, quod differat » [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Praetermittit dicta n. 4.

2. Obi. Supponit, creationem non posse apprehendi tanquam mediam inter creatorem et creaturam [3]; ita tamen ut sit in creatura et ipsa creatura. Cf. triplex momentum seu triplicem respectum expositum n. 7.

3. Obi. Iuxta idem triplex momentum, vel eumdem triplicem respectum solvitur et ista obiectio, quatenus terminus creationis est veluti medius inter creationem ut effluxum activi principii, et relationem creationi superstructam.

Sed contra est. Duo distinguenda sunt in hoc argumento. Si intendit demonstrare, creationem esse aliquid reale in re creata, est optimum; si intendit ulterius demonstrare, relationem ad causam esse in ente creato realiter distinctam ab ipso esse creato, non videtur concludens; deest enim paritas.

[1] *Confess.* l. I, c. 1. — *P. L.* t. XXXII, 661. — De quo loco ipse Harnack: « Ich « bin der Überzeugung, dass Augustin recht hat, wenn er sagt: " Du Herr, hast « uns auf dich geschaffen, und unser Herz ist unruhig, bis es Ruhe findet in Dir " ». (Op. cit., l. c. p. 6).

[2] Op. cit., hoc loco.

[3] Hanc medietatem diserte illustrat S. Bonaventura (II *Sent.* Dist. I, p. 1, a. 3, q. 2).

In Corpore. Doctrina in isto *Corpore* exposita ad haec reduci potest. Aliae effectiones, sive modales, sive formales, sive in ordine generationis, aliquid ponunt in re effecta praeter relationem ad principium, (quae relatio nunquam abest); et hoc ideo quia operantur circa materiam praeexistentem. Creatio autem, quum sit ex nihilo et instantanea, non ponit nisi relationem. Hanc autem relationem realiter esse distinctam a re creata, ex hoc argumento non apparet. Imo oppositum potius dicendum videtur.

Ad 3.m Noli ita urgere ultimam sententiam huius responsionis, ac si relatio haec valeret tantum de primo instanti quo res creatur; perseverat quidem cum ipsa re quacum identificatur, vel cui tanquam subiecto uti accidens inhaeret. Sed, praeter relationem rei in esse perdurantis ad auctorem suae conservationis, involvit initium creationis, scilicet, ut loquitur S. Thomas, quamdam novitatem seu inceptionem.

Corollarium. - Ex hac relatione intima, qua creatura toto pondere fertur in suum auctorem, intelligi potest radix poenae damni in reprobis. Quando enim evanuerit fascinatio illa nugacitatis, quae tam fraudulenter mentes pervertit et corda usque ad ipsius Dei negationem, tunc anima in suum auctorem atque finem toto impulsu suae essentiae suarumque facultatum feretur. Quare ab hoc principio et fine, potentiori manu detineri ac deiici; quin in seipso experiri duellum inter naturae pondus et pondus obstinatae malitiae: hoc erit sane supplicium omni tormento intimius atque atrocius. Cuius tormenti damnatus atheus veluti cumulum patietur.

ARTICULUM IV.

UTRUM CREARI SIT PROPRIUM COMPOSITORUM ET SUBSISTENTIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Antequam ad alteram partem huius Quaestionis transeamus, superest ut investigemus quibusnam rebus proprie competat creari. Res autem in tres classes distribui possunt: sunt enim *a*) substantiae simplices, *b*) substantiae compositae ex materia et forma; *c*) formae substantiales vel accidentales. Quae autem pertinent ad secun-

dam classem [1] subdividuntur in duas species: α) alia sunt ita composita, ut forma educatur de potentia materiae, et pereat composito pereunte; β) alia sunt ita composita ut habeant formam immortalem, quae in materia apte disposita divinitus infunditur et soluto composito manet.

Rursus, quae pertinent ad tertiam classem subdividuntur, secundum quod formae accidentales sive accidentia sunt ordinis naturalis vel supernaturalis.

Quaenam igitur ex hisce variis rerum speciebus creari dicendae sunt? De singulis ex ordine breviter.

2) Et primo quidem patet, creari substantias spirituales. Nam si talibus substantiis non competit creari, nulli rei id competere dicendum est; quum huiusmodi substantiis maxime competat esse in se.

3) Pariter, ob eamdem rationem, licet in minori gradu, creari competit substantiis compositis ex materia et forma. Nam licet in huiusmodi compositis nec materia nec forma subsistant in se, composita tamen subsistunt, ac proin compositorum est creari.

4) Formae vero non dicuntur separatim creari, sed, si sint formae materiae ita alligatae ut pereunte composito pereant, prima creatur creato composito, reliquae educuntur e potentia materiae. Formae vero ita elevatae supra materiam, ut ab ea educi nequeant, nec pereant pereunte composito, utpote immortales, hae formae, quatenus a Deo immediate infunduntur, utique et creari dicuntur, sunt enim substantiae incompletae.

5) Quum autem formae accidentales seu accidentia non subsistant in se, sed in subiecto, unde melius dicuntur entis quam entia, istae formae non dicuntur creari, nisi improprie; concreantur tamen, quatenus producuntur cum subiecto cui insunt.

6) Quod et de formis accidentalibus seu accidentibus ordinis supernaturalis dicendum est, scilicet de gratiae habitibus et impulsibus animam eiusque facultates afficientibus; quare gratia non solet dici in anima a Deo stricte creari, sed produci. Producitur autem non eam educendo de naturali potentia

[1] Haec distinctio redundat in subdivisionem primi membri tertiae classis.

subiecti, sed ad summum de eius potentia obedientiali. De quo argumento fusius agemus tractantes de gratia [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit duplicem sensum asserti. Si intelligitur esse distinctum a re creata, falsa est intellectio; si esse quod est res creata in quantum est ens, recta quidem est intellectio, sed corruit obiectio.

2. Obi. Confundit duplicem compositionem: aliam, quae est conflatio ex partibus praeexistentibus; aliam, quae est effectio rei ex partibus compositae. Prior sensus, iuxta quem procedit obiectio, est falsus; alter sensus verus obiectionem truncat.

3. Obi. Procedit obiectio, ac si ex eo quod probetur materiam creari, excluderetur creari compositum ex materia et forma. Valet quidem obiectio contra illos, qui ponunt creationem ex materia increata; non autem contra veram notionem creationis ex nihilo. Adverte autem quam bene S. Thomas in hac obiectione tres rursus gradus distinguat: opus creationis, opus generationis seu transformationis, et opus artis.

Sed contra est Huc quoque spectant aliae auctoritates superius ex Scripturis, Patribus et Conciliis allatae, ex quibus constat, Deum esse conditorem seu creatorem « visibilium », en substantias spirituales, et « invisibilium », en composita ex materia et forma.

In Corpore. Doctrina ad haec pauca reducitur. Quum creare dicat producere esse; esse autem proprie dicantur ea quae subsistunt, quae sunt vel substantiae spirituales, vel composita ex materia et forma; nonnisi hae substantiae et haec composita proprie creari dicuntur. Formae autem, - quum non sint ipsae, sed eis aliquid sit, - et accidentia, - quum sint potius entium quam entia, - proprie non dicuntur creari, sed concreari.

ARTICULUS V.

UTRUM SOLIUS DEI SIT CREARE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iam de creationis subiecto seu agente. Quam quaestionem ita per gradus instituere placet: *a)* Suntne de facto quaedam entia effecta quoad totum,

[1] Interim lege de hac quaestione conclusiones Sylvii (hoc loco).

id est, creata ab alio quam a Deo? - *b*) Quodsi de facto nulla dentur, fuitne possibile ut darentur? - *c*) Et si id possibile non fuit de potentia indita, naturali; fuitne saltem possibile de potentia instrumentali? - Breviter de singulis.

2) De facto Deum solum et unum creasse quaecumque extra ipsum existunt, dogma catholicum est: tum *a*) contra Manichaeos, Albigenses, etc., qui mundum hunc visibilem a malo quodam principio ortum asserunt; - tum *b*) contra Gnosticos vel gnostice sentientes, qui creationem mundi tribuunt non Trinitati sed Menti creatrici ante mundum existenti [1]; - tum *c*) contra Arium, qui omnia dicit facta per Verbum, at per Verbum quod non sit Deus; - tum *d*) contra Avicennam, qui scalam quamdam intelligentiarum per creationem saltem instrumentalem inferioris a superiori posuit, a Deo usque ad intelligentiam infimam, quae substantias compositas finxit [2].

Hos errores hic rursus refellere, inutile prorsus. Recolantur testimonia Scripturae, Patrum, Symbolorum, Conciliorum, quae nihil prorsus ab opere creativo Dei excipiunt. *a*) Satis sit recolere verba Ioannis de Deo Verbo: « Omnia per ipsum « facta sunt, et sine ipso factum est nihil » [3]. Verbum autem hoc esse Deum, idem apostolus in praecedenti sententia diserte affirmaverat. Inde Symbolum canit: « Credo in unum Deum... « factorem caeli et terrae, visibilium *omnium* et invisibilium ». Quare nihil prorsus excipitur. - *b*) E Patribus sufficiat afferre sequentia verba S. Irenaei: « Qui autem ab Angelis mundum « dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, « praeter sententiam eius, qui super omnia Pater est, primo « quidem ex hoc ipso peccant, praeter voluntatem Dei talem « et tantam conditionem Angelos fecisse dicentes: quasi effica- « ciores sint Angeli, quam Deus, etc... Si autem non praeter « voluntatem eius, sed volente et sciente; - iam non Angeli, « vel mundi fabricator causae erant fabricationis istius, sed « voluntas Dei. - Sit fortasse hic sermo suasorius, sive seduc- « torius apud eos, qui ignorant Deum, et qui hominibus

[1] Hanc Mentem cognitione Monadis factam Christum, iidem asserebant (Cf. Conc. oecum. v, can. 6, sqq. — DENZINGER. n. 192-194).

[2] Alia huiusmodi deliramenta, uti Simonis Magi, Menandri, Saturnini etc. superius iam attulimus. Cf. Urráburu (op. cit., p. 689, sq.).

[3] Cf. Is. XLIV, 24; IOB. IX, 8.

« assimilant eum inopibus, et his, qui non possunt statim « aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis orga- « nis ad eorum fabricationem: non autem verisimilis in totum « apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium « Deus, Verbo condidit omnia et fecit, neque Angelis indi- « gens adiutoribus ad ea, quae fiunt: neque virtute aliqua « valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem; neque aliqua « labe, neque ignorantia, ut is, qui inciperet eum cognoscere, « homo fieret » [1].

c) Ex S. Thoma placet haec afferre verba: « Secundum « fidem catholicam ponimus, quod omnes substantias spiritua- « les et materiam corporalium Deus immediate creavit, hae- « reticum reputantes, si dicatur per Angelum, vel aliquam « creaturam aliquid esse creatum: unde Damascenus [2] dicit: « " Quicumque dixerit Angelum aliquid creare, A. S. " » [3].

3) Utrum autem possibile sit, ut creatura nobilior possit alias creaturas inferiores creare, non est dogmate firmatum. Quaestio reducitur ad hoc: Potestne Deus creare creaturam tam potentem, ut haec possit, tanquam causa principalis, concurrente utique virtute divina, alia entia sibi utique inferiora [4] creare? Quae quaestio pendet ob hoc, utrum ad creandum requiratur virtus simpliciter infinita. Hanc possibilitatem simpliciter affirmat Durandus [5]; cuius sententiam probabilem censet Rodericus Arriaga [6]. Sed unanimi prope consensu theologi et philosophi catholici cum S. Th. [7] hanc possibilitatem simpliciter negant, licet de valore argumentorum ad id demonstrandum non semper aeque conveniant. Huic sententiae absque ulla haesitatione subscribimus. Et sane, *a*) si *Scripturae* perpenduntur, α) nullibi vestigium reperitur possibi-

[1] *Ctr. haeres.* l. II, c. 2, n. 1, sq.; cf. ibid. c. 10, n. 3, 4.

[2] *Orthod. fid.* l. II, c. 2.

[3] *De Pot.* q. 3, a. 4. — Miror, Cl. Urráburu (loc. cit., v. 694) haec verba adducere ad probandum nullam creaturam omnino creare *posse*.

[4] Hanc limitationem ponit ipse Durandus, estque manifesta, liceat in se contradictionem involvat pro eo qui tenet, ad omnem creationem requiri vim infinitam. Insuper creatio fit ope solius voluntatis. Quid autem hanc voluntatem ad quaedam dumtaxat entia limitabit? Cf. de hoc Cl. Palmieri (op. cit., th. VI p. 76, sq.).

[5] II Dist. q. 4.

[6] *Phys.* disp. XI, sect. 6, subsect. 2.

[7] Ita Hugo Victorinus, Magister, Albertus M., S. Bonaventura, Richardus, Aegidius, Henricus, Scotus, Bannez, Toletus, Molina, Vasquez, Valentia, etc. etc.

litatis ut creaturae sublimiores hac virtute creandi pollere possint; - et contra β) virtus creativa ita in Deo passim exaltatur tanquam omnino distinctiva ipsius. « Ego sum Domi- « nus, faciens omnia, extendens caelos solus, stabiliens ter- « ram, et nullus mecum » [1]. « Qui extendit caelos solus » [2]. Idem argumentum valet de Symbolis.

b) *Patres* diserte impossibilitatem affirmant ut alius creare possit praeter Deum; unde divinitatem Verbi contra Arianos inde strenue vindicant, quod Verbum sit Conditor universi. Praeclare S. Athanasius: « Omnia per Verbum facta « sunt, quod sane non fecisset omnia, si ipsum quoque Ver- « bum e rebus creatis esset. Nec enim vel angeli possunt « creare, cum ipsi sint creati » [3]. Ergo haec duo: creari et creare, simul stare nequeunt. - S. Cyrillus Alexandrinus disertius ait, haec esse dissociabilia, quia Deus nequit communicare quod sibi proprium et singulare est; quare vim creativam tribuere creaturae, est offendere Creatorem: « Re- « pugnat maxime divinae gloriae putare, quod aliis insit fa- « cultas procreandi et in lucem edendi quae non erant. Neque « enim est fas dicere, quae singularia et propria sunt divinae « et ineffabilis naturae, ea posse naturaliter quibusdam inesse « rebus a se conditis » [4]. Ubi vox " naturaliter ", assertionem contrahit ad virtutem creativam ad modum causae principalis [5]. - Idem sub alia forma affirmat Theodoretus, « quod « fieri non possit, ut omnia habeat imago, quae archetypus « habet » [6]. - Concordat S. Augustinus: « Angeli nullam « omnino possunt creare creaturam... Creare naturam tam « nullus angelus potest, quam nec seipsum » [7]. - Et contracte Damascenus brevissima sententia dicit totum: « Cum crea- « turae sint (angeli), rerum minime conditores sunt ».

Qui modi arguendi non solum negant factum, sed et possibilitatem excludunt.

[1] Is. XLIV, 24.

[2] Iob. IX, 8.

[3] *Serm. 2 ctr. Arian.* n. 21.

[4] *Ctr. Iulian.* l. II, n. 62; lege et sequentia.

[5] Non ideo tamen hic S. Doctor concedit possibilitatem creationis ad modum causae instrumentalis supernaturaliter elevatae.

[6] *Haer. fab.* l. V, c. 5.

[7] *De Gen. ad litt.* l. IX, c. 15.

c) Et sane *ratio* theologica id multipliciter evincit. α) Prima ratio desumitur ex auctoritate, quae sane in re dogmatica est magna, quando Doctores catholici in aliquam sententiam prope unanimiter conspirant. β) Sed et argumenta prostant multa theologica simul et philosophica, quibus haec veritas illustratur [1]. Ne autem in immensum haec expositio excrescat, satis sit, hic afferre quinque argumenta a S. Thoma breviter evoluta in opere *De Potentia* [2]. Primum desumitur ex infinita distantia inter non esse et esse; secundum ex proportione inter totum esse quod agitur et totum esse actu quod in agente requiritur; tertium ex eo quod actio non recepta in subiecto exigit agens simplex sive purum; quartum ex eo quod solum agens primum potest agere sine imposito sibi modo; - quintum ex proportione requisita inter potentiam agentis et potentiam subiecti.

En verba ipsius S. Doctoris: « Creatio, inquit, infinitam « virtutem requirit in potentia a qua egreditur: quod ex « quinque rationibus apparet. Prima est hoc quod poten- « tia facientis proportionatur distantiae quae est inter id quod « fit et oppositum ex quo fit. Quando enim frigus est vehe- « mentius, et sic a calore magis distans, tanto maiori virtute « caloris opus est ut ex frigido fiat calidum. Non esse autem « simpliciter in infinitum ab esse distat, quod ex hoc patet: « quia a quolibet ente determinato plus distat non esse quam « quodlibet ens, quantumcumque ab alio ente distans inve- « nitur; et ideo ex omnino non-ente aliquid facere non « potest esse nisi potentiae infinitae. - Secunda ratio est, quia « hoc modo factum agitur quo faciens agit. Agens autem « agit secundum quod actu est: unde id solum se toto agit « quod totum actu est, quod non est nisi actus infiniti, qui « est actus primus; unde et rem agere secundum totam eius « substantiam solius infinitae virtutis est. - Tertia ratio est, « quia cum accidens oporteat esse in subiecto, subiectum « autem actionis sit recipiens actionem: illud solum faciendo « aliquid recipientem materiam non requirit, cuius actio non

[1] Lege de hoc argumento discussiones apud CAIETANUM, SYLVIUM (hoc loco); etc., etc. E modernioribus consule Card. MAZZELLA (op. cit., art. 6, p. 73). Cl. PALMIERI (op. cit., th. VI, p. 70, sqq.), URRABURU (op. cit., loc. cit.), etc., etc.

[2] Q. III, a. 4.

« est accidens, sed ipsa substantia sua, quod solius Dei est; « et ideo solius eius est creare. - Quarta ratio est, quia cum « omnes secundae causae agentes a primo agente habeant « hoc ipsum quod agant, ut in lib. de Causis [1], probatur; « oportet quod a primo agente, omnibus secundis agentibus « modus et ordo imponatur; ei autem non imponitur modus « vel ordo ab aliquo. Cum autem modus actionis ex materia « dependeat quae recipit actionem agentis, solius primi agen- « tis erit absque materia praesupposita ab alio agente agere, « et aliis omnibus secundis agentibus materiam ministrare. - « Quinta ratio est ducens ad impossibile. Nam secundum « elongationem potentiae ab actu est proportio potentiarum « de potentia ad actum aliquid reducentium; quanto enim « plus distat potentia ab actu, tanto maiori potentia indige- « tur. Si ergo sit aliqua potentia finita quae de nulla potentia « praesupposita aliquid operetur, oportet eius esse aliquam « proportionem ad illam potentiam activam, quae educit ali- « quid de potentia in actum; et sic est aliqua proportio nul- « lius potentiae ad aliquam potentiam, quod est impossibile. « Non entis enim ad ens nulla est proportio ».

Vis huius quinti argumenti est in hoc. Proportio inter potentiam agentis et subiecti, - utique utrimque in sensu diverso, activo hinc passivo illinc, - est proportio inversionis. Quo minor est passiva, eo maior requiritur activa. Porro in creatione potentia passiva est nulla, deficiente ex toto subiecto. Ergo oportet ut activa sit summa, id est infinita.

Aliam rationem addere placet desumptam ex concursu divino, sine quo causa creata etiam principalis nihil producere potest. Etenim eatenus creatura creare posset, quatenus per se totum esse rei creatae producere posset. Porro quum neque ipsa suum esse conservare valeat, neque in agendo sine causa prima aliquid possit, impossibile est ut ipsa, totum esse creatum producat: magis enim in hoc esse producto agit causa prima conservans et movens, quam causa secunda agens. Ergo causa secunda creata nequit esse vere creatrix.

4) Potestne saltem sub Creatore Deo ad creationem adhiberi tanquam causa instrumentalis? En quae discutienda superest quaestio subtilior.

[1] Propos. 19 et 20.

Hanc possibilitatem concedunt Magister [1], aliique theologi nec pauci nec parvi nominis, uti Tannerus, Arriaga, Hurtado, etc. [2]. Oppositum tamen docent cum S. Thoma Albertus M., Scotus, Richardus, Vasquez, Molina, Bannez, Sylvius, Valentia, quibus adhaerent recentiores passim, ut Card. Mazzella, Card. Satolli, Cl. Palmieri, Hontheim, etc.. Et iure quidem.

Etenim, si *a*) *Scripturas* consulimus, nullibi assertum invenimus, e quo haec possibilitas erui possit. E contra modus absolutissimus quo creatoris titulus Deo vindicatur tanquam singularis, ita ut haec duo: Creator et Deus sibi respondeant, suadet efficacissime, hanc instrumentalem cooperationem esse reiiciendam.

b) *Patres* nullibi aliquam huiusmodi cooperationem insinuant. Imo modus quo absolutissime creationem excludunt ab Angelis, licet administratoriis spiritibus, ostendit illos de simili participatione ad opus creationis nullatenus cogitasse. Audiatur, v. gr., S. Augustinus de potentia angelica in ordine ad creationem disputans. Placet afferre longiorem textum, a quo iam superius quaedam attulimus: « Angeli *nullam* « *omnino* possunt creare creaturam, solus enim unus cuius- « libet naturae seu magnae seu minimae creator est Deus... « Quaeritur, quomodo soporatus est Adam, costaque eius « sine ullo doloris sensu e corporis compage distracta sit. « Haec enim fortasse dicuntur potuisse per angelos fieri; « formare autem vel aedificare costam, ut mulier esset, usque « adeo non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit, « ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, « quod in illius costa successit locum, ab angelis factum « crediderim.... Creare naturam tam nullus angelus potest, « quam nec se ipsum. Voluntas vero angelica, obedienter « Deo subiecto, eiusque executa iussionem, naturalibus moti- « bus de rebus subiectis, tanquam materiam ministrare, ut « secundum illas principales in Verbo Dei non creatas, vel « secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter « creatas rationes, aliquid in tempore creetur, more agri-

[1] IV *Sent.* Dist. 5.

[2] Cf. URRÀBURU (op. cit., p. 703).

« colandi vel medendi potest » [1]. Ecce Augustinus subtilissime disserens, quid quoad creationem aut circa creaturas angeli possint, quid non possint, de illa operatione instrumentali ne verbulum quidem habet: unde neque de ea cogitasse dicendus est.

c) Et sane ratio non sinit hanc virtutem instrumentalem tribui creaturis. Tria argumenta ex S. Thoma adductis id efficacissime evincunt. α) Agere causae instrumentalis est accidens ab ipso agente distinctum; unde ut suam activitatatem exercere possit, debet a subiecto in quod agit, recipi. Iam vero creatio praecise in hoc consistit, quod non praesupponat subiectum. « Illud solum in faciendo aliquid reci-« pientem materiam non requirit, cuius actio non est acci-« dens, sed ipsa substantia sua, quod solius Dei est, et ideo « solius Dei est creare » [2]. - β) Nulla causa instrumentalis rationabiliter adhibetur, quae non in actione aliquid conferat de suo. Iam vero creatio est actio simplex, quae nequit ita dividi, ut pars vel formalitas quaedam sit agentis principalis, pars alia sive formalitas alia sit causae instrumentalis. - γ) Insuper in actione quae per causam instrumentalem producitur, id quod est proprium instrumenti, praecedit in effectu id quod est proprium causae principalis, utpote ab ea uti finis intentum Iam vero in creatione nullus locus dari potest simili priöritati. Utramque rationem β) et γ) ita per modum unius exponit Angelicus: « Omne agens instru-« mentale exsequitur actionem principalis agentis per ali-« quam actionem propriam et connaturalem sibi: sicut calor « naturalis generat carnem dissolvendo et dirigendo, et serra « operatur ad perfectionem scamni secando. Si igitur aliqua « creatura sit, quae operetur ad creationem sicut instrumen-« tum primi creantis, oportet quod hoc operetur per aliquam « actionem debitam et propriam suae naturae. Effectus autem « respondens actioni propriae instrumenti est prior in via « generationis, quam effectus respondens principali agenti; « ex quo provenit quod primo agenti finis ultimus respon-« det: prius enim est sectio ligni quam forma scamni, et « digestio cibi quam generatio carnis. Oportebit igitur aliquid

[1] *De Gen. ad litt.* l. IX, c. 15.
[2] *De Pot.* q. III, art. 4.

« esse effectum per propriam operationem instrumentalis « creantis, quod sit prius in via generationis, quam esse quod « est effectus respondens actioni primi creantis. Hoc autem « est impossibile; nam quanto aliquid est communius, tanto « est prius in via generationis: sicut prius est animal quam « homo in generatione hominis, sicut Philosophus dicit [1]. « Impossibile est ergo quod aliqua creatura creet sicut prin- « cipale agens aut instrumentale » [2].

Adde, cum Cl. Palmieri [3], absurdum esse ut, simpliciter loquendo, creatura adhibeatur tanquam causa instrumentalis creationis. Saltem prima creatura creata esse debuit sine ulla causa instrumentali. Forsan tamen laudatus theologus totam quaestionem nimis restringit ad hanc positionem initialem atque totalem. Remanet enim, extra hanc positionem absurdam nimis, locus investigandi, cur creatura, utique a Deo sine ope causae instrumentalis condita, aut saltem derivata ab huiusmodi creatura, non possit assumi a Deo tanquam causa instrumentalis aliarum creaturarum.

Argumenta ab eis adduci solita, qui existimant hanc causalitatem instrumentalem non repugnare, distingui possunt in argumenta desumpta ex mera ratione, et ex analogia fidei.

A) E *ratione* adducuntur praecipue sequentia. 1) Ad hanc causalitatem instrumentalem non requiritur vis infinita, quum ea certe minor sit causalitate principali. Ergo non potest eius impossibilitas inde demonstrari. - *Resp.* Si creatio talis actio esset, in qua haec duplex causalitas adhiberi posset, utique minor esset actio instrumentalis quam actio principalis. Sed talem divisionem ostendimus in hac actione repupugnare. Ergo obiectio truncatur radicitus. Insuper vis infinita in creatione non desumitur ex gradu perfectionis, qui potest reperiri in uno termino, sed ex distantia inter non esse et esse, et ex modo ipsius actionis. Secus non requireretur virtus infinita nisi ad creandum ens infinitum; quod est absurdum nimis.

[1] *De Generatione animalium.*
[2] *Sma ctr. Gent.* l. II, c. 21.
[3] Loc. cit. p. 77 sq.

2) Dantur actiones, in quibus agens principale et agens instrumentale ita sese compenetrent in agendo, ut valde difficile sit partes utriusque assignare. - *Resp.* Non ideo istae partes non distinguuntur, quod sufficit. Si autem non distinguantur, hypothesis perit, quia non remanet nisi duplex agens per modum unius simpliciter. - Sed et retorquetur argumentum. Constat enim, impossibile esse ut creatura creet tanquam causa principalis. Ergo quo magis causa instrumentalis cum principali unificatur, eo magis eius impossibilitas demonstratur.

3) Creatura potest elevari ad annihilandum, ergo potest et ad creandum. - *Resp.* Nego assertum, et nego paritatem. Assertum, quia de hac possibilitate nullomodo constat. Imo oppositum potius est manifestum; quum radix annihilationis sit haec virtus omnium profundissima, qua Deus medullam entium sicuti conservat, ita deserere potest. - Sed et recuso paritatem. Actus enim annihilationis tum habet subiectum circa quod, tum est negativus, fluens ex cessatione conservationis. Sed ex hoc ipso apparet impossibilitas ut creatura sit causa instrumentalis annihilationis proprie dictae; instrumentum enim in annihilatione, sicuti et in creatione, nihil habet quod agere possit.

B) Ex *analogia fidei* sequentia praesertim argumenta afferuntur. 1) Miracula patrare potest creatura instrumentaliter, cur non et creare? - *Resp.* Deest paritas. In miraculis habetur subiectum in quod instrumentum agere possit. Insuper dantur miracula, quae non exigunt virtutem absolute infinitam; creare autem talem virtutem semper exigit. - Saepe operatio miraculorum consistit dumtaxat in virtute impetratoria, seu in causalitate morali; instrumentalis cooperatio ad creationem intelligitur physica.

2) Sacramenta sunt physica instrumenta gratiae, quae tamen gratia est quaedam creatio. - *Resp.* Gratia non proprie creatur, sed infunditur. Quodsi efficacia Sacramentorum dicatur esse tantum moralis, difficultas simpliciter corruit. Sed nec illi qui eam dicunt esse physicam, intelligunt eam ita physicam, sicuti per securim in partes scinditur lignum. Sacramenta quippe sunt actiones Christi, et agunt ea virtute, qua operationes theandricae Filii Dei.

3) Verba sacerdotis sacramentalem formulam pronuntiantis elevantur ad tantam efficaciam ut producant corpus Christi, ad quod sane non requiritur minor virtus quam ad creandum. - *Resp.* Haec verba dicuntur ab ipso Christo, cuius nomine ea profert sacerdos; ac proin ea verba participant efficaciam ipsius Christi loquentis. Caeterum transsubstantiatio non est creatio: est enim mutatio. Unde in hoc mysterio habetur subiectum circa quod causa instrumentalis agat; quod in creatione omnino deficit [1].

Sed iam ad difficultates ab ipso Aquinate allatas.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Deficit: arguit enim quasi homo generaret hominem in quantum est homo simpliciter, et non in quantum est hic homo, habens scilicet a parte suae materiae unde possit per modum partis communicare id ex quo exsurgat alius homo. Nec sane anima humana generat aliam animam; sed per corpora homines generant et generantur. Porro si ita est, patet disparitas inter hominem et angelum; ac proin vis obiectionis corruit.

2. Obi. Obiectio procedit ac si ex contrariis aliquid fieret in quantum sunt contraria, quod falsissimum est. Primo enim per virtutem agentis tollitur contrarium, et tunc oppositum fit ex subiecto. Quare fit e contrario per accidens, ex subiecto simpliciter. Iam vero inter facere aliquid ex subiecto et facere aliquid ex nihilo, datur discrimen infinitum.

3. Obi. Haec obiectio iam superius est soluta. Confundit enim substantiam rei factae, cum modo eam efficiendi. Licet enim a parte rei factae creatio ita sit finita, ut non possit esse infinita; a parte modi eam efficiendi ita est infinita, ut non possit esse finita. Quare non est nisi virtutis infinitae.

Sed contra est. Uti iam diximus, veritas in hoc articulo demonstrata fulcitur efficacissime modo loquendi Scripturarum et Patrum. - 1) Quomodo enim *Scripturae* tam constanter creationis laudem exhiberent, tanquam prorsum propriam Deo, nisi constaret, nonnisi Deum creare posse? Per hoc enim Deus verus ab omnibus falsis numinibus discernitur, iuxta illud Psalmistae: « Omnes dii gentium daemo-

[1] Alias quasdam obiectiones, sed minoris momenti, lege apud Sylvium (hoc loco).

« nia, Dominus autem caelos fecit » [1]. - 2) *Patres* quoque dum absolutissime a creandi virtute excludunt angelos, ostendunt nullam creaturam, neque altissimam, imo neque possibilem, posse hoc creandi munere sublimari [2].

In Corpore. Argumentatio S. Thomae duplici parte constat, iuxta tabellam sequentem:

Creaturam posse creare, est prorsus impossibile:	1) tum *actione propria:*	*a)* solius causae universalissimae est producere ipsum esse, utpote universalissimum;
		b) maxime corpus creare nequit, quum absolute ad agendum requirat subiectum, quod tangat et moveat.
	2) tum etiam *actione instrumentali:* (ctr. Avicennam et Magistrum).	nisi causa instrumentalis sit frustra, oportet ut aliquid sibi proprium dispositive conferat ad effectum principalis agentis; sed in creatione nulla praesupponitur dispositio.

Conclusionem a fortiori de corporibus contraximus 1) *b)*.

Placet afferre breviter quinque rationes, quibus S. Thomas in *Sma ctr. Gentes* hanc impossibilitatem de corporibus demonstrat. 1) Corpus non agit nisi movendo, per consequens requirit aliquid temporis et non potest agere in instanti; iam vero creatio instantanea est. - 2) Corpus quum agat movendo, requirit mobile, creatio autem nullum subiectum praesupponit. - 3) Quum creatio sit productio totius entis, requirit agens quod toto ente agat; quod in corpore est impossibile. - 4) Creatio exigit virtutem infinitam, quae nulli corpori competere potest. - 5) Corpus non potest agere nisi per tactum; in creatione autem deficiente subiecto, tactus dari nequit [3].

Vides, rationem ultimam intime connexam esse cum secunda; et revera S. Thomas in hoc *Corpore* utramque coniungit. Tertia autem et quarta valent non modo de corporibus,

[1] Ps. XCV, 5.

[2] Lege hoc argumentum apud Cl. PALMIERI optime evolutum (op. cit., p, 74, sq.).

[3] *Sma ctr. Gent.* l. II, c. XX.

sed de aliis agentibus creatis quibuscumque; tertia autem in corporibus magis est manifesta.

Iam in capite sequenti Aquinas novem rationibus permixtim demonstrat, nullam creaturam creare posse, neque instrumentaliter. - 1) Prima ratio desumitur ex ordine agentium: quatenus prima actio, quae creatio est, nequit ab alia esse quam a prima causa, quae est Deus. - 2) Impossibile est esse aliquid extra Deum, quod non sit a Deo. - 3) Ad effectum primum producendum, quod est ens, requiritur causa prima, quae est Deus. - 4) Ens creatum secundum aliquam naturam non potest esse generans univocum, nisi ut causa secunda, ac proin quasi instrumentaliter sub causa prima. Iam vero in creatione causa instrumentalis repugnat, quum fiat sine motu. - 5) Repugnat insuper causa instrumentalis, quum veluti media sit, quia creatio nihil praesupponit. - 6) Praeterea causa instrumentalis supponit aliquam actionem propriam instrumento, quae prius agat in subiectum, et per quod effectus causae principaliter inducatur; iam vero in creatione utrumque deest [1]. - 7) Causa creata in aliqua natura, non potest eam in aliis causare simpliciter, sed solum in hoc, tribuendo eam individuo individuatam; sed hoc non est creare: supponit enim naturam communicandam. - 8) Quum mensura actionis pendeat a mensura actus agentis, agens ut agens agit sibi simile; agens autem determinatum ad genus et speciem facit simile sibi quantum ad genus et speciem; non autem quantum ad individuum per quod subsistit distinctum et incommunicabile; ergo nequit individuum creare; quod non potest nisi ille, qui omne ens, etiam individuum, comprehendit. - 9) In creatione producitur ens per se: iam vero ad hoc requiritur causa quae sit esse per se. - Et claudit S. Doctor per gravissimam sententiam S. Damasceni, quae huic nostrae disputationi finem imponat: « Quicumque « aiunt, angelos creatores esse cuiuscumque substantiae, hi « omnes sunt patris sui diaboli filii: creaturae enim existen- « tes non sunt creatores » [2].

[1] Hanc rationem superius ex integro attulimus.
[2] *De Orth. fid.*

ARTICULUS VI.

UTRUM CREATIO SIT PROPRIUM ALICUIUS PERSONAE [1].

I. **De ipsa Quaestione**. - Deum et nonnisi Deum creare, demonstravimus. Iam, admoto lumine mysterii SS. Trinitatis, quaerendum superest: *a*) utrum Deus creet ut unus, an ut una persona, an ut trinus; dein *b*) si ut unus-trinus, quid in operibus creatis reperiatur de fundamentali dogmate Dei unius-trini. De prima quaestione in hoc articulo, de altera in sequenti.

2) Quoad respectum SS. Trinitatis ad opus creationis plures exstant opiniones, quarum nonnullae graviter corripiendae sunt. Missis Macedonianis, qui Spiritum Sanctum creaturam blasphemabant; ipsisque Arianis, qui Verbum dicebant factum ἐξ οὐκ ὄντων; distribuendae sunt sententiae secundum quod deficiunt per defectum vel per excessum, media sententia veritatem exprimente.

3) Per defectum peccant illi, qui mysterium SS. Trinitatis habent veluti accidentale ad opus creationis. Iuxta huius sententiae patronos Deus creat ut unus, aliquomodo quasi non esset trinus. Trinitas enim est veluti bonum intimum Dei, sanctuarium ad intra, quod nihil habet quod influat in opus ad extra. Quare, iuxta illos, Catholicus dicit, unum esse Creatorem Deum, sicuti id affirmant Iudaei, aut illi, qui, licet non Christiani, agnoscunt mundi conditorem Deum [2].

4) Per excessum peccant illi, qui non tribuunt creationem Trinitati secundum aliquid commune tribus personis. Id autem aliter et aliter concipi potest. Praecipuae falsae huiusmodi positiones sunt sequentes. *a*) *Henricus Gandavensis* prius opinatus est [3], Deum non creare per essentialem

[1] Cf. Quae de hoc argumento non semel iam diximus, praesertim in tractatu de *Deo Trino*, ubi de lege appropriationis (t. III, p. 679, sqq.).

[2] Hanc sententiam ita exponit Ruiz: « Secunda sententia » (alio enim ordine utitur) « simpliciter et absolute docet pluralitatem personarum non esse per se requi« sitam ad productionem creaturarum, sed potius eodem modo potuisse Patrem solum « absque Filio et Spiritu Sancto creaturas producere, sicut potuisset, si Deus esset « unica persona tantum, quemadmodum arbitrantur Ethnici. Necessitas itaque con« currendi tres personas oritur tantum ex inseparabili concomitantia personarum, « non ex quidditate causalitatis quae postulet personas » (*De Trin.* D. III, sect. 1).

[3] *Quodlib.*, VI, q. 2.

notitiam et amorem Personis communem, sed per notionalem notitiam, quod est Verbum, et per notionalem amorem, qui est Spiritus Sanctus. Ratio est, quia putavit essentialem notitiam non esse practicam, nec essentialem amorem esse impulsivum. Unde Pater non creat nisi per Verbum et Spiritum [1]. Quam temerariam opinionem ipse Henricus postea retractavit [2]. - *b*) *Raymundi Lulli* quidam sectatores, quo efficacius tuerentur sui magistri errorem de Trinitate per rationis vires cognoscibili, contenderunt in ipsis creaturis aliquid reperiri, quod esset a solo Patre, a solo Filio et a solo Spiritu Sancto; ita ut nulla quidem creatura ab opere creationis excluderetur, sed singulae in eo distinctas suas partes haberent. - *c*) Ad hunc errorem appropinquat positio *Güntherii* aliorumque moderniorum, utpote qui unitatem Trinitatis relaxantes, vel, uti Mostrofanius, de Trinitate via nimis rationali disserentes, dividebant quod dogma magis unitum expostulat [3]. - *d*) Gravius errat *Antonius Rosminius* [4], « secundum quem « creatio triplici constat actu: *abstractione, imaginatione* et « *synthesi*. Abstractio est actus, quo *Pater* aeternus, Verbum « respiciens, abstrahit ab ipso *esse*, in quo virtualiter conti- « netur omne ens finitum: hoc est *esse initiale* rerum omnium. « Imaginatio dicitur a Rosminio actus, quo *Pater* concipit « varios terminos reales limitatos, quibus realitas mundi con- « tinetur. Synthesis demum est iunctio utriusque huius ele- « menti, nempe *esse* illius initialis, et finitarum formarum, « imaginatione conceptarum » [5].

5) Media autem sententia, quae vera est, docet Deum

[1] *Quodlib.* VI. q. 2. — Hanc sententiam idem Ruiz ita declarat: « Prima sen- « tentia fuit Henrici de Gandavo asserentis non solum processiones divinarum perso- « narum esse causam productionis creaturarum, sine qua non producerentur; sed etiam « intellectionem Dei mere essentialem non esse satis ad producendas creaturas, quo- « niam, ut ipse ait, est notitia simplex et tantum speculativa. At vero notitia pro- « ducta per actum dicendi est declarativa, manifestativa, dispositiva, ordinativa ad « opus, ac proinde practica. Haec autem notitia est Verbum. Eodem modo servata « proportione ratiocinatur de duplici amore, altero simplici et altero rationali et « producto, qui sit dispositivus et ordinativus rerum producendarum et practicus. « Notat autem praedictam intellectionem productam et practicam, simul cum prae- « dicto amore producto esse principium formale producendi creaturas ».

[2] *Summa*, art. 54, q. 6; art. 60, q. 6.

[3] Cf. KLEUTGEN (*Theol. d. Vorz.* II. ed. 2, n. 241, 249, sqq.).

[4] Cf. dicta in praecedenti appendice. — Cf. *Teosofia* v. I, l. 2, sect, 4, c. 6, n. 7.

[5] URRÁBURU (op. cit., p. 691).

creare ut unum, ita tamen ut iste Deus Creator sit Deus unus-trinus [1]; quatenus virtus illa infinita, qua Dei voluntas praelucente scientia ad extra operatur, est haec ipsa virtus, quae ad intra per geminam processionem Trinitatem constituit. Etenim nisi Deus esset personis trinus, non esset illa infinita virtus, quae sola est creandi potens. Placuit inde quibusdam dicere, Trinitatem se habere ad opus creationis non quidem formaliter, sed materialiter. Sed hic ipse modus loquendi deficiens est, quum ipsa creatio sit opus intellectus et voluntatis Dei, et intellectus et voluntas Dei sint logici faecundi ad intra etiam implicite in ordine ad creationem antequam creent. Verbum enim aeternum procedit etiam ex cognita creatura, et amor aeternus ex eadem dilecta. Creator igitur est simpliciter Deus unus-trinus.

6) Inde facile intelligitur lex sermonis appropriati, secundum quem opus creationis aliter et aliter singulis personis Trinitatis tribuitur. Idque, ut optime monet S. Thomas, duplici ex fonte: *a*) tum quia creandi virtutem Spiritus Sanctus habet a Patre et Filio, Filius a Patre, Pater a se; *b*) tum quia in opere creationis triplex considerari potest respectus iuxta quem α) opus creationis tribui potest simpliciter illi personae a qua sunt caetera: est enim et ipsum processio, sed ad extra; - qui respectus respondet praepositioni « *ex* »; - β) personae illi quae in Trinitate media est, et procedit per intellectionis viam velut idea praelucens artifici, opus creationis tribui potest tanquam medianti virtuti; - qui respectus respondet praepositioni « *per* »; - γ) personae autem quae fluit ex amore, et in qua sistit interna processionum via, tribui potest opus creationis tanquam dominium, cui veluti vivificans principium insidet, - qui respectus respondet particulae « *in* ». Inde

[1] Hanc sententiam ita exponit Ruiz: « Vera sententia est personam Verbi et per« sonam Spiritus Sancti per se requisitas esse ut Pater operetur, ita ut sine illis « non possit operari; eo quod 1) Pater sine Verbo non possit esse loquens, non possit « dicere vel mandare ut res fiant, imo nec ipsa intellectio possit existere sine suo « termino intrinseco: atque pariter 2) Deus spirator non possit esse complete atque « perfecte donator respectu creaturarum nisi producendo Spiritum Sanctum, qui est « personaliter donum: imo nec amor ipse possit exsistere, si careat intrinseco ter« mino, qui est Spiritus Sanctus ». Unde in sect. 8 ait, requiri Filium et Spiritum Sanctum veluti conditiones sine quibus non Pater creat. Qui modus loquendi bonus est, sed incompletus.

Paulus breviter ait: « Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt « omnia » [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit contra sententiam deficientem, quasi ex ea sequeretur sententia excedens. Solvitur concedendo sententiam mediam, quae causalitatem Trinitatis in ordine ad creationem plene servat.

2. Obi. Confundit legem sermonis proprii cum lege sermonis appropriati. Quae altera fundamentum suum habet in sententia media quam tuemur.

3. Obi. Abstrahit a rationis fundamento, ob quod divina attributa distinguimus, ac per consequens varios creaturarum respectus eisdem attributis ob specialem connexionem tribuimus.

Sed contra est. Doctrina huius articuli solide fulcitur Scripturis, Symbolis, Patribus atque ratione theologica.

1) E *Scripturis,* praeter sententiam S. Pauli modo allatam, habemus *a*) de Filio: « Pater meus usque modo operatur, « et ego operor.... Quaecumque ille fecerit, haec et Filius « similiter facit » [2]; est enim « portans omnia verbo virtutis « suae » [3]; et in ordine gratiae: « Dedit eis potestatem filios « Dei fieri » [4]. Eloquentissime de Christo Paulus: « In ipso « condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invi- « sibilia, sive throni et dominationes, sive principatus, sive « potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt » [5]. Unde Christo Paulus applicat verba Psalmistae: « Tu in principio « Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt « caeli » [6]. - *b*) De Spiritu Sancto, - praeter versus psalmi: « Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis « virtus eorum » [7], et libri Sapientiae: « Spiritus Domini reple- « vit orbem terrarum, et hoc (spiritus πνεῦμα) quod continet « omnia, scientiam habet vocis » [8], - habemus omnia loca in

[1] Rom. xi, 36.
[2] Ioann. v, 17, 21.
[3] Hebr. v, 3.
[4] Ioann. i, 12.
[5] Col. i, 16.
[6] Hebr. i, 10; Ps. ci, 26.
[7] Ps. xxxii, 6; hic habes totam expressam Trinitatem.
[8] Sap. i, 7.

quibus gratiarum operationes tribuuntur Spiritui Sancto: « Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus divi- « dens singulis prout vult » [1]. Et nihilominus alibi idem Apostolus haec omnia tribuit simpliciter Deo: « Divisiones ope- « rationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in « omnibus » [2]. Aut saltem ex tribus locutionibus: « idem vero « Spiritus », « idem autem Dominus », « idem vero Deus » [3], referendo ea ad tres personas SS. Trinitatis, manifeste apparet, omnia opera gratiae haud secus ac naturae, posse quidem ob peculiares relationes assignari singulis personis SS. Trinitatis, esse tamen omnia opus omnium personarum, quia sunt opus Dei unius-trini.

2) Ex *Symbolis* idem evincitur. Athanasianum canit: « Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus « Sanctus; non tamen tres omnipotentes » sed « unus omnipotens ». Cur? nisi quia tres personae sunt unus creator. - Conc. oecumen. V, commentans sententiam Paulinam, ait: « Unus « enim Deus et Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Iesus, « per quem omnia; et unus Spiritus Sanctus, in quo omnia » [4]. Concilium Lateran. sub Martino I (ann. 649) haec habet: « Si « quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie et « veraciter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinita- « tem in unitate et unitatem in trinitate, hoc est unum Deum... « unam eamdemque trium deitatem, naturam, substantiam, « virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, ope- « rationem;... creatricem omnium et protectricem: condemna- « tus sit » [5]. - Et in Concilio Lateran. IV (ann. 1215) « unus « solus verus Deus,... Pater et Filius et Spiritus Sanctus » proclamatur « unum universorum principium creator omnium « visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium » [6].

3) *Patres* eamdem doctrinam expresse inculcant. *a*) Ex communione operationis concludunt ad unitatem naturae: « Quorum sunt eaedem operationes, ait S. Basilius, earum et « una est substantia. Operatio vero Patris et Filii, una est.

[1] I. Cor. xii, 11.
[2] Ibid. 6.
[3] Ibid. 4, 5, 6,
[4] Can. 1. — (Denzinger, op. cit., n. 172).
[5] Can. 1. — (Ibid. n. 202).
[6] Cap. i. — (Ibid. n. 355).

« Velut est istud: " Faciamus hominem "; et rursus: " Quae-
« cumque enim Pater facit, hoc et Filius similiter facit ". Igitur
« una est substantia Patris et Filii » [1].

b) Reciproce ex unitate substantiae arguunt ad unitatem operationis. Ita Dydimus de Spiritu Sancto: « Eiusdem ope-
« rationis esse Spiritum Sanctum, ait, cuius est Pater et
« Filius, et in eadem operatione unam esse substantiam; et
« reciproce eorum, quae ὁμοούσια sunt, operationem quoque
« non esse diversam » [2]. - *c*) Utrumque simul coniungunt modo didactico: « Similis est ipsi Deo sibi et indivisa natura, una-
« que eius operatio. Nam Pater per Verbum in Spiritu Sancto
« omnia facit, atque ita Sanctae Trinitatis servatur unitas. Ita
« unus Deus in Ecclesia praedicatur, qui est super omnia,
« et per omnia, et in omnibus ». Ita S. Athanasius [3]. - *d*) Arguunt ex inseparabilitate divinarum personarum. Praeclare S. Augustinus: « Catholica fides hoc habet, firmata Spiritu
« Dei in sanctis eius, contra omnem haereticam pravita-
« tem, quia Patris et Filii opera inseparabilia sunt. Quid est
« quod dixi? Quomodo ipse Pater et Filius inseparabiles sunt,
« sic et opera Patris et Filii inseparabilia sunt. Quomodo
« Pater et Filius inseparabiles sunt? ». Et arguit ex verbis:
« Ego et Pater unum sumus ». Et de operationibus ita pergit: « Adhuc planius dicam, quid sit, opera inseparabilia sunt.
« Non dicit catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, et
« fecit Filius aliquid aliud. Sed quod fecit Pater, hoc et
« Filius fecit, hoc et Spiritus Sanctus fecit. Per Verbum enim
« facta sunt omnia » [4]. - *e*) Pariter arguunt ex simultaneitate divinarum personarum: « Non tempore dividuntur a se invi-
« cem personae deitatis neque loco; non voluntate, non insti-
« tuto, non operatione, non affectione ulla huiusmodi, quae
« considerantur in hominibus ». Ita Gregorius Nyssenus [5]. Et S. Gregorius Naz. haec omnia reciproce complectens, ait: « Deum unum esse tres personas simul intellectas ob eum-
« dem motum actionis, eamdemque naturam » [6]. - *f*) Urgent

[1] *Adv. Eunom.* l. II; cf. Greg. Nyss. (Orat. 3. in orat. Dom.).
[2] *De Spir. S.* n. 32. — *P. G.* XXXIX, 1062.
[3] *Ad Serap.*
[4] *In Ioann.* tract. XX, 3. — *P. L.* XXXV, 1557, sq.
[5] *Lib. de com. not.* — *P. G.* XLV, 179.
[6] Orat. 13.

hanc inseparabilitatem arguentes ex conceptu περιχωρήσεως. « Quoniam uterque alter in altero est, naturaliter et neces- « sario, nimirum operante Patre Filius operatur, tanquam « virtus eius naturalis et substantiva et subsistens. Similiter « operante Filio operatur et Pater tanquam fons artificis « Verbi, in proprio foetu naturaliter existens, velut ignis in « calore ex seipso prodeunte ». Ita optime arguit S. Cyrillus Alexandrinus [1]. - *g*) Sed in hac ipsa operatione communi servatur respectus personarum ad invicem. De respectu Filii ad Patrem ita subtiliter discurrit Hilarius: « Naturae... « haec unitas est, ut ita per se (Filius) agat, ne a se agat, « et ita non ab se agat, ut per se agat. Intellige agentem « Filium et per eum agentem Patrem ». Et: « Haec est verae « nativitatis intelligentia, et fidei nostrae, quae ex naturae « divinae unitate, unius, indifferentisque divinitatis veritatem « in Patre et Filio confitetur, absolutissimum Sacramen- « tum, ut eodem faciendo Filius similiter faciat, et similiter « faciendo, eadem sint ipsa, quae faciat: quia sub una hac « significatione testentur et similiter facta nativitatem, et « eadem facta naturam » [2]. Egregie! [3].

4) *Ratio* theologica eamdem veritatem multiplici argumento fulcit. Ne redire cogamur ad ea, quae in Tractatu *De Deo trino* data opera exposuimus, satis sit hic quatuor breviter recolere rationes. Sane *a*) id exigit perfectio geminae processionis. Quomodo enim Pater genuisset Filium aequalem sibi, si potestate creandi destitutum? Idem dic de Spiritu Sancto. - *b*) Unitas Dei exposcit, ut omnia in SS. Trinitate communia sint tanquam unum, ubi non obviat relationum oppositio. Iam vero in operationibus ad extra nulla talis oppositio reperitur. Ergo sunt tribus personis communes. - *c*) Idem evincit distinctio inter actus notionales et non notionales. Filius quippe sapiens est, sed non sapientia quae Verbum dicit; Spiritus amans et volens, sed non eo amore qui spirat. Porro nisi aeque potentes essent cum Patre ad creandum Filius et Spiritus, deesset ipsis non quidem notionalis tantum, sed essentialis actus intellectus et voluntatis. -

[1] *In Ioann.* l. I.

[2] Op. cit., lib. IX.

[3] Plura Patrum testimonia vide apud Petavium (*De Trin.* l. IV, c. 15).

d) Addi περιχώρησιν iuxta quam impossibile est, Patrem esse sine Filio aut Spiritu Sancto. Iam vero Dei esse est agere. Ergo impossibile est Patrem agere ad extra, quin ad extra simul agant Filius et Spiritus Sanctus.

At nihilominus in hac simultaneitate eiusdem operationis ad extra, servatur respectus personarum ad invicem, tum quia hae non desinunt esse tres, licet agant ut unus; tum quia potestatem creandi habent Filius a Patre, Spiritus ab utroque; tum quia in ipsis operibus datur respectus ad singularum personarum proprietates.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. In prima S. Thomas demonstrat, operationem creandi esse communem tribus personis SS. Trinitatis. In altera ostendit, quomodo nihilominus ratio processionis divinarum personarum, id est, processio per viam intellectionis et amoris, influat in opus creationis, utpote opus artificis summi per intellectum et amorem agentis.

Vides, quantopere haec doctrina concordet cum illa sententia media, quam superius vindicavimus [1].

ARTICULUS VII.

UTRUM IN CREATURIS SIT NECESSE INVENIRI VESTIGIUM TRINITATIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si nullus daretur nexus causalitatis inter SS. Trinitatem et creaturas, in hisce non posset inveniri formaliter effectus SS. Trinitatis; et totus nexus inter creaturas et SS. Trinitatem reduceretur ad aliquam relationem materialem sive cum perfectione imaginis, sive ad modum tantum vestigii.

2) At non ita sese habet res. Trinitas enim personarum

[1] Cl. Palmieri thesim suam ita formulat: « Creator est Deus Pater, Filius et « Spiritus Sanctus, qui creant prout sunt unum, illa nempe una scientia, quae diri- « git et voluntas, quae est efficax ad extra. Processiones proinde personarum ne- « cessariae non sunt, ut Deus creet, nisi quatenus necesse est, ut Deus sit illa scientia « et illa voluntas, quae per se exigunt processiones duas immanentes, et proinde tres « personas » (Op. cit., Th. VII). Rectissime quidem. Magis tamen in altera parte theseos placeret forma positiva: « Nihilominus processiones personarum necessariae « sunt ut Deus creet, quatenus etc. ».

veram habet causalitatem relate ad creaturas. Quare nil mirum, si in creaturis inveniri possit vestigium vel imago suae causae.

3) Ne autem causalitas quae hic conceditur, urgeatur ultra doctrinam quam alibi, maxime in art. 1. Quaest. XXXII. tractatus *de Deo Trino* exponebamus [1], recole, hunc nexum non esse talem, qui absque revelatione mysterii percipi possit. Quod verum est non tantum de vestigio, sed de imagine. Secus homo ex contemplatione suimet ad cognoscendam Trinitatem assurgere posset.

4) Adverte autem, causalitatem causae non autem eius formam, quae repraesentatur per vestigium, esse intelligendam non solum de causalitate Dei unius, sed de causalitate Dei unius-trini; secus esset quidem vestigium Dei, non autem Trinitatis, nisi eo sensu remotiori, materiali, quem supra indicabamus.

5) Insuper, licet vestigium prae imagine potius reducatur ad manifestationem causalitatis causae, non ideo quaevis remotior repraesentatio formae eiusdem causae ab ea excludenda est. Secus reduceretur veluti ad quoddam ternarium, quod posset indifferenter referri ad singulas personas, quarum exhibet numerum. Iam vero hoc non sufficit. Imo ipse S. Thomas vestigium mensurae, speciei et ponderis non solum refert ad tres personas SS. Trinitatis, sed rationem exhibet ob quam mensura spectet ad Patrem, species ad Filium, pondus ad Spiritum Sanctum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit agnitionem relationis ad rem cognitam aliunde, cum inductione in rem nondum cognitam. Prius valet de rebus creatis ad SS. Trinitatem posita fide; alterum non valet neque de imagine.

2. Obi. Dupliciter deficit. *a*) Arguit ac si vestigium de quo quaeritur, esset re distinctum a creatura cui inest. - *b*) Non attendit, haec vestigia simul sumpta considerari cum ipsa re ad modum unius rei a Deo uno-trino creatae.

3. Obi. Abstrahit ab illa causalitate Trinitatis, quae in secunda parte *Corporis* praecedentis affirmabatur.

[1] Cf. *Summ. Theol.* t. IV, p. 343, sqq.

Sed contra est. De multiplicibus huiusmodi vestigiis recole quae diximus, praeter locum iam allatum, in tractatu *de Deo Uno,* Quaest. V. art. 5 [1]; et in tractatu *De Deo-Trino* disserentes de pulchritudine Trinitatis [2]. Quantopere scriptores sacri trilogiam inculcent, quae universum regit, nimis nota res est, quam ut ei insistatur. Inter hos auctores excellit apud antiquos Dionysius cuncta ad ternam hierarchiam reducens [3]; aetate media S. Bonaventura, qui terno gradu argumenta sua disponere solet [4]. Adde Dionysium Carthusianum, cuius opera mystico sapore condiuntur [5]. Pulchre Hugo Victorinus: « Tria sunt invisibilia Dei: Potentia, Sapientia, Beni« gnitas. Ab his tribus procedunt omnia, et per haec tria « reguntur omnia. Potentia creat, Sapientia gubernat, Beni« gnitas conservat. Quae tamen tria, sicut in Deo ineffabiliter « unum sunt, ita in operatione separari non possunt. Potentia « per Benignitatem sapienter creat. Sapientia per Benignita« tem benigne gubernat. Benignitas per Sapientiam potenter « conservat » [6]. Ergo omnia quatenus creantur, gubernantur, conservantur, vestigium praebent SS. Trinitatis.

In Corpore. En schema argumenti:

SS. Trinitatis invenitur
- 1) *imago:* in his quae repraesentant non solum causalitatem, sed formam causae, id est, in creaturis dotatis intellectu et voluntate;
- 2) *vestigium:* in his quae repraesentant dumtaxat causalitatem causae:
  - *a*) per *esse* (mensuram), vestigium Patris;
  - *b*) per *speciem* (numerum), vestigium Filii;
  - *c*) per *ordinem* (pondus), vestigium Spiritus S.

[1] T. I, p. 265, sqq.
[2] T. III, p. 809.
[3] Cf. Cl. Dubois (op. cit., t. I, 469, sqq).
[4] Cf. dicenda in appendice.
[5] Cf. de argumento praesenti *Element. theol.* prop. 93, 107, 109.
[6] *Erud. didasc.* l. VII.

Appendix de mente S. Bonaventurae [1].

Placet nonnulla excerpere ex Seraphico Doctore circa vestigia SS. Trinitatis in creaturis existentia.

De discrimine inter imaginem et vestigium ita disserit, tertium membrum adiungens, scilicet *umbram,* tanquam initium per quod a creaturis assurgitur in Deum. « De diffe-« rentia vestigii et imaginis quidam dixerunt talem differen-« tiam: quod vestigium est in sensibilibus, imago in spiri-« tualibus. Sed ista positio vel distinctio non valet: quia « vestigium est etiam in spiritualibus: nam unitas, veritas, « bonitas, in quibus consistit vestigium, sunt conditiones « maxime universales et intelligibiles. – Alii autem dicunt « quod vestigium dicitur, quia repraesentat secundum par-« tem, sed imago secundum totum. Sed haec iterum diffe-« rentia non valet: quia Deus cum sit simplex, non habet « repraesentans secundum partem; cum iterum sit infinitus, « a nulla omnino creatura, nec etiam a toto mundo potest « repraesentari secundum totum.

« Et ideo intelligendum, quod cum creatura ducat in « cognitionem Dei, per modum umbrae, et per modum vesti-« gii, et per modum imaginis, differentia eorum notior, a « qua etiam denominatur, accipitur penes modum reprae-« sentandi. Nam umbra dicitur, inquantum repraesentat in « quadam elongatione et confusione; vestigium in quadam « elongatione, sed distinctione; imago vero in quadam pro-« pinquitate et distinctione. Nam creaturae dicuntur umbra, « quantum ad proprietates quae respiciunt Deum in aliquo « genere causae, secundum rationem causae indeterminatum; « vestigium quantum ad proprietatem, quae respicit Deum « sub ratione triplicis causae, efficientis, formalis et finalis, « sicut sunt unum, verum et bonum; imago, quantum ad

[1] Multa essent de tota hac Quaestione ex S. Bonaventura depromenda; v. gr. doctrina eius de mutatione, quam in creatione aliqualiter adesse docet, non quidem cum motu, sed ob subitam et novam formam inductam: ita ut generatio sit productio, motus et mutatio; creatio productio et mutatio, at sine motu; processio Verbi productio, at sine motu nec mutatione. (II. *Sent.* Dist. 1, p. 1, a. 3, q. 1). Haec ingeniosissima; magis tamen placet doctrina S. Thomae.

« conditiones, quae respiciunt Deum, non tantum in ratione « causae, sed et obiecti, quae sunt memoria, intelligentia et « voluntas » [1].

Vides, iam in vestigio SS. Trinitatem reperiri. Unde dicit Seraphicus: « Trinitatem vestigii contingit reperire in qua- « libet creatura, quantuncumque parva, quantuncumque mi- « nima » [2].

Hoc vestigium reperit per gradationem in essentiis, in substantiis, in creatura facta ad imaginem Dei. In essentiis est mensura seu modus, numerus seu species, et pondus seu ordo.

Vestigium in substantiis ita describit: « In substantia est « altius vestigium Sapientiae et divinae Essentiae: habet enim « omnis substantia materiam, formam, compositionem. Habet « substantia originale principium, formale complementum, « glutinum. Habet res omnis completa substantiam, virtutem « et operationem. Et in his repraesentatur mysterium Trini- « tatis: Pater origo, Filius virtus et forma, Spiritus Sanctus « unio et compago. - Vere autem originale principium a for- « mali complimento distinguitur, non quidem distinctione « hypostatica, qualis est in divinis, nec accidentali; sed reali « distinctione principiorum, quorum unum activum, alterum « passivum. Et hoc tollere a creaturis, est tollere ab eis « repraesentationem Trinitatis. Nec valet quod dicunt falso « philosophantes, quod angelus et anima idcirco composita « dicuntur, quia sunt ab alio: nam esse ab alio, non facit « compositionem. Tunc enim Filius, cum sit a Patre, esset « compositus, et Spiritus Sanctus, qui est ab utroque. Igitur « solum Esse divinum est simplex, in quo non differt esse, « bene esse, et sic esse. Et haec est ratio quare Esse est « nomen Dei, quia Esse Dei est omne illud quod in Deo « est. In creatura autem differt esse, bene esse et sic esse. « - Vestigium huius sapientiae est substantia, virtus et ope- « ratio. Nam virtus est a substantia; operatio vero a sub- « stantia, mediante virtute; sicut Filius a Patre, Spiritus « Sanctus a Patre mediante Filio [3]. Res substantifica a sub-

[1] I. *Sent.* Dist. III, part. 1, q. 2.
[2] I. *Sent.* Dist. II, q. 4.
[3] Cf I *Sent.* Dist. XII, art. 1, q. 1.

« stantia habet esse, a virtute habet vigere, ab operatione « habet efficere » [1].

Vides ex hac doctrina, quam recte monebamus, in vestigio praeter causae causalitatem iam aliquid de causae forma sublucere [2].

ARTICULUS VIII.

UTRUM CREATIO ADMISCEATUR IN OPERIBUS NATURAE ET ARTIS.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Superest ut creationem proprie dictam conferamus cum creatione improprie dicta, scilicet cum operibus naturae et artis, quae et ipsa saepe creatio vocantur. Unde et apud Italos infans nuncupatur *creatura*, et apud omnes populos artifices summi celebrantur creatores.

2) Sed, ut ab his ultimis incipiam, feracitas humani ingenii dupliciter a creatione deficit: tum *a*) quia sine subiecto nihil in actum educere potest; insuper *b*) quia ipsum mentis conceptum ex praehabitis ope artis componit, non autem ex nihilo trahit. Nihilominus quoad hoc alterum elementum maxime ad creatricem virtutem appropinquant. Unde Dantes eleganter canit:

L'arte vostra quella, quanto puote,
Segue, come il maestro fa il discente;
Sì che vostra arte a Dio quasi è nipote [3].

Et Schaepman pulchre vocat hominem creatorem sub Deo:

De mensch, die schepper onder God [4].

3) In operibus autem naturae a duplici excessu cavendum est. Etenim *a*) si nimis minuitur similitudo, quae existit inter creationem et opera naturae, tunc ponuntur formae latenter praeexistentes. Quod fit, quia non satis perpenditur quomodo possint educi de potentia materiae. Quare, ut optime

[1] *Illuminat. Eccl. in Hexaemer.*, Serm. 2, t. 9, p. 38.

[2] Nec tacendus modus quo Seraphicus Doctor ostendit convenientiam ut universum constet triplici ordine rerum: spirituali, corporali et mixto (II. *Sent.* Dist. I, p. 2, a. 1, q. 2,).

[3] *Infern.* XI, 103-105.

[4] Opus. cit., p. 55.

monet S. Thomas, hic error provenit ex nimis depressa materia, quae formas in potentia continet. - *b*) Si autem nimis augetur similitudo, quae existit inter creationem et opera naturae, ponuntur formae ab agente separato creatae. Quod fit, quia eorum subsistentia veluti per se consideratur. Quare, ut pariter monet Angelicus, hic error provenit ex nimis exaggerata forma. - Vera igitur doctrina stat in medio, utpote docens formas non praeexistere, nec tamen creari, sed de potentia materiae educi.

4) Locum autem specialissimum tenet anima humana, quae simul et creatur et infunditur, quatenus anima humana, licet in praesenti statu forma sit corporis vivi; habet tamen unde in vita futura absque corpore subsistat [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si terminus per se actionum compositi, esset forma, et non potius ipsum compositum.

2. Obi. Arguit ac si formae accidentales agerent indipendenter a viribus formarum substantialium, quod est falsissimum.

3. Obi. Recole haec obiici iuxta philosophiam huius temporis, quo generatio spontanea animalium imperfectorum tribuebatur virtuti agentis universalis, sive virtuti caelesti.

4. Obi. Supponit gratuito, nonnisi hoc vocari posse creaturam, quod a Conditore fit immediate. Quum autem omnis virtus qua natura agit, sit a Conditore; quidquid subsistit per vim naturae effectum uti creatura iure nuncupatur.

Sed contra est. Discrimen inter creationem et opus artis eloquenter apparet ex modo, quo Scriptura narrat opificium mundi. De prima effectione rerum affirmatur creatio [2]: « In « principio Deus creavit caelum et terram ». Opera autem naturae ita exhibentur, ut sint quidem a Deo impulsum et vires immittente, at ipsa creatura agente: « Crescite et mul- « tiplicamini » [3].

In Corpore. Discursus est limpidus. Duas falsas sententias S. Doctor excludit: alterum, quae procedens per defec-

[1] Cf. complenda in Quaeres II.

[2] Gen. 1, 1.

[3] Ibid. 22.

tum ex ignorantia materiae, formas ponit nec creari nec effici, sed praelatere; alteram, quae procedens per excessum ex ignorantia formae, ponit formas non solum effici, sed et creari. Solutio est: formas non praelatere, nec creari, sed produci, producto composito. Unde in stricto sensu vocis in operibus naturae non habetur creatio.

Quaeres I. Cur in hoc *Corpore* nihil dicit S. Thomas de operibus artis? - Respondet Sylvius, « rationem esse, quia « haec tria, creatio, natura, ars quemdam habent ordinem « inter se. Ars enim praesupponit naturam, et natura crea- « tionem. Magis ergo de propinquo se habet natura ad crea- « tionem, quam ars. Si igitur creatio non admiscetur operibus « naturae, multo minus admiscetur operibus artis; et si crea- « tio praesupponitur operibus naturae, multo magis praesup- « ponitur operationi artis: et propterea dum in responsione « ostenditur quod creatio non admiscetur operibus naturae, « simul, imo a fortiori ostenditur quod nec admisceatur ope- « ribus artis » [1].

Optime quidem, maxime si consideretur opus artis in quantum externe perficitur: magis enim ad formas accidentales restringitur quam opus naturae. At nihilominus in quantum opus artis in mente concipitur, magis ad creationem appropinquat; sed ab ea semper deficit: tum quia non subsistit, tum quia est creatae facultatis veluti partus.

Quaeres II. Quid de anima humana, nonne haec saltem creari dicenda est? - Iam superius diximus, de anima humana ob suam originem et immortalitatem speciali modo esse loquendum. Etenim simpliciter creari dici nequit, quum non sit subsistens in se complete, sed ad modum formae sit pars compositi; nec tamen est opus naturae, quum non educatur de potentia materiae. Quare quaestio de animis a Deo in quavis generatione humana infusis est aliquomodo extra praesentis articuli argumentum, utpote opera naturae excedens.

Scholion I. Ex dictis agnosce, nobiliorem esse artem, quae ex interna feracitate artificis prosilit, quam quae imitandis rebus externis alligatur. Interna quippe visio, quae exempla-

[1] Gen., i, 22.

ria fingit, plus appropinquat ad Dei mentem, quam visio corporalis, quae obiecta externa imitanda contuetur; nisi illa rursus ita adspiciat, ut in prismate ideali ea veluti transfiguret [1].

Scholion II. Ex doctrina huius articuli vides rursus, quam leviter V. Cousin dixerit: « Créer, c'est une chose très peu « difficile à concevoir, c'est une chose que nous faisons à « toutes les minutes; en effet, nous créons toutes les fois que « nous faisons un acte libre... *Ainsi causer, c'est créer* » [2]. Est enim confusio inter opus creationis proprie dictum et opus naturae vel artis. Sed, uti vidimus, haec dicebat ille, quia docebat nihil de nihilo fieri posse. Quidquid autem in hoc modo loquendi habetur veritatis, quatenus omnis productio est alicuius rei quae non erat, in primo articulo huius Quaestionis ipse S. Thomas ultro declaravit.

Brevissima totius Quaestionis synopsis.

1) Creatio est *productio totius entis ex nihilo,* non quidem in sensu causae materialis, sed in sensu negatae praeexistentiae et negati subiecti. Et sane si iam emanatio entis particularis a causa particulari est quodammodo ex hoc non ente; emanatio totius entis a causa universali est simpliciter ex nullo ente (art. 1).

2) Iam vero oportet omnino *omnia* esse a Deo *creata* ex nihilo; *a Deo* quidem tanquam a causa a qua habeant contingens suum esse; *ex nihilo,* quia secus id unde essent, non esset a Deo, sed eius actioni praesupponeretur (a. 2).

3) Quum autem creatio sit actio sine motu, utpote ex nihilo subiecti, in ipsa re creata non potest esse nisi *relatio totius rei* ad creatorem suum, tanquam ad suum principium essendi (a. 3).

4) Est autem proprie subsistentium, utpote quibus competit esse simpliciter, scilicet *substantiarum spiritualium* et

[1] Ita, v. gr., quis negabit maiorem partem visionis idealis haberi in aliqua imagine Van Dyck, quam in mentali quodam conceptu Teniers? - Inde quoque tantum discrimen inter artifices etiam summos: impetu veluti creativo eminent alii, uti Rubens; alii perfecta repraesentatione rerum, uti Ioannes Van Eyck.

[2] *Introd. à l'hist. de la philos.* 5. leçon.

materialium. Reliqua, utpote entium potius quam entia, non creantur, sed concreantur (a. 4).

5) Porro *nullius praeter Deum* est creare, non solum actione *propria;* - effectus enim universalissimus, τὸ ens, exposcit causam universalissimam, Deum; - sed et actione *instrumentali:* nam in creatione, quum sit ex nullo praesupposito, nihil instrumentum proprie de se conferre posset, quod tamen est de ratione instrumenti, ne frustra sit prorsus (a. 5).

6) Haec autem creatio quum ponat esse, causam habere debet esse Dei, quod est *unum* et tribus personis commune. At nihilominus, quum Deus creet per intellectum et amorem, Deus creat ut *unus-trinus* (a. 6). - Inde SS. Trinitatis *imago* habetur in creaturis intellectu et voluntate praeditis; *vestigium* in aliis, quippe in quibus non apparet forma, sed tantum causalitas causae, scilicet in quantum habent *esse* (vestigium Patris), *formam* (vestig. Filii) et *ordinem* (vestig. Spiritus Sancti) (a. 7).

7) Quum in operibus naturae et artis non habeatur productio ex nihilo formae per se subsistentis, sed effectio compositi ex potentia materiae, aut productio formarum accidentalium, creatio proprie dicta huiusmodi operibus non admiscetur (a. 8).

SECTIO III.

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM.

QUAESTIO XLVI.

Superest ad hanc tractationis partem absolvendam, ut investigemus, *quando* Deus universum ex nihilo fecerit. In quo 1) factum theologice stabilimus, *non semper* id exstitisse (art. 1); - 2) dein hanc veritatem consideramus in sua relatione ad fidem et rationem, considerando saltem *de possibilitate* ut semper exstiterit (art. 2); - 3) demum perpendimus quo sensu Deus dicatur *in principio* creasse caelum et terram (art. 3). Intimus nexus inter articulum primum et secundum in evolutione argumenti apparebit.

Unum ab initio monemus. Quum de praesenti argumento longissimae disputationes habitae sint, ob specialem arguendi rationem, qua Angelicus in eo utitur, mens nostra non est fusius de hac re disputare, perpendendo minutissime vim uniuscuiusque probationis in favorem eiusdem sententiae adductae. Esset negotium opellae specialis. Insuper argumentum spectat potius ad disciplinam philosophicam. Breviter ergo in quantum res sinit, litem exponemus, atque nostram sententiam plena libertate de more proferemus.

ARTICULUS I.

UTRUM UNIVERSITAS CREATURARUM SEMPER FUERIT [1].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplex quaestio, uti modo innuebamus potest circa praesens argumentum moveri: *a*) quaestio *facti*, *b*) quaestio *demonstrabilitatis* facti. α) Quaestio

[1] De hoc articulo et de articulo sequenti praeter laudatos Th. Esser, Stentrup et Stöckl (op. cit.), lege Michel (*Philos. Iahrb. der Görresgesellsch.* IV-V).

facti est: utrum revera universitas creaturarum semper fuerit, an esse inceperit. β) Quaestio demonstrabilitatis est: utrum hoc factum demonstrari possit, an fide tantum teneatur. Quaestio facti agitatur in praesenti, altera in proximo articulo discutietur.

2) Nec dicas, utramque esse quaestionem unam, quatenus si factum ratione demonstrem, iam hoc ipso possibilitatem oppositi per rationem excludo. Potest quidem ita factum probari philosophice, ut oppositum hoc ipso demonstretur impossibile. At theologice se aliter habet res. Etenim possum ita ex auctoritate factum ponere, ut non adiungam ex ratione nisi fundamentum possibilitatis facti, et argumenta contra hanc possibilitatem adducta ostendam esse deficientia. Tunc remanet ulterior quaestio, utrum factum hoc habeat fundamentum non modo suasibile, sed et necessarium. Iam vero ita in his duobus articulis S. Thomam agere, manifestum est.

3) Nec aliter agit in l. II *Summ. ctr. Gentiles*. Postquam fuse ostendit, Deum esse in creando liberum ab omni necessitate antecedente, Angelicus primo demonstrat, non esse necessarium ut creaturae semper exstiterint. Quae est positio articuli praesentis, quoad partem argumentativam. Etenim si factum creationis rerum in tempore revera constat, impossibile est, istud factum esse contra cogentem aliquam rationem. Quare rationes in oppositum adductae debent esse sophisticae.

Exclusa autem hac necessitate, ut res sint ab aeterno (cap. 31), S. Thomas fuse exponit rationes in favorem huius aeternitatis allatas, tum ex parte Dei (cap. 32), tum ex parte creaturarum (cap. 33), tum ex parte ipsius effectionis (cap. 34); quo facto easdem iuxta eamdem tripartitionem confutandas aggreditur (cap. 35-37). Demum (cap. 38) perpendit « rationes « quibus conantur aliqui ostendere, mundum non esse aeter- « num », easque pariter ostendit non esse cogentes; de quo mox. Vides proin, capita 31-37, l. II. *Summae ctr. Gentiles* respondere uni articulo praesenti.

4) In opusculo autem cui titulus: « *De aeternitate mundi contra murmurantes* » [1] parumper aliter incedit S. Doctor,

[1] Opusc. XVII.

quum scopus directus huius libelli sit afferre rationes quae demonstrant, impossibilitatem creationis ab aeterno non affulgere menti nostrae; et non tractat argumenta quibus demonstratur rationabilitas mundi in tempore effecti. Quare in articulo sequenti, ad quem pertinet totum, de hoc opusculo agemus.

5) In commentario Lombardi S. Thomas unico articulo utrumque respectum comprehendit, opponens quatuordecim rationes ad aeternitatem mundi demonstrandam, et novem ad eiusdem positionis impossibilitatem evincendam. In solutione autem tres affert sententias iuxta schema sequens, quod praesenti disputationi praemittere iuvat, quia utrumque articulum aeque collustrat.

- **De duratione mundi tres habentur sententiae:**
  - 1.ª affirmat, mundum esse Deo coaeternum: (sententia falsa et haeretica)
    - *a*) modo generabili et corruptibili: (Empedocles);
    - *b*) primo infinita quies, tunc motus per intellectum: (Anaxagoras);
    - *c*) motus infinitus inordinatus, postea ordinatus:
      - α) casu (Democritus);
      - β) a Creatore (Plato);
    - *d*) uti nunc est: (melius) (Aristoteles)
  - 2.ª affirmat, mundum incepisse, non solum fide teneri, sed et ratione demonstrari;
  - 3.ª affirmat, id quidem fide teneri, sed ratione demonstrari non posse: (S. Thomas)
    - *a*) nec secundum esse perfectum, quod natura nunc habet;
    - *b*) nec secundum modum, quo a Deo exit.

6) Quum igitur S. Thomas ibidem adhaereat sententiae mediae, solvit simul omnes obiectiones, quas in favorem primae et secundae sententiae coacervarat. Qui igitur plura de hoc argumento apud Aquinatem quaerit, adeat praecitatos fontes: inveniet uberrime unde subtilitatum sitim acuat potius quam extinguat.

7) Porro si omnes rationes perpendimus, quibus demonstratur, mundum non esse debere ab aeterno, una est, quae

fortius et manifestius id illustrat: libertas scilicet qua Deus condidit mundum: quatenus nulla assignari omnino ratio posset, ob quam haec libertas contraheretur ad mundum creandum necne, aut hunc vel illum; exclusa circumstantia initii.

8) Sed hoc argumentum, ut plene valeat, supponit non esse aliunde impossibilem mundum in tempore condendum. Et sane si aliunde demonstraretur, mundum non posse creari nisi ita ut sit aeternus, poterit quidem argui ex libertate actus creativi ad demonstrandum, potuisse mundum non esse, si Deus eum creare noluisset; non autem ad demonstrandum, potuisse mundum non esse aeternum. Quare, ut valeat argumentum ex libertate actus creativi adductum ad possibilitatem mundi non aeterni demonstrandum, superest ut solvantur argumenta, quibus adversarii ostendere conantur, mundum non posse non esse aeternum. Ad quod obtinendum sufficit credenti auctoritas fidei: impossibile enim est, fidem dari de re impossibili. Sed non credenti, aut saltem philosophica methodo agenti, onus insuper incumbit, ut defectum huiusmodi rationum detegat atque ostendat. Etenim ut rationabilitas fidei salvetur, satis est ut solvantur argumenta, quibus adversarii eam tanquam rationi oppositam impugnant.

9) Qui autem tenet, non solum non repugnare mundum in tempore conditum, sed insuper positionem mundi creati ab aeterno repugnare prorsus, quotquot ille rationes adducit ad hanc impossibilitatem demonstrandam, tot quoque iure affert ad creationem mundi in tempore fulciendam. Quum autem S. Thomas non putet, hanc impossibilitatem posse efficaciter ex ratione illustrari, in praesenti argumento potius agit partes defendentis contra sophisticas rationes, quibus aeternitatem mundi demonstrare conantur philosophi illi, quos hoc olim errore imbutos esse vidimus. Cui errori tempore Angelici subscribebant Averroës et Avicenna.

10) Stat igitur Angelicus veluti in arce fidei collocatus, tenens mundum in tempore conditum, quia id docet fides, sed depellens tela hinc inde immissa ad probandum mundum necessario sive in tempore sive ab aeterno conditum.

Ad Textum. - *1. Obi.* Arguit ex possibilitate aeternitatis mundi, quatenus haec possibilitas supponit materiam; ac

proin supponit aliquid quod ex hypothesi nondum adest; unde hypothesis videtur repugnare.

Tria animadverte circa hanc obiectionem. 1) Qui negant possibilitatem mundi aeterni, truncant difficultatem radicitus. - 2) Qui hanc possibilitatem concedunt, absque labore difficultatem solvunt distinguendo inter potentiam a parte materiae et a parte causae efficientis. - 3) Caeterum ex hac difficultate ponebant quidam philosophi antiqui materiam aeternam, licet non in sensu purae potentiae, quam Deus in tempore ordinasset (Cf. 5, - 1) *b*) β)).

2. Obi. Haec obiectio manifesto deficit, confundit durationem a parte post, cum duratione a parte ante. Nec simpliciter ex ista difficultate sequitur, incorruptibilia non posse accipere virtutem ut sint per modum generationis; sed ideo quia sunt incorruptibilia, non autem unice quia per generationem incipiunt esse.

3. Obi. Est mera cavillatio circa vocem « *ingenitum* ».

4. Obi. Est pariter cavillatio circa notionem « *vacui* ». Si *vacuum* nihil aliud includit nisi negationem entis quod ei insit, non repugnat vacuum ante creationem universi; si autem aliquid amplius involvit, corruit vis obiectionis.

5. Obi. Supponit, creationem esse cum vero motu. Quod falsum est: huc enim spectat, non ut mobile moveatur, sed ut ex nihilo totum condatur, deinceps utique movendum.

6. Obi. Multipliciter deficit. Et primo quidem non omnino bene concludit. Etenim instantia facta ex voluntate demonstrat quidem, in condendo primo mobili nullum potuisse esse respectum ad tempus praecedens; non autem demonstrat, ideo semper aliquem motum praesupponi motui.

Deficit insuper, quia non considerat discrimen inter agens universale et agens particulare. Agens particulare agit circa mobilia in tempore, in quo movetur et ipsum; agens autem universale ponit mobilia, et cum primis mobilibus ponit temporis initium. Quare obiectio recte procedit a primo instanti rerum deinceps; caret autem omni virtute quoad relationem huius primi instantis ad Deum-Creatorem.

Unde qui tenent, mundum ab aeterno conditum repugnare, hac consideratione utuntur ad demonstrandam neces-

sitatem ut assurgendo possit perveniri ad instans primum quo res in tempore volvi coeperunt.

Quoad ultima verba responsionis vide dicta n. 11.

7. Obi. Praesupponit quod esset demonstrandum. Caeterum si tempus consideratur uti motus continuus, de quovis instanti verum erit quod sit initium et finis, non autem de primo, quod non sit nisi initium. Recte autem haec obiectio incedit, quatenus eodem modo arguit de tempore ac de motu. Quod magni momenti est, uti in sequenti articulo videbimus.

8. Obi. Haec obiectio quoad praesens argumentum forsan potior est. Attamen, ad summum nihil probaret, nisi Deum non potuisse condere mundum prius quam fecit; non autem hunc mundum esse debere ab aeterno conditum. Unde etiamsi concederetur, nihil potuisse esse prius initio mundi; nihil inde contra thesim praesentem sequeretur. Sed neque hoc simpliciter, nulla adhibita distinctione est concedendum. Etenim duplex datur prius: aliud temporis reale, quod utique non fuit; aliud aeternitatis, seu imaginarium temporis, quod tenendum est.

9. Obi. Est cavillatio apparens. Causa enim sufficiens mundi est Deus volens, et quidem libere volens. Porro haec libertas potest ferri circa durationem sive initium mundi haud secus ac circa eius perfectionem. Et sane hoc initium non eximitur nec a causa finali, nec a causa exemplari, nec a causa efficiente.

10. Obi. Maior huius argumenti distinguenda est. Et quidem dupliciter: a parte causae et a parte effectus. *a*) A parte causae, quia causa quae libere agit, licet sit aeterna, agit secundum illam formam quam libere definit vel praedestinat, v. gr., principium actionis. Si ergo haec forma in casu est effectio mundi postquam non fuerit, vis axiomatis potest non solum declinari, sed et retorqueri. - *b*) A parte effectus, quia effectus non solum debet commensurari causae iuxta indolem causae, sed et iuxta indolem ipsius effectus. Unde si repugnet effectus aeternus, - de quo in art. 2, - ex hac quoque indole vis axiomatis depellitur.

Sed contra est. Praesens doctrina diserte affirmatur a Scripturis, a Patribus, a Conciliis et ab Ecclesiae auctoritate.

1) Ex *Scripturis* satis sint testimonia sequentia: *a*) Ex Ant. Test. diserta sunt verba libri Proverbiorum: « Dominus « possedit me in initio viarum suarum, *antequam* quidquam « faceret a principio.... *Nondum* erant abyssi.... » [1]. Quibus verbis consonat illud libri Ecclesiastici: « Ego ex ore Altis- « simi prodivi, primogenita *ante* omnem creaturam » [2]. Consonant et Verba Psalmistae: « *Priusquam* montes fierent « aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in sae- « culum tu es Deus » [3]. Quare cum optimo fundamento ad hunc sensum trahitur exordium Geneseos: « *In principio* « Deus creavit caelum et terram ».

b) In Nov. Test. haec veritas apertissime proclamatur a Christo: « Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum « claritate quam habui *priusquam* mundus esset apud te » [4]. Eamdem veritatem testatur Apostolus de praedestinatione divina: « Elegit nos in ipso (Christo) *ante* mundi constitu- « tionem » [5].

2) *Patres* unanimi voce consentiunt. Praeter testimonia plura in articulo proximo afferenda, sequentia pauca hic sufficiant. *S. Iustinus* senem inducit rogantem: « Sed tu an « ipsum mundum ingenitum dicis? - Sunt qui dicant, sed « his ego non assentior. - Recte facis: Quam enim habet « rationem corpus adeo solidum et durum et coagmentatum, « quodque immutatur, perit et nascitur quotidie, non ab ali- « qua causa ortum censere? » [6]. - S. Irenaeus expressius ait: « Discant quoniam sine initio et sine fine, vere et semper « idem et eodem modo se habens solus est Deus, qui est « omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo, quaecumque « facta sunt et finiunt, initium quidem suum accipiunt genera- « tionis et per hoc inferiora sunt ab eo, qui ea fecit, quo- « niam non sunt ingenita » [7]. - Et S. Augustinus: « Omnino « incomparabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita

[1] Prov. viii, 22, sq.

[2] Eccli. xxiv, 5.

[3] Ps. lxxxix, 2.

[4] Ioann. xvii, 5. — Cf. ibid. 24.

[5] Ephes. i, 4.

[6] *Dial. c. Tryph.* n. 5. Verum est, hunc locum nonnisi implicite affirmare ortum mundi non ab aeterno.

[7] *Advers. haer.* l. ii, c. 34, n. 2. — *P. L.* vii, 835.

« aeterna, ut ei coaeternum aliquid esse non possit » [1]. - Argumentum ex libertate actus creativi ita exhibet S. Damascenus: « Creatio autem in Deo, quum sit voluntatis opus, « Deo profecto coaeterna non est. Haud enim natura com- « paratum est, ut quod ex nihilo producitur, eamdem cum « eo quod initio caret et sempiternum est, aeternitatem aut « perpetuitatem habet » [2]. Ubi vides, Damascenum non solum adducere libertatem creantis ut ostendat creationis in tempore possibilitatem, sed repugnantiam creationis ab aeterno.

3) *Auctoritas Ecclesiae* hanc veritatem proclamat. Symbolum Concilii Lateranensis IV contra Albigenses definivit: Deus « sua omnipotenti virtute simul *ab initio temporis* de « nihilo condidit creaturam » [3]. Quam declarationem quoque suam fecit Concilium Vaticanum [4]. Quare optimo iure damnata est 2. propositio Ekkardi: « Concedi posse, quod mun- « dus ab aeterno fuerit » [5].

Concordat cum catholica doctrina traditio Iudaeorum, tum antiquorum, uti patet ex Philone [6] et Flavio Iosepho [7]; tum recentiorum, uti liquet ex Mose Maimonide, qui haec habet: « Explicavi tibi ex articulis fundamentalibus Legis « nostrae esse credere novitatem mundi »; et: « Mundum « hunc habere initium ac principium, quo nihil fuit, nisi Deus, « et Sapientia eius, qua decrevit, se exsistentiam rebus his « creatis certo tempore daturum et ordinaturum, etc. » [8].

In Corpore. Adverte sententiam exordii, qualis apud plerasque editiones habetur, non respondere argumentationi; imo pugnare cum articulo sequenti. Etenim si hic S. Thomas affirmaret, nihil posse praeter Deum ab aeterno fuisse, quomodo posset in articulo sequenti vindicare inaptitudinem mentis nostrae sibi relictae ad impossibilitatem mundi ab aeterno creati ostendendam? Quare loco verborum « nihil « potest », lege: « nihil *debet* », aut aliquid huiusmodi.

[1] *De Gen. ad litt.* l. VIII, c. 23, n. 44. — Cf. textum S. Fulgentii in articulo sequenti afferendum.

[2] *De fid. orthod.* l. I, c. 8.

[3] DENZINGER (op. cit., n. 355).

[4] Sess. III, c. 1. (Ibid. n. 1632).

[5] Cf. DENZINGER (op. cit. n. 429).

[6] *De mundi opif. sec. Mosen.*

[7] *Antiquit. Iudaeor.*

[8] *Doct. perplex.* p. II, c. 27, 29.

Argumentum autem duplici parte constat. In prima demonstratur ex libertate actus creativi, mundum *potuisse* creari in tempore. In altera, ad carissimum sibi Aristotelem ab omni excessu defendendum, S. Thomas contendit Philosophum non absolute sustinuisse necessitatem creationis ab aeterno, sed sophisticas aliorum rationes depulisse, et suasibilitatem dumtaxat oppositae illi sententiae propugnasse; proin Aristotelem in hoc argumento amplexatum esse prudens rationis dubium. Quod dubium Angelicus utique per fidei lumen abiicit; abstracta autem fide, philosophice probandum esse existimat, uti demonstat articulus sequens, ad quem iam accedimus.

ARTICULUS II.

UTRUM MUNDUM INCEPISSE SIT ARTICULUS FIDEI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Accedimus non sine quadam mentis trepidatione ad agitatissimum in scholis argumentum.

Placet audire primo modum, quo S. Thomas in laudato opusculo quaestionem inducit. Discreta positione antiquorum philosophorum de aeternitate mundi, Angelicus dubium de possibilitate ita ponit atque distinguit: « Supposito secundum « fidem catholicam, mundum ab aeterno non fuisse - sicut « quidam philosophi errantes posuerunt - sed quod mundus « durationis initium habuerit - sicut Scriptura sacra, quae « falli non potest, testatur; dubitatio mota est, utrum potuerit « semper fuisse. Cuius dubitationis ut veritas explicetur, primo « distinguendum est, quid est in quo cum dicentibus contra- « rium convenimus, et quid est illud in quo ab eis differimus. « Si enim intelligatur quod aliquid praeter Deum potuerit « semper fuisse, quasi possit esse aliquid aeternum praeter « eum, ab eo non factum: error abominabilis est non solum « in fide, sed etiam apud philosophos, qui confitentur et pro- « bant quod omne quod est quoquo modo, esse non possit « nisi causatum ab eo qui maxime et verissime habet esse. Si « autem intelligatur aliquid semper fuisse, et tamen causatum « a Deo secundum totum quod in eo est: videndum est « utrum hoc possit stare ». Igitur nullo modo quaeritur de

possibilitate mundi aeterni a Deo non effecti, sed a Deo causa, seu creante, at ab aeterno nihilominus producti.

Porro si hoc impossibile affirmatur, haec impossibilitas duplici modo rursus intelligi potest: « Si autem dicatur hoc « impossibile; vel hoc dicetur quia Deus non potuit facere « aliquid quod semper fuerit, aut quia non potuit fieri, etiam « si Deus posset facere ». Facta distinctione S. Thomas iudicium profert de utroque membro. « In prima autem parte « omnes consentiunt: scilicet in hoc quod Deus potuit facere « aliquid quod semper fuerit, considerando potentiam ipsius « infinitam. Restat igitur videre, utrum possibile sit aliquid « fieri quod semper fuerit ».

Hic rursus duplex modus intellectionis datur sedulo distinguendus. « Si autem dicatur quod hoc non potest fieri; hoc « non potest intelligi nisi duobus modis, vel duas causas « veritatis habere: scilicet vel propter remotionem potentiae « passivae, vel propter repugnantiam intellectuum ».

Posita distinctione utrumque membrum considerat: « Primo modo posset dici, quod antequam Angelus sit factus, « non poterat Angelus fieri, quia non praecessit ad eius « esse aliqua potentia passiva, cum non sit factus ex ma- « teria praeiacenti; tamen Deus poterat facere Angelum et « poterat facere ut Angelus fieret, quia fecit, et factus est. « Sic ergo intelligendo, simpliciter concedendum est secun- « dum fidem, quod non potest causatum a Deo semper esse: « quia hoc ponere, esset ponere potentiam passivam semper « fuisse; quod haereticum est. Tamen ex hoc non sequitur « quod Deus non possit facere ut fiat semper aliquod ens ». Hic primus sensus, quem Aquinas depellit, aequivalet positioni illorum, qui aeternum mundum affirmabant quatenus aeterna erat materia ex qua factus est. - Iam ad alterum sensum propositionis: « Secundo modo dicitur per repugnan- « tiam intellectuum aliquid non posse fieri, sicut non potest « fieri ut affirmatio et negatio sint simul vera; quamvis Deus « hoc possit facere, ut quidam dicunt ».

Quam ultimam assertionem S. Thomas recusat, allata auctoritate S. Augustini. Contrahitur igitur totum problema ad hoc: utrum in hac secunda positione habeatur intellectuum repugnantia. Si habetur, impossibilitas demonstratur;

si autem non habetur, non solum impossibilitas non adest, sed nec adesse potest. « Videndum est ergo, utrum in his « duobus sit repugnantia intellectuum, quod aliquid sit cau- « satum a Deo, et tamen semper fuerit. Et quidquid de hoc « verum sit, non erit haereticum dicere: quia hoc potest « fieri a Deo ut aliquid causatum a Deo semper fuerit. Ta- « men credo quod, si esset repugnantia intellectuum, esset « falsum. Si autem non est repugnantia intellectuum, non « solum est falsum sed etiam est impossibile aliter esse, et « erroneum, si aliter dicatur. Cum enim ad omnipotentiam « Dei pertineat ut omnem intellectum et virtutem excedat, « expresse omnipotentiae derogat, qui dicit, aliquid posse « intelligi in creaturis, quod a Deo fieri non possit. Nec « est instantia de peccatis, quae, inquantum huiusmodi, nihil « sunt ».

Ita contracta quaestione, S. Thomas sequentibus verbis problema definitivo modo ponit, ac simul ostendit viam per quam ipse thesim suam demonstraturus aggredietur: « In « hoc ergo tota consistit quaestio: utrum esse creatum a Deo « secundum totam substantiam, et non habere durationis « principium, repugnent ad invicem, vel non. Quod autem « non repugnent, sic ostenditur. Si enim repugnant, hoc non « est nisi propter alterum duorum vel propter utrumque: « aut quia oportet ut causa agens praecedat duratione; aut « quia oportet quod non esse praecedat esse duratione, prop- « ter hoc dicitur creatum a Deo ex nihilo fieri ».

Sed antequam valorem huius argumentationis perpendamus, iuvat breviter inquirere quid de hac quaestione doceant Scripturae, quid Patres, quid Theologi passim.

1) *Scripturae* quidem nihil certi de praesenti argumento tradunt. Loquuntur enim secundum historicum ordinem rerum, secundum quem mundus incepit in tempore.

At modo quo hunc ordinem exhibent, insinuare videntur, hoc initium in tempore esse de essentia creationis. Et sane *a*) semper hoc initium affirmant tanquam factum omnino planum, quod ex effectione rerum naturali consequentia fluit, quin unquam alludant ad possibilitatem ut mundus ab aeterno fieri potuisset. Pariter *b*) aeternitatem Deo ita singulariter propriam exhibent, ut haec singularitas non ex

facto creationis rerum in tempore, sed ex essentia divinitatis fluat, quatenus Deo nihil possit esse coaeternum.

Haec quidem non ita ex Scripturis deducimus tanquam argumenta; sed tanquam remotas suasiones, ex quibus legitime erui possit, Scripturas, si alterutri sententiae faveant, potius favere sententiae possibilitatem creationis ab aeterno neganti.

2) *Patres* unanimi consensu aeternitatem ita Deo unice tribuunt, ut omnia alia in tempore necessario incepisse demonstrent. Et sane Ariani, volentes Verbo adimere divinitatem, dicebant illud factum esse ἐξ οὐκ ὄντων postquam non fuerit, quia evidenter videbant per hanc in tempore effectionem negari eius divinitatem; quod non tanta instantia fecissent, si putassent, aliquid simul esse posse et effectum et aeternum. Unde Patres divinitatem Verbi per hoc ipsum probant, quod aeternitatem eius ostendunt.

Sed audiantur quaedam testimonia Patrum tum Graecorum, tum Latinorum.

a) Ex *Graecis* Patribus S. Athanasius egregie contra Arianos disputans declarat, Deum, etsi omnipotentem, non posse facere creaturam aeternam, quia res in se repugnat, utpote contradictionem involvens: « Quod si curiosius inqui-
« rant, cur Deus cum semper facere possit, non semper faciat,
« furentium haec quidem est audacia. Quis enim cognovit
« mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quo-
« modo dicet figmentum figulo: cur me ita fecisti? Sed ut ne
« vel tenui aliqua inventa ratione sileamus, audiant: tametsi
« Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse
« non posse; quippe ex non extantibus sunt; non erant, ante-
« quam fierent [1]. Quae autem non sunt antequam fiant, qui-
« nam poterant cum Deo, qui semper est, existere? » [2].

Et in ratione sequenti breviter ait: « Proprium est crea-
« turarum et operum, non esse antequam fiant, et ex non
« extantibus subsistere » [3]. Quare ex aeternitate concludit ad divinitatem Filii Dei: « Habet, inquit, ille vim creandi, con-

[1] Adverte, hunc modum loquendi nullatenus infirmari per considerationem, quam mox ex Boëthio afferemus. Hoc semel dictum pro aliis locis similibus valeat.

[2] *Orat. 2 ctr. Arianos.*

Orat. 3 ctr. Arianos.

« dendi, aeternitatem; ut sit omnipotens, immutabilis; contra, « quae creata sunt, creare non possunt: quippe quae ipsa crea- « turae sunt. Neque aeterna esse possunt, quoniam ab initio « aliquo incipiunt esse. Neque omnipotentia et immutabilia » esse queunt: nam alterius potestate continentur, et natu- « rae sunt mutabilis, ut sacrae litterae testantur » [1].

S. Basilius non veretur affirmare: « Nos autem eiusdem « insaniae esse putamus, tum creaturae aeternitatem adscri- « bere, tum creaturae Dominum hoc testimonio privare » [2].

Zacharias Mitylenaeus de essentia declarat esse creaturae « ut in tempore esse coeperit, sitque mutabilis: ut sit « Dei solius proprium aeternum esse; ita ut annexum, et « implicatum sit illi uno modo, ut semper ipsi sit, et solus, « et immutabiliter existat. Nihil igitur eorum, quae natura « sua verti, mutarique possunt, omninoque moveri ac quie- « scere, coaeternum esse Deo suspiceris. Ita enim, quod « solum proprium est ipsius, et solum, et semper, ac digni- « tatum eius velut colophon quidam, non subtrahemus, fin- « gentes communicare cum ipso aliquid eorum, quae natura « sunt mutabilia, ac revera non sunt » [3].

Imo strenue ostendit impossibilitatem ut mundus coaeternus Deo sit a Deo: « Si coaeternus esset mundus Deo, « cum ea quae sunt coaeterna, simul sint: quae vero sunt « simul, ex se mutuo causam efficientem habere nequeant; « consequens erit, mundum causam ex Deo efficientem ha- « bere non posse: nisi forte id quod fit umbrae instar esse opor- « teat; aut velut complementum quoddam substantiae id quod « oritur ad id unde oritur assumi, quemadmodum in sole, « et splendore accidit, vel substantiale certe illi esse, uti in « Patre et Filio cernimus. Sed si causa ipsa sit efficiens, et « mente, ac voluntate praedita, et diversae a se substantiae « sit efficax » [4]. Quod si haec coaeternitas aliqualiter possit cum effectione salvari, demonstraret, Deum non libere quidem, sed ex quadam necessitate mundum condidisse, saltem

[1] Epist. ad Afric. — Vides hic pulcherrimum testimonium ad corroborandam doctrinam superius expositam de impossibilitate ut aliquid creatum creet.

[2] *Adv. Eunom.* — Cf. Gregorium Niss. (*Adv. Eunom.* l. 1).

[3] *Disput. de mund. opif.*

[4] Ibid.

quoad id quod in eo aeterni reperitur: « Oportet antiquio-
« rem esse opificem opere suo, et conditorem conditis rebus;
« siquidem quod facit, re facta anterius est causa et tem-
« pore. Nisi forte non voluntaria causa debet esse, minime-
« que considerata: quemadmodum umbrae corpus, et splen-
« doris id quod lucidum est. Quinam enim opifex erit opifex,
« si non volens eius quod fecit, opifex fuerit? aut si velut
« umbrae corpus, ita simpliciter opificem secutum est casu
« quodam simul existens cum illo istud universum? » [1].

Et sane qui hanc aeternitatem ponunt, a Deo creatore eximunt substantias primas rerum, nonnisi qualitatum productionem Deo tribuentes. S. Maximus Confessor id bene monet his verbis: « Quidam asserunt ex aeterno cum Deo crea-
« turas existere, quod fieri non potest. Quomodo enim cum
« eo, quod omnino est infinitum, simul existere possunt ex
« aeterno, quae omnino definita sunt? Aut quinam proprie
« opera sunt, si opifici coaeterna? Atqui Graecorum propria
« est haec oratio: qui substantiarum nullo modo, qualitatum
« vero dumtaxat molitorem esse Deum affirmant. Nos autem
« omnipotentem agnoscentes Deum, non qualitatum, sed affec-
« tarum qualitatibus substantiarum artificem eum esse dici-
« mus. Quod si ita est, non ab aeterno simul existunt cum
« Deo creaturae » [2].

Claudamus testimonia Patrum Graecorum hisce verbis S. Damasceni: « Creatura, cum voluntatis Dei sit opus, non
« est Deo coaeterna. Non enim natura fert, ut quod ex nihilo
« ad esse provectum est, coaeternum sit ei, qui principio
« caret, estque semper » [3].

b) Concordant perfecto modo Patres *Latini*. Et primo quidem Tertullianus omnino opinatur, aeternum non esse posse nisi Deum: « Quis enim, ait contra Hermogenem dispu-
« tans, alius Dei census quam aeternitas? quis alius aeter-
« nitatis census, quam semper fuisse, et futurum esse, ex
« praerogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est
« proprium, solius Dei erit, cuius est proprium » [4]. Quare

[1] *Disput. de mundi opif.*
[2] *Lib. de carit.* cent. IV, n. 6. — *P. G.* t. XC, col. 1050.
[3] *De fide orth.* lib. I, c. 8. — *P. G.* t. XCIV, col. 814.
[4] *Cfr. Herm.* c. 4. — *P. L.* t. II, col. 125.

quidquid adventitium est Deo, temporale sit oportet. « Omnia, « ait Marcionem debellans, in Deo naturalia, et ingenita esse « debebunt, ut sint aeterna secundum statum ipsius, ne obve- « nientia et extranea reputentur; ac per hoc temporalia et « aeternitatis aliena ».

S. Ambrosius omnino arguit sicut modo disputandum audivimus Zachariam: « Nec otiose utique factum legimus (" omnia « in sapientia fecisti "): quia plerique qui coaeternum Deo « mundum volunt esse, quasi adumbrationem virtutis divi- « nae, asserunt etiam sponte subsistere, et quamvis causam « eius Deum esse fateantur, causam tamen volunt non ex « voluntate et dispositione sua, sed ita ut causa umbrae « corpus est. Adhaeret enim umbra corpori, et fulgor lumini, « naturali magis societate quam voluntate arbitra » [1].

S. Augustinus pariter existimavit repugnare, creaturam, necessario mobilem, a Deo factam esse, et nihilominus initio temporis caruisse. De domo Dei beatorum sede ait Deum alloquens: « Nec tamen tibi Deo coaeterna, quoniam non « sine initio; facta est enim [2] ». Et durationem tempore mensurabilem, in qua se movet creatura, ita opponit aeternae durationi Dei: « Verum quia omnino incommunicabilis est « illa natura Trinitatis, et ab hoc ita aeterna, ut ei aliquid « coaeternum esse non possit, ipsa apud seipsam et in seipsa « sine ullo tempore et loco, movet tamen per tempus et « locum sibi subditam creaturam » [3].

Alibi profunde disserens de conditione omnis rei ex nihilo ortae, de aeternitate eiusdem a parte ante et post eodem modo loquitur, nisi divina virtute sustentetur. Quod iam dixerat Plato in Timaeo, ubi Deum summum ita deos inferiores a se factos alloquentem inducit: « Quoniam, inquit, « orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles « non potestis » [4]. Idem uberius Augustinus evolvit: « Dixi, « inquam, de Filio, cum eum a creaturae definitione discer- « nerem: quoniam is non ex eo, quod non est, in id quod « est; quod tale est, ac si dicerem, non ex nihilo factus est.

[1] *Hexaem.* l. I, c. 5. — *P. L.* t. XIV, col. 142.
[2] *Confess.* l. X, c. 15, n. 19.
[3] *Gen. ad litt.* l. VIII, c. 23.
[4] Cf. addenda mox de mente Augustini circa hoc effatum Platonis.

« Et propterea nunquam in id quod non est, ex eo quod est, « id est, nunquam in nihilum ex eo ipso, quod est, naturae « suae proprietate solvendus est. Creatura vero ex eo quod « non est, in id quod est; quo ostenditur, quia ex nihilo pro- « lata est; et propterea, quantum ad se attinet, ex eo quod « est, in id quod non est, id est, in nihilum, nisi perpetua « gratia fecerit, naturae suae qualitate vertenda est. Ergo « nunquam non erit Filius, qui substantialiter docetur esse « perpetuus » [1].

Clarius S. Augustinus mentem suam aperit in capite 15 libri XII *De Civitate Dei*. Ex integro haec discussio hic esset afferenda, quo clarius constaret, sine fundamento a quibusdam S. Augustinum in hac materia veluti S. Thomae antesignanum haberi [2]. Haeret quidem Hipponensis, sed non circa hoc, utrum potuerit Deus non esse ante creaturam sed quomodo concipiendum sit istud ante. Proclamat scilicet nullum fuisse tempus quo creatura quaedam non fuerit; at hoc dicens intelligit tempus mutationi subnoxium. Unde quando affirmat creaturam semper fuisse, quatenus nullo tempore non fuit, at nihilominus non posse Deo esse coaeternam, respicit non tantum modum mutabilem quo semper fuit, sed etiam initium quo carere non potuit. En praecipua verba huius disputationis: « Ubi nulla creatura est, cuius mutabilibus motibus « tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. « Ac per hoc etsi semper fuerunt [3], creati sunt: nec si sem- « per fuerunt, ideo Creatori coaeterni sunt. Ille enim semper « fuit aeternitate immutabili, isti autem facti sunt. Sed ideo « semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine « quibus tempora nulla esse potuerunt ». Vides quo sensu intelligat istud semper, quod non solum admittit tanquam hypothesim cuius impossibilitas non repugnat, sed, saltem pro prima creatura immortali, tanquam necessarium consequens creationis cum tempore. « Tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati immutabili non potest

[1] *Advers. Felician.*

[2] Cf. laudatum P. Esser (op. cit., p. 15).

[3] Adverte, haec dici sensu non hypothetico, sed adversativo. Nam Augustinus hoc loco demonstrat, in rigore vocis semper, si sumatur pro *omni tempore;* non solum creaturam potuisse esse omni tempore, sed quamdam debere esse omni tempore

« esse coaeternum. Ac per hoc, etiamsi [1] immortalitas angeli « non transit in tempore, nec praeterita, ut quasi iam non « sit, nec futura, quasi nondum sit; tamen eorum motus « quibus tempora peraguntur, ex futuro praeteritum trans- « seunt: et ideo Creatori, in cuius motu dicendum non est vel « fuisse quod iam non sit, vel futurum esse quod nondum « sit, coaeterni esse non possunt. Quapropter si Deus semper « dominus fuit [2], semper habuit creaturam suo dominatui « servientem; verumtamen non de ipso genitum, sed ab ipso « de nihilo factam, nec enim coaeternam. *Erat quippe ante « illam*, quamvis nullo tempore sine illa, non eam spatio « transcurrens, sed *manente perpetuitate praecedens* ». Ergo S. Augustinus ita cogitat creaturam semper fuisse, quia nullum fuit tempus quo non fuerit. At incepit nihilominus cum ipso tempore; ac proin Deus tota sua aeternitate eam praecessit. Iam vero quis non videat, hunc loquendi modum nullo modo concordare cum hypothesi Sancti Thomae? Etenim Augustinus nullatenus sibi repraesentat creaturam motu durantem et tamen sine initio effectam. Imo arguit ac si ista hypothesis esset omnino extra quaestionem, utpote impossibilis.

Miror valde, contra tam manifestam Augustini doctrinam argui [3] ex modo quo idem Augustinus in cap. 31 libri X eiusdem operis exhibet sententiam Platonis de possibili vestigio ab aeterno in pulvere impresso [4]. Nam hoc ipso loco Augustinus arguit contra Platonicos ostendens, ad hoc ut aliquid nunquam desinat esse, nullatenus requiri ut nunquam inceperit. Unde concludit: « Illa igitur omnis argumentatio dis- « soluta est, qua putatur nihil esse posse sine fine temporis, « nisi quod initium non habet temporis ». Imo neque in hoc loco S. Augustinus de possibilitate loquitur, ut aliquid creatum, licet immortale, initio caruerit. Nec instes dicendo, saltem Augustinum non recusare possibilitatem comparationis Platonicae. Nam qui nimis probat, nihil probat. Comparatio enim Platonis procedebat a positione materiae aeternae.

[1] Idem dic de hoc inciso.

[2] Haec enim erat quaestio, quam sibi Augustinus ab initio huius capitis solvendam posuerat.

[3] Cf. Card. Satolli (op. cit., p. 250).

[4] Idem dic de verbis: « ut modo quodam *vix intelligibili* semper sit factus », mundus scilicet, iuxta Origenistas (Ibid. l. xi, 4).

Ergone et hanc positionem iuxta Platinicorum mentem Augustinus duxit possibilem, quia eam hic non expresse confutat? Absit! Ergo ex hoc capite potius eruitur oppositum.

Neque Boëthius in sensum S. Thomae legitime trahitur, quia scripsit: « Non recte quidam, cum audiunt visum Pla-« toni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec « habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum « mundum fieri coaeternum putant. Aliud enim est per inter-« minabilem duci vitam, quod Plato mundo tribuit; aliud « interminabilis vitae totam pariter complexum esse prae-« sentiam, quod divinae mentis proprium esse, manifestum « est » [1]. Nam ex eo quod dicit, mundum sine initio, uti ponebat Plato, nondum facere mundum Deo plane coaeternum, nullo modo Boëthius acceptat positionis Platonicae possibilitatem. Imo non recte argueret, qui ex hoc loco Boëthii infirmare vellet omnia testimonia superius allata, in quibus Patres negant mundum ab aeterno condi posse, ne Deus sit coaeternus. Vox enim « coaeternus » plures sensus accipit, quorum strictissimus utique nondum fluit ex positione Platonicorum; at minus strictus cum eadem identificatur.

Consonat cum Augustino Fulgentius: « Hic Deus, qui sine « initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis « ut sint: non tamen sine initio, quia nulla creatura eiusdem « naturae est, cuius est Trinitas unus verus et bonus Deus, « a quo sunt omnia. Et quia summe bonus est, dedit omni-« bus naturis quas fecit ut bonae sint: non tamen tantum « bonae, quantum Creator omnium bonorum, qui non solum « summe bonus, sed etiam summum atque incommutabile « bonum est, quia aeternum bonum est; nullum habens defec-« tum, quia non ex nihilo factum; nullum habens profectum, « quia non habet initium. Ideo quippe naturae a Deo factae « proficere possunt, quia esse coeperunt; ideo deficere, quia « ex nihilo factae sunt. Ad defectum eos conditio ducit ori-« ginis, ad profectum vero provehit operatio Creatoris. In eo « igitur primum Trinitatis, quae Deus verus est, aeternitas « sine initio naturalis cognoscitur, quia quaedam ita fecit, « ut cum esse quidem coeperint, tamen non esse aliquando

[1] Loc. cit.

« non possint; etc. » [1]. Ex quo arguendi modo apparet, Fulgentium existentiam sine initio ita considerare tanquam praerogativam Dei, ut sit creaturae incommunicabilis.

Quae ex Patribus attulimus testimonia, explicant quomodo Gregorius de Valentia horum auctoritate motus, concesserit aeternitatem mundi repugnare, etsi, ut ait ipse, ratio forte lateat [2].

3) Nil mirum proin, si primi scriptores scholaticae periodi hanc impossibilitatem unanimi ore proclamant [3]. S. Anselmus haec fortiter scribit: « Vel hoc solum aeternitatem soli inesse « substantiae, quae sola non facta, sed factrix esse inventa est, « aperte percipitur; quoniam vera aeternitas principii finis- « que meta carere intelligitur: quod nulli rerum creaturarum « convenire, eo ipso quod de nihilo factae sunt, convinci- « tur » [4]. Nec obiicias, Anselmum sumere in eo sensu quem Boëthius nec in positione Platonis includi dicebat. Nam Anselmus arguit non ex aeternitate quatenus dicit « totum simul », sed quatenus excludit initium et finem. Pariter affirmat Richardus a Sancto Victore: « Quidquid ex creatione esse accipit, fuit procul dubio quando omnino nihil fuit; alioquin « ex nihilo creari non potuit » [5].

Conclusionem S. Anselmi Patrumque primi Scholastici sequentis aetatis tenuerunt, uti Albertus Magnus, Alexander Halensis, S. Bonaventura, Henricus Gandavensis et Guglielmus Parisiensis.

[1] *De fide ad Petr.* c. 3 (n. 25). — *P. L.* XL, 761.

[2] En verba Gregorii: « Si perpendamus in hac quaestione, ut par est, auctori « tatem Sanctorum Patrum, absolute sentiendum est, mundum quoad nullam omnino « rem, atque adeo nullam creaturam potuisse esse ab aeterno... ac proinde putandum « est, huic possibilitati subesse aliquam rationem, licet ea nondum satis comperta « videatur » (*De Deo creante,* Q. III, punct. 2, vers. fin.).

[3] Quare miror, Emum Card. Satolli de his testimoniis nihil aliud dicere, nisi: « At « adversariis obiiciuntur quaedam sententiae Sanctorum, quibus negari videtur pos- « sibilitas huius aeternitatis: quid tamen haec sibi velint, explicuit Boëthius » *. Et adducit textum de Platone, quem modo ad suum valorem redegimus. Et Cl. Paquet, nullo in oppositum allato Patrum testimonio, simpliciter in favorem possibilitatis mundi aeterni citat Boëthium et Augustinum **.

[4] *Monol.* c. 24. — *P. L.* CLVIII, 178. — Cf. ibid. c. 27.

[5] Lib. II, c. 9.

* Op. cit., p. 250.

** *Disput. theolog. seu Comment. in Summ. Theol. D. Thomae. — De Creatione,* disp. 1, p. 53.

Placet afferre ex integro modum valde firmum, quo S. Bonaventura possibilitatem mundi ab aeterno creati excludit: « Dicendum quod ponere mundum aeternum esse, sive aeter- « naliter productum, ponendo res omnes ex nihilo productas, « omnino est contra veritatem et rationem, sicut ultima ratio « probat: et adeo contra rationem, ut nullum philosophorum « quantumcunque parvi intellectus crediderim hoc posuisse. « Hoc enim implicat in se manifestam contradictionem » [1].

Unde in solutionibus S. Bonaventura obiectiones in oppositum motas forti calamo depellit: « 1) Impossibile est infi- « nito addi.... 2) Impossibile est infinita ordinari.... 3) Impos- « sibile est infinita pertransiri.... 4) Impossibile est infinita « a virtute finita comprehendi.... 5) Impossibile est infinita « simul esse.... 6) Impossibile est, quod habet esse post non « esse, habere esse aeternum ».

Sed ecce philosophus Iudaeus Moses Maimonides subtili calamo rationes impugnavit contra possibilitatem mundi aeterni afferri solitas; improperans inde philosophis christianis, quod levibus rationibus doctrinam suam fulcirent. Cuius scripta S. Thomam nonnihil movisse videntur [2], ut in hoc argumento a doctrina sui Magistri nonnihil declinaret, docendo, creationem mundi in tempore a catholicis scripto-

[1] At possibilitatem Seraphicus admisit creationis aeternae, posita materia aeterna. « Ponere autem mundum aeternum praesupposita aeternitate materiae, « rationabile videtur, et intelligibile, et hoc duplici exemplo. Egressus enim rerum « mundanarum a Deo, est per modum vestigii. Unde si pes esset aeternus, et pulvis, « in quo formatur vestigium, esset aeternus, nihil prohiberet intelligere vestigium « pedis esse coaeternum, et tamen a pede esse vestigium. Per hunc modum si mate- « ria, sive principium potentiale esset coaeternum auctori, quid prohibet ipsum vesti- « gium esse aeternum? immo videtur congruum. Rursum aliud exemplum. Ratio- « nalis enim creatura procedit a Deo ut umbra, Filius procedit ut splendor; sed « quam cito est lux, statim est splendor, et statim est umbra, si sit corpus opacum « ei obiectum. Si ergo materia coaeterna est auctori tanquam opacum luci, sicut « rationabile est ponere Filium, qui est splendor Patris, coaeternum, ita rationabile « videtur creaturas sive mundum, qui est umbra summae lucis, esse aeternum. Et « magis rationale est quam suum oppositum, scilicet quod materia aeternaliter fuerit « imperfecta, sine forma, vel divina influentia: sicut posuerunt quidam philosopho- « rum. Et adeo rationabilius, ut etiam ille excellentior inter philosophos Aristoteles, « sicut Sancti imponunt, et commentatores exponunt, et verba eius praetendunt, in « hunc errorem dilapsus fuerit » *.

[2] De relatione inter modum quo Moses Maimonides et S. Thomas argumentum tractant, lege laudatos Stöckl et Michel.

* Ibid.

ribus teneri, quia de fide est, non autem posse apodictice demonstrari. Quum autem haec sententia a doctrina usque ad id tempus in Schola communi recederet, in non parvam oppositionem offendit; unde S. Thomas, speciali opusculo « contra « murmurantes » confecto, thesim suam data opera vindicavit. Attamen ultima scripta Angelici cum prioribus conferenti apparet, S. Thomam in fine possibilitatem mundi aeterni magis contraxisse, uti ex littera huius articuli mox patebit.

E coaevis S. Thomae ad Aquinatis mentem appropinquat Ægidius Colonna, qui subtiliter in hac re ita distinguit; « Potest esse triplex modus dicendi: Primo quidem quod « aliquis diceret, mundum ab aeterno esse non potuisse. - « Secundo, si quis diceret, quod non potest demonstrari, « mundum non potuisse ab aeterno fieri. Hic autem secundus « minus diceret quam primus quia multa sunt vera, ad quae « demonstrationes habere non possumus. - Tertio quidem, « si aliquis diceret, quod rationes adductae vel per alios « factae non sunt demonstrationes; et hic tertius modus « minus diceret quam secundus: quia multa sunt demon- « strabilia, ad quae non habemus demonstrationes, et multa « scibilia, quae nondum scimus. - Si ergo a nobis quaeratur, « quid sentimus de aeternitate mundi, non dicimus, quod « mundus potuerit esse ab aeterno; nec dicimus, quod non « possit hoc demonstrari; sed dicimus, quod rationes quae « usque nunc vel audivimus, vel in scripturis invenimus ab « aliis factas, quod impossibile fuerit mundum fuisse aeter- « num, non sunt demonstrationes, vel saltem videntur nobis « solubiles et non demonstrationes » [1].

4) Iam de controversiae vicissitudinibus post S. Thomam. Mirum non est auctoritatem Angelici subtilesque discursus, quibus in eo argumento de more est usus, profundum sulcum reliquisse, in quem non pauci ex eius imitatoribus Magistrum secuti sunt. Scholasticorum mentem usque ad suam aetatem erudite exhibuit Gregorius de Valentia [2]; usque ad praesens tempus cl. P. Esser [3].

[1] *Quaestio de durat. mundi.* — Eodem fere modo loquitur Thomas Strasburgensis, Aegidii successor in Ord. S. Aug. regimine.

[2] In I Q. XLVI, punct. 2.

[3] Op. cit., p. 28, sqq.

Dum Schola Scotista cum Doctore Subtili plerumque haeret anceps, Gregorius Arimin., Occam, Biel et eorum schola passim, inclinant in probabilitatem maiorem pro possibilitate mundi ab aeterno conditi. Durandus et Suarez sententiam mediam amplectuntur, restrigendo possibilitatem ad substantias immutabiles.

Imo ex ipsis Thomistis non unus, nec minoris nominis, uti Capreolus, Caietanus, Soto, et Bannez, cum restrictione loquuntur. Huius ultimi placet geminam conclusionem afferre: « Non est possibile, etiam per potentiam divinam, Deum pro- « ducere mundum ab aeterno tam quoad res corruptibiles, « quam incorruptibiles, relinquendo illas suae naturae et « dispositioni, quam modo habent, et illis debetur ». - « Pos- « sibile a Deo produci universum, quatenus complectitur « omnia entia... immutando eorum naturas et ordinem, quem « modo habent, quod non repugnat potentiae Dei » [1]. E praecipuis huius aevi Thomistis Cl. Lepidi simpliciter affirmat, repugnare mundum, uti nunc est, fuisse ab aeterno [2]. Ipseque Card. Zigliara, concedit quidem utramque probabilitatem. « 1) Probabile est repugnare aliquam creaturam esse ab « aeterno. 2) Probabile est non repugnare aliquam creaturam « esse ab aeterno ». At hanc alteram ita restringit: « Existimo « autem mundum uti nunc est, non potuisse ab aeterno creari, « quidquid in contrarium suaderi conetur P. Guerinois O. Pr. « in suo Clypeo philos. thomist. III, q. 1, a. 2 » [3].

Sylvius sequentes conclusiones statuit: « 1) Valde proba- « bile est, quod mundus potuerit esse ab aeterno, si non « quantum ad entia successiva, saltem quantum ad ea quae « habent esse permanens. - 2) Non liquet, quaenam in prae- « senti materia fuerit ultima resolutaque S. Thomae senten- « tia. - 3) Probabilius videtur quod nulla creatura potuerit « esse ab aeterno » [4].

Apud theologos Societatis Iesu longe praevalet sententia

[1] In hunc locum, Concl. 2 et 3

[2] « Mundus corporeus, ut nunc est, existit mutabilis, et in motu. Atqui repu- « gnat omnino, motum, ut in re spectatur, esse ab aeterno, h. e. sine initio. Ergo « repugnat omnino, mundum ab aeterno fuisse » (Op. cit., p. 318, sq.).

[3] *Summ. philos.* t. II. *Cosmol.* l. I, c. 3, art. 2, p. 47, 48.

[4] Hoc loco.

S. Anselmi ac S. Bonaventurae. Praeter Petavium [1], qui erudite in hoc argumento ostendit Patrum consensum, non solum de initio rerum in tempore, sed de impossibilitate creationis ab aeterno [2], et Suarezium, de quo iam diximus, impossibilitatem mundi ab aeterno conditi fortiter vindicant Card. Toletus et Lessius, et e modernis Tongiorgi, Kleutgen, Palmieri, Hurter, Stentrup, qui appositum opusculum de hoc argumento conscripsit, Hontheim et Lahousse, T. Pesch; Tepe; — haeret Chr. Pesch, licet in impossibilitatem inclinet; - Card. Mazzella problema utpote philosophicum declinat; - Liberatore sententiam S. Thomae propugnat.

Negari vix potest, apud modernos semper magis invalere sententiam S. Bonaventurae atque Patrum [3]. Sunt tamen, qui cum laudato P. Esser, - cuius eruditissimum de hac re opusculum pervolvat oportet, quicumque moderate hoc argumentum tractare molitur, - existimant nihil certius a S. Thomae tempore inductum esse ad omnimodam impossibilitatem creationis ab aeterno illustrandam [4]. Monet Scheeben [5], in huiusmodi rebus non praecipitandum esse iudicium, ne uti certo demonstratum habeatur, quod tamen nondum tale omnino patescit. Adde, hoc maxime verum esse, ubi agitur de possibilitate aliucuius rei in sua relatione ad omnipotentem Deum.

His de controversiae statu praemissis, liceat mentem nostram quinque conclusionibus ita breviter exponere.

I. **Concl.** - Articulus fidei non semper esse debet de re, quae per rationem certo probari nequit. Hanc conclusionem non esse iuxta S. Thomam in hoc articulo, manifestum est; sed est iuxta S. Thomam in aliis locis. Et sane, nonne existentia Dei unius Creatoris universi est articulus fidei: « Credo in « unum Deum, omnipotentem factorem caeli et terrae? » Et

[1] Petavio adhaeret Scheeben (op. cit., t. II, p. 11).

[2] *De Deo*, l. III, c. 6. — Iure Petavius hanc quaestionem ad theologiam vindicavit ob modum quo Patres de ea scripserunt. Quae eruditissime hic congessit commendanda sunt valde scriptoribus illis, qui hac in re Patrum consensum levi passu praetereunt.

[3] Cf. Simar (op. cit., p. 257); Lambrecht (op. cit., p. 108, sqq.); Heinrich (op. cit., t. V, p. 125, sqq.).

[4] Ita Sanseverino, Commer, Gutberlet, etc. Cf. Th. Esser (loc. cit.).

[5] Op. cit. II, p. 11.

tamen iuxta S. Thomam ratio potest certo demonstrare tum existentiam Dei, tum Dei unitatem, tum originem universi a Deo per modum creationis. Nonne de fide est, Christum sub Pontio Pilato esse passum? Et tamen haec veritas historice demonstrari potest. Cur ergo non posset et ratione probari, mundum non potuisse esse sine initio conditum, licet articulus sit fidei, mundum non semper exstitisse? Desinat quidem haec veritas credi ab illo, qui eius necessitatem demonstrat, - si verum sit, haec duo in eadem mente stare simul non posse: ut res fide credatur, et tamen rationali discursu quoque teneatur; - at non ideo desinet esse articulus fidei per se, sicut et articuli fidei per se sunt existentia Dei et opificium mundi.

2. Concl. - Mundus sicut nunc est, - constans scilicet vel rebus quae successive existunt, vel substantiis permanentibus, at quorum duratio motu permiscetur, et quidem ita ut initialis virtus in aequilibrium tendat, - ab aeterno conditus esse nequit.

Et sane, quum impossibile sit, infinitum verum successione pertransiri, repugnat ut res, quae motu moventur aut in tempore sibi succedunt, non habuerint initium ad quod mensurâ perveniri possit. Nec instes dicendo, neque in futurum ad ultimum instans aeternitatis esse perveniendum. Haec enim instantia facile nimis retorquetur. A parte *post* ad istud instans ultimum perveniri nequit, quia id nunquam erit. A parte vero *ante,* nisi fuisset, neque nunc essemus.

Unde repugnat non solum creatio hominis ab aeterno, quia ob infinitas generationes deberent nunc existere simul homines numero infiniti, atque iugiter, licet iam infiniti, quotidie numero augeri; sed et repugnat creatio angelorum ab aeterno. Nam etsi creati essent numero determinato et finito, quum nihilominus cum motu actionum existant, legi motus spirituum quoad durationem subesse debent.

Haec nostra conclusio maxime patet per dictam legem energiae et entropiae, iuxta quam, dum ex una parte aequivalentia virium servatur in mundo, ex altera parte, ob mutuam actionem rerum ad invicem, status rerum magis magisque tendit in aequilibrium. Unde si mundus esset ab aeterno, iam omnia essent ad inertiam redacta. Quare Cl. Gredt expli-

catae huic legi conclusiones sequentes veluti duo prima corollaria adiungit: « 1) Ergo processus mundanus in aeter- « num non durabit, aequilibrio enim constituto, omnis corpo- « rum actio, quam inter se exercent, cessabit. - 2) Ergo mundi « processus non est ab aeterno; secus iam dudum finitus « esset » [1].

3. **Concl.** Si possibile sit ens creatum immobile, non est impossibile de potestate Dei absoluta tale ens ab aeterno creari. Haec conclusio fluit ex praecedenti. Etenim si ratio ob quam praesentis mundi creatio ab aeterno repugnat, est ipsa motuum successio, quae in eo ubique invenitur; si possit tolli haec successio, sive hic motus, iam desinet ratio praedicandae impossibilitatis creationis ab aeterno. Etenim haec impossibilitas non potest repeti a praecedentia temporali, quae in Deo requireretur; nec a successione inter nihil et creatum, quod in actione creandi exigeretur. Unde si tolletur ratio, quae repetitur a conditione effectus, iam cessabit contradictio, quae existit inter rem creatam et rem existentem ab aeterno. Quare si possibile sit tale ens immobile, poterit concedi possibilitas, ut tale ens ab aeterno creetur. Sed si solum tale ens existeret, neque tempus esset.

Porro quum iuxta philosophiam sui temporis S. Thomas existimaverit, talia revera corpora dari, v. gr. caelestia,, independenter ab eorum motu; poterat tempore Angelici concedi possibilitas, ut ab aeterno talia entia, non quidem mota per caelorum spatia, sed quomodolibet exstitissent.

4. **Concl.** Quum autem huiusmodi entia nequeant esse intellectu praedita, repugnat de potentia Dei ordinata ut talia ab aeterno, in tempore autem aut cum tempore entia intellectualia crearentur. - Ratio huius conclusionis est manifesta. Etenim repugnat de potentia Dei ordinata, ut Deus aliquid agat, quod careat scopo. Iam vero quonam spectaret creatio ab aeterno huiusmodi entium? De hac quoque repugnantia intelligi possunt illa verba S. Augustini: « Cavendum « est, ne sit absurdum, et a luce veritatis alienum, morta- « lem quidem per vices temporum semper fuisse creaturam « decedentem aliam, aliam succedentem; immortalem vero

[1] Op. cit. *Philos. natur.* th. XII, p. 262, sq.

« non esse coepisse, nisi cum ad nostrum saeculum ventum « est, quando et angeli creati sunt » [1]. Intellectuales autem creaturas non posse creari undequaque immobiles, est manifestum: hoc est proprium solius Dei, quippe cuius intelligere et velle est actus purus.

5. **Concl.** Si voces *prius* et *posterius* sumantur in sensu alicuius qualiscumque successionis realis, quae sit mensura motus et temporis, non solum repugnat mundum creatum esse ab aeterno, sed neque potuit creari prius quam conditus est. Etenim nihil praecessit initium mundi nisi aeternitas; in aeternitate autem non datur prius et posterius temporis nisi secundum fictionem mentis. Optime rursus S. Augustinus: « Si recte discernitur aeternitas et tempus, quod tempus « sine aliqua mutatione non esset, in aeternitate autem nulla « mutatio est; quis non videat quod tempora non fuissent, « nisi creatura fieret, quo aliquid aliqua motione maturet? » [2] Quare si, iuxta nostrum loquendi modum Deus prius mundum condidisset, τὸ « *nunc temporis* » in quo stamus, quum plus distaret a temporis initio, esset posterius ac est in ordine praesenti, non autem initium fuisset stricto sensu prius.

Sed hic loquendi modus non est in usu; ideoque non est urgendus. Quare S. Thomas conferens inter se spatium imaginarium et tempus, ait: « Possumus imaginari aliquod tem- « pus ante mundum, sicut altitudines vel dimensiones ali- « quas extra caelum; per quem modum possumus dicere: « et quod altius potuit caelum elevare, et quod prius potuit « facere, et tempus diuturnius et altitudinem altiorem » [3]. Facilius autem concipitur spatium imaginarium quam tempus imaginarium. Ratio est quia spatium existit totum simul, et tempus successive.

Iam ad illustrandum textum ipsius articuli accedamus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Duplex sensus in hac obiectione distingui potest. Si obiectio huc tendit ut demonstret, aliquid posse simul esse fide tenendum et ratione demonstrabile, uti

[1] *De civit. Dei.* l. XI, c. 15.

[2] Ibid. c. 6; — Cf. *Confess.* XI, 13.

[3] *De pot.* q. III, a. 14, ad 6. — Cf. quae de tempore imaginario in sua relatione ad aeternitatem alibi diximus (*De Deo Uno*, I, 371, sqq.).

existentiam Dei, obiectio iudicio nostro bona est. Si huc tendit ut a demonstrata causa effectiva mundi, concludatur ad demonstratam veritatem de initio mundi, distinguendum est. Non videtur initium mundi demonstrari simpliciter ex hoc quod sit a Deo effectus; sed ex eo quod sit talis, qui non potuerit non habere initium.

2. Obi. Est imbellis. Confundit in formula « ex nihilo » sensum verae successionis inter esse et non esse, et sensum negationis subiecti. Hic ultimus de essentia creationis directe est. Alter ex eo fluit, si repugnat creatio ab aeterno; secus non.

3. Obi. Est rursus inefficax. Nam Deus ita operatur per intellectum, ut nulla inde successio in Deo involvatur. Ergo non potest ex hac ratione demonstrari repugnantia mundi creati ab aeterno.

4. Obi. Historice valet haec obiectio, non autem valet absolute logice. Nam, uti monet S. Thomas, eludi potest ponendo series infinitas mutationum excrescentiae et decrescentiae; ita ut ex statu praesenti culturae, ad quam nunc spectamus, nihil absolute concludi possit. Quare impossibilitas talis seriei infinitae est ostendenda.

5. Obi. Iam vidimus quomodo haec obiectio deficiat. Ad strictam enim aeternitatem non sufficit absentia initii temporis, sed requiritur absentia omnis motus et qualiscumque corruptionis.

6. Obi. Hanc obiectionem putamus esse revera insolubilem, ob rationes superius allatas. Nec videtur nobis valere responsio S. Thomae. Valeret quidem a parte post, non autem valet a parte ante.

7. Obi. Ex generatione humana duplex difficultas moveri potest: altera ex numero hominum, quem secum fert; altera ex multiplicatione causarum. Priorem remittimus ad obiectionem sequentem. Hic consideramus posteriorem. Iam vero per se non sufficit. Sufficeret autem, si ageretur de successione infinita causarum ab invicem in ipsa causalitate dependentium.

8. Obi. Haec rursus obiectio insolubilis videtur. Quare S. Thomas in hoc loco Summae ob vim huius obiectionis inclinat in concedendam impossibilitatem creationis hominis

ab aeterno. Et sane, si animae nec pereunt, nec remigrant, et si repugnant entia infinita actu, fatendum est, hanc obiectionem esse valde stringentem [1].

Igitur ex his octo obiectionibus, iudicio nostro, duae sunt, quae revera id obtinent, quod intendunt: ultima quidem quoad creationem hominis ab aeterno, altera simpliciter pro quavis creatione, cuius duratio motum involvit. Iam vero ut impossibilitas alicuius positionis efficaciter demonstretur, non requiritur rationum congeries; una tantum, si vere sit firma, ratio sufficit.

Sed contra est. Quid de principio hic allato sentiamus, iam superius diximus; uberiusque de hoc argumento agemus, quando, Deo dante, analysim fidei instituemus.

In Corpore. Tres in hoc *Corpore* partes distinguendae sunt. In prima parte S. Thomas affirmat suam thesim, conferens praesens dogma cum mysterio SS. Trinitatis. - In secunda parte conatur ostendere, cur origo rerum in tempore nequeat per rationem demonstrari. - In tertia parte utilitatem huius inefficaciae describit. Sit de singulis partibus verbulum.

1) Angelicus eadem comparatione cum mysterio SS. Trinitatis et alibi usus est. In Commentario Lombardi haec habet: « Non credo quod a nobis possit sumi ratio demon- « strativa ad hoc, sicut nec ad Trinitatem, quamvis Trinitatem « non esse, sit impossibile » [2]. Non ideo tamen tenendum est, S. Thomam utrimque mysterium aeque altum agnovisse [3].

2) Secunda pars *Corporis* argumentum continet per disiunctionem dispositum. Quae disiunctio differt a disiunctione, qua S. Thomas utitur in opusculo *De aeternitate mundi.* Ibi ostendit, non demonstrari posse, mundum esse debere in tempore conditum, nec a parte agentis, quasi haec deberet praecedere duratione, nec a parte effectionis, quasi τὸ non esse deberet praecedere τὸ esse. Hic autem S. Thomas demonstrat, rem confici non posse nec ex parte ipsius mundi, nec ex parte causae agentis. Magis placet hic alter modus, quia

[1] Alibi, v. gr., in Opusculo *De aeternitate mundi* S. Thomas non tantam vim huic obiectioni concesserat.

[2] II *Sent.* Dist. I, q. 1, art. 5 in corp.

[3] Cf. exposita de mysteriorum gradibus in tractatu nostro *De Deo trino.*

disiunctio est plenior. At, pace tanti Doctoris dixerim, non convincit modus utrumque membrum demonstrandi. Non convincit prioris membri probatio, quia, si definitionem rei ingrediatur, quod motu et successione duret, sicut esse creatum; ita habuisse initium ingreditur notionem eius, ac proin inspecta eius indole demonstrari potest. - Nec alterius membri convincit probatio, quia, uti superius diximus, voluntas Dei etsi omnipotens, non potest ea in quibus, uti dicit S. Thomas, habetur repugnantia intellectuum. Quaestio igitur remanet, utrum necne haec repugnantia in casu detur.

3) Conclusio Aquinatis insinuat, timorem derisionis a parte philosophorum infidelium eum maxime in hanc sententiam impulisse, ut prudentius de praesenti argumento iudicium suspenderet [1].

Optime sane. Sed si revera mens contradictionem putat se in hoc reperire, v. gr. quod series vere infinita possit successione transiri, quod res quae se movent successione, nunquam inceperint: - nonne pariter magnum periculum est in hoc, quod de acie mentis in huiusmodi conclusionibus dubitemus? Nonne etiam increduli philosophi in derisionem vocant rationes, licet optimas, ope quarum demonstramus hunc mundum contingentem ex nihilo a Deo Conditore esse factum?

Prudenter igitur in suis argumentationibus agat theologus sive philosophus; at non eo usque prudentiae dictamina sequatur, ut lumini certitudinis oculos claudat.

Quaeres. - Supposita possibilitate creationis mundi ab aeterno, cur Deus non ab aeterno condidisset mundum? Qui tenent mundum ab aeterno condi non potuisse, hac solvenda obiectione detineri nequeunt. Imo eam contra adversarios urgere possunt, quatenus, si creatio mundi tendit in manifestationem divinae potentiae, creatio mundi ab aeterno omnipotentiam divinam mirabiliori modo manifestasset.

Quidquid sit, non desunt rationes, quibus consilium Dei mundum in tempore creantis illustretur. Breviter S. Thomas ait in fine resp. ad 6m. art. praecedentis: « Manifestius mun-

[1] Cf. II *Sent.* loc. cit.

« dus ducit in cognitionem divinae potentiae creantis, si « mundus non semper fuit, quam si semper fuisset. Omne « enim, quod non semper fuit, manifestum est habere causam; « sed non ita manifestum est de eo, quod semper fuit ». Quod manifestius demonstret causam, negari nequit; quod autem manifestius demonstret huius causae potentiam, admittere non possum.

Forte efficacius arguitur ex divina bonitate. « Excessus « divinae bonitatis supra creaturam per hoc maxime expri- « mitur, quod creaturae non semper fuerunt. Ex hoc enim « apparet expresse, quod omnia alia praeter ipsum eum « habent sui auctorem, et quod virtus eius non obligatur « ad huiusmodi effectus producendos, sicut natura ad effec- « tus naturales, et per consequens, quod est voluntate agens « et intelligens ». Ita S. Thomas in *Summa ctr. Gent.* [1]

Scholion. Ex aequa discussione utriusque articuli vides, quam arbitrarie et imprudenter Kant exemplum huius argumenti sumpserit ad affirmandam humanae rationis antinomiam (*Antonomie der Vernunft*). Dum S. Thomas contendit, nec hinc nec illinc rationes cogentes dari, Kant e contra affirmat, in utramque partem dari rationes optimas omninoque stringentes. Quod quam periculose falsum sit asserere, cuivis de recta hominis ratione deque obiectiva veritate sane iudicanti patet.

ARTICULUS III.

UTRUM CREATIO RERUM FUERIT IN PRINCIPIO TEMPORIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex hucusque demonstratis liquet, mundum habuisse initium, ac proin mundum creatum esse *in initio*. Superest ut penitius investigetur de indole huius initio. Et quidem, quum instans creationis, - nam creatio est operatio instantanea, - relationem habeat tum ad creatorem, tum ad ipsam creaturam, de hoc gemino adspectu pauca sint.

2) *Relate ad Creatorem* instans creationis nequit esse ini-

[1] L. II, c. 35 in fine.

tium, neque in hypothesi quod creatio careret initio temporali. Ratio est manifesta. Creatio enim relate ad Deum est necessario terminus actionis divini, cuius principium in Deo est quaerendum. Idque dupliciter: tum α) quia Deus est causa mundi efficiens, et virtus effectrix est principium effectionis et effectus; tum β) quia Deus est causa exemplaris mundi, et exemplar est principium operis in mente artificis.

Quare mirum non est, Patres interdum intellexisse verbum primum Geneseos: « בְּרֵאשִׁית, ἐν ἀρχῇ, in principio », de ipso Verbo Dei, per quod omnia facta esse proclamat exordium Ioannis. Inde dicit S. Basilius: « in nomine principii signi« ficationem inesse artificis Verbi, quod aspectabilium rerum « ordinationi praefuit » [1].

Et Origenes ex identitate Filii cum Salvatore Christo novam inducit rationem, quae simul exemplarem involvit: « Quod est omnium principium, nisi Dominus noster, et Sal« vator omnium Christus Iesus, primogenitus omnis crea« turae? In hoc ergo principio suo, hoc est, in Verbo suo, « Deus caelum et terram fecit » [2].

3) *Relate ad creaturam* instans creationis non uno sensu dici potest initium. Scilicet *a*) Deus in principio fecit caelum et terram: quia haec fecit *primo ante* omnia alia opera sua, « ut si de architecto loquar, ait Petavius, qui aedificium ali« quod exstruxit, itaque dicam: initio, id est, ante omnia funda« menta posuit. Quam in sententiam plerique conveniunt » [3]. S. Ambrosius iuxta hunc sensum dicit: « In primis fecit Deus « caelum et terram; deinde colles, regiones, fines habitabiles. « Vel sic: Ante reliquas visibiles creaturas, dum noctem, « ligna fructifera, animantium genera diversa, caelum et « terram fecit » [4].

b) Inde significatur *omnium rerum initium*. Bene Tertullianus: « Nos autem unicuique vocabulo proprietatem suam « vindicamus, principium initium esse, et competisse ita poni

[1] Homil. 1, *in Hex.*

[2] *Homil. I in Gen.* — Imo S. Hieronymus, in initio Quaestionum Hebraicarum testatur, aliquos affirmasse in codicibus Hebraeis legi: « in Filio fecit Deus caelum « et terram ». Nil mirum proin, si exinde Tertullianus argumentum sumat ad confutandum errorem Sabellii (*Ctr. Prax.* c. 5).

[3] *De opif. sex dier.* l. I, c. 1, n. 18.

[4] *Lib. I. in Hex.* c. 4.

« rebus incipientibus fieri. Nihil enim, quod fieri habet, sine « initio esse, quin initium sit illi ipsum dum incipit fieri. Ita « principium, sive initium, inceptionis esse verbum, non ali- « cuius substantiae nomen » [1].

c) Quare initium rerum est quoque *initium temporis*. Qui sensus et optimus est, modo bene intelligatur; scilicet modo istud initium ponatur tanquam indivisibile *instans a quo*, quod non sit nec tempus, nec in tempore, sed temporis principium. Ad rem S. Basilius. « Quemadmodum viae princi- « pium via non est; neque domus principium est domus: « ita neque temporis principium est tempus aut pars minima « temporis » [2].

d) Accedit significatio *brevissimi temporis* quo Deus hanc primordialem effectionem complevit. S. Ambrosius, versionem graecam ἐν κεφαλαίῳ prae oculis habens, ait: « Denique alii « traduxerunt ἐν κεφαλαίῳ, quasi « in capite »; quo significa- « tur in brevi et in exiguo momento summa operationis « impleta » [3].

e) Ad quam significationem valde accedit interpretatio Ioannis Philoponi, iuxta quam ἐν κεφαλαίῳ significat « coniunc- « tim *simul* factum esse caelum atque terram: ac quidem « istorum non illud quidem primum, hoc vero secundum « Deus fecit » [4].

f) Nec omittenda demum interpretatio, quam pariter S. Ambrosius affert, ut « dicatur *summa operis:* qui rerum visi- « bilium summa coelum et terra est » [5]. Sed hic sensus iam est remotior et magis artificialis [6].

[1] Ctr. *Herm.* c. 19. Alibi magis insistit significationi *a primordio* (*Ctr. Mar.* l. I, c. 10).

[2] *Homil. I in Hex.*

[3] Ibid.

[4] *De Opif.* l. I, c. 4.

[5] Ibid.

[6] Placet haec omnia contrahere verbis Calmet: « Temporum *initio* creavit Deus « caelum et terram, omnibusque tum visibilibus cum invisibilibus rebus essentiam « atque primordium est impertitus. Verbum illius * atque Sapientia ** cum eo erant « in principio; videlicet ab aeterno et ante tempora; at res creatae tunc existere « inceperunt, cum inceperunt tempora fluere.

« Per Sapientiam ac Verbum suum omnia, quae fecit, creavit Deus, ut Sacrae « testantur Litterae, quopropter Patres nonnulli per haec verba, « *in principio* » Dei

* Ioann. I, 1.
** Prov. VIII, 22, 23.

4) Ex omnibus istis significationibus tres principales retinendae sunt: in initio temporis, ante omnia, in Verbo; quarum duae primae sunt litterales, tertia spiritualis. Bene haec contrahit S. Augustinus: « Quaeram quomodo dictum est « praeter allegoricam significationem: " in principio fecit Deus « caelum et terram ": utrum in principio temporis; an quia « primo omnium facta sunt; an in principio, quod est Ver- « bum, Dei unigenitus Filius » [1].

5) Sed quaeris forsan, quomodo « *in initio* » intelligi possit, si per caelum et terram intelligantur tantum caelum aethereum et terra materialis; angeli autem ponantur creati ante caelum et terram?

Sane, uti loco suo videbimus, probabiliter sustineri potest, Moysen per caelos intellexisse pariter angelos. Quodsi de angelis nihil dicere intenderit, et angeli ponantur creati ante mundum visibilem, illud initium erit quidem initium, quod est mensura motus materialis; non autem temporis quod mensurat aevum [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit « in principio tem- « poris » in sensu « cum temporis initio », et « in temporis « principio » veluti « in prima parte temporis ». - Quod additur, tempus non mensurare substantiam, verum est de substantia inquantum est; non autem est verum de substantia in quantum movetur. Qui motus alius quidem est pro rebus corporalibus, et alius pro rebus spiritualibus; sed omnino

« Filium designari arbitrantur. Omnia creavit Deus in Filio suo, et per Filium « suum, qui creatarum quarumcumque rerum principium est, causa et primor- « dium. Imo Tertullianus * et Hilarius ** Genesim per haec verba incepisse conten- « dunt: " *creavit Deus caelum et terram per Filium suum* "; Targum autem Hie- « rosolymitanum " *Deus per Sapientiam suam* vel *in sua sapientia creavit caelum* « *et terram* ". Verum hae explicationes litterales haberi minime possunt; et Ter- « tulliani de Sancti Hilarii sententia inde prorsus profecta est, quod uterque Hebrai- « cam linguam ignorabant. Aquila demum " *Deus* creavit *in capitulo* omnia simul « ictu uno caelum et terram; istius videlicet mundi materiam » ***.

[1] *De Gen. ad litt.* l. I, c. 2. — *P. L.* XXXIV, 247.

[2] Cf. de hoc tempore S. Augustinum subtiliter disputantem (*De Gen. ad litt.* op. imperf. c. IV, n. 37, sq. — Ibid. 226, sq,).

* *Libr. ctr. Prax.*

** *In Psalm.* XI, 2. « Bereschit verbum hebraicum id est, tres significantias in « se habet: in principio, in capite et in filio ».

*** *Comment. in Gen.* hoc loco.

nequit a creatura abesse omnis qualiscumque motus. Immutabilitas enim praerogativa est solius Dei.

2. Obi. Non attendit, creationem esse in instanti, ac proin principium motus, non ipsum motum, neque cum motu.

3. Obi. Confundit tempus iam durans, cum initio temporis; quod initium est indivisibile instans.

Sed contra est. Placet adducere modum, quo Severianus confert ad invicem prologum Moysis et prologum Ioannis: « Ego illud miror, quemadmodum Ioannis et Moyses idem « prooemium usurparunt. Nam et hic loquitur in hunc mo- « dum: " In principio fuit ", et ille dicit: " In principio erat ". « Verum et utiliter ille, et proprie iste dixit. Nam ubi est « operis molitio, faciendi verbo usus est Moyses: ubi autem « molitor est operis, Evangelista verbum " erat " usurpavit. « Latum est vero discrimen inter " fecit " et " erat ". Nam « alterum factum est, cum non esset: ille autem erat, qui « semper est » [1].

In Corpore. En schema huius argumenti:

In principio contra triplicem errorem explicatur tripliciter:	1) *in principio temporis:*	contra eos qui dicunt, mundum existere ab aeterno;
	2) *in Filio:*	contra eos qui duplex rerum principium ponunt, bonum et malum;
	3) *ante omnia* synthesis universi facta est:	contra eos qui contendunt, res materiales esse factas mediantibus creaturis spiritualibus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Fide tenendum est, mundum a Deo in tempore, id est, cum tempore esse conditum, ac proin mundum habuisse initium. Quare inefficaces sunt omnes rationes a philosophis adductae ad mundi aeternitatem demonstrandam (art. 1).

2) Sed ob eamdem revelationem aliquibus visum est, initium mundi nonnisi per fidem certo affirmari posse; ac

[1] Homil. I in Cosmop. — Plura testimonia Patrum vide ap. Petavium (Op. cit. loc. cit.).

proin non esse cogentes omnino rationes, quibus impossibilitas mundi ab aeterno creati demonstrari solet (art. 2).

3) In principio igitur omnia a Deo condita sunt, *a*) quia omnia habuerunt principium in principio temporis; *b*) quia omnia habent principium Verbum Dei, per quod omnia creata sunt, tum invisibilia, tum visibilia (art. 3).

PARS II.

DE RERUM DISTINCTIONE.

ORDO HUIUS PARTIS.

Quemadmodum superius (p. 2) dictum est, in hac parte parumper ab ordine S. Thomae deflectemus, et quidem quoad duo: 1) Quae spectant ad creaturam mixtam, seu ad hominem, - scilicet Quaestiones LXXV-CII, - remittemus ad sequentem tractatum *De Homine;* - 2) de creatura spirituali tractabimus post creaturam corporalem, et quidem ita ut per Partem specialem, tertiam huius tractatus, de Angelis disseramus; quare Quaestiones L-LXIV exponemus post Quaestionem LXXIV, quae materiam de creatura corporali absolvit.

Haec autem Pars duplici Sectione constabit, iuxta sequentem tabellam.

- I. **De distinctione rerum in communi:** (Q. XLVII). (Sectio I)
  - 1) de rerum multitudine (art. 1);
  - 2) de rerum aequalitate (art. 2);
  - 3) de rerum unitate (art. 3).
- II. **De distinctione rerum in speciali:** (Sectio II)
  - 1) de distinctione *boni* et *mali* (Membrum I):
    - *a*) de *ipso* malo (Q. XLVIII); (Caput I)
    - *b*) de *causa* mali (Q. XLIX); (Caput II)
  - 2) de creatura *corporali* (Membrum II):
    - *a*) de opera *creationis* (Q. LXV); (Caput I)
    - *b*) de opere *distinctionis* (Q. LXVI); (Caput II)
    - *c*) de opere *ornatus* (Q. LXVII). (Caput III)

Patet ratio cur distinctio rerum primo consideretur in communi quam in specie. « Sicuti viatorem iuvat, ait ele- « ganter Paquet, antequam invisendae civitatis vias singil- « latim perlustret, eam e vicini montis cacumine generalius « prospicere, ita utile erit prius communem mundi speciem « et configurationem ab alto mirari, quam ad singulas eius » partes seorsim considerandas deveniamus » [1].

SECTIO I.

DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI.

QUAESTIO XLVII.

Tripartitio huius Quaestionis, quam modo attulimus, valde logica est. Primum enim quod mens nostra in rebus ab invicem qualicumque modo discretis animadvertit, est ipsa discretio, quae multitudinem facit; dein comparando discreta inter se, apparet discretorum ad invicem proportio sive inaequalitas ordinata; demum lex huius proportionis perpenditur, redundans in unitatem harmonice ponderatam.

I. - DE IPSA RERUM MULTITUDINE.

ARTICULUS I.

UTRUM RERUM MULTITUDO ET DISTINCTIO SIT A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Multiplices apparere res, quibus circumdamur singuli, praeter omne dubium est; nec sanae menti dubium esse potest, utrum revera res in se ita multiplicentur. Ipse enim Monismus Brunianus, qui res maxime in unitatem pantheisticam redigit, adhuc aliquam inter res distinctionem ac proin multitudinis adspectum servat.

[1] Op. cit., p. 57.

Igitur tanquam certa hic praemittitur rerum multitudo; et quaeritur unice de huius multitudinis auctore.

2) Porro si huius multitudinis sive distinctionis non sit auctor Deus, ratio erit vel *a*) quia est a materia, casu sese ita disponente; vel *b*) quia materia, cui fundatur ista distinctio, non est a Deo, sed solum postea a Deo extractionis ope ordinata; vel *c*) quia multiplicitas rerum est opus agentium secundorum; vel *d*) quia unitas rerum est rerum principium, a quo per insitas virtutes sese multiplicitas evolvit; vel *e*) quia haec multiplicitas non potest habere auctorem Deum, ob oppositionem quae existit inter unitatem Dei et rerum multiplicitatem.

Breviter de singulis.

3) Prima positio est Materialistarum, ducibus Leucippo et Democrito. Hi nempe multiplicitatis et diversitatis rerum rationem unice repetunt ab ipsa materia, quippe praeter quam nihil est, et cuius casualis dispositio omnes rerum diversitates constituit. Sed, ut optime ait S. Thomas, haec positio dupliciter deficit: *a*) quia materiam eximit a Creatoris influxu; *b*) quia distinctiones rerum repetit a sola materia et non a formis.

4) Per utramque ex his duabus rationibus confutatur et altera Anaxagorae positio. Nam praeterquam quod materiam ille fingebat aeternam non a Deo creatam, putabat formas omnes distinguentes fuisse non quidem materiae unitas tanquam discretiva principia, sed e materia extractas.

5) Tertia positio, quae est Avicennae, pariter corruit. Nam vidimus, agentia secunda dari non posse, quae sint creantia. Quare possunt quidem haec agentia influere in creaturas iuxta vices eisdem inditas a Deo, sed non possunt esse causa ipsius radicalis multiplicitatis rerum atque diversitatis. Imo eorum actio qualiscumque teneatur, non potest eximi ab actione causae primae.

6) Porro si quarta positio id mere contendit, non ab exordio res fuisse a Deo tanta multiplicitate conditas, qualis nunc apparet, sed infusas accepisse virtutes, per quas sese evolverent ac magis diversificarentur: haec positio spernenda non est, sed sedulo ponderanda. Unde in secundo membro huius Partis fusius hanc sententiam perpendemus. Si autem

contendit, omnia ab unitate processisse, et quidem abstractione facta ab impulsu divino, est positio Atheismi evolutionistici, quem quoad negationem Dei creantis iam superius depulimus, et quoad excessum unitatis in principio a quo, sedulius infra confutabimus.

7) Restat igitur positio vera: Deum scilicet esse multiplicitatis et distinctionis rerum auctorem. - Sed, quaeres, nonne haec duo componi repugnat? Quomodo haec multiplicitas concordare potest cum Deo causa efficiente, exemplari et causali mundi? Ubinam similitudo, quam operatur efficiens et intuetur exemplaris? ubinam proportio in quam tendit causa finalis?

Sed *a*) agens est aliud per naturam, aliud per voluntatem; *b*) aliud exemplatum perfectum, aliud imperfectum; *c*) alia proportio aequalitatis, alia proportio ordinabilitatis.

Insuper si hae ultimae difficultates essent solidae, demonstrarent impossibilitatem creationis cuiusvis, quum creatura perfecte Deo similis proportione aequalitatis repugnet. Quidquid in his difficultatibus veri habetur, plenissime verificatur in mysterio SS. Trinitatis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit iuxta causam efficientem: confundit agens naturale et voluntarium.

2. Obi. Procedit ex causa exemplari: confundit exemplatum perfectum et imperfectum.

3. Obi. Procedit ex causa finali: confundit proportionem adaequantem et ordinabilem.

Sed contra est. Veritas praesentis doctrinae demonstratur per narrationem Geneseos, in qua ipse Deus exhibetur non solum tanquam elementa universi efficiens, sed totidem operibus elementa distinguens et mundum adornans. Ergo multiplicitas et varietas rerum sunt a Deo.

Idem affirmat S. Ioannes: « Omnia per ipsum facta sunt, « et sine ipso factum est nihil ». Ubi adverte duplicem formulam affirmativam et exclusivam, quasi Evangelista omnes gnosticas evasiones excludere voluisset. Concordat omnino doctrina S. Pauli: « In ipso condita sunt omnia » [1].

[1] Coloss. I, 16.

Hanc veritatem Ecclesia saepius declaravit. In fidei formula pro Albigensibus a Concilio Lateranensi IV confecta, Deus appellatur: « Creator omnium visibilium et invisibilium, « spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute « simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit crea- « turam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et « mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spi- « ritu et corpore constitutam » [1]. Idem proclamant confessio fidei Michaëlis Paleologi [2], Concilium Florentinum in decreto pro Iacobitis [3], Concilium Vaticanum verba Lateranensis symboli reassumens [4], et oppositum errorem ita proscribens: « Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo « continentur, et spirituales et materiales, secundum totam « suam substantiam ex Deo ex nihilo esse productas A. S. » [5].

In Corpore. En schema huius argumenti:

- **Distinctio rerum provenit**
  - 1) *non a materia:*
    - *a*) nec sola, (Democritus)
      - *a*) materia est a Deo;
      - *b*) distinctio rerum est per formas;
    - *b*) nec simul cum agente, (Anaxagora)
  - 2) *nec ab agentibus secundis:* (Avicenna)
    - *a*) creare est solius Dei;
    - *b*) diversitas rerum esset a casu;
  - 3) sed a Deo:
    - *a*) ad manifestandas multipliciter divinas perfectiones;
    - *b*) a Verbo Dei, quia a divina Sapientia.

Adverte, in positione Avicennae haberi aliquam trinitatem, at omnino subordinationis. Deus enim intelligendo se produxit primam intelligentiam, quae est infra Deum, ac proin composita potentia et actu. Haec autem prima intelligentia est pariter faecunda per intellectum, et quidem circa illa duo, quae existunt: circa Deum et circa seipsam. Faecunditas eius circa Deum dat ortum intelligentiae secundae, quae hanc veluti trinitatem complet. Faecunditas autem circa

[1] Denzinger (op. cit., n. 355).
[2] Ibid. n. 383.
[3] Ibid. n. 600.
[4] *Constitut. de fid.* c. 2 (Ibid. 1632).
[5] Can. 5 (Ibid. 1652).

seipsam dat ortum corpori et animae mundi: corpori, inquantum intelligit suam potentiam; animae, inquantum intelligit suum actum.

Quod autem S. Thomas dicit, in hac sententia mundum esse a casu, intelligendum est sumendo casum in sensu latiori, scilicet quatenus casus multiplicat concurrentes causas secundas, non autem quatenus excludit causas intelligentes.

ARTICULUS II.

UTRUM INAEQUALITAS RERUM SIT A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Materialistae, qui rerum multitudinem et distinctionem a solo casu, absque ulla mentis ordinatione repetunt, non habent amplius unde rationem reddant inaequalitatis rerum. Haec etenim est ipsa a solo casu repetenda. Qui autem multiplicitatis et distinctionis rerum faciunt auctorem Deum, ulterius explicare debent, undenam inaequalitas in rebus proveniat.

2) Nec dicas, unum esse idemque problema. Nam haec inaequalitas a Deo repeti potest immediate vel mediate. Immediate quidem, si dicitur Deus ita huius inaequalitatis auctor, ut ab exordio creationis universi hanc sibi proposuerit; mediate, si eam quidem effecerit, at quia aliquod intervenerat elementum primam rerum aequalitatem perturbans.

3) Mediatam hanc inaequalitatis rerum effectionem defendit Origenes; quippe iuxta quem Deus ab exordio condidit spirituales substantias aequales et liberas. Usus autem liberi arbitrii discrevit has substantias in bonas et malas. Bonis assignati sunt ordines hierarchiae caelestis; malae alligatae sunt corporibus variis iuxta peccatorum gravitatem. Unde in ista sententia momentum habemus triplex: *a*) momentum creationis mundi spiritualis aequalis; *b*) momentum inaequalis usus liberi arbitrii; *c*) momentum creationis mundi materialis inaequalis. Consequens evidens huius systematis fuit creatio omnium animarum ab origine mundi, et primaevus usus liberi arbitrii, ob quem tempore praestatuto corporibus inclusae sunt, includuntur et iugiter usque ad emensum saeculorum cursum includentur.

4) At catholica doctrina immediate a Deo repetit non solum rerum multitudinem sed et inaequalitatem. Deus scilicet creavit, - utrum simultanee et quo sensu infra investigabitur, - mundum pure spiritualem angelorum, mundum materialem rerum corporalium, variis gradibus discretum a substantiis inorganicis, usque ad substantias animali vita dotatas; demum mundum mixtum, iure inde vocatum microcosmum, hominem scilicet corpore et anima immortali constantem.

5) Si iam huius inaequalitatis rationem investigamus, pulcherrimum in ea divinae sapientiae argumentum reperimus. Et quidem dupliciter. *a*) Gradatio enim illa mirabilis per quam ab infimis corporibus ad supremos spiritus angelicos assurgitur, magnam nobis insinuat reverentiam divinae maiestatis, utpote super Cherubim et Seraphim in immensum elevatae, et visibili mundo utens, tanquam pedum scabello. - *b*) Inaequalitatis variatio, quae tum in angelicis ordinibus, tum in mundo visibili emicat, tendit ad multiplices divinae naturae perfectiones manifestandas; quatenus, - ut in ordine visibili notiori consistam, - quidquid per visum, per auditum, per sensus varios percipitur, quidquid caelorum spatia rutilantibus stellis ornata insinuant imaginationi ac menti, id totum conducit ad Deum veluti ad lucidissimae pulchritudinis centrum, a quo creata veluti tot scintillae emanarunt, et in quod harmoniose conspirant.

6) Non ideo tamen omnis inaequalitas rerum, qualis in praesenti mundi statu cernitur, Deum unice habet auctorem. Conceptus enim Origenis aliquid veritatis in se continet. Et sane peccatum, sive malus usus liberi arbitrii, nonnihil in hanc diversitatem influit. Etenim, - praeter illam opinionem iuxta quam lapsus daemonum occasio fuit creationis mundi materialis et mixti, quatenus destinatus est homo, ut amissas a malis angelis sedes impleret, et mundus corporalis in hominem convergit totus; - peccatum tum angeli, tum hominis in conditiones materiales mundi multiplicem habet influxum; per quem influxum illa in res inducta est et iugiter inducitur inaequalitas, quae nequit reduci ad principium mundi bonum, sed a malo auctore repetatur oportet. De quo influxu in Sectione sequenti fusius agemus.

II. Ad Textum. - *1. Obi.* Confundit excellentiam totius, cum excellentia singularum partium.

2. Obi. Confundit aequalitatem perfectam, quae non habetur nisi in gemina processione ad intra, cum aequalitate proportionis, quae habetur in effectione rerum ad extra.

3. Obi. Confundit primam rerum effectionem cum meritorum retributione. In ista utique debet servari proportio, quatenus aequalibus aequalia, inaequalibus inaequalia iuste reddantur. At in prima rerum effectione deest huius principii fundamentum. Creatio enim est effectio ex nihilo. Quare fundamentum inaequalitatis in opere est mens et voluntas artificis.

Sed contra est. Doctrina in praesenti articulo exposita multipliciter illustratur testimonio Scripturarum, Patrum atque Conciliorum.

1) *Scripturae* multis in locis inaequalitatem rerum exhibent tanquam ab ipso universi Creatore discretam atque probatam. Ab exordio Geneseos habemus: « In principio « creavit Deus caelum et terram ». Quae sententia sufficeret ad confutandum non solum impium dualismum Manichaeorum, sed et arbitrarium conceptum Origenis. Ipse Deus « divisit lucem a tenebris » [1]. Singula dierum opera molitur atque probat: « Vidit Deus lucem quod erat bona » [2] et « vidit « Deus quod esset bonum » [3]; « viditque Deus cuncta quae « fecerat, et erant valde bona » [4]. Unde apud Isaiam Deus dicit a se: « Ego Dominus, et non est alter formans lucem « et creans tenebras; faciens pacem et creans malum: ego « Dominus faciens omnia » [5]. Scilicet ea ipsa, quae nos uti mala depellimus, a Deo ordinantur, imo, - secluso malo culpae, - a Deo sunt: « Bona et mala, vita et mors, paupertas « et honestas a Deo sunt » [6]. Quin haec est ratio sub qua universum adspicere nos oportet: « Sic intuere in omnia opera « Altissimi » [7]. Nam: « In iudicio Dei opera eius ab initio, et

[1] Gen. I, 4.
[2] Ibid.
[3] Ibid. 10, 12, 18, 21, 25.
[4] Ibid. 31.
[5] Is. XLV, 6, 7.
[6] Eccli. XI, 14.
[7] Ibid. XXXIII, 25.

« ab institutione operum distinxit partes eorum, et initia illo-
« rum in gentibus suis » [1]. Unde describitur divina Sapientia omnia disponens: « Dominus possedit me in initio viarum « suarum, antequam quidquam faceret a principio;... adhuc « terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terrae;... « cum eo eram cuncta componens » [2]. Et in Iob quaeritur nomine Dei: « Ubi eras quando ponebam fundamenta ter-
« rae? » [3]; et in sequentibus divina sapientia in minutissimis creationis partibus eleganter describitur.

Haec omnia in Novo Testamento declarant brevissima verba S. Ioannis: « Omnia per ipsum facta sunt », et S. Pauli: « Omnis creatura Dei bona est » [4] contrahentis ita sententias lyricas Moysis: « Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius « iudicia » [5], et Ecclesiastici: « Opera Domini universa bona « valde » [6], et regii Psaltis: « Quam magnificata sunt opera « tua, Domine: omnia in sapientia fecisti! » [7].

2) *Patres* disertissime proclamant tum contra Materialistas, tum contra Manichaeos, tum contra Origenistas, res omnes a Deo conditore esse in sua distinctione et inaequalitate discretas. Breviter et optime S. Chrysostomus: « Sive « Manichaeus prodeat materiam prius exstitisse dicens; sive « Marcion, sive Valentinus, sive Gentilis; dicito ipsis: " In « principio fecit Deus caelum et terram " » [8]. - S. Hilarius commentans verba Ps. CXLVIII: « Quia ipse mandavit, et creata « sunt; ipse dixit et facta sunt », ita pulchre disserit: « Pri-
« mum errorem hunc humanae ignorationis avertit, quo for-
« tuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque « ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt « opinari. Tum quod alii hunc ipsum mundum Deum esse, « qui se agitet, ac moveat, et in annuam temperiem cursu « dimensae rationis moderetur, existiment. Postremo quod

[1] Ibid. XVI, 26.
[2] PROV. VIII, 22, sqq.
[3] IOB. XXXVIII, 4.
[4] I. TIM. IV, 4.
[5] DEUT. XXXII, 4.
[6] ECCLI. XXXIX, 21.
[7] Ps. CIII, 24. — Lege de hoc psalmo egregiam paraphrasim laudati WOLTER (op. cit.).
[8] *Homil.* II *in Genes.* — *P. G.* LIII, 29.

« quaedam sibi ex his ipsis unusquisque legit elementis, aut « coelum, aut solem, aut aquam, aut aëra, quibus Dei hono- « rem inani, atque impia religione deferret. Omnem igitur « errorem ignorationis exclusit, dicens: " Quoniam ipse dixit, « et facta sunt, ipse praecepit et creata sunt ". Nullus igitur hic « fortuitorum concursus, nulla naturae propriae virtus, nulla « aeternitatis exsemet substantia in his, quae creata docentur, « admittitur. In quo dicto etiam id docetur, quod et Genesis « distinxit, et Evangelia testata sunt, et Apostolus praedi- « cavit: Dei iussu facta esse omnia, non per se exstitisse: « tamquam ipsa illa materia obedientiae vitalis exsisteret, « cum esse, ac subsistere iuberetur: sed omnia ex mandato « creata esse, et dictum fuisse ab eo, qui dicebat, ut fierent. « Ita enim Genesis est locuta: Et dixit Deus, et fecit Deus, « Et nunc Propheta ait: " Dixit et facta sunt ". Non enim sibi « praecepit ut fieret; sed sunt facta cum dixit » [1].

S. Augustinus in l. XI *de Civitate Dei* confutat errorem tum Manichaeorum, tum Origenis. Ex integro haec duo capita XXII et XXIII essent afferenda. Brevitatis causa nonnisi partem ex utroque depromam. Manichaeorum inscitiam ita retundit: « Nec attendunt, quantopere vel in suis locis « naturisque, ea, quae hisce non conveniunt, vigeant, pul- « chroque ordine disponantur: quantumque universitati re- « rum pro suis portionibus decoris tanquam in communem « rempublicam conferant, vel in nobis ipsis, si eis congruen- « ter atque scienter utamur, commoditatis attribuant, ita ut « venena ipsa, quae per inconvenientiam perniciosa sunt, con- « venienter adhibita in salubria medicamenta vertantur: « quamque a contrario etiam haec quibus delectantur, sicut « cibus et potus et ista lux, immoderato et importuno usu « noxia sentiantur. Unde nos admonet divina providentia, non « res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter « inquirere, et ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita « credere occultam, sicut erant quaedam quae vix potuimus « invenire: quia ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exer- « citatio est, aut elationis attritio, cum omnino natura nulla « sit malum, nomenque hoc non sit nisi privationis boni: sed

[1] In Ps. CXLVIII.

« a terrenis usque ad coelestia, et a visibilibus usque ad in-
« visibilia sunt aliis bonis alia bona meliora, ad hoc inae-
« qualia, ut essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus
« in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parva non sua
« granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda
« sunt: sicut in specie visibilis hominis, si unum radatur
« supercilium, quam propemodum nihil corpori, et quam
« multum detrahitur pulchritudini: quoniam non mole con-
« stat, sed parilitate ac dimensione membrorum » [1]. Egregia sane!

Errorem autem Origenis ita inducit: « Sed multo est
« mirandum amplius, quod etiam quidam, qui unum nobiscum
« credunt omnium rerum esse principium, nullamque natu-
« ram, quae non est quod Deus est, nisi ab illo conditore
« esse non posse: noluerunt tamen istam causam fabricandi
« mundi tam bonam ac simplicem bene ac simpliciter credere,
« ut Deus bonus conderet bona, et essent post Deum, quae non
« essent quod est Deus: bona tamen, quae non faceret nisi bo-
« nus Deus. Sed animas dicunt, non quidem partes Dei, sed
« factas a Deo, peccasse a conditore recedendo: et diversis
« progressibus pro diversitate peccatorum, a caelis usque ad
« terras, diversa corpora quasi vincula meruisse. Et hunc esse
« mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut con-
« derentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes
« iure culpatur. In libris enim quos appellat περὶ ἀρχῶν, id est
« de principiis, hoc sentit, hoc scripsit. Ubi plus quam dici
« potest, miror hominem in ecclesiasticis literis tam doctum
« et exercitatum, non attendisse, primum quam hoc esset
« contrarium Scripturae huius tantae autoritatis intentioni,
« quae per omnia opera Dei subiungens: " Et vidit Deus, quia
« bonum est ": completisque omnibus, inferens: " Et vidit
« Deus omnia, quae fecit, et ecce bona valde ": nullam aliam
« causam faciendi mundi intelligi voluit, nisi ut bona fierent
« a bono Deo, ubi, si nemo peccasset, tantummodo naturis
« bonis esset mundus ornatus et plenus ». Et paucis interiectis, providentiam Dei ipsa peccata permittentis et in bonum ordinantis hac comparatione illustrat: « Sicut pictura cum

[1] Loc. cit. c. XXI

« colore nigro, loco suo posita, ita universitas rerum, si quis « possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quam- « vis per seipsos consideratos sua deformitas turpet » [1].

Et pergit ostendendo, iuxta hanc Origenis legem, corpora eo crassiora esse debere, quo pravioribus spiritibus destinantur. Iam vero daemones leviora inhabitant corpora, licet peioribus culpis onusti. Dein absurditatem huius positionis ostendit ex sole: quae verba et Angelicus heic affert.

Placet audire S. Fulgentium egregie de hoc argumento disserentem: « Igitur tam in magnis quam in parvis quibus- « que rebus conditis magna est bonitas atque omnipotentia « Conditoris. Omnia enim sapienter fecit summa veraque « Sapientia; cui naturaliter hoc est esse, quod sapientem esse; « hoc facere, quod sapienter facere. Simplicitas itaque mul- « tiplicis sapientiae Dei magnitudinem celsitudinis suae, non « solum in magnitudine sublimium creaturarum, verum etiam « in infimarum parvitate commendat: dum bona omnia, quae « creavit, non solum multo inferius dissimiliusque suo Crea- « tore sunt, utpote non prolata de ipso, sed facta prorsus « ex nihilo; verum etiam inter se non aequaliter sunt, sed « unaquaeque res ita permanet, sicut a Deo ut esset accepit, « alia quidem sic, alia autem sic. Neque enim sic datum est « corporibus ut sint, sicut spiritus acceperunt: cum ipsa quo- « que corpora non aequaliter sint, et in ipsis caelestibus « atque terrestribus inveniatur nonnulla diversitas; cum tam « coelestia quam terrestria, non solum impari distent quan- « titate molis, verum etiam dissimili splendeant claritate. « Alia namque est, sicut Apostolus dicit, claritas caelestium « corporum, alia terrestrium. In ipsis quoque caelestibus, « alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stel- « larum: stella enim a stella differt in claritate [2]. Corpora- « lium igitur naturarum diversitas ostendit unamquamque « earum non hoc esse, quod ex se semper habere potuerit, « sed quod ex dispositione atque opere omnipotentissimi « atque incommutabilis et sapientissimi Creatoris accepit » [3].

[1] Ibid. c. XXIII.
[2] I. Cor. XV, 40, 41.
[3] *De fid. ad Petr.* c. 3, n. 26. — *P. L.* XL, 761.

3) *Symbola* quoque hanc doctrinam manifeste exhibent. Placet afferre canones quosdam Concilii V. contra Origenem: « 1) Si quis fabulosam animarum praeexistentiam, et, « quae ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asse- « ruerit, A. S. - 2) Si quis dixerit, omnium rationalium pro- « ductionem fuisse mentes, corporis et materiae expertes, « absque ullo numero et nomine, adeo ut eorum omnium « fuerit unitas identitate substantiae, potentiae et virtutis, « atque unione et cognitione erga Deum Verbum; satietatem « autem illas cepisse divinae contemplationis et in deterius « conversas esse pro eo ac unaquaeque propensa fuerit in « illud; et assumpsisse corpora subtiliora et crassiora, nec- « non accepisse nomen; eo quod, sicut nominum, ita et « corporum differentiae sint apud supernas virtutes; atque « hinc factum esse, ut alii Cherubim, alii Seraphim, etc... « effecti fuerunt et vocati: A. S. - 3) Si quis dixerit, solem « et lunam et astra ipsa quoque, cum ex eadem rationalium « unitate essent, ex conversione in peius facto esse id, quod- « que sunt: A. S. - 4) Si quis dixerit, rationabilia refrigerata « a divina caritate, crassis corporibus, qualia sunt nostra, « alligata fuisse et homines vocata: alia vero, cum ad sum- « mam malitiae pertigissent, frigidis tenebrosisque alligata « esse corporibus; atque tum esse tum appellari daemones, « sive spiritualia nequitiae: A. S. ». - De distinctione rerum cf. Symbola in praecedenti articulo allata.

In Corpore. Haec expositio triplici parte constat. 1) Primo S. Thomas describit positionem Origenis. 2) Hunc errorem confutat ex Scriptura et ex S. Augustino. 3) Penitius illustrat doctrinam catholicam. Distincta enim multiplicitate quae materia tantum discreta constat, et inaequalitate, quae fundatur in forma, S. Thomas ostendit quantopere ad Sapientiam pertineat ut per gradationem formarum a composito vita experte usque ad spiritus angelicos, apud quos tot sunt species quot individua perfectiones Dei multifariam manifestentur.

In l. II *Summae ctr. Gent.* S. Doctor fuso calamo doctrinam catholicam de hoc argumento vindicat. Ostendit enim distinctionem rerum non esse a casu (c. 39); nec materiam esse causam primam huius distinctionis (c. 40); neque eam esse

propter diversitatem et contrarietatem agentium (c. 41); neque eam provenire unice ab ordine agentium secundorum (c. 42); neque ab angelo inducente in materiam formas diversas (c. 43); neque ex meritorum et demeritorum diversitate (c. 44), ubi fuse disserit de sententia Origenis; at eam esse « ex « propria Dei intentione perfectionem creaturae dare volentis, « qualem possibile erat eam habere » (c. 45).

Quas autem S. Thomas ibi adducit rationes, breviter ita contrahi possunt. 1) Perfectio similitudinis, quam agens inducit in effectum, non solum est mensuranda a potentia agentis, sed a capacitate effectus; iam vero res creatae nequeunt uno effectu repraesentare Deum; ergo convenit ut multiplicitas et varietas effectuum suppleat impotentiae unitatis. - 2) Materia est in potentia ad multas formas; convenit ergo ut per innumeras formas veluti expleatur. - 3) Datur perfectio Dei, quae in creatis per similitudinem nequit manifestari, nisi creata sint plura et inaequalia: bonitas scilicet diffusiva in alias. - 4) Plura finita quum sint plus quam unum finitum, multiplicitas et inaequalitas creaturarum perfectius repraesentant summam perfectionis divinae. - 5) Quum bonitas speciei excedat bonitatem individui, plus confert ad perfectionem universi multiplicitas specierum, quam individuorum in una specie. - 6) Multiplicitas divinarum idearum seu exemplarium melius repraesentatur per multiplicitatem rerum arte divina creatarum. - 7) Quum ordo rerum ad invicem sit aliquod bonum ipsis rebus ordinatis superius, non decuit, istum ordinem in universo creato deesse.

Scholion. Ex dictis conclude, non solum multiplicitatem et inaequalitatem rerum esse a Deo, eamque esse perfectionem; sed Deum ob hanc ipsam bonitatem quam intendebat, res ita creasse. Praeclare S. Augustinus commentans illa Moysis: « Dixit Deus: fiat lux; et facta est lux; et vidit Deus « lucem, quod esset bona » [1], haec scribit: « Si tantummodo « nobis insinuandum esset, quis fecerit lucem, sufficeret « dicere: fecit Deus lucem. Si autem non solum quis fecerit, « verum etiam per quid fecerit, satis esset enunciari: Et dixit

[1] Gen. I, 3, 4.

« Deus: fiat lux; et facta est lux: ut non tantum Deum, sed « etiam per Verbum lucem fecisse nossemus. Quia vero tria « quaedam maxime scienda de creatura nobis oportuit inti- « mari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit; Deus « dixit, inquit: fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem, « quia bona est. Si ergo quaerimus, quis fecerit, Deus est; si per « quid fecerit: dixit: fiat, et facta est; si quare fecerit, quia « bona est. Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior « Dei Verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur a « bono Deo » [1]. Ergo quando descriptionem universae creationis Moyses concludit: « Viditque Deus cuncta quae fece- « rat, et erant valde bona » [2], multiplicitatis et inaequalitatis rerum excellentiam proclamat.

III. - DE UNITATE MUNDI.

ARTICULUS III.

UTRUM SIT UNUS MUNDUS TANTUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ultima ratio quam Angelicus in hoc capite *Sm̃ae ctr. Gent.* adducit, ordo scilicet quo plura in unum conspirant, iam insinuat nobis, eodem modo aliqualem in universo unitatem requiri, sicuti multiplicitatem et inaequalitatem. Investigemus igitur de ista lege unitatis.

2) Quaestio ad hoc reducitur: danturne praeter hunc mundum, - in quo omnes partes certis legibus, graditionibus et influxu ad invicem referuntur ita, ut ob hunc ordinem dicendus sit unus, - alii mundi, quin inter illos et hunc nostrum ulla intercedat connexionis ratio, cuius ope in altiorem unitatem conspirent? Quae sane quaestio est alia possibilitatis, alia facti.

3) Si meram *possibilitatem* intueor, et quidem unice a parte divinae potentiae *absolutae,* negari nequit plures mundos esse possibiles, quia per nullum ullo modo potestas Dei coarctatur. - At si considero potentiam Dei *ordinatam,* haec mundorum pluralitas dicenda est impossibilis, quia repugnat,

[1] *De civit. Dei,* l. XI, c. 21.

[2] Ibid. V, 31.

Deum agere, quin ordinis legem in opere servet. Et sane vel isti plures mundi essent omnino similes, et tunc essent frustra; vel essent dissimiles, et tunc ipsa eorum dissimilitudo esset ita coordinanda, ut ex hac ipsa coordinatione prae Deo coirent in unum.

4) *Factum* autem firmatur experientia. Corpora enim caelestia et terrestria eiusdem sunt naturae elementis conflata. Magna attractionis lege, dum minora circa maiora volvuntur, maiora rursus motus agunt mirabili harmonia, quae universi centrum unicum aut saltem unicam ponderationis legem esse manifestat [1]. Unde, praeter falsitatem fundamenti, scilicet originis rerum a casu, gratuito prorsus antiqui Materialistae, uti Democritus, et moderni Positivistae multiplicitatem mundorum asserunt.

5) Revelatio cum mundi unitate omnino concordat. Etenim, uti praecitata testimonia sat superque evincunt, mundus plerumque in Sacra Scriptura exhibetur ut unus, omnia per Verbum tanquam unum facta proclamantur, Christus ut caput omnium hominum et angelorum, uti Rex unius civitatis Ierusalem passim celebratur. Nullibi alicuius mundi praeter istum existentis mentio in sacris Litteris apparet.

6) *Obiicies*, probabile non esse, hanc nostram tellurem tam minimam, esse solam universi partem a creatura mixta, scilicet rationali, ut est homo, habitatam [2].

Resp. Dimensio planetae, quam incolimus, non est ratio, cur sola ab entibus rationabilibus incoli negetur. Nonne unus homo plus est sole? quem certo habitatum nemo somniabit. - Experientiae hucusque de hoc argumento institutae concludunt potius in oppositum; nam ad hoc ut vita animalis, qualis est nostra, degi possit, tot requiruntur conditiones delicatissime temperatae, quas in aliis planetis deesse vel prorsus constat, vel probabilissime concluditur.

Nec instes, astrorum spatia frustra fore, nisi et alia sidera incolantur. Quis nesciat, ingentem interdum requiri machinam, ad opus aliquod parvum at eximium producendum. Nonne magna structura exigitur ad potentem scintillam lucis

[1] Cf. Wolf, (*Les hypothèses cosmogoniques*).

[2] Non desunt, qui in hanc sententiam potius inclinentur, uti Secchi, Tongiorgi, Bougaud, Monsabré (Conf. 49, *La Rédemption*).

electricae exprimendam? Ad hoc ut terra nostra constare possit habitabilis, quatuor anni partibus discreta, temperato nutrita calore, tanta moles tantaque distantia solis exiguntur. Quis autem sciat, quot alia requisita sint, ut systema nostrum solare per tot saecula in aequilibrio suo perdurare possit, movens simul et motum? Haec sunt mysteria, quorum profunda vix suspicari valemus. Porro ipsa astra, ingentissimae licet molis, vita carere, utpote immensi cammini ignem iugiter evomentes, quis in dubium vocabit? Non est ergo ista quaestio molis, sed dignitatis; nec inde astra fiunt inutilia, si in una nostra dumtaxat tellure vita exstet humana. Nonne rutilantia spatia caelorum corda nostra in laudem Dei excitant? Nonne, forsan, motores habent, angelicos spiritus? Nonne a beatis, subtili motu, libera acie, cominus pro libitu conspicientur?

Quare, usquedum oppositum constet, inclinamur in opinionem quae negat, in aliis sideribus incolas haberi rationales [1].

7) Cavendum tamen est, ne in hac quaestione argumenta theologica urgeantur. Et sane, pone in planeta Marte, v. gr., degere entia ratione dotata, at alterius structurae, ac est homo, non ideo veritatem suam amittet sententia S. Pauli: « Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super « universam faciem terrae » [2]. Imo nec si eiusdem structurae essent hic et illic, cogens argumentum ex isto loco confici posset, quum scriptor sacer propositionem suam de hanc tellure affirmet.

8) Quodsi revera aliae planetae habeant suas incolas hominibus similes, non ideo in periculum vertitur mundi unitas, quam hic contemplamur. Licet enim Scripturae nihil nobis de hisce creaturis insinuent, - ex quo sane contra eorum existentiam oritur praeiudicium theologicum, - non ideo Deus non illas, sicuti angelos et homines, in harmoniosam unitatem praeordinat et gubernat. Quae, qualis sit, nunc quidem ignoramus, in altera tamen vita, - si revera istae creaturae dentur, - apparebit; scilicet apparebit quomodo

[1] Qui rationes hinc inde librare cupit, legat, v. gr., *The american catholic quarterly review* (mens. apr. et iul. 1884).

[2] Act. xvii, 26. — Hoc argumentum parumper nimis urgere videtur Cl. Paquet (op. cit. hoc loco, p. 65).

istae se habeant ad ordinem naturae et gratiae, quomodo ad Christum, quomodo ad angelos et ad nos. Quare nihil ab his hypothesibus etiam audacissimis pro universi unitate timendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit potentiam Dei absolutam et ordinatam.

2. Obi. Qui nimis probat, nihil probat. Iam vero si haec valeret obiectio, Deus iugiter novos et novos mundos creare deberet.

3. Obi. Haec obiectio, si agatur de potentia Dei absoluta, concedi debet. Non autem valet de potestate Dei ordinata. Solutio autem S. Th. iuxta dictamina hodiernae scientiae non est convincens.

Sed contra est. Quoad argumenta ex Scripturis allata, recole dicta n. 7. Nihilominus cum moderamine valent omnia Scripturae testimonia, in quibus de hoc mundo sermo instituitur in singulari; et de regno futuro tanquam uno, ex angelis et hominibus sub Christo Rege et Trinitate imperante.

Ipsa autem mundi unitas nobis efficaciter demonstrari videtur per effatum Sapientiae: « Omnia in mensura et nu- « mero et pondere disposuisti » [1]. Haec enim lex proportionis in unitatem redundat. Idem involvunt verba: « Attingit « (Sapientia scilicet), a fine usque in finem » [2] unitatis vinculo cuncta complexans.

Legem unitatis S. Augustinus ex hominis creatione commendat: « Merito vera religio mundi universi eum, anima- « lium quoque universorum, hoc est, et animarum et corpo- « rum conditorem agnoscit et praedicat. In quibus terrenis « praecipuus ab illo ad eius imaginem homo... factus est, sed « non relictus est solus. Nihil enim est quam hoc genus tam « discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius « contra vitium discordiae vel cavendum, ne existeret, vel « sanandum, cum exstitisset, natura loqueretur humana, « quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus « creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut

[1] Sap. xi, 21.
[2] Ibid. viii, 1.

« hac admonitione etiam in multis concors unitas serva-« retur » [1].

Homo sane dupliciter unitatem universi commendat: *a*) tum quia omnes ex uno homines conditi sunt, ipsa matre viventium ex Adamo prius miraculose educta; *b*) tum quia homo in se condensat harmoniosam synthesim universi, utpote ex anima et corpore constans.

In Corpore. Brevis est argumentatio Angelici, at pondere gravis. Praemissa forma unitatis ex ordine, S. Thomas duplicem in mundo respectum unitatis considerat: *a*) rerum inter se; *b*) rerum ad Deum. Porro, admissa vel probata origine rerum omnium a Deo, et prae oculis habita sapientia artificis mundi, impossibile est, universum alterutra ex hac unitate carere.

E contra, si res omnes sint a casu, perit gemina unitatis ratio. Quare errant quidem gravissime Democritus, et cum eo omnes Positivitae seu Materialistae moderni, qui congressum elementorum unice tribuunt casui plus minusve felici. At posita hac fundamentali absurditate, sine nova absurditáte, inficiari possunt ordinem universi.

Corollarium I. Ex hac doctrina vides, quam bene electa sit vox « *universum* » ad legem unitatis cuncta circumvincientis exprimendam. Etenim licet mundi multiplicarentur, non ideo desinerent pertinere ad aliquod systema altius; cuius, sicuti supremus auctor, ita et unitatis centrum esset Deus.

Corollarium II. Quemadmodum in *Sed contra est* iuxta S. Augustinum ex ipso homine arguimus ad magnam unitatis legem in mundo vindicandam, ita corroboratur ista lex per leges omnes, quibus virtutes rerum physicarum gubernantur. Qui enim dicit legem, dicit legislatorem, dicit quoque ordinem. Quare in quavis lege naturae implicite continetur duplex ratio unitatis, quam S. Thomas in argumento huius *Corporis* breviter tangit. Unde nihil magis contradictorium est, quam ex una parte velle cuncta tribuere casui, et ex alia parte leges huius casus determinare. Et tamen

[1] *De Civit. Dei*, l. XII, c. 27.

hoc est spectaculum quod offerunt nobis athei philosophi. Imo videntur eo libentius statuere leges, quo facilius per eas ab inquirendo legum auctore dispensentur.

Corollarium III. - Ex doctrina totius huius Quaestionis rursus apparet, quam leviter quidam Deistae miraculorum possibilitatem denegent. Quum enim Deus sit auctor universi usque ad multiplicitatem et inaequalitatem rerum, quas tamen in unitatem continet, non solum omnia gubernat tanta virtute, quantâ cuncta condidit, sed et ipsa unitas mundi nulla re fortius exprimitur, quam si Auctor legum naturae has ipsas leges pro libitu moderetur, sive illas servans et regens ut agant, sive interdum illas suspendens aut invertens, aut in casibus peculiaribus ut causa prima immediate operans [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) *Distinctio* sive *multiplicatio* rerum non a sola materia, uti contendunt Materialistae, nec educta dumtaxat ex materia, ut vult Anaxagoras, nec tribuenda unice agentibus secundis, uti placet Avicennae, sed ipsi Deo, qui per creaturas plures bonitatem suam unam multiformiter exprimit (a. 1).

[1] Ex recentissimis scriptoribus, qui miracula stricti nominis negant, placet adducere Paulum Sabatier, qui in suo libro « *Vie de S. François d'Assise* », haec inter alia de hoc argumento scribere non veretur: « Si par miracles on entend soit la « suspension ou le renversement des lois de la nature, soit l'intervention de la cause « première dans certains cas particuliers, je ne saurais l'admettre. Dans cette néga- « tion les raisons physiques et logiques sont secondaires: la vraie raison - qu'on « veuille bien ne pas s'étonner - est toute religieuse: le miracle est immoral. L'iné- « galité de tous devant Dieu est un des postulats de la conscience religieuse, et le « miracle, ce bon plaisir de Dieu, ne fait que rabaisser celui-ci au niveau des fantas- « ques tyrans de la terre.

« Les églises actuelles, en faisant à peu près toutes de cette notion du miracle, « l'essence même de la religion et la base de toute foi positive, se rendent involontai- « rement coupables de l'affaissement de virilité et de moralité dont elles se plaignent si « vivement. Si Dieu intervient ainsi d'une manière irrégulière dans les affaires des « hommes, ceux-ci ne peuvent que viser à devenir des courtisans qui attendent tout « de la faveur du souverain » (p. 401, sq. ed. 4, 1894).

Quantopere haec indigna sint scriptore christiano, - auctor est unus e coryphaeis Protestantismi symbolici apud Gallos, - abunde liquet. Caeterum haec vita S. Francisci S. Congr. Indicis iudicio (decr. 8 Iun. 1894) damnata est.

De miraculo nuperrime docte disseruit Illmus Barbieri O. S. B. episc. Gibralt. (*Carta Pastoral*, 1903).

2) Quare et rerum *inaequalitas* tribuenda est ipsi Deo, non diverso usui primaevo liberi arbitrii creati uti contendit Origenes. Per entium enim gradationem, a compositis materialibus usque ad spiritus puros, ascensus in Deum cum ipsius Dei manifestatione fit efficacior atque illustrior (a. 2).

3) Haec autem inaequalitas, nedum *unitatem* offendat, potius involvit: est enim a Deo, ad Deum, ordinate constituta. Quare totalitas rerum creatarum constituit mundum unum, sive *universum* (a. 3).

SECTIO II.

DE DISTINCTIONE RERUM IN SPECIALI.

Ex tribus respectibus, quos modo in creatione consideravimus, respectus medius nos deinceps detinebit, scilicet inaequalitatis, seu distinctionis.

Porro hanc distinctionem dupliciter considerare possumus: 1) sub formalitate *bonitatis,* 2) sub formalitate *gradus perfectionis.*

Si 1) *bonitatem* formaliter perpendo, ecce occurrit magna illa et mysteriosa distinctio inter *bonum* et *malum.* - Si 2) *gradum perfectionis* intueor, ecce occurrit tripartitio creaturae in *a*) *spiritualem, b*) *corporalem* et *c*) *mixtam.* Inde duplex Membrum huius Sectionis.

MEMBRUM I.

DE DISTINCTIONE RERUM EX BONO ET MALO.

Duplex quaestio hoc argumentum comprehendit: 1) *Quid* est malum? 2) Quaenam est mali *causa?* Hinc duplex huius Membri Caput.

CAPUT I.

DE IPSO MALO.

QUAESTIO XLVIII.

Ordo Quaestionis, seu Capitis hoc schemate contrahitur.

- **De malo quaeritur:**
  - A) *quid* sit:
    - 1) duplex depellitur excessus dicens:
      - *a*) malum esse naturam (a. 1);
      - *b*) malum non esse (a. 2);
    - 2) veritas statuitur:
      - *a*) malum est in bono uti in subiecto (a. 3);
      - *b*) ita ut non corrumpat totum bonum (a. 4);
  - B) quomodo *dividatur:*
    - 1) de divisione per malum poenae et culpae (a. 5);
    - 2) de comparatione inter utramque sub ratione mali (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM MALUM SIT NATURA QUAEDAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Conveniunt omnes, malum dici per oppositionem ad bonum. Sed non amplius conveniunt de modo, quo haec oppositio sit intelligenda. Alia enim oppositio contradictionis, alia oppositio contrarietatis. Prima nihil necessario ponit nisi negationem boni; altera insuper ponit, ad modum rei positivae, malum. Hanc alteram sententiam defendunt cum Pythagoreis Manichaei; priorem cum sanis philosophis Christiana doctrina propugnat.

2) Et re quidem vera bonum multipliciter considerari potest. *a*) Modo absoluto, transcendentali, in quantum est absolutio et ordinatio entis; unde axioma: omne ens est bonum, et omne bonum est ens. - *b*) Modo relativo, reali,

pro gradu perfectionis essentiae sive naturae determinatae; sive haec consideretur mere in suis essentialibus, sive etiam in suis perfectionibus completivis. - *c*) Modo morali, de ordinatione rei in finem, sive respiciatur res ipsa, quae ordinatur in finem; sive maxime res libero sese impulsu in finem ordinans, seu actus quo sese libero impulsu in finem ordinat.

3) Iuxta haec tria per oppositionem loquendum est de malo. *a*) In oppositione ad sensum transcendentalem, malum est non-ens, et non-ens est malum. Unde apparet, nullo modo requiri ut huic sensui per oppositionem respondeat natura mala.

b) In oppositione ad sensum realem relativum, malum est: α) minus bonum negative simpliciter in ente, quod altius bonum non possidet (qui sensus nonnisi improprius est); β) minus bonum privative in ente, quod non habet omnia quae debet habere, sive ut sit quod esse deberet, si agatur de perfectione essentiali, sive ut bene sit, si agatur de perfectione completiva. Unde apparet rursus, illud malum non esse naturam, sed (improprie) relativam imperfectionem seu potius minorem perfectionem naturae, prae natura perfectiori, vel (magis proprie) defectum in natura.

c) In oppositione ad bonum morale, malum est α) id quo quis abutitur in finem ordinatum; β) pressius, ens quod libero impulsu se in finem malum ordinat, aut actus quo ita libero arbitrio male utitur. Unde rursus liquet ad tale malum non requiri ut malum sit natura.

4) Porro circa malum secundi gradus duo adverte: *a*) malum hoc potest pertingere usque ad malum primi gradus, in entibus quorum naturae corruptibilitas secum fert ut desinant esse.

b) Malum hoc potest fieri bonum ex relatione quam habet ad malum morale; quare si poena est malum, quatenus consideratur in se bonum quod minuit; bonum est, quatenus ordinem per malum morale laesum reparat.

5) Nec instes dicendo, summam malorum quae habentur in malo, ex suo excessu demonstare naturam quamdam malam. Haec enim summa non posset constituere naturam malam, quatenus summa est; nisi ex hac ipsa summa concludi posset ad principium malum sine quo non esset. Sed

hoc impie ponitur. E contra, quo magis cum doctrina catholica urgetur veritas primordialis lapsus, unde tot in mundum mala proruperunt; quo magis in mentes revocatur supernaturalis conditio humani generis, a qua tam crasse a plerisque declinatur, eo manifestior apparet ratio, cur homo cum semetipso et cum proximo suo duellum patiatur, et ipsa natura in hominem rebellet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Haec obiectio valet in mente Pythagoricorum; non vero in mente eorum, qui Christianam doctrinam de malo sequuntur: iuxta quam bonum et malum non sunt genera aliorum, nisi in sensu contrariorum, quae semper et in quovis genere sese appellant.

2. Obi. Supponit, differentiam constitutivam non posse inveniri in privatione, quod falsum est. Imo in moralibus, privatio ordinationis in finem constituit illam differentiam constitutivam, quae discernit malum a bono.

3 Obi. Confundit duo: malum et bonum esse contraria, quia utrimque habetur natura, altera bona, altera mala; et malum et bonum esse contraria, quatenus malum morale ulterius progreditur quam mera disordinatio, et fit nocivum. Prior sensus repugnat; alter nullam contra praesentem thesim parit difficultatem.

4. Obi. Accipe responsum schemate expressum:

Malum agit:
- 1) formaliter, = corrumpens bonum, concedo;
- 2) effective aut finaliter
  - *a)* per se, nego;
  - *b)* ratione subiecti, concedo.

5. Obi. Eodem vitio laborat, unde eadem ultima distinctione solvitur.

Sed contra est. Huc directe faciunt omnia testimonia Scripturarum, quibus bonitas omnium rerum, quas Deus fecit, diserte proclamatur. Ad rem maxime sententia S. Pauli: « Omnis creatura Dei bona est » [1].

[1] Tim. iv, 4.

Cf. alias auctoritates allatas tum in Quaestione praecedenti, tum in tractatu *De Deo Uno* [1], ubi de Dualismo Manichaeorum, et de Dei voluntate relate ad mala [2] tractavimus.

Patres eloquenter praesentem veritatem contra antiquos philosophorum et recentiores Manichaeorum errores exposuerunt atque propugnarunt.

1) E *Graecis* Patribus ait Dionysius: « Non aut in daemonibus, aut in nobis malum inest, quasi sit aliquid malum; « sed quod perfectionis bonorum propriorum et accommodatorum sit privatio... Relinquitur ergo, malum imbecillitatem atque privationem boni esse » [3]. – Praeclare S. Athanasius: « Ea quae sunt, appello bona; quae non sunt, mala. « Quae sunt, ideo a me vocantur bona, quoniam a Deo, qui « est essentia ipsa, exemplar trahunt. Quae non sunt, mala « nuncupamus, eo quod, cum nulla essentia subsistant, hominum commentis effecti sunt ». Et philosophorum ethnicorum errorem corripiens ait: « Etnicorum quidem errabundi « itineris et Christi ignari, substantiam esse, et per se in « rerum natura consistere malitiam pronuntiaverunt ». Et de haereticis hac in re: « Haeretici vero decidui ex maiorum « traditione naufragique in fide, et ipsi quoque per delirium « veram essentiam malitiae attribuunt » [4]. — Brevissime ait S. Damascenus: « Neque aliud quidquam est malum, quam « boni privatio » [5].

2) E *Latinis* Patribus nobis occurrit S. Augustinus, malleus ille adamantinus Manichaeorum. Iam alibi summa capita doctrinae ipsius exposuimus de malo relate ad auctorem Deum [6]. Hic contrahendum esse aureum eius opusculum *de Natura boni contra Manichaeos*. Ex quo saltem unam alteramve sententiam depromere lubet. Postquam exposuit, omne bonum a Deo conditum consistere in modo, specie et ordine, haec habet de malo: « Proinde cum quaeritur unde

[1] T. I, p. 408, sqq.
[2] T. II, p. 272, sqq.
[3] *De div. Nom.* c. 4.
[4] *Orat. ctr. Gent.*
[5] *De fide* l. II, c. 4.
[6] *De Deo Uno*, t. II, p. 27, sqq.

« sit malum, prius quaerendum est, quid sit malum [1]. Quod « nihil aliud est quam corruptio, vel modi, vel speciei, vel ordi- « nis naturalis. Mala igitur natura dicitur, quae corrupta est: « nam incorrupta utique bona est. Sed etiam ipsa corrupta, « in quantum natura est, bona est; in quantum corrupta « est, mala est » [2]. — Hanc autem corruptionem redundare in bonum, ita ostendit: « Fit autem decedentibus et succe- « dentibus rebus temporalis quaedam in suo genere pulchri- « tudo, ut nec ipsa quae moriuntur, vel quod erant, esse « desinunt, turpent aut turbent modum et speciem et ordinem « universae creaturae; sicut sermo bene compositus utique « pulcher est, quamvis in eo syllabae atque omnes soni, « tanquam nascendo et moriendo transcurrant » [3]. Alibi S. Augustinus eamdem doctrinam pluries proclamat: « Ma- « lum non potest esse natura, nec substantia, nec vita; quia « haec bona sunt in quantum sunt » [4]. « Omnino natura nulla « est malum, nomenque hoc non est nisi privationis boni » [5].

Pulchre Fulgentius originem boni et defectibilitatis in rebus illustrat: « Et quia summe bonus est, dedit omnibus « naturis quas fecit, ut bonae sint; non tamen tantum bonae, « quantum Creator omnium bonorum, qui non solum summe « bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est; « quia aeternum bonum est, nullum habens defectum, quia « non ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia non « habet initium. Ideo quippe naturae a Deo factae proficere « possunt, quia esse coeperunt; ideo deficere, quia ex nihilo « factae sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad « profectum vero provehit operatio Creatoris » [6].

Optime quoque S. Leo: « Fides vera, quae est catholica, « omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium « bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse natu- « ram; quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non

[1] Aurea sane sententia. Cur enim Manichaei malum principium induxerunt auctorem mali, nisi quia erraverunt in mali natura?

[2] C. 6. — *P. L.* XLII, 553.

[3] Ibid. c. 8, 554.

[4] *De fide ctr. Manich.* c. 19; Cf. *Confes.* l. VII, c. 19; *De vera relig.* c. 23.

[5] *De civit. Dei* l. XI, c. 22; cf. *De nat. et grat.* c. 19; etc., etc.

[6] *De fid. ad Petr.* c. 3, n. 25. — *P. L.* XL, 761.

« bonum fecit » [1]. Diserte idem proclamat S. Anselmus: « Omni « rei esse iustam vel bonam, est aliquid esse; nulli vero rei « est esse aliquid, iniustam vel malam esse. Siquidem bonum « vel iustum esse, est iustitiam habere: quod est aliquid. « Malum vero esse vel iniustum, est non habere iustitiam, « quam debet habere: quod non est aliquid. Iustitia namque « aliquid est; iniustitia vero nihil » [2].

In corpore. Huius pulchrae argumentationis en nervum brevissime contractum. Malum, utpote oppositum bono, ex ipso bono cognoscitur. Iam vero bonum est ens sub ratione appetibilis; ergo malum, utpote absentia boni, est absentia entis. Ergo nequit esse natura. Nam si esset natura, esset ens, et ut tale, appetibile, ac proin bonum.

In *Sma ctr. Gentes* S. Thomas hanc veritatem illustrat pluribus argumentis quae hic breviter contracta habes. 1) Malum est privatio; privatio autem est negatio in substantia; ergo malum non est essentia. - 2) Secunda ratio identica est cum praesenti *Corpore.* - 3) Malum non potest esse essentia, nam non potest esse nec res agens, - omne enim agit in quantum perfectionem habet; - nec res facta, - terminus enim generationis seu effectionis est bonum, utpote forma. - 4) Nihil tendit in suum contrarium; iam vero omne ens agendo tendit in bonum. - 5) Malum nequit esse essentia, quum non possit esse alicui rei naturale: consistit enim in privatione perfectionis, quae nata est inesse. - 6) Essentia est a forma; forma autem in quantum huiusmodi habet rationem boni, utpote principium actionis et finis; ergo essentia nequit esse malum. - 7) Omne ens dividitur per actum et potentiam. Iam vero bonus est actus, utpote principium entis; et bona aliqualiter est potentia, utpote tendens in actum. Ergo malum, ut tale, nequit esse ens; unde non potest esse essentia. - 8) Omne ens est a Deo, bonitate perfecta; ergo ens, ut tale, nequit esse malum [3].

[1] Epist. XCIII, c. 6.
[2] *De Conc. praesc. Dei cum lib. arb.* c. 7. — *P. L.* CLVIII, 518.
[3] L. III, c. 7.

ARTICULUS II.

UTRUM MALUM INVENIATUR IN REBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Alter nobis depellendus est excessus, ex falso utique dilemmate proveniens, quasi malum, nisi sit natura, nullatenus esse possit. Qui excessus urgeri potest tum ex malo, quale in praecedenti articulo est exhibitum; tum ex auctore huius mali, qui Deus esse nequeat.

2) Utrimque autem instantia sat facili negotio solvitur. Etenim, si ipsum malum considero, non est utique natura, nec tamen est omnino nihil: est enim privatio entis, sive boni. Quare licet non sit ens simpliciter, habet tamen de ente secundum quid, quatenus est privatio in subiecto relate ad quod dicitur malum.

3) Si autem considero malum in sua relatione ad Deum, repugnat quidem, Deum esse auctorem naturae malae; repugnat quoque, Deum esse auctorem mali moralis; imo repugnat, Deum esse directe auctorem mali physici, nisi in probationem aut poenam. Sed non repugnat, Deum esse auctorem ordinis, ex quo, si sibi sinatur, sequatur malum, sive sit malum corruptionis, sive sit malum inordinationis moralis.

4) Et sane, ut hoc non repugnet, sufficit ut *a*) hic ordo sit bonus per se; et per consequens *b*) ut bonum sit, hunc ordinem iuxta suam indolem gubernari.

5) Quaestio igitur reducitur ad haec duo: *a*) Estne bonum, talem existere ordinem, in quo dentur α) entia corruptibilia ex toto, et β) entia incorruptibilia quidem ex toto substantiae, sed corruptibilia ex ordinatione liberorum actuum? - *b*) Estne bonum, haec entia ita gubernari, ut α) corruptibilia corrumpantur, et β) incorruptibilia interdum morali inordinatione depraventur?

6) Utrique quaestioni affirmando est respondendum. Etenim α) scala entium per utrumque genus perficitur; β) ac proin utrumque genus sapienter iuxta suam indolem gubernatur. Hoc alterum autem accipit gradus; qui gradus praesertim valent de modo quo providentia gubernat entia in-

corruptibilia quoad substantiam, corruptibilia autem quoad ordinationem voluntatis.

7) Et sane, - missa quaestione de angelis, - si ad hominem contrahitur, duplex superest quaestio: *a*) Estne bonum ut homo in tali conditione existat, in qua nonnisi difficillime non a bono deflectat? - *b*) Estne bonum, ut ita gubernetur, ut tam multi revera a bono deflectant? Quae utraque quaestio dupliciter considerari potest: in sua relatione ad lapsum originalem, et independenter ab hoc lapsu. Quare ob intimum nexum, quam hoc argumentum habet cum originali peccato, usque ad investigationem de isto mysterio hunc quaestionis respectum differimus. Unum tamen hic monendum ducimus. Quo magis urgetur influxus Dei gubernantis et moventis in liberas creaturae actiones, eo magis excrescit praesentis argumenti difficultas.

8) Praeterea animadvertendum est, non incumbere nobis ut demonstremus, ordinem rerum qui existit, esse omnium ordinum optimum. Imo, id, si dicatur de numero peccatorum, quae Deus permittit, redundaret in torporem zeli, quin et in indifferentiam uniuscuiusque de propria salute, ac si per damnationem suam quisquis tantum Deo laudis conferat, quantum per suam sanctificationem? [1].

9) Demum, si agitur de ponderanda permixtione mali et boni, cautissime est incedendum. Multa enim nos latent, quae, iuxta parabolas retis et zizaniae, ultima dies manifestabit atque discernet. Optime hunc respectum illustrat S. Augustinus: « Meminerit sane (redempta familia Domini) in ipsis « inimicis, latere cives futuros, ne infructuosum vel apud « ipsos putet, quod donec perveniat ad confessos, portat « infensos: sicut ex illorum numero etiam Dei civitas habet « secum quamdiu peregrinatur in mundo, connexos commu- « nione sacramentorum, nec secum futuros in aeterna sorte « sanctorum, qui partim in occulto, partim in aperto sunt. « Qui etiam cum ipsis inimicis adversus Deum, cuius sacra- « mentum gerunt, murmurare non dubitant: modo cum illis « theatra, modo ecclesias nobiscum replentes. De correctione

[1] Sed neque si hoc esset verum, homo iure de salute sua non curaret; laudem enim, quam Deus habet ex damnatis, oderunt ipsi damnati; dum Sancti directe laudis hymnum tota sua beatitudine Deo decantant.

« autem quorundam etiam talium multo minus est despe-
« randum, si apud apertissimos adversarios praedestinati
« amici latitant, adhuc ignoti etiam sibi. Perplexae quippe
« sunt istae duae civitates in hoc saeculo, invicemque per-
« mixtae, donec ultimo iudicio dirimantur. De quarum exortu
« et procursu et debitis finibus, quod dicendum arbitror,
« quantum divinitus adiuvabor, expediam propter gloriam
« civitatis Dei, quae alienis a contrario comparatis clarius
« eminebit » [1].

II. **Ad Textum.** - Duae primae difficultates procedunt a parte entis, tertia a parte Dei.

1. Obi. Non considerat, malum esse veluti medium inter non ens simpliciter et ens simpliciter, scilicet privationem entis in ente.

2. Obi. Confundit *est* in sensu affirmationis, et *est ens* in sensu entis. Malum esse in primo sensu non involvit esse in altero sensu de quo altero sensu loquendum est iuxta solutionem obiectionis primae.

3. Obi. Dupliciter haec obiectio solvi potest: vel *a*) iudicando τὸ melius, iuxta totum potius quam iuxta singulas partes; vel *b*) negando, Deum teneri ad optimum, quatenus doctrina optimismi caret solido fundamento, imo reddit creationem impossibilem, quum mundus undequaque optimus creari nequeat. Porro quum alibi de optimismo satis dictum sit, sufficit ut hic lectorem ad alibi dicta remittamus.

Sed contra est. Huc spectat comparatio de pictura superius ex S. Augustino allata. Adde comparationem ex arte musica. Quid concentui musico suam tribuit harmoniosam virtutem, nisi varietas illa, qua omnis generis soni, licet aliqui seorsim sumpti graviores aut peracuti, aut crassiores, imo et inamaeni, in totius nihilominus pulchritudinem conspirant; momentaneaque dissonantia in iucundiorem consonantiam resolvitur?

Placet et aliam comparationem ex S. Augustino depromere: « Neque enim Deus ullum, non dico angelorum sed « vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescis-

[1] *De Civit. Dei,* l. I, c. 35.

« set, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus com-
« mendaret, atque ita ordinem saeculorum tamquam pulcher-
« rimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis hone-
« staret. Antitheta enim quae appellantur, in ornamentis
« elocutionis sunt decentissima, quae Latine appellantur oppo-
« sita: vel quod expressius dicitur contraposita. Non est apud
« nos huius vocabuli consuetudo, cum tamen eisdem orna-
« mentis locutionis etiam sermo Latinus utatur, imo linguae
« omnium gentium. His antithetis etiam Paulus apostolus
« in secunda ad Corinthios epistola, illum locum suaviter
« explicat, ubi dicit: « Per arma iustitiae a dextris et a
« sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et
« bonam famam, ut seductores et veraces; ut qui ignoramur,
« et cognoscimur; quasi morientes, et ecce vivimus; ut coër-
« citi, et non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes;
« sicut egeni, multos autem ditantes; tanquam nihil habentes,
« et omnia possidentes " [1]. Sicut ergo ista contraria contra-
« riis opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam
« non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum opposi-
« tione saeculi pulchritudo componitur. Apertissime hoc posi-
« tum est in libro Ecclesiastico hoc modo [2]: " Contra malum
« bonum est, et contra mortem vita: sic contra pium pec-
« cator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina et bina,
« unum contra unum " » [3].

Et in laudato opere *De Natura boni contra Manichaeos*, alteram e sermone comparationem idem Augustinus desumit: « Fit decedentibus et succedentibus rebus temporalibus quae-
« dam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa quae moriuntur,
« vel quod erant esse desinunt, turpent aut turbent modum
« et speciem et ordinem universae creaturae: sicut sermo
« bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllaba
« atque omnes soni tanquam nascendo et moriendo trans-
« currant » [4]. - Et paulo inferius aliam geminam comparationem suggerit: « Privationes rerum sic ordinantur in
« universitate naturae, ut sapienter considerantibus non inde-

[1] II. Cor. vi, 7, sqq.
[2] Eccli., xxxiii, 15.
[3] *De Civit. Dei.*, l. xi, c. 18.
[4] C. 8. — *P. L.* xlii, 554.

« center vices suas habeant. Nam et Deus certa loca non « illuminando, tenebras fecit tam decenter quam dies. Si « enim continendo vocem, decenter interponimus in loquendo « silentium; quanto magis ille quarumdam rerum privatio- « nes decenter facit, sicut rerum omnium perfectus artifex? « Unde et in hymno trium puerorum etiam lux et tenebrae « laudant Deum [1]; id est, eius laudem in bene considerantium cordibus pariunt » [2]. Haec utique eloquentissime dicuntur de omni privatione in rerum natura; modo animadvertatur, ubi de culpis agitur, aliquod aliud inducendum esse, scilicet, quod in *Corpore* heic habet S. Thomas, et alibi iam ex eodem Augustino audivimus, bonum esse ut defectibilia entia existant et ita regantur, ut sinantur deficere et eorum defectus in universi ordinem a Deo sapientissime et potentissime reducantur [3].

Ad praesentem ergo veritatem potest aliqualiter trahi locutio S. Pauli: « de tenebris lucem splendescere » [4], quatenus, si mala tenebrae sunt, redundant in lucem, ob modum potenter luminosum, quo a Deo in bonum universi ordinantur. Imo in hoc habetur geminus triumphus divinae virtutis atque sanctitatis. Quae omnia hac brevissima Augustini sententia continentur: « Melius iudicavit (Deus) de malis bene agere, « quam mala nulla esse permittere » [5].

In Corpore. En argumentum schemate contractum:

Perfectio universi resultat ex impletis gradibus bonitatis:
- 1) alia entia corruptibilia (quae sibi sinantur corrumpi);
- 2) alia incorruptibilia, ita ut
  - *a*) alia a bono deficere non possint;
  - *b*) alia deficere possint (quae sibi sinantur deficere).

Quaeres. Nonne harmonia universi iuxta huius *Corporis* principium requirebat quaedam entia ita creari incorruptibilia, ut deficere non potuerint? Iam nunc angeli et beati

[1] Dan. iii, 72.
[2] Ibid. c. 16. — Col. 556.
[3] Lege textus S. Aug. a nobis allatos in tractatu *de Deo Uno* t. ii, p. 276, sqq.
[4] II. Cor. iv, 6.
[5] *Enchir.* c. 27. — *P. L.* xl, 245.

hac indefectibilitate gaudent; at nullus conditus est indefectibilis. - *Resp.* Indefectibilis, ob divinam et humanam supereminentem sanctitatem, Christus ut homo fuit ab exordio incarnationis. Insuper participative, ob donum confirmationis ab initio acceptum, indefectibilis fuit et B. Virgo Maria. Angeli autem defectibiles conditi sunt ob mercedem libertatis, ita tamen ut in ipso primo instanti suae liberae ordinationis in Deum inamissibiliter et indefectibiliter ipsi adhaeserint. Nec poterat haec indefectibilitas, independenter a libera ordinatione, in ipso instanti creationis hisce spiritibus tribui sine dono supernaturali extra ordinem graduum in rerum natura, quem hic contemplamur. Sed de his fusius infra, ubi de angelis erit sermo.

ARTICULUS III.

UTRUM MALUM SIT IN BONO, SICUT IN SUBIECTO.

I. **De ipsa Quaestione.** - Brevius sequentes articulos exponemus, quum ex iam dictis tanquam necessarium consequens effluant, et sint ex indole sua ordinis potius philosophici.

1) Malum esse in bono, sicut in subiecto, fluit ex duabus veritatibus hucusque demonstratis: malum *a*) non esse naturam; neque *b*) esse merum nihil, sed privationem boni. Ergo est in ipso ente quod privatur hoc bono; ac proin est in bono huius entis, tanquam in subiecto.

2) Ex hac recta intellectione formulae: « malum est in « bono, sicut in subiecto », sequitur fallacia duplicis erroneae intellectionis eiusdem formulae. Etenim *a*) per hanc formulam non dicitur, malum esse in subiecto ad modum partis huius subiecti; si enim ita inesset, iam malum esset ens, et non privatio entis. - *b*) Neque dicitur, malum esse in subiecto, tanquam in bono cui idem malum opponitur; si enim ita inesset, vel malum esset privativum totius huius boni, et tunc destrueret subiectum, vel non esset privativum totius huius boni, et tunc rediret quaestio.

3) Ex quo iam sequitur, subiectum, cui ad modum privationis inest malum, non vocari malum quoad bonum cui tanquam subiecto malum inest; sed quoad malum, quod ei ad

modum privationis inest. Quare non ideo bonum vocatur malum; sed malum, quo privatur bonum, redundat in ipsum bonum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 2) *a*).

2. Obi. Confundit malum, seu privationem boni, cum mera negatione. Quod in praecedentibus ostensum est falsum.

3. Obi. Non considerat dicta n. 2) *b*).

4. Obi. Negligit consequens expositum n. 3.

Sed contra est. Ecce duas sententias S. Augustini, quibus praesens doctrina fulcitur [1]. « Quid est aliud, quod malum di-
« citur, quam privatio boni? Nam sicut corporibus animalium
« nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate
« privari, - (neque enim id agitur, cum adhibetur curatio,
« ut mala ista quae inerant, id est, morbi ac vulnera rece-
« dant et alibi sint, sed utique ut non sint: non enim ulla
« substantia, sed carnalis substantiae vitium est vulnus aut
« morbus: cum caro sit ipsa substantia, profecto aliquod
« bonum, cui accidunt ista mala [2], id est privationes eius boni
« quod dicitur sanitas); - ita et animorum quaecumque sunt
« vitia, naturalium sunt privationes bonorum: quae cum
« sanantur, non alio transferuntur; sed ea quae ibi erant,
« nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt » [3]. Ergo, quum ita privatio sit malum, et esse non possit nisi insit bono, profecto malum est in bono tanquam in subiecto.

Paulo inferius magis directe argumentum tangit et quidem tam praeclare, ut ab afferendo integro etsi longiori textu temperandum non videatur.

« Nullum malum, nisi quod et bonum sit. Ac per hoc
« nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum. Sed
« bonum omni malo carens, integrum bonum est; cui verum
« inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est, nec malum
« unquam potest esse ullum, ubi bonum est nullum. Unde
« res mira conficitur, ut, quia omnis natura, in quantum
« natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa
« natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod

[1] Imo et praecedentes articuli hoc primo textu probantur.

[2] Ergo insunt ad modum accidentium, utique subiecto.

[3] Op. cit., c. 11. — *P. L.* XL, 236.

« bonum est: nec malum esse, nisi quod bonum est; quo-
« niam omnis natura bonum est, nec res aliqua mala esset,
« si res ipsa quae mala est, natura non esset. Non igitur
« potest esse malum, nisi aliquod bonum. Quod cum dici
« videatur absurde, connexio tamen ratiocinationis huius velut
« inevitabiliter nos compellit hoc dicere. Et cavendum est,
« ne incidamus in illam propheticam sententiam, ubi legitur:
« " Vae iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum
« est bonum; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras; qui
« dicunt dulce amarum, et amarum dulce " [1]. Et tamen Domi-
« nus ait: " Malus homo de malo thesauro cordis sui profert
« mala " [2]. Quid est autem malus homo, nisi mala natura; quia
« homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est, quia
« natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen
« cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum, quia
« homo est, nec ideo bonum: quia iniquus est: sed bonum quia
« homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit: Malum est
« hominem esse; aut: Bonum est iniquum esse: ipse incidit in
« propheticam illam sententiam: Vae iis qui dicunt quod
« bonum est malum, et quod malum est bonum. Opus enim
« Dei culpat, quod est homo; et vitium hominis laudat, quod
« est iniquitas. Omnis itaque natura, etiamsi vitiosa est, in
« quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est,
« mala est » [3].

In Corpore. En argumentum schemate contractum.

- Malum est privatio boni
  - 1) non solum negative (improprie):
    - *a*) nihil,
    - *b*) perfectio minor:
  - 2) sed *privative* (proprie),
    - quae privatio se habet ad modum formae deficientis in subiecto, in potentia ad eam.

ARTICULUS IV.

UTRUM MALUM CORRUMPAT TOTUM BONUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Ut vis huius quaesiti recte perpendatur, oportet determinare quid intendatur per illud

[1] Isai. v, 20.
[2] Matth. xii, 35.
[3] Ibid., c. 13, col. 237.

bonum, de quo quaeritur, utrum tollatur totum, necne. Iam vero si istud bonum est id, cui opponitur malum, malum corrumpit totum bonum, id scilicet cui opponitur; secus coëxisterent contraria simul, quod repugnat. Hic autem non est praecipuus quaesiti sensus.

2) Si autem bonum de quo quaeritur, est subiectum cui malum inesse dicitur, in hoc subiecto duo respectus distinguendi sunt: *a*) subiectum ut tale, *b*) subiectum in quantum habet habitudinem ad actum.

3) Subiectum ut tale nec tollitur, nec imo minuitur per malum, saltem directe. Ratio est in promptu. Etenim quo spectaret doctrina praecedentis articuli, si malum ita inesset bono, ut bonum corrumperet totum? - Potest tamen indirecte malum destruere seu corrumpere totum bonum illius subiecti, ob nimiam laesionem, quatenus inducit aliquid, ex quo sequatur destructio totius: ita agit morbus quando inducit mortem, maxime in animalibus ratione carentibus, quorum anima perit. Sed neque hoc subiectum perit totum, quum nullum compositum ex toto destruatur.

4) Subiectum autem in quantum habet habitudinem ad actum boni, quod tollitur per malum, minuitur quidem, sed non tollitur totum. - Nec obiicias, hanc aptitudinem, si minuitur, debere et tolli posse per multiplicatam diminutionem. Hoc verum esset, si procederet per substractionem; non autem est verum, si procedit, uti res habet, per remissionem. Quod sequenti argumento iuxta Angelicum illustratur. Praemittitur principium: eodem modo se habere remissionem, sicuti intensionem. Quo posito principio arguitur hoc dilemmate. Vel intensio potest in infinitum multiplicatis dispositionibus augeri, et tunc potest et in infinitum minui; vel non potest augeri in infinitum, et tunc non oportet ut in infinitum possit minui. Quare in neutra hypothesi malum corrumpet totum bonum.

5) Conclude, habilitatem ad actum se habere uti mediam inter subiectum quod manet, et bonum quod per malum tollitur. Inde quatenus fundatur in subiecto, non tollitur; quatenus autem apta est explicari in actum, minuitur, quia semper novum bonum de ea tollitur eadem proportione qua malum augetur.

6) Quodsi superius (n. 3) diximus, indirecte subiectum mali per malum corrumpi posse, non inde in sensu composito verum est, malum, dum est, corrumpere totum bonum; nam malum cessat ipsum, ubi subiectum tantopere corrumpit ut dissolvatur: ita morbus, si ob violentiam inducit mortem, cessat ipse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit iuxta sensum expositum (n. 1).

2. Obi. Non considerat dicta (n. 5).

3. Obi. Negligit dicta (n. 4).

Sed contra est. Doctrinam huius articuli, sicut et praecedentis ita illustrat S. Augustinus (modo recte intelligatur, quo sensu S. Doctor dicat, contraria esse simul): « Quapropter « in iis contrariis quae mala et bona vocantur, illa dialecti- « corum regula deficit, qua dicunt, nulli rei duo simul inesse « contraria. Nullus enim aër simul est et tenebrosus et lu- « cidus; nullus cibus aut potus simul dulcis et amarus; nul- « lum corpus simul ubi album, ibi et nigrum; nullum simul « ubi deforme, ibi et formosum. Et hoc in multis ac pene in « omnibus contrariis reperitur, ut in una re simul esse non « possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse con- « traria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino « sine bonis esse non possunt; quamvis bona sine malis pos- « sint. Potest enim homo vel angelus non esse iniustus; iniu- « stus autem non potest esse nisi homo vel angelus; et bonum « quod homo, bonum quod angelus; malum quod iniustus. « Et haec duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non « esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuis- « set: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur cor- « ruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur; quod « nisi bonum esset, nec corrumperetur; quoniam nihil est « aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis igitur « mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt; nec « erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, « in quantum natura esset, profecto bona esset; et aut incor- « ruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura « corruptibilis nullo modo esset nisi aliquod bonum, quod « bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio » [1].

[1] *Euchir.*, c. 14. — *P. L.* XL, 238.

Et alibi S. Augustinus exprimit impossibilitatem, ut malum, dum est, bonum corrumpat totum. « Ordo tunc malus dici-« tur, cum minus ordo ipse servatur: unde non ibi ordo, « sed potius inordinatio mala est, cum aut minus inordina-« tum est quam debuit, aut non sicut debuit. Tamen ubi « aliquis modus, aliqua species.... aliquis ordo est, aliquod « bonum et aliqua natura est: ubi autem nullus modus, nulla « species, nullus ordo est, nullum bonum, nulla natura est » [1].

In Corpore. En schema huius argumenti:

- Per malum bonum
  - 1) oppositum malo = corrumpitur totum;
  - 2) subiectum mali
    - nec corrumpitur totum, nec imo minuitur;
  - 3) habitudo ad actum
    - *a*) non corrumpitur totum;
    - *b*) sed minuitur
      - α) non per subtractionem;
      - β) sed per remissionem.

Ad 3m. Solutio huius difficultatis potest et alibi inservire solvendo dubio de influxu peccati venialis in imminuendam charitatem, sin minus quoad ipsam substantiam, saltem quoad fervorem.

ARTICULUS V.

UTRUM MALUM SUFFICIENTER DIVIDATUR PER POENAM ET CULPAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam de partitione mali superest agendum. Quum autem notissima sit distributio mali in malum culpae et malum poenae, hanc distributionem seu divisionem S. Thomas in gemino articulo considerat, quaerendo primo de divisionis merito, dein de ordine in eadem servando.

2) Porro bona erit haec divisio, si *a*) omne malum proprii nominis sufficienter comprehendit, *b*) et quidem tali distributione, quae non est superflua, quatenus unum membrum non iam continetur in alio. Inde utrumque in hac divisione vindicandum est.

[1] *De nat. boni ctr. Manich.* c. 23. — *P. L.* XLII, 558. — Cf. dicta n, 6.

3) Ut sufficientia divisionis mali in malum culpae et poenae appareat, oportet contrahere malum ad malum proprii nominis. Iam vero hoc reponendum est maxime in respectu ad voluntatem, ac proin in entibus voluntatem habentibus.

Et sane non proprie mala dicenda sunt: *a*) nihil, seu non existentia simpliciter; *b*) impotentia rei ut seipsam in esse conservare possit; *c*) corruptio rei corruptibilis. Haec enim omnia sunt quidem respectus creaturarum ad Deum, quibus excellentia Dei extollitur; non autem quibus extra Deum constituitur malum.

4) Incipit igitur malum proprie dictum, ubi incipit habitudo ad voluntatem. Hic autem oritur magna distinctio, a qua bipartitio mali derivat. In entibus voluntate praeditis distinguendus est duplex actus: primus et secundus. *a*) Primus est actuatio per propriam formam, quae, si integra sit, qualem exposcit τὸ esse et τὸ bene esse naturae, hoc ens bonum est; si vero deficit, ens dicitur malum.

b) Secundus actus est actuatio entis liberi per liberae voluntatis ordinationem, quae ordinatio, si procedat iuxta normas a Deo inditas aut impositas, ens dicitur moraliter bonum; si vero deflectat ab hisce normis, fit et dicitur malum.

Datur igitur in entibus voluntate praeditis, duplex malum: alterum, quod est privatio actus ipsius naturae per propriam formam; alterum, quod est privatio actus ipsius ordinationis liberae in Deum.

5) Bene quidem, inquies. Esto, hoc alterum malum semper esse culpam, seu malum culpae. At, quaeso, cur alterum vocatur malum poenae, et non simpliciter malum naturae; quod quidem subdividatur in malum poenae, si revera in poenam infligatur, naturae vero simpliciter, secus?

Ad solvendam hanc instantiam, duo elementa doctrinae inducenda sunt. *a*) Primum consistit in affirmanda Dei providentia, quae omnia ita regit, ut divinae iustitiae subsint. Porro non aequum est ut creatura, cuius natura est a Deo, hac natura integra privetur, et ita, sine culpa, infelix nascatur aut fiat. - *b*) Alterum doctrinae elementum consistit in dogmate peccati originalis, iuxta quod homo non solum creatus est in integritate naturali, sed et in conditione praeter-

naturali quoad ea quae naturae sunt. Unde quidquid in lapso humani generis statu reperitur, quod naturali felicitati obest, redundat in poenam peccati illius, a quo miseria humana exordium sumpsit. Hic autem inducenda est subdistinctio inter poenas et poenalitates, quemadmodum in tractatu de originali peccato data opera exponetur.

6) Instabis. Esto, malum naturae a divina providentia regi in iustitiam, ob culpam vindicandam. At nonne potest ab eadem providentia regi in iustitiam ob mercedem tribuendam? Nonne proin, praeter malum culpae et poenae, distinguendum est malum tentationis? Quae tentatio potest consistere tum in privatione boni naturalis, tum in sollicitatione voluntatis in probationem?

Negari nequit, Deum posse creaturam privare bono naturali, non in poenam, sed in probationem virtutis. Huc enim spectat totus liber Iob. Insuper negari nequit, tentationem mentis non semper esse in poenam, sed, in quantum a Deo immittitur, aut sinitur, tendere in probationem. Secus, quomodo Christus ipse tentatus fuisset? Sed quum scopus a Deo praehabitus spectet ad luctantis mercedem, aut vincentis laudem, malum tentationis a parte Dei redundat in bonum.

7) Imo et glorificatio Dei potest esse ratio intima ob quam corporale malum alicui infligitur, utique, - quod et de tentatione per malum naturae valet, - poenalitatis conditione ex originali peccato orta. Ita in Evangelio legimus de caeco nato: « Neque hic peccavit, nec parentes eius: sed ut mani- « festentur opera Dei in illo » [1]. Quae verba sane non intelligenda sunt ad exclusionem originalis peccati, quo fit, ut etiam infantes, ac proin personali culpa [2] liberi, sine iniustitia

[1] Ioann., ix, 3.

[2] Ex hac sententia solent Theosophi insulse arguere ad demonstrandum, Christum admisisse vitas praecedentes per quas homines sibi merentur conditionem existentiae praesentis. Secus enim, aiunt, quomodo potuisset homo ille peccasse, ut caecus nasceretur? Porro Christus hanc possibilitatem non excludit. — Quasi ipsum responsum eam non excluderet! Theosophi enim statuunt legem τοῦ *Karma*, iuxta quam conditio praesentis vitae est resultans meriti vel demeriti vitae praecedentis. Ergo iuxta Theosophos iste homo caecus natus erat, quia in praecedenti vita, vel praecedentibus vitis id sibi meritus erat. Iam vero Christus dixit, eum non peccasse ut caecus nasceretur. Insuper, posita opinione quod Deus possit anticipare poenas corporales in praevisionem praevisi peccati subsequentis, poterant discipuli rogare: « Quis peccavit hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur? » (Ibid., 2).

a parte Dei, cum naturalibus defectibus nasci possint, in poenalitatem scilicet primaevi peccati, in omnes homines cum debito mortis transfusi.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones procedunt contra divisionem tres primae uti insufficientem, quarta uti redundantem.

1. Obi. Confundit defectum boni cuiuscumque cum defectu boni quod natum est haberi. Redundat in confusionem inter negationem et privationem.

2. Obi. Eodem vitio laborat. Confundit malum improprie dictum cum malo proprie dicto.

3. Obi. Non discernit in tentatione malum culpae, quod nunquam abest a tentante, et quod in tentato provocatur quidem, at ita ut non solum possit abesse, sed tentatio redundare in augmentum virtutis.

4. Obi. Defectus est in minori: « Quod autem nocet, « poenale est ». Verum quidem est, poenale omne nocere saltem illi qui poenam solvit, quatenus punitur; at esset praecise demonstrandum, omne quod nocet, esse poenale. Imo hoc probatur falsum ex eo quod culpa noceat, quin tamen sit poena.

In Corpore. En schema argumenti.

Malum proprie dictum in creatura rationali existens dividitur recte in malum	1) *poenae,*	seu privationem actus primi (posita iustitia divinae providentiae);
	2) et *culpae,*	seu privationem actus secundi, ex operatione contraria perfectioni debitae.

De poenis quibus plena est vita praesens, ita eleganter disserit S. Augustinus: « Rarissimi sunt qui nullas in hac « vita, sed tantum postea poenas luunt. Fuisse tamen aliquos, « qui usque ad decrepitam senectutem ne levissimam qui- « dem febriculam senserint, quietamque duxerint vitam, ipsi « et novimus et audivimus. Quamquam vita ipsa mortalium « tota poena sit, quia tota tentatio est, sicut sacrae litterae « personant, ubi scriptum est: "Numquid non tentatio est « vita humana super terram?" [1]. Non enim parva poena est

[1] Iob., vii.

« insipientia, vel imperitia, quae usque adeo fugienda merito « iudicatur, ut per poenas doloribus plenas pueri cogantur « quaeque artificia vel literas discere, ipsumque discere, ad « quod poenis adiguntur, tam poenale est eis, ut nonnum- « quam ipsas poenas, per quas compelluntur discere, malint « ferre quam discere. Quis autem non exhorreat et mori eli- « gat, si ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rursus « infantia? Quae quidem, quod non a risu sed a fletu orditur « hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat « quodammodo.... "Grave iugum super filios Adam a die exi- « tus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in « matrem omnium" » [1].

Corollarium. - Ex dictis in expositione nostra de rationibus ob quas, praeter iustitiam vindicantem, Deus mala hominibus immittere potest et interdum immittit, patet Pium V hanc 72m propositionem Baii optimo iure damnasse: « Omnes « omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipso- « rum: unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter « peccata sua passi sunt » [2]. Rectissime ergo S. Augustinus: « Quantus quidem Iob fuerit ignoramus, sed novimus iustum, « novimus etiam in perferendis horrendis tribulationum ten- « tationibus magnum, novimus non propter peccata, sed « propter eius demonstrandam iustitiam, illa omnia fuisse « perpessum » [3]. Idem exprimit profunda sententia Angeli ad Tobiam: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut pro- « batio tentaret te » [4].

ARTICULUS VI.

UTRUM HABEAT PLUS DE RATIONE MALI POENA QUAM CULPA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Comparatio quae statuenda hic superest, sub multiplici potest respectu considerari. *a*) ipsum hominem intuendo poenae vel culpae obnoxium; -

[1] *De civit. Dei*, l. XXI, c. 14. — ECCLI., XL, 1.
[2] DENZINGER (*Enchir.* 952). — Cf. prop. 70 Quesnelli (ibid. 1285).
[3] *De pecc. mer.*, l. II, c. 12.
TOB., XII, 13.

b) ipsam poenam sive huius temporis sive vitae futurae in sua relatione ad culpam; - *c*) imo Deum in sua habitudine ad culpam et ad poenam. De hoc triplici respectu nonnulla sint.

2) Intuendo *ipsum hominem,* adverto culpam et poenam privare duplici bono: culpam privare bono actionis, poenam bono agentis. Iam vero perfectio actionis, quum sit ultima, praeponenda est perfectioni ipsius agentis, qui bono suae naturae praecise ad hoc instruitur, uti recte operando perfectionem actionis assequatur. Ergo, quum potius sit bonum actionis, maius est ex opposito malum culpae.

3) Si *poenam ipsam* confero *cum culpa*, *a*) in praesenti vita manifestum est, maius malum esse culpam. Nam, ut ex modo dictis patet, malum poenae est circa media quibus utitur voluntas; malum culpae residet in ipso usu vel abusu voluntatis. *b*) Imo, si confero malum culpae in hac vita cum malo poenae in vita aeterna, maius remanet malum culpae, quum malum culpae opponatur ordini divino, malum autem poenae non opponatur nisi ordini creaturae, quin et redundet in ordinem divinum. *c*) Adde iam culpae malum per poenam in damnatis non tolli, quum obstinati in malo culpam iugiter confirment ac veluti ratificando instaurent. Quare de quocumque instanti damnationis valet, independenter a consideratione praecedente *b*), maius esse malum culpae quam poenae.

4) Corrobatur dictum ibidem, si malum et culpam conferimus *relate ad Deum;* ubi patet, maius esse malum culpae non solum *a*) directe ex consideratione mota 3) *b*); sed *b*) indirecte, idque tripliciter: α) ex hoc quod ipse Deus infert malum poenae, dum malum culpae tantopere abhorret ut neque ad illud movere possit, iuxta verbum S. Iacobi: « Deus « intentator malorum est » [1]; β) ex hoc quod Deus malum poenae infert, ut a malo culpae deterreat; quod ordinem subverteret, nisi malum culpae esset gravius malo poenae; γ) demum ex hoc quod iustissimus Deus culpam in tempore commissam poena punit aeterna.

5) *Obiicies* contra doctrinam expositam n. 3) *b*) ordinem qui existit inter praemium gloriae et meritum, cui ex oppo-

[1] Iac. i, 13.

sito respondere debet ordo inter poenam damnationis et demeritum, quatenus: si praemium est maius merito, poena damnationis debet maior esse culpâ.

Sed facile depellitur ista comparatio, utpote multipliciter deficiens. *a*) Et primo quidem non est verum, poenam damnationis esse finem culpae, sicuti praemium est finis meriti. In hac aequatione confunditur finis formalis cum fine materiali. Quae confusio ex hoc solo apparet, quod, dum iusti bonum agunt intuitu aeterni praemii, peccatores vitiis indulgent vel non considerantes poenam aeternam, vel spem veniae corde nutrientes. Esset enim iam confirmati in malitia, agere malum intuitu obstinationis aeternae; sed nec in damnatione obstinatissimus peccator potest amplecti damnationem ut poenam. Haec enim intentio esset contra naturam, quam nec malitia summa potest auferre. - *b*) Non est simpliciter verum, maius esse praemium merito. Si enim ex una parte ponerem meritum ex libera voluntate adhaerente bono, ex altera autem parte gloriam praemii, independenter ab actibus perfectae voluntatis in quibus consistit, verum non esset, maius esse praemium merito. Sed haec hypothesis est absurda, quum praemium maxime consistat in voluntate beatissime viso Deo per amorem inammissibiliter adhaerente. Quare ordinatio meriti corrobaratur in aeternum per praemium. - *c*) Similem vidimus habitudinem haberi inter malum culpae et aeternae poenae, quatenus sub aeterna poenâ manet aeterna quoque culpa, non quidem unice quia non deletur, sed quia iugi mala voluntate firmatur. - *d*) Adde, bonitatem Dei praemiare ultra meritum et punire citra culpam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex falsa comparatione. Cf. dicta n. 5) *a*).

2. Obi. Arguit ex falso ordine inter bonum actus primi et actus secundi.

3. Obi. Eodem vitio laborat, quo obiectio prima. Praeter responsum S. Thomae, vide dicta n. 5.

Sed contra est. Tam vera est doctrina hic exposita, ut ipsa mors a Deo interdum inferatur intuitu servandae virtutis, iuxta illud Sapientiae: « Raptus est, ne malitia « mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam

illius » [1]. Huc faciunt verba Domini: « Si oculus tuus dexter « scandalizat te, erue eum et proiice abs te, etc. » [2]. Cur-nam? nisi quia malum poenae minus est malo culpae.

Hinc mortificationum corporalium stimulus, iuxta illud Pauli: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo: ne « forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » [3].

Corroboratur haec doctrina per ipsam damnatorum poenam, utpote quorum maior cruciatus erit de commissis culpis quam de tolerandis poenis, iuxta verba Domini, qui primo ponit vermem insatiabiliter corrodentem prae igne inextinguibiliter urente [4].

In Corpore. En schema argumenti:

Malum culpae gravius esse malo poenae, etiam spiritualis et aeternae, probatur	1) directe ex comparatione inter utrumque malum quoad subiectum mali:	*a*) malum culpae privat bono actus secundi, seu bono usu; *b*) malum poenae non privat nisi bono actus primi, seu mediis ad bonum usum.
	2) indirecte ex relatione mali ad Deum:	*a*) Deus est auctor mali poenae, quod opponitur bono creaturae; *b*) non autem est auctor mali culpae, quod opponitur bono ipsius Dei.

Brevissima totius Quaestionis synopsis.

1) Quum omnis natura involvat bonum, utpote appetibile, malum, oppositum bono, nequit esse natura (a. 1). - Invenitur tamen malum in rebus, privatio scilicet boni, quae in bonum redundat, ac proin a Deo ordinatur; quatenus gradibus entium inservit, ut quaedam a bono deficere possint, ac deficere sinantur (a. 2).

2) Hoc autem malum, quum non sit mera negatio, sed privatio, est in bono uti in subiecto, illius scilicet formae cui bonum privative opponitur (a. 3). - Quare, licet malum tollat ex toto bonum cui opponitur, et minuat habitudinem ad actum

[1] Sap. iv, 11.
[2] Matth. v, 29.
[3] I. Cor. ix, 23.
Marc. ix, 43, 45, 47. — Cf. S. Aug. op. cit., l. xxi, c. 9.

quem tollit, subiectum autem in quo est, nec tollit nec imo minuit (a. 4).

3) Porro malum proprie dictum, in entibus voluntate praeditis, reducitur ad privationem formae naturalis seu actus primi, et est sub providentia Dei cuncta regentis malum poenae; et ad privationem formae determinationis liberae, seu actus secundi, et est malum culpae (a. 5). - Quae duo si conferuntur inter se et in sua relatione a Deum, maius apparet malum culpae, tum quia privat actu secundo, tum quia, utpote oppositum bono infinito, nequit habere auctorem Deum (a. 6).

CAPUT II.

DE CAUSA MALI.

QUAESTIO XLIX.

Ordo Quaestionis seu **Capitis** est manifestus. Posito (art. 1) quod causa mali debeat esse aliquod bonum, quaeritur ulterius (art. 2), utrum hoc bonum possit esse bonum summum, qui est Deus; quo negato, quoad malum culpae, quaeritur demum utrum forsan sit aliquid summum principium malum, quod sit causa prima omnium malorum (art. 3).

In quo ordine observa, articulum tertium, directe contra Manichaeos directum, respondere articulo primo Quaestionis praecedentis; quatenus si malum sit substantia, poterit imo debebit dari aliquod principium malum, quod sit causa mali.

ARTICULUS I.

UTRUM BONUM POSSIT ESSE CAUSA MALI.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Quaestio haec potest cum quadam gradatione moveri: *a*) utrum bonum *possit* esse causa mali; *b*) utrum causa mali *debeat* esse bonum. Porro ita solvitur *a*), ut etiam *b*) contineat, uti satis apparet ex textu S. Augustini in *Sed contra est* allato.

2) Et sane quaesito de causa mali quadrupliciter responderi posset: *a*) malum, quum sit privatio, non indigere causa; - *b*) malum indigere quidem causa, sed malo, non bono; - *c*) malum posse causam habere malum et bonum iuxta varios utriusque respectus; - *d*) malum semper reduci ad bonum uti ad causam primam.

3) Ut appareat quaenam ex istis solutionibus sit praeferenda, et quonam sensu, distinctiones duplicis ordinis praemittendae sunt. Distinguenda sunt enim genera causarum et modi causandi.

a) Genera causarum sunt: causa materialis, efficiens seu agens, formalis et finalis, quarum indolem heic ut notam supponimus.

b) Modi causalitatis sunt causa per se et causa per accidens.

4) His praemissis, ad quatuor solutiones modo suggestas redeamus. Prima solutio (*a*) absolute intellecta probari nequit, quum falso innitatur fundamento. Confundit enim privationem cum mera negatione. Utique si malum nihil aliud esset quam boni negatio, non indigeret causa; causa enim est aliquid positivum, cuius effectus non potest esse mera negatio. Nec obiicias potestatem, quae Deo competit annihilandi creaturas. Deus quidem potest universum ad nihilum redigere. Sed hoc non faceret agendo, sed conservationem rerum subtrahendo. Quare actus negatio produceret negationem rerum.

Habet tamen haec prima solutio aliquid veri, idque dupliciter. Nam *a*) verum est, malum non habere causam formalem, nec causam finalem. α) Non formalem, quia praecise consistit in privatione formae debitae, et sub hoc respectu vere arguitur ex contrariis, quorum neutrum potest esse causa alterius (Obi. 2). - β) Non finalem, quia praecise malum consistit in privatione ordinis ad debitum finem; cui inservire debet etiam utile, seu usus mediorum in finem, quae inordinatio maxime in malo culpae apparet. - Insuper *b*) verum est, malum non habere causam per se, sed tantum per accidens. Quod apparet examinando quae supersunt causae materialis et efficiens. α) Materialem causam non influere in malum nisi negative, propter indispositionem ad formam recipiendam, liquet; insuper quatenus est mali subiectum, se habet per accidens ad malum uti malum. - Imo β) efficiens

causa non producit malum nisi per accidens. Et sane eam producit vel per virtutem vel per defectum virtutis. Si α') per virtutem, quatenus forma quam inducit, corrumpit formam oppositam, manifestum est, hanc corruptionem non esse id quod agens agit per se Si β') per defectum virtutis, in agente principali sive instrumentali, res patet sicuti pro causa materiali.

5) Ex dictis de prima solutione liquet iudicium ferendum de secunda. Malum potest esse causa mali, quatenus defectus unus potest provocare alium. Sed in hoc ipso defectu oportet distinguere malum privationis et subiectum cui inest; imo virtus requisita ad hoc ut nova privatio inducatur, semper repetenda erit a quodam bono.

6) Quid de tertia solutione? Rursus aliquid continet veri et aliquid falsi. Etenim si per malum causam mali intelligit privationem boni influentem in aliam sive in maiorem privationem boni, vel causam finalem malam influentem in qualitatem actus, dicit aliquid veri. Sed assurgendum est usque ad causam huius primae privationis, necnon huius malae finalitatis, et tunc semper redeundum erit ad aliquod bonum, quod materialiter sit subiectum mali, et efficienter sit eiusdem agens, licet per accidens.

7) Restat ergo solutio quarta, quae tenenda est, modo tamen bene limitetur, id est, modo ab ista causalitate boni excludantur, uti iam diximus, causa formalis et finalis, et modo causalitas materialis et efficiens non intelligantur per se, sed per accidens.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit causam finalem cum causa efficiente; et in ipsa causa efficiente non distinguit causalitatem per se a causalitate per accidens.

2. Obi. Arguit ex causa formali, quam et nos negamus.

3. Obi. Bene arguit, quatenus ostendit, bonum non posse causam esse mali per se; non autem quatenus omnem bono causalitatem erga malum adimit. Insuper in agente voluntario non satis distinguit indispositionem cum qua agit, ab actu malo qui inde sequitur [1].

[1] Momentum huius distinctionis apparebit in analysi libertatis ad malum sub movente Deo.

4. Obi. Cf. dicta de prima solutione.

Sed contra est. Vide mox dicenda in appendice de doctrina S. Augustini. Sententiam Scripturae « *Non potest arbor bona* » etc. idem S. Doctor hoc modo explicat: « Cum mala « ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc dominicae « sententiae refragari qua dicit: " Non potest arbor bona « fructus malos facere " [1]. Non potest enim, sicut Veritas « ait, colligi uva de spinis [2], quia non potest nasci uva de « spinis; sed ex bona terra et vitis nasci posse videmus et « spinas. Et eodem modo tanquam arbor mala fructus bonos, « id est, opera bona non potest facere voluntas mala, sed ex « bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala; « nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi « ex angeli et hominis natura bona » [3].

In Corpore. En schema huius pulcherrimae argumentationis:

- Malum, utpote defectus causatus in bono, aliqualiter causatur a bono:
  - 1) non causa formali: nam consistit in privatione formae debitae;
  - 2) nec causa finali: nam consistit in defectu ordinationis in finem;
  - 3) sed causa materiali:
    - *a*) quatenus bonum est subiectum mali;
    - *b*) quatenus indispositio materiae influit in defectum formae;
  - 4) imo causa efficienti, sed per accidens:
    - *a*) in actione: ex defectu principiorum;
    - *b*) in effectu:
      - α) sive ex virtute agentis corrumpentis formam oppositam;
      - β) sive ex defectu
        - α) ipsius actionis (4, a);
        - β) dispositionis materiae (3, *b*).

Appendix de doctrina S. Augustini.

Placet hic adducere doctrinam famosam S. Augustini, qui, disputans de causa malae voluntatis, non efficientem sed mere deficientem adesse praedicat, et rationem huius defi-

[1] MATTH. VII, 18.
[2] Ibid. 16.
[3] *Enchirid.* c. 15. — *P. L.* XL, 238.

cientiae ponit in origine creatae voluntatis ex nihilo. Posito enim casu de duobus hominibus « aequaliter affectis animo « et corpore », qui, dum ex unius corporis pulchritudine visa, aeque ad malum sollicitantur, alter tamen resistit bonus stans in virtute, alter malus efficitur vitio succumbens; quaerenti de ratione ultima ob quam hic alter, qui bonus erat, sibi fecerit voluntatem malam, respondet: « voluntatem ma- « lam non ex eo esse incipere quia natura est, sed ex eo « quod de nihilo natura facta est ». Et pergit his verbis: « Nam si natura causa est voluntatis malae, quid aliud cogi- « mur dicere, nisi a bono fieri malum, et bonum esse causam « mali: siquidem a natura bona fit voluntas mala? Quod « unde fieri potest, ut natura bona, quamvis mutabilis, ante- « quam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc « est ipsam voluntatem malam? Nemo ergo quaerat efficien- « tem causam malae voluntatis [1]. Non enim est efficiens, sed « deficiens: quia nec illa effectio est; sed defectio: deficere « namque ab eo, quod summe est, ad id quod minus est, hoc « est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defec- « tionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed defi- « cientes, velle invenire, tale est, ac si quisquam velit videre « tenebras, vel audire silentium: quod tamen utrumque nobis « notum est: neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per « aures, non sane in specie, sed in speciei privatione. Nemo « ergo ex me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi forte « ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea « quippe quae non in specie sed in eius privatione sciuntur, « si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, « ut sciendo nesciantur. Cum enim acies etiam oculi corpo- « ralis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, « nisi ubi coeperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium « sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium: quod « tamen nullo modo nisi non audiendo sentitur. Sic species « intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit, sed « ubi deficiunt, nesciendo condiscit. Delicta enim quis intel- « ligit? Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex « parte posse deficere: et ea posse deficere, quae ex nihilo

[1] Utique per se.

« facta sunt. Quae tamen quanto magis sunt, et bona faciunt: « tunc enim cum aliquid faciunt, causas habent efficientes; « inquantum autem deficiunt, et ex hoc mala faciunt, - (quid « enim tunc faciunt nisi vana), - causas habent deficientes » [1]. Et pergit S. Doctor ostendendo, malum culpae non consistere in hoc quod deflectatur ad mala, sed quod deflectatur male ad minus bonum, contra ordinem a Deo statutum. Quod illustrat praecipua vitia percurrendo [2].

Ex quo et alius respectus oritur doctrinae in hoc articulo expositae: bonum scilicet esse causam mali, quatenus ea quae alliciunt ad malum ac nutriunt vitia, non sunt in se mala, sed minora bona, inordinato affectu vel usu concupita vel adhibita.

ARTICULUS II.

UTRUM SUMMUM BONUM, QUOD EST DEUS, SIT CAUSA MALI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Breviter hoc quaesitum absolvemus, quia superius, agentes de divinae voluntatis efficacia iam non pauca de eodem argumento diximus [3]. Et sane eatenus Deus potest dici malorum causa, quatenus eius voluntas se extendit ad malum.

2) Hic autem rursus distinguendum est in causa et in malo.

a) In causa: nam α) alia causa directa seu per se, alia causa indirecta seu per accidens; β) alia causa physica, alia moralis, γ) alia positiva, alia veluti negativa; alia proxima, alia remota.

b) In malo, aliud enim malum culpae et aliud malum poenae, probationis, corruptionis naturalis.

3) Malum poenae, etc., Deum habere causam, in praecedenti Quaestione iam vidimus, et superius fuse demonstravimus, ubi Dualismum depulimus [4]. Malum autem culpae directe tribuere Deo uti causae per se, est blaspemare in Dei potentiam, sapientiam et sanctitatem.

[1] *De Civit. Dei,* l. XII, c. 6, 7.
[2] Ibid. c. 8.
[3] *De Deo Uno* II, p. 278, sqq.
[4] Ibid. I, p. 406, sqq.

4) Nihilominus physica, negativa, remota, potest improprie aliqualiter dici Deus causa mali etiam culpae; sed iste modus loquendi, ob fraudes quibus praebet ansam, nonnisi cautissime est adhibendus. Scilicet *a*) quatenus malum causatur, utique per accidens a bono, et Deus est auctor omnis boni, *remote* potest dici malum redundare in Deum auctorem mali; - rursus *b*) quatenus nullum malum effici potest nec existere, nisi Deus deficientiam creaturarum permittat, *negative* potest dici malum redundare in Deum permittentem illud; - demum *c*) quatenus Deus cooperatur *physice* materiali actui malo, potest dici malum redundare in Deum, actum malum physice una cum causa creata producentem [1]. Sed isti tres modi loquendi nonnisi valde improprii sunt; nam quidquid in malo culpae moralem inordinationem constituit, a sola creatura libera est, et in Deum auctorem redundare nequit.

5) Ex dictis apparet, magnum discrimen esse inter modum quo Deus, licet omnia gubernans, se habet ad bonum et ad malum. Ad bonum se habet, immediate, directe, per se, positive, formaliter; ad malum autem mediate, indirecte, per accidens, negative, materialiter. Inde Deus ita coronat iustos ut sua propria dona in eis coronet; in peccatoribus autem punit delicta, quae ipsi soli commiserunt.

Hoc ingens discrimen quia non vidit, aut videre noluit, Calvinus Deum fecit impie auctorem tam mali quam boni. Quod discrimen non solum pervadit totum argumentum de gratia et praedestinatione, sed in ipso naturae ordine actionem creatae libertatis sub Deo movente et gubernante. Absit enim ut humana libertas fingatur veluti ingeniosa quaedam machina, e qua Deus ita bonum exprimat, ut sit et ipse eiusdem auctor; malum autem ita, ut tota culpabilitas machinae tribuatur. Utique non eodem modo agit machina dum bonum et dum malum operatur; sed absit ut utrimque Deus eam aeque movere praedicetur. Inde discrimen ingens quo utraque motio divina ad bonum et ad malum est concipienda. Sed de hoc ex professo agemus in tractatu *de Gratia*.

[1] Hanc actionem Dei logice sequi motionem inordinatam liberam in malum, alibi fuse ostendemus, ubi de actione Dei in voluntates liberas disseremus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit malum culpae et malum poenae.

2. Obi. Non distinguit duplex elementum in causa mali culpae. Elementum boni, quod in ea esse diximus, redundat utique in Deum; deficientia autem, a qua est malum, est unice repetenda ab ipsa voluntate inordinata.

3. Obi. Exaggerat quae diximus superius de causalitate negativa, quae tunc re vera aliquid causae assumit, quando ille qui non agendo cooperatur malo, tenebatur ad agendum ne malum obveniret. Porro Deus ita sinit accidere malum, ut agat quidquid oportet, ne male agens in agendo deficiat. Dixi quidquid oportet, non autem quidquid potest. Nam ad hoc non tenetur. Bonum enim esse ostendimus, non solum ut sint entia defectibilia, sed etiam ut deficere sinantur.

Sed contra est. Duo praesertim doctrinae capita, quae in hoc articulo continentur, ex Sacris Litteris et ex auctoritate Ecclesiae aperte probantur.

1) Dari quaedam mala quorum auctor sit Deus, apparet ex textibus allatis in obiectione prima; et apparet ex historia Tobiae et Iob [1]; imo maxime ex passione D. N. I. Christi, cuius tormenta divinitus non solum permissa, sed immissa, alibi fuse probavimus, iuxta illud Isaiae: « Propter scelera « populi mei percussi eum » [2]. Quare Ecclesia iure damnavit assertionem Colluthi asserentis, Deum nullomodo esse auctorem malorum, sicut et Manetis negantis, Deum esse auctorem ignis et tenebrarum.

2) Malum autem culpae non esse a Deo, probatur ex verbis Osee: « Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxi- « lium tuum » [3]. Imo Deus neque est instigator mali; iuxta illud Iacobi: « Deus intentator malorum est » [4]. Quare Concilium Tridentinum iure damnavit impiam doctrinam Calvini et Melanchtonis: « Si quis dixerit, non esse in potestate « hominis vias suas malas facere, vel mala opera ita ut bona

[1] Idem dic de diluvio, de plagis Ægyptiacis, de punitione Nabuchodonosor, etc.; imo de dogmate inferni.

[2] Is. LIII, 8.

[3] Os. XIII, 9.

[4] Iac. I, 13.

« Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie « et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus pro- « ditio Iudae, quam vocatio Pauli: A. S. » [1].

Doctrinam autem S. Augustini de hoc argumento superius exposuimus [2]. Quomodo autem principium Hipponensis hic a S. Thoma adductum fluat ex doctrina in praecedenti appendice exposita, manifestum est.

In Corpore. Sequenti schemate argumentum contrahe:

- Deus virtute sua causat
  - 1) non malum quod est in defectu agentis:
    - Deus summa perfectio absque defectu; unde malum culpae nequit esse a Deo;
  - 2) sed malum quod in corruptione rerum consistit:
    - *a*) in naturalibus: ordo universi postulat, dari corruptibilia eaque corrumpi:
    - *b*) in voluntariis: ordo enim universi postulat, malum culpae puniri.

Corollarium I. Ex doctrina huius articuli rursus apparet, omnia entia, praesertim ratione sive intellectu praedita, non aliter a Deo creari potuisse quam bona. Unde Concilium Lateranense IV (ann. 1215) contra Albigenses profitetur: « Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creait « sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero dia- « boli suggestione peccavit » [3]. Et Concilium Florentinum proclamat « unum verum Deum.... qui, quando voluit, boni- « tate sua universas tam spirituales, quam corporales con- « didit creaturas: bonas quidem, quia a summo bono factae « sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt [4]; nullam- « que malam asserit esse naturam, quia omnis natura in « quantum est natura, bona est » [5].

Quare si in Antiqua Lege ab aliquibus cibis erat abstinendum, - quod et nunc quoad carnes certis diebus servat Ecclesia, haec abstinentia nullatenus fundatur in mala quadam illorum ciborum natura. Quod idem Concilium decla-

[1] Sess. VI, can. 6. — (DENZINGER, n. 698).
[2] *De Deo Uno,* t. II, p. 276, sqq. — Cf. praesertim primum principium.
[3] DENZINGER n. 355. — Cf. epist. Leonis M. ad Turribium n. 6 (Ibid. n. 103).
[4] Agnosce hic principium S. Augustini.
[5] Ibid. n. 600.

ravit: » Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse « denunciat, quam societas admittit humana » [1].

Corollarium II. Quum Deus nequeat esse auctor mali culpae seu peccati, peccatum nequit divinae tribui voluntati. Quare falsissimus foret quietismus, si quis animam ita divinae voluntati submitteret, ut etiam peccare vellet, si talis foret voluntas Dei. Esset haec animi dispositio blasphemia in petitionem Orationis Dominicae: « fiat voluntas tua ». Quae dispositio etiam de praeterito est reprobanda. Quare Ioannes XXII propositionem 14m Ekkardi proscripsit: « Virum probum sic debere conformare voluntatem suam voluntati divinae, ut ipse velit, quidquid vult Deus, dicatque: « " Quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem non « commisisse peccata. Hanc veram esse poenitentiam addebat » [2]. Quod ultimum tantopere est falsum, ut poenitentia praecise consistat in dolore de non impleta divina voluntate. Unde Christus addidit petitioni: « Sicut in caelo, et in « terra ».

Corollarium III. Sicut peccatum est citra voluntatem Dei, imo offensio divinae voluntatis, ita est citra Dei laudem (nisi quatenus Deus de peccato per poenam triumphat), imo contra hanc laudem. Quare rursus sequentes sententiae eiusdem Ekkardi damnatae sunt: « Imo omni opere etiam « malo tam culpae quam poenae, manifestari et revelari « aequaliter gloriam Dei. - Quod vituperans quempiam ipso « peccato vituperii laudat Deum, et quo plus vituperat et « gravius peccat, amplius Deum laudat. - Deum blasphemia « laudari » [3].

Corollarium IV. Nedum malum culpae a Deo causetur, dicendum est, malum culpae, quoad formalitatem mali neque subiici Providentiae divinae. Optime Cl. Buonpensiere O. Pr., hanc conclusionem formulat: « Peccatum, si consideretur « materialiter, cadit sub ordine divinae Providentiae, non « autem si consideretur formaliter ». Et hanc alteram pro-

[1] Ibid. n. 604. — Simile quid iam decreverat professio fidei, anno 447, Toleti iussu Leonis Magni contra Priscillianistas edita (Can. 17. — DENZINGER. n. 139).

[2] DENZINGER n. 441. — Cf. propositionem sequentem: « Si homo mille peccata « mortalia commisisset, si esset recte dispositus, velle non deberet, se ea non com- « misisse ».

[3] Prop. 4-6. — Ibid. n. 431-433.

positionis partem ita demonstrat: « Peccatum, formaliter con-
« sideratum, importat recessum ab ordine finis ultimi, sive
« non includit ordinationem in finem ultimum. At Provi-
« dentia est praecise haec ordinatio in ultimum finem. Ergo
« peccatum, formaliter consideratum, non includit formali-
« tatem Providentiae divinae: et consequenter sub hoc ad-
« spectu non subditur divinae Providentiae » [1].

ARTICULUS III.

UTRUM SIT UNUM SUMMUM MALUM, QUOD SIT CAUSA OMNIS MALI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad solutionem huius quaesiti obtinendam, conferenda sunt simul quae hucusque de primo principio et de malo vidimus. Si enim ex una parte quaecumque de malo probavimus, sufficiunt ad mali originem explicandam, quin recurratur ad summum principium malum; et si ex altera parte qualitates requisitae in primo principio nequeunt convenire malo, non datur nisi unum principium primum bonum. Iam vero utrumque sat facile ostenditur.

2) Et sane malum in sua relatione ad bonum considerando, vidimis: *a*) malum non posse esse naturam; *b*) malum esse in bono tanquam in subiecto; *c*) et quidem ita ut id ex toto tollere nequeat, nisi pereundo; *d*) malum esse ex deficientia boni; *e*) malum causari a bono, licet per accidens; *f*) malum poenae immitti a Deo in bonum ordinis et iustitiae; *g*) malum probationis inmitti a Deo in manifestationem et mercedem virtutis; *h*) malum corruptionis naturalis causari a Deo auctore universi in bonum universi; *i*) malum culpae esse a deficiente voluntate creata, quae tamen a Deo creata est bona, et cuius ipsa deficientia, in quantum fluit ab exercitio libero entis defectibilis at boni, est bona; in quantum sinitur a Deo, qui eam impedire posset, et in quantum agente

[1] *Commentaria in I. P. Summae Theologicae S. Th. Aq. De Deo Uno*, p. 784, n. 1113. — In tractatu nostro *De Deo Uno* hoc egregium opus pluries attulissemus, si iam tunc fuisset typis editum.

Deo iuste castigatur vel misericorditer per poenitentiam deletur, redit in ordinem providentiae, imo praedestinationis, ac proin in bonitatem redundat. Iam vero haec omnia sufficiunt ut ratio mali reddatur, quin ullatenus assurgatur ad aliquod principium summe malum. Ergo vana est haec fictio ac prorsus inutilis.

3) Nec solum vana est et inutilis: imo absurda et impia. Quod patet considerando ipsum principium primum in sua relatione ad malum. Et sane *a*) primum principium debet esse per essentiam id quod est. Bonum enim principium est per essentiam bonum. Quomodo ergo dari posset primum principium malum, quum ipsum malum nequeat esse natura sive essentia? - *b*) Quum malum et bonum opponantur ad invicem, primum principium malum debet ex toto opponi primo principio bono. Iam vero primum principium bonum continet in se omnem bonitatem. Debet per consequens primum principium malum esse exclusio omnis bonitatis. Iam vero malum vel ita habet bonum seu est in bono uti in subiecto, ut semper aliquid remaneat de bono subiecti, quod nequit tollere eo toto; vel si perit ipsum subiectum, perit et malum, incidens in nihilum. Ergo repugnat, dari primum principium malum. - *c*) Primum principium est causa prima in suo ordine; causa autem prima est causa agens per se. Iam vero vidimus, malum non causari nisi per accidens. Ergo primum principium malum dari nequit. - *d*) Adde rationes superius contra duplex principium primum allatas, ubi Dualismum exclusimus. Et sane, ut unam rationem hic tangam, istud primum principium malum contra primum principium bonum aliquid posset, vel nihil posset. Si primo, destruitur primum principium bonum, utpote quod, quum plenitudinem bonitatis ac entis possidere debeat, nequit non esse omnipotens; si alterum, perit ratio primi principii mali, unde inutiliter ponitur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit. *a*) Supponit, contraria ita esse contraria, ut in nullo conveniant; dum conveniunt α) in genere, β) in ratione essendi. - *b*) Supponit, ab effectibus contrariis assurgendum esse ad causas primas aeque contrarias.

2. Obi. Falso arguit ex axiomate, cuius virtus non est absoluta. Valet ubicumque datur admixtio potentiae et actus, quatenus actus - sive primus, sive secundus, potest adesse, vel abesse, unde oritur contrarietas boni et mali. Non autem valet de actu puro, quod est summum bonum.

3. Obi. Arguit ac si privatio boni non sufficeret ad suppeditandam rationem mali. Quod falsum est. Porro si privatio boni sufficit ad hoc, maior privatio rationem suppeditat maioris mali, quin debeat recursus fieri ad malum summum. Sed etiamsi iste recursus requireretur, non exigeret nisi rationem summi mali iuxta indolem mali. Iam vero iuxta hanc indolem malum summum esset privatio omnis boni, seu plena negatio boni intellecta ad modum privationis; non autem ad modum primi principii mali.

4. Obi. Procedit ex falsa hypothesi. Valet quidem argumentum de bono, quod revera est in rebus creatis per participationem: unde valide assurgitur ad bonum per essentiam; non autem valet de malo, quod consistit in privatione participationis, sicut in privatione boni.

5. Obi. Tertia obiectio duplici parte constat. Pars prior procedit ex axiomate perperam intellecto. Axioma enim valet hoc sensu: omne quod est per accidens, in quantum est, reducitur ad ens per se. Non autem hoc sensu: quidquid fit vel dicitur per accidens, debet reduci ad effectionem vel dictionem in eodem ordine per se. Sunt etenim talia, quae non possunt fieri vel dici nisi per accidens: sicut praecise est causari malum.

Altera pars, quae est veluti instantia, est quidem ratio ob quam multi putaverunt, ad primum principium malum esse recurrendum; sed perperam. In rerum enim naturis malum manifesto est in paucioribus. In homine vero, si, uti nunc est, malum videtur esse ut in pluribus, quia, rupta primaeva harmonia, homo magis est pronus in sensualia quam in rationalia, ab exordio humani generis non fuit sic. Quare, quum conditio nostra praesens sit effectus originalis culpae, redundat in auctores huius primaevi peccati, non autem in primum principium malum.

Ex angelis autem defecisse pauciores, traditio est, uti in sequenti parte huius tractatus exponemus.

6. *Obi.* Bene procedit usque ad conclusionem. Sed haec deficit; imo validissime retorquetur. Nam praecise quia repugnat processus in infinitum, deveniendum est ad primum principium bonum.

Sed contra est. Placet S. Augustinum audire Providentiae ordinem in omnibus rebus contra Manichaeos extollentem. Nedum enim istis concedat, quod intendunt, concludit a priori ex divino opificio ad bonitatem operis. « Solent « etiam istam Manichaei movere quaestionem ut dicant: « quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret sive « in aquis, sive in terra, quae hominibus non sunt necessa- « ria? multa etiam perniciosa sunt et timenda. Sed cum ista « dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt « conditori et artifici suo, qui omnibus utitur ad guberna- « tionem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim « in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi « multa instrumenta quorum causas ignorat, et si multum « est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem « incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id « male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et « noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quo- « niam novit artifex, insipientiam eius irridet, et verba inepta « non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen « tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non « audeant vituperare quae ignorant, sed cum ea viderint « credant esse necessaria, et propter usus aliquos instituta: « in hoc autem mundo, cuius conditor et administrator prae- « dicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas « non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis « artificis volunt se videri scire quod nesciunt ». Vides, quam bene se Augustinus a causa particulari ad causam universalem recipit.

In sequentibus iam penitius sed humili sensu investigat finem, quem Deus sibi in multis creaturis praestituit, quarum plena utilitas mentem nostram fugit; inducendo quoque profundius motivum nostrae probationis et ad sublimiora provectionis: « Ego vero fateor me nescire mures et ranae « quare creatae sint, aut muscae aut vermiculi. Video tamen « omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter pec-

« cata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim ani-
« malis alicuius corpus et membra considero, ubi non men-
« suras et numeros et ordinem inveniam ad unitatem con-
« cordiae pertinere. Quae omnia unde veniant non intelligo
« nisi a summa mensura et numero et ordine, quae in ipsa
« Dei sublimitate incommutabili atque aeterna consistunt.
« Quod si cogitarent isti loquacissimi et ineptissimi, non nobis
« taedium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritu-
« dines et summas et infimas, Deum artificem ubique lauda-
« rent; et quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi forte
« sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed
« nostrae mortalitatis meritis imputarent ».

Dein facta distributione de animalibus eleganter disserit:
« Et certe omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perni-
« ciosa, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant.
« De perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel ter-
« remur, ut non vitam istam multis periculis et laboribus
« subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est,
« diligamus et desideremus, et eam nobis pietatis meritis
« comparemus. De superfluis vero quid nobis est quaerere?
« Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt;
« quia etsi domui nostrae non sunt necessaria, eis tamen
« completur huius universitatis integritas, quae multo maior
« est quam domus nostra et multo melior. Hanc enim multo
« melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum do-
« mum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque
« superflua. In omnibus tamen cum mensuras et numeros et
« ordinem vides, artificem quaere. Nec alium invenies, nisi
« ubi summa mensura et summus numerus et summus ordo
« est, id est Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia
« in mensura, et numero, et pondere disposuerit [1]. Sic for-
« tasse uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in hu-
« militate formicae, quam cum transis fluvium in alicuius
« iumenti altitudine » [2]. Quam eloquenter simul et sapienter haec dicta sint, facile agnoscet quisquis artis dicendi et cogitandi non exstat ignarus.

[1] Sap. xi, 21.
[2] *De Gen. ctr. Manich.* l. i, c. 16. — *P. L.* xxxiv, 185, sq.

In Corpore. Argumentatio S. Thomae duplici parte constat. In prima tres rationes exhibet ob quas repugnat primum principium malorum oppositum primo principio bonorum: 1) quia principium primum debet esse per essentiam id quod est, et malum esse nequit essentia; 2) quia primum principium malum deberet esse ex toto oppositum bono, quod est impossibile, quum bonum sit subiectum mali; quare, si bonum ex toto perit, malum caret subiecto et fit nihilum, quod sane primum principium esse non potest; - 3) quia prima causa debet esse causa per se, malum autem causatur per accidens. Ex quo vides, praesentem doctrinam effluere ex praecedenti analysi mali, qua vidimus malum non posse esse naturam, esse in bono uti in subiecto, imo causari a bono, sed per accidens.

In secunda parte S. Thomas duas praecipuas rationes tangit ob quas philosophi quidam duplex principium posuerunt alterum bonum, malum alterum: scilicet 1) quia causam particularem malam non valuerunt componere cum ordine universali bono; 2) quia contrarietatem in causis particularibus protrahendam putaverunt usque ad causas primas. Iam vero utrumque falsum esse, ex supra dictis uberrime constat.

Corollarium. Ex geminae huius Quaestionis doctrina apparet, quam profunde Scriptura dixerit: « Viditque Deus cuncta « quae fecerat et erant valde bona » [1]. Malum scilicet primo apparet sub ratione symbolicae arboris [2], dein uti mina sub ratione poenae culpam vindicaturae [3]; postea in ore daemonis ad culpam provocantis et poenam negantis [4]; demum ex abusu libertatis creatae apparent culpa et poena, unde colluvies malorum utriusque generis mundum invasit [5]. Quae in narratione Mosaica eo magis sunt admiratione digna, quod in antiquis documentis circumiacentium populorum Dualismus una cum Emanatianismo multiformiter occurrit.

[1] Gen. I, 31.
[2] Ibid. II, 9.
[3] Ibid. 16, 17.
[4] Ibid. c. III, 3, 4, 5.
[5] Ibid. 6, sq.

Sed ecce haec ipsa animadversio nos conducit ad originem mundi materialis penitius investigandam. Quod erit argumentis Sectionis sequentis.

N. B. - Doctrina S. Anselmi de causa mali investigabimus tum ubi de casu angelorum disseremus, tum ubi de exercitio libertatis creatae sub movente Deo agemus [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum corruptio causam exigat, causa autem exquirat virtutem agendi, virtus autem bonum: malum reducitur ad bonum uti causam, non utique formalem, nec finalem, quod repugnat; sed materialem et efficientem, per accidens (art. 1.).

2) Deus est quidem causa mali, corruptionis rerum, sive in naturalibus, ob bonum universi, sive in voluntariis, ob bonum poenae laesum ordinem vindicantis; mali autem culpae Deus nullo modo est causa (art. 2).

3) Nec ideo ponendum est primum principium malum: nam repugnat, malum esse naturam, ex toto opponi bono, et causari per se; insuper effectus particulares mali reducuntur ad ordinem universale bonum, nec contrarii effectus particulares exigunt contrarias causas primas (art. 3).

[1] Interim lege ex dialogo celeberrimo *De casu diaboli* c. 9, 10, 11, 16 et praesertim 20. — *P. L.* CLVIII, 337, sqq.

SECTIO III.

DE CREATURA CORPORALI.

(Q. LXV-LXXIV).

De ordine Sectionis. - Omissis Quaestionibus quindecim in quibus S. Thomas de spirituali creatura disserit, - quod argumentum Partem sequentem nostri tractatus constituet, - accedimus ad Quaestiones novem de creatura corporali. Iam vero ecce quo ordine S. Thomas hanc inquisitionem distribuit.

- Quaeritur
  - 1) de ipso *creationis* corporalis *opere* (Q. LXV); (Caput I)
  - 2) de huius operis *distinctione:* (Caput II)
    - *a*) de ordine creationis ad distinctionem (Q. LXVI);
    - *b*) de ipsa distinctione secundum se, seu de opere
      - α) primae diei (Q. LXVII),
      - β) secundae diei (Q. LXVIII),
      - γ) tertiae diei (Q. LXIX);
  - 3) de opere *ornatus:* (Caput III)
    - *a*) diei quartae (Q. LXX),
    - *b*) diei quintae (Q. LXXI),
    - *c*) diei sextae (Q. LXXII),
    - *d*) diei septimae (Q. LXXIII).

Quum argumentum ad quod gressum movemus, tale sit ut, ex una parte non pauca ad normam praesentis aetatis sint adjungenda; ex altera vero parte plura, quae tempore S. Thomae fusius evolvebantur, at a praesenti ratione scientiae sacrae minus exiguntur, tractationem ita disponemus, ut post expositam Quaestionem LXV, utpote universalioris indolis dogmaticae et philosphicae, praecipua systemata ab exegetis excogitata circa interpretationem primi capitis narrationis Mosaicae, opposita dissertatione perpendantur, et reliquae deinceps Quaestiones breviori calamo tractentur.

CAPUT I.

DE IPSO CREATIONIS CORPORALIS OPERE.

QUAESTIO LXV.

Ordo Quaestionis est manifestus. Duplici enim parte constat. In prima parte S. Thomas quaerit de Deo uti rerum corporalium causa efficiente (a. 1) et finali (a. 2). In altera sciscitatur de angelis uti causa instrumentali, et quidem *a*) in genere (a. 3), *b*) in specie quoad formas (a. 4).

Quum de hoc argumento iam non pauca superius praeoccupata sint, sat breviter hosce articulos absolvere liceat.

ARTICULUS I.

UTRUM CREATURA CORPORALIS SIT A DEO.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Rationes quae afferri possunt ad demonstrandum, - quod contendebant Manichaei, recentioresque Albigenses, - corporalem creaturam non esse factam a Deo principio bono, petuntur aliae a ratione philosophica, aliae ex auctoritate.

Priores iam superius depulimus. Et sane *a*) licet corporales creaturae sint spiritualibus mixtisve dignitate ac proin bonitate minores, sunt tamen bona, quia participant de esse, in quo cum superioribus creaturis conveniunt [1]; - *b*) licet in casibus particularibus nocere possint, reducuntur tamen in bonum universi; - *c*) licet singula corrumpantur et pereant, materiam habent permanentem, speciesque multiplicatis individuis sibi succedentibus servantur; - *d*) adde, multas rationes nos latere, quibus creaturae plures, quae nobis inutiles apparent, perutiles apparerent, si melius agnoscerentur, quemad-

[1] Cf. argumentum *Corporis*.

modum in machinae cuiusdam structura, pars forsan mole minima ignaro videtur absque detrimento posse tolli, quam tamen peritus aptissimam esse dignoscit; - *e*) adde, uti monentem audivimus Augustinum, quae in rerum natura sunt homini gravosa, in poenam, probationem, epurationem atque provectum a divina Providentia destinari [1]; *f*) nec obiicias, corporalia nos amovere a Deo, ac proin non posse esse facta a Deo. Nam praeterquam quod in statu integro primos parentes non amoverint, id quo nunc multos homines ad sensualia sive particularia detrahunt, habent ex quodam insito bono, quod a Deo est et nonnisi per inversionem ordinis provocat per accidens ad malum. Insuper quo magis homo ad primaevam innocentiam redit, eo magis per creaturam etiam corporalem movetur in Deum.

2) Rationes autem ex auctoritate, scilicet ex verbo inspirato desumptas, omni prorsus virtute destitui, ex hoc solo probatur, quod impossibile est, Scripturam de eadem re sibi aperte contradicere. Iam vero diserte proclamant Sacrae Litterae, Deum esse auctorem non modo creaturae spiritualis et mixtae, sed et corporalis. Oportet ergo ut cum hac expressa doctrina loci apparenter oppositi componantur.

Et sane verba S. Pauli: « In quibus Deus huius saeculi « excaecavit mentes infidelium » [2], nullo modo significant, hoc saeculum seu mundum visibilem hunc esse factum a principio alio ac est auctor creaturae spiritualis. Quemadmodum enim alibi S. Paulus ventrem vocat Deum illorum, qui carnali voluptati indulgent [3]; ita quoque hic principem seu rectorem tenebrarum harum [4] vocat huius saeculi Deum, sive spiritum cui veluti Deo parent quotquot huius saeculi dictamina sequuntur. Mundus enim nihil aliud est nisi triplex idololatria voluptatis, opum et superbiae, iuxta illud Ioannis: « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est,

[1] Ex hoc Providentiae cultu tantum interest inter religiosum virum et incredulum, qui, uti nuper in aula Borbonica de se fassus est Combes, nihil in universo agnoscit, nisi vim quamdam physicam, qualem admittebant Michelet et Quinet. Et tam cynicus atheus ius sibi clamorose vindicat catholicos Episcopos deligendi ac renuntiandi! Quae conventio, quaeso, Christi et Belial?

[2] II Cor. iv, 19.

[3] Philipp. iii, 19.

[4] Ephes. vi, 12.

« et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non « est ex Patre, sed ex mundo est » [1]. Ergo, quatenus cultus mundi est quaedam idololatria, sicuti nequit esse ex Patre, ita dici potest esse ex Deo, falso utique, principe huius saeculi; quem principem Christus, se iniuste aggressum [2], mortis victoria debellavit: « Nunc iudicium est mundi; nunc princeps « huius mundi eiicietur foras » [3].

Reliqua, quae ex Scripturis afferri possunt, nullius prorsus momenti sunt habenda.

Ad Textum. - *1. Obi.* Non distinguit inter corruptibilia et leges naturae, quae succedentibus sibi rebus corruptibilibus perseverant. - Quod autem dicit S. Thomas de incorruptibilitate corporum caelestium, est iuxta philosophiam huius temporis ponderandum.

2. Obi. Negligit plures rationes n. 1) adductas, et praetermittit ordinem poenae et poenalitatum, quo genus humanum lapsum regitur.

3. Obi. Abstrahit ab originali harmonia per peccatum rupta. Caeterum verba S. Pauli nullo modo spectant eo, quo adducuntur. Agit enim Apostolus de aeterna mercede, quam pro Christo laborans intuetur. « Id enim quod in praesenti « est momentaneum at leve tribulationis nostrae, supra mo- « dum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in « nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae « non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae « autem non videntur, aeterna sunt » [4].

Sed contra est. Huc faciunt quotquot testimonia superius attulimus ad demonstrandum, omnia originem ducere a Deo creante, Deumque esse auctorem distinctionis rerum. Quae sane omnia continentur efficaciter expressa in exordio Geneseos, necnon in Psalmis, uti in loco ab Angelico allato, et in versu: « Auxilium meum a Domino, qui fecit caelum « et terram » [5].

[1] I Ioann. ii, 16.
[2] Ioann. xiv, 30.
[3] Ioann. xii, 61.
[4] II Cor. iv, 17, sq.
[5] P. cxx, 2.

In Corpore. Praemissam falsam positionem Manichaeorum, quam aliqui sententia Paulina perperam intellecta fulcire conantur, S. Thomas unico, sed optimo argumento depellit. Et sane quae discriminis ratio impellere videretur ad corporalia ab opificio divino excludenda, si penitius investigatur, nihil prorsus concludit, quum haec simul cum altioribus creaturis conveniant in τῷ esse, cuius proin in omni gradu participati una debet esse causa prima, ens scilicet summum, qui Deus est.

Hoc autem argumentum ut stringens sit, supponit aliunde probatam intrinsecam impossibilitatem duplicis principii summi in genere entis.

Ad 3m. Vide quam bene hoc argumentum a S. Thoma non solum solvatur, sed et retorqueatur. Quantopere autem sublimiores animas contemplatio creaturae corporalis ad Deum conducat, docet Sanctorum vita, quippe quibus, uti verb. gr. S. Francisco Assisiensi [1], mundus sensibilis erat cythara ad laudem Dei mentem elevans, imo ipsa Deum harmoniose celebrans. Inde toties in psalmis universa creatura vel ad Dei laudem provocandam extollitur, vel ipsa ad Deum nobiscum conglorificandum invitatur. Quae certe omnia stulte, quin et impie agerentur, nisi revera tam corporalis quam spiritualis creatura unum eumdemque auctorem haberet Deum.

ARTICULUS II.

UTRUM CREATURA CORPORALIS SIT FACTA PROPTER DEI BONITATEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Causam efficientem mundi corporalis affirmavimus Deum; iam finalem causam demonstremus Dei bonitatem. Quam causalitatem finalem in prima Parte et in initio secundae Partis huius tractatus tam absolutis argumentis declaravimus, ut nonnisi pauca hic superaddenda videantur. Et sane quas ibi rationes exposuimus de fine opificii Creatoris non solum valent de uno alterove gradu crea-

[1] Affectum quo S. Franciscus creaturas fraternis vocibus compellabat, a Pantheismo moderno fuisse prorsus alienum, vix operae pretium est ut hic contra Paulum Sabatier scriptoresque Italos Neopaganismo infectos moneamus.

tionis, sed de creationis opere universo; insuper rationes allatae ad probandum Deum auctorem distinctionum et graduum, quae in scala rerum occurrunt, nullatenus excludunt genus infimum creaturae materialis.

2) Iam vero si in praecedenti articulo redibat imprimis error Manichaeorum, hic praecipue recurrit positio Origenis, iam et ipsa superius depulsa.

Etenim res corporales vel sunt evolutio pantheistica sive materialistica universi, vel sunt a principio malo, vel sunt ab eodem principio bono, praeter quod nullum datur. Hoc tamen ultimum - in quo esse veritatem, fuse demonstravimus, - potest dupliciter considerari. Vel *a*) ita, ut creatio mundi corporalis sit a Deo directe volita, tanquam pertinens ad pulchritudinem universi, Deique bonitatem manifestans; vel *b*) ita ut non sit directe volita, sed nonnisi indirecte, in poenam scilicet primi ordinis laesi. Haec altera, - uti superius vidimus, - fuit positio Origenis, utpote qui in initio nihil aliud dixit a Deo creatum nisi spirituales creaturas aequales, diversumque earumdem arbitrii usum determinasse creationem entium corporalium, per quae spiritus, qui a bono deflexerant, iuxta culpae gradus punirentur.

Quae positio cum Manichaeis convenit, quatenus supponit, creaturam corporalem esse tam vilem, imo malam, ut non potuerit nisi in poenam creari; differt autem funditus, quatenus nonnisi principium bonum ponit rerum corporalium effectorem.

3) Porro manifestum est, in hac Origenis positione mundum corporalem non esse conditum propter Dei bonitatem, sed propter Dei iustitiam. E contra, sententia catholica docet, Deum res corporales effecisse ad suam bonitatem manifestandam. Etenim si istae res habent in se bonitatem veram, ob quam ad pulchritudinem universi efficaciter conferunt, quum haec pulchritudo effecta sit ut, divinas perfectiones per gradus communicando, bonitatem Conditoris manifestet, res corporales de hac mundi finalitate iuxta suum gradum participant.

4) Hanc esse Scripturarum doctrinam, demonstrari potest indirecte et directe. *a*) *Indirecte*, quia α) nullibi occurrit allusio ad punitionem culparum tanquam ad rationem ob quam crea-

tura corporalis effecta sit; nec β) ulla mentio fit unquam de aliqua vita praecedente omnino spirituali, in qua humanae animae carcerem corporis sibi in poenam meritae sint. - *b*) *Directe* autem tum α) quia creatura corporalis describitur a Deo effecta quia bona, tum β) quia homo per contemplationem rerum corporalium in Dei laudem excitatur.

5) Adverte autem discrimen magnum quod interest inter falsam positionem Origenis, et sententiam quae affirmat, Deum ab initio non condidisse nisi creaturam spiritualem puram, sive angelicam; postquam autem angelus peccavit, Deum fecisse hominem, spiritu et materia extantem, ut amissas a daemonibus sedes per meritum acciperet. In hac enim positione corporalis creatura est quidem minus directe a Deo volita; nam, si angeli stetissent omnes, producta non fuisset. Est tamen producta ob intrinsecam quamdam licet minorem bonitatem; ac per consequens, quatenus ordinatur ad hominem, effecta est propter Dei bonitatem; quatenus autem ordinatur ad puniendos daemones sive propter Dei iustitiam, in eam bonitatem redundat.

6) Mitior demum est sententia, quae unice dicit, hominem destinari « ut numerum angelorum qui ceciderant, restitue- « ret », quemadmodum subtili discursu exponit S. Anselmus [1]. Haec enim sententia per se nihil affirmat de finalitate creaturae corporalis. Sed de ista sententia inferius dicemus, ubi de angelorum creatione et casu.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit: tum *a*) quatenus non considerat, τὸ esse creaturae redundare per se in bonitatem Creatoris; tum *b*) quatenus non attendit ad scopum sacri auctoris in hoc loco: qui scopus respicit durationem hominis in sua nativa perfectione [2], nullatenus autem existentiam rerum ob seipsas in oppositione ad finalitatem manifestandae bonitatis divinae.

2. Obi. Abstrahit ab ordine finis, quasi rei minus nobilis ad rem nobiliorem subordinatio excluderet priorem ab ordine universi. Cf. argumentum *Corporis*.

[1] *Cur Deus homo,* l. I, c. 16. — *P. L.* CLVIII, 381, sq.

[2] Cf. verba immediate praecedentia: « Quoniam Deus mortem non fecit, nec lae- « tatur in perditione vivorum » (SAP. I, 13).

3. Obi. Haec obiectio exhibet principalem rationem positionis Origenis. Caret autem fundamento. Confundit enim bonum gratuitum creationis cum bono debito remunerationis. Iam vero si considero bonum gratuitum creationis, Deus, utpote donorum suorum liberrimus Dominus, sicuti potest disponere gradus entium, quorum varietas conferat ad universi pulchritudinem, ita potest singulas creaturas cum sua distinctione dignitatis atque perfectionis collocare in eo gradu, quem ad universi ordinem disposuit. Inde ab ipsa origine discrimina dantur independenter a libero voluntatis creatae exercitio. Inde Deus non solum lapidem fecit lapidem, plantam plantam, animal animal, angelum angelum; sed et in generibus species, in speciebus individua alia ab aliis non modo discreta sed et distincta, archangelum perfectiorem angelo; Adamum virum, Evam foeminam fecit.

Sed contra est. Confer quae superius fuse exposuimus, ubi de causa finali creationis erat agendum [1].

In Corpore. Argumentum S. Thomae duplici parte constat. In prima parte exponit sententiam Origenis eamque confutat; in altera sententiam catholicam demonstrat. Pauca sint de utraque.

1) Prima ratio a S. Thoma allata potest, ut diximus, ex Scripturis illustrari multipliciter; insuper philosophice haud aeque probatur, ostendendo veram bonitatem, licet minorem, quae rebus corporalibus inest; ac proin inanitatem sententiae, quae contendit, ea nonnisi in punitionem esse creatas.

Altera ratio cum quodam moderamine est exponenda. Etenim potest aliquid a Deo effectum esse consequens alicuius actus liberi, quin tamen inde dicendum sit esse a casu. Et sane si, quae sententia S. Thomae est, Incarnatio Filii Dei in ordine primae praedestinationis logice sequitur praevisionem peccati protoparentum, num ideo Incarnatio a casu est dicenda? Nequaquam. Idem valeret de creatione mundi materialis in poenam liberae ac proin contingentis praevaricationis angelorum. Quare vis argumenti est alibi quaerenda: in ordine scilicet manifesto, qui facit universum esse aliquod totum a Deo ita dispositum, quia hoc totum habet

[1] Pag. 48, sqq. — Cf. S. Augustinum (*De Civit. Dei*, l. XI, c. 23) et S. Cyrillum Alex. (*In Ioannem*, l. I, c. 9).

harmoniam in semetipso. Porro haec talis harmonia minus concipitur, si ratio dispositionis rerum corporalium respectum habeat ad contingentem causam a creatura positam. Sed nec sic argumentum est omnino vincens. Potens est enim Deus aliquod totum efficere, quod simul respondeat exigentiae causarum creatarum liberarum et eatenus fortuitarum, quae tamen in quantum praevidentur, nequeunt esse aliae ac sunt, et quibus, si aliae fuissent, alius ordo eadem sapientia a Deo constitutus eadem perfectione respondisset. Sicut enim in operibus naturae videmus utilitatem uniri pulchritudini, et vicissim, - quod in humano corpore imprimis elucet; ita quoque proportio inter res corporales et causas has liberas potuisset in omni hypothesi cum universi ordine ac harmonia componi. Haec non dicimus ad positionem Origenis ullatenus defendendam, sed ad vim argumenti S. Thomae perpendendam.

Insuper ratio petita ex sole minorem longe vim habet scienti, quamnam partem sol iste noster teneat in exercitu stellarum.

2) Secunda pars argumenti duplici membro constat. In primo S. Thomas principia philosophica sternit circa finem partium totius; dein eadem applicat quaesito. Primum membrum egregie illustrat exemplo hominis, in quo *a*) singula membra seu partes sunt propter proprios actus, *b*) inferiora membra, seu inferiores vires sunt propter superiora: *c*) omnia singula propter totum, *d*) totum propter altiorem finem extrinsecum. Applicatio patet. In ultima applicatione est vis, quatenus relatio subordinationis, quae corporalia ordinat ad spiritualia, nullatenus impedit ordinationem corporalium ad Deum. Corporalia igitur creata sunt *a*) ut sint quod sunt, *b*) ut spiritualibus sive mixtis subordinentur, *c*) ut conferant pulchritudini universi, *d*) ut bonitatem Dei manifestent.

Quoad hoc ultimum autem apparet ingens discrimen inter corporalia et spiritualia. Illa enim hunc finem nequeunt attingere per se, quatenus bonitatem Dei manifestant non sibi, sed aliis; haec autem sibi sufficiunt. Quare potuisset universum constare creaturis mere spiritualibus aut mixtis, non autem mere corporalibus.

Corollarium I. - Apparet ex hac doctrina, quam logice catholica veritas teneat, mundum hunc materialem in hominem ordinari; ac proin hominem esse mundi corporalis coronam. Sed in hac affirmatione tria ponderanda sunt. 1) Non ideo homo extollitur uti creatura perfectissima quam Deus condere potuisset; 2) imo nec ideo homo praedicatur omnium creaturarum optima, quum eadem catholica veritas teneat, hierarchias angelicas hominibus immenso agmine supereminere; 3) demum haec dicuntur de homine innocente, qualem Deus ab exordio condidit.

Vides proin quam leviter simul et impie Dr Gideon Spicker, Professor philosophiae in Academia Monasteriensi, haec nuper scripserit, Deum alloquens: « Ens aeternum, sanctum, « divinum! Si homini aliquid boni conferre velis, tunc, - rogo « te humillime, - noli ipsi peccatum dimittere [1], sed libera « eum imprimis ab immensa eius stultitia [2], ne deinceps tam « inepte et impie de te cogitet [3]. Et tale ens, tam ineffabiliter « limitatum, fuerit corona creationis! Propter illud tu caelum « et terram creaveris! In eo tu inveneris tuum " honorem "

[1] Egerat in immediate praecedentibus de opere salvifico; quanto autem acumine, doceant haec pauca verba: « Was soll man sich dabei denken, dass ein Gott Mensch « werden und leiden soll, um die ungeheure Schuld, welche die sündige Menschheit auf « sich geladen, wieder gut zu machen? Sollte es einem allmächtigen Wesen nicht « möglich sein, ohne solche gewaltsame Proceduren ans Ziel zu kommen? Muss « es gleich einem rachsüchtigen Tyrannen Blut sehen, um zur Milde und zur Barm- « herzigkeit gestimmt zu werden? Wenn dieser Blutdurst noch auf den Verbre- « cher sich gerichtet hätte! Aber dass der allgütige Gott die Rache an sich selbst « vollzog und seine nichtsnutzigen Geschöpfe sogar als Werkzeuge gebrauchte, sich « geisseln, krönen und kreuzigen zu lassen, ist das Ungeheuerlichste was jemals « behauptet wurde. " So sehr hat Gott die Welt geliebt, dass er seines eigenen « Sohnes nicht schonte und ihn in den Tod dahingab ". Nun ist aber dieser Sohn sub- « stantiell genau dasselbe, was der Vater; beide sind dem Wesen nach Eins; also « hat der Vater auch substanziell mitgelitten und ist zugleich dem Wesen nach « mit dem Sohn gestorben, hat sich selbst auch wieder vom Tode erweckt, ist zum « Himmel aufgefahren und sitzt nun — ja wo denn? — etwa neben sich, zu seiner « eigenen Rechten! » *. Et has pervetustas in christianam doctrinam blasphemias imo calumnias eructant homines, quibus a civitatum rectoribus committitur munus docendi iuvenes christianos!

Ita verto contradictoria verba « grenzenlosen Bornirtheit ». Nisi fallor, quo magis aliquid est « bornirt », eo minus dici potest « grenzenlos ».

[3] Praecedentia verba insinuant, ipsam Christianam notionem Dei esse hanc ineptiam et impietatem, a qua Deus nos imprimis liberare debuisset!

* *Versuch eines neuen Gottesbegriffes*, p. 224.

« et tuam "laudem!" Nequaquam, summa bonitas! Si tu « nihil melius invenire potuisti, tam certum est ac princi- « pium mathematicum potest esse certum, te nullo modo exi- « stere nec existere posse; vel, si nihilominus existis, te non « esse existentia dignum. Infelicius nihil nobis accidere pos- « set, quam hanc revelatam veritatem revera esse veram » [1]. O miram sane impietatis contradictionem! Ex una parte philosophi illi, hominem nimis deprimentes, indignum existimant, quem Deus in mundi materialis regem constituerit, a quo ipse debitum laudis honorem acciperet; ex altera parte ingenio suo, licet « ineffabiliter limitato », in altissima mysteria proterve insurgunt. Sed hoc est impietatis fatum, ut sibi miserrime contradicat. Caeterum ex hisce blasphemiis, quas calamus nonnisi reluctans transcribit, agnosce, Christiane lector, periculum gentis a iuventute iuxta falsae philosophiae placita excrescentis. Tot enim mens praeiudiciis logicis, moralibus, religiosis imbuitur, ut in vetustis ludibriis decantandis absorbeatur, quin ad sanam doctrinam placide intuendam perveniat unquam. Inde huiusmodi scriptores de mysteriis a Deo revelatis ita leviter loquuntur, ut demonstrent, se nunquam opera Patrum, magnorumque scholasticorum, non dicam sedulo ponderasse, sed nec obiter pervolvisse [2]. Secus

[1] « Ewiges, heiliges, göttliches Wesen! Wenn du etwas gutes dem Menschen « erweisen willst, dann — ich bitte dich in tiefster Demuth — vergib ihm nicht die « Sünde, sondern erlöse ihn vor allem von seiner grenzenlosen Bornirtheit auf dass « er nicht mehr so thöricht und gottlos von dir denke! Ein solches unbeschreiblich « beschränktes Wesen sollte die Krone der Schöpfung sein! Um seinetwillen soll- « test du Himmel und Erde geschaffen haben! In ihm solltest du deine "Ehre und « Verherrlichung" finden! Nein, Allgütiger! wenn du nichts besseres gewusst hast, « dann ist es so sicher als ein Lehrsatz der Mathematik nur sein kann, dass du gar « nicht existirst, nicht existiren kannst, oder wenn du dennoch bist, nicht existiren « solltest. Es könnte kein grösseres Unglück für uns geben, als wenn diese geoffen- « barte Wahrheit wirklich wahr sein sollte ». (Op. cit. p. 224).

[2] Lege quae sequuntur apud auctorem. Quid ineptius, v. gr., hisce verbis de passione et resurrectione D. N. I. C.: « Kann aber die Gottheit leiden, kann sie auch « sterben; und dass sie wirklich gestorben, geht schon daraus hervor, dass der Vater « sie wieder vom Tode erwecken musste; oder wenn der Sohn sich selber erweckte, « oder am Ende gar nicht gestorben ist, dann war das ganze Manöver nur scheinbar, « ein Schauspiel für Götter und bloss eine Tragödie für blind gläubige Menschen ». Nonne quaeso haec sunt hominis, qui de mysterio SS. Trinitatis et Incarnationis nihil nisi insulsi aut legit aut cogitavit? Puerulus catholicus talia proferens, — nec proferret cum despectu, — ad catechismum remitteretur; philosophus antichristianus talia buccinans cathedram academicam occupat! Sed, quod omnem mirationem exce-

enim quomodo possent conculcare despectu mysteria altissima, in quibus S. Augustinus, S. Anselmus et S. Thomas, - ut haec tria triplicis aetatis lumina nominem, - sublimissima ingenia reverenti acie exercuerunt?

Corollarium II. - Tanta est ordinatio rerum corporalium ad Dei bonitatem manifestandam, ut haec ratio finalis etiam tunc servetur, quando res corporales homini nocent. Etenim haec nocumenta sunt vel consequens legum naturae, quorum bonum generale est altius damno privato; vel consequens probationis, quae bonum superius probati respicit; vel consequens punitionis, quae in bonum iustitiae divinae redundat. Quare tanquam omnino levia despicienda sunt argumenta, quae ex existentia huiusmodi malorum contra personalem Deum moventur. Interest utique inter modum quo bona et mala physica a Deo intenduntur: bona enim directe Deus vult, mala autem physica indirecte, sed in ordine ad bonum; imo mala poenae directe, sed consequenter ad malum culpae, ob quod sunt bona. Vides proin quid iudicandum sit de his verbis, quae scripsit nuper transfuga sacerdos Marcel Hébert: « Il est devenu à jamais impossible de dire, en les prenant à « la lettre, ces paroles: je crois au Père céleste, à l'Amour « infini, créateur de la phtisie, de la peste, du cancer; des « cyclones et des volcans.... » [1]. Ad quae optime Cl. Mercier: « Cette affirmation tranchante, gratuitement blasphéma- « toire,... trouve une explication psychologique dans ce zèle « mal compris, qui pousse les néophytes de l'apostasie à « stupéfier la " simplicité, de leurs correligionnaires de la « veille " » [2]. Et sane huiusmodi convicia, vix Voltairiana, omni carent soliditate et profunditate. Ad summum movent risum, ubi non est ludibrio sed ratione pugnandum. Sed talis risus facile nimis convertitur in illos, qui incaute eo abutuntur.

dit, hic D. Spicker est sacerdos catholicus a fide nostra, olim sua, ad Deismum quemdam confusum, christianae revelationi infensissimum transgressus.

[1] *La dernière idole* (*Revue de métaphysique et de morale*, Juillet 1902).

[2] *Académie royale de Belgique. Classe des lettres et des sciences morales et politiques*; n. 2 févr. 1903, *note bibliogr.* a. 9. — Cf. eiusdem auctoris: *Les preuves thomistes de l'existence de Dieu. — Etude critique.* — Louvain. *Instit. super. de philos.* 1903.

ARTICULUS III.

UTRUM CREATURA CORPORALIS SIT PRODUCTA A DEO MEDIANTIBUS ANGELIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam superius, duce Angelico, demonstravimus creationem esse tantopere propriam Deo, ut nec ab ipso Deo vis creatrix creaturae possit communicari uti proprio agenti, neque probabilissime uti instrumento. Quare ad ibidem exposita remittentes, paucis praesentem articulum necnon et sequentem absolvemus.

2) Et sane creaturam corporalem productam esse non a Deo, sed ab angelis, est positio non solum gratuita, sed absurda. *a*) Gratuita est, quia nulla ratio afferri potest solida, imo plausibilis, ob quam haec entia essent producta ab angelis: nam Deus solus ad hoc sufficit, imo pulchritudo universi, quae oritur exinde, quod varii gradus entium habeantur, optime respondet menti divinae hanc pulchritudinem praeordinanti. *b*) Absurda est, quia, uti vidimus, nonnisi Deus creare potest, ob rationes superius fuse expositas, et quarum unam S. Thomas haec rursus evolvit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit ordinem creationis cum ordine gubernationis. Iam vero minor virtus requiritur ad gubernandum, quam ad producendum. Quare licet inferiora a superioribus gubernentur, non tamen ab eis efficiuntur.

2. Obi. Confundit τὸ agere per naturam, et τὸ agere per liberam electionem: prius exigit ut productum sit semper idem saltem specie; non autem alterum.

3. Obi. Non attendit, virtutem ad effectionem requisitam non mesurari solum a mensura entis effecti, sed et a modo productionis, qui semper in creatione rei, sive magnae sive parvae, infinita est.

Sed contra est. Vides ex hoc articulo, iuxta testimonia superius ex Scripturis, Patribus Ecclesiaeque documentis allata, quantopere doctrina Christiana, imo Veteris Testamenti, superemineat traditionibus circumiacentium populo-

rum, apud quos, uti, v. gr. apud Babylonicos, dii minores, - qui nostris angelis aliqualiter respondent, - praedicantur rerum inferiorum effectores [1].

In Corpore. S. Thomas primo affert errorem antiquorum Gnosticorum, qui Demiurgos inducebant rerum inferiorum auctores, eamque doctrinam confutat, quia supponit, creaturam posse creare. Deinde demonstrat hanc impossibilitatem ex hoc quod substratum universalissimum requirit causalitatem causae supremae.

Adverte in prima parte huius *Corporis* sensum principii: « Imperfectum est prius quam perfectum in fieri ». In hac sententia sumitur « imperfectum » et « perfectum » relate ad eamdem creaturam, quatenus in compositis ex materia et forma productio materiae logice praecedit productionem formae [2]. In entibus spiritualibus pariter potentia praecedit eiusdem potentiae actum. In Deo autem totum est perfectissimum simplex, actus purus [3].

ARTICULUS IV.

UTRUM FORMAE CORPORUM SUNT AB ANGELIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter hunc articulum et praecedentem est praesertim duplex. *a*) Argumentum praecedentis articuli directius demonstrat, creaturas corporales esse debere a Deo quoad suam materiam; remanet ut de formis penitius investigetur. - *b*) Ratio quaedam specialis

[1] Cf. fragmentum a Smith in Assurbanipalensi palatio anno 1875 repertum.

[2] Si autem entia varii gradus, quibus universum constat, conferuntur ad invicem, nulla ratio exigit entia inferiora prius effici quam superiora.

[3] Hoc argumentum de actu absoluto praecedenti potentiam, olim ab Aristotele efficacissime evolutum, his verbis exprimebat Jaurès: « L'être infini n'est pas en « voie de réalisation, il est d'emblée la plénitude de l'être; l'infini ne devient pas, « il est, car quelle puissance finie pourrait parvenir à l'infini? » (*Réalité du monde sensible,* p. 64). — Quis crederet, eumdem philosophum, iam coryphaeum socialistici agminis effectum, in haec impia, erupisse? « Si Dieu lui-meme se dressait « devant les multitudes sous une forme palpable, le premier devoir de l'homme serait « de lui refuser l'obéissance et de le considérer comme l'égal avec qui l'on discute, « comme le maître que l'on subit » (Discours à la Chambre, 11 février 1895). Quaeres, si Deus est infinitus actus purus, nonne creatura, utpote permixta potentia et actu, est essentialiter Deo subordinata? Sed haec fata non mentium, sed cordium.

videtur adesse ut angelis tribuatur productio formarum: impotentia scilicet ut ipsa composita formas novas producant.

2) Iam vero haec ratio nihil probat. Nam etiamsi constaret, composita non posse novas generare corporales formas, nondum ideo demonstraretur, has produci per angelos. Etenim si ideo composita nequeunt formas producere, quia hoc exsuperat eorum virtutem, quatenus formae sunt producendae per aliquam novam creationem, angeli non sunt huius creationis capaces, et nonnisi Deus potest has formas infundere aut increare, uti constat de anima humana. Quare vel composita, vel Deus producit novas formas compositi. Iam vero tenendum est prius. Nam eo modo aliquid competit fieri, quo esse. Atqui quod est, est compositum; ergo quod fit, pariter compositum est. De modo autem quo formae novae de potentia materiae exsurgunt, non est huius loci penitius investigare.

3) Ergone in efficiendis corporum formis nihil competit Deo? - Quinimo multum. Nam *a*) primae formae creatae sunt ab eo, plures vel minores numero iuxta doctrinam alibi exponendam de prima distinctione rerum et de evolutionismo. - *b*) Ipse Deus non solum vires formarum sustentat cum ipsa materia, sed concurrit cuivis mutationi quam corporum activitas inducit, quod maxime apparet in generatione viventium. - *c*) Quidquid alia corpora, sicuti sol, vel superiores vires liberae angelorum et hominum, agunt in novas corporum formas, id totum, quoad suam positivam virtutem, redundat in Deum.

4) Angeli igitur in novas formas inducendas aliquid agere possunt: non quidem influendo, seu infundendo; sed movendo ipsa corpora, quae corrumpuntur et generantur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex auctoritate Boëthii. At sententia, in se sola considerata, non necessario dicit quod intenditur. Possunt enim istae formae intelligi quales sunt in mente divina; vel effectio intelligi per motum, non proprie per influentiam. - Puto tamen, verba Boëthii in ipso contextu inspecta saporem, ut minus dicam, habere Platonicum: « Forma quae est sine materia, non poterit esse subiec-
« tum, nec vero inesse materiae; neque enim esset forma,

« sed imago. Ex his enim formis, quae praeter materiam « sunt, istae formae venerunt quae sunt in materia et corpus « efficiunt. Nam caeteras, quae in corporibus sunt, abutimur « formas vocantes, dum imagines sunt; assimilantur enim « formis iis quae non sunt in materia constitutae » [1].

2. Obi. Axioma hic allatum probat quidem, formas corporales reduci debere ad Deum auctorem omnis creaturae; non autem, - quod esset demonstrandum, – formas spirituales puras esse creatrices formarum corporalium. Habent tamen respectum ad illas quatenus intellectualiter eminentius eas continent, et quatenus composita movere possunt.

3. Obi. Est cavillatio in maiori. Activitas enim rei non solum debet mensurari ab huius rei virtute, sed ab eius indole et ab indole rei efficiendae. Caeterum comparatio allata in minori caret veritate; corpora enim caelestia, - quousque, hic indisputatum relinquimus, - compositorum formas non influunt, sed dumtaxat composita in ordine ad generationes movent.

Sed contra est. Omnia quae ad conservationem, activitatem, propagationem rerum pertinent, Dei gubernio et actioni subesse iugiter, hisce verbis declarat Augustinus. Postquam oeconomiam vindictae de peccatis illustraverat, pergit: « non « sane Creatoris desinente bonitate, et malis angelis submi- « nistrare vitam, vivacemque potentiam, (quae subministratio « si auferatur, interibunt), et hominum, quamvis de propa- « gine vitiata damnataque nascentium, formare semina et « ordinare membra, per locorum spatia vegetare sensum, ali- « menta donare » [2]. Ergo a fortiori Deus cooperando viribus a se naturae inditis sustentat et movet composita ut composita producere valeant, quin corporum formae angelis tribui debeant.

Caeterum huc spectant verba ab initio creaturis viventibus dicta: « Crescite et multiplicamini » [3]; per quae docemur, Deum indidisse viventibus hanc foecunditatis virtutem, per quam, sustentante utique et movente Deo, ipsa viventia per generationem nova viventia producerent.

[1] *De Trin.* c. 2. — *P. L.* LXIV, 1250.
[2] *Enchir.* c. 27. — *P. L.* XL, 245.
[3] GEN. I, 22.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat: in prima S. Thomas varia systemata falsa exponit, in secunda veram sententiam declarat et vindicat.

1) Tres falsas Angelicus affert sententias. *a*) Prima est sententia Platonis, omnes formas rerum corporalium reducentis ad formas spirituales separatas, a quibus singulae, tanquam tot archetypi imagines, deriventur; quarum formarum separatarum suprema est forma τοῦ entis, dans omnibus esse. - *b*) Secunda est sententia longe mitior Avicennae, restringentis existentiam harum formarum separatarum ad intellectus, seu, - uti nos loqui solemus, - ad angelos, a quibus essent formae singulae quae in compositis existunt. - *c*) Tertia sententia modernorum haereticorum Albigensium, redundans in Manichaeismum mitigatum, tribuit quidem Deo creationem omnium rerum, sed diabolo formationem materiae corporalis per varias species distinctae.

Expositas has tres sententias, S. Thomas optime dicit eodem laborare vitio: quod scilicet putent, formas per seipsas et non compositum effici.

2) In secunda parte S. Thomas veram doctrinam exhibet, quae his conclusionibus comprehendi potest. *a*) In compositis generantibus et generatis compositum agit et agitur, ita ut formae novae non efficiantur per se, sed agente composito educantur de potentia materiae. - *b*) Spirituales tamen substantiae agunt in agens compositum, non ut infundentes formas, sed ut moventes ad formas. - *c*) Deus vero agit in agens compositum, non solum quatenus conservat et movet, sed quia est primus auctor omnium formarum, omniumque specierum tum in rebus corporalibus, tum in mente angelorum existentium.

Brevissima totius Quaestionis synopsis.

1) Mundi corporalis auctor non est alius praeter auctorem mundi spiritualis. Nam, licet corporalia sint spiritualibus inferiora, conveniunt tamen cum eis in esse, quare unum utriusque generis entium causa sit oportet, ens scilicet primum atque supremum (art. 1). - Porro licet subordinationis

lex exigat corporalia inservire spiritualibus, non ideo corporalia non sunt facta propter bonitatem Dei, quippe quam manifestant per hoc quod sunt, et ad quod ordinatur totum in quo sunt (art. 2).

2) Creatio autem mundi materialis tantopere est Dei, ut neque mediantibus angelis creaturam corporalem produxerit; nam id quod creatur, est τὸ esse radicale rei, quod est universalissimum substratum rerum, ac per consequens non nisi per universalissimam causam primam potest produci (art. 3). - Neque formae corporum ab angelis sunt, quum producantur a composito, angelis quidem composita moventibus ut agant, non autem influentibus formas ut sint (art. 4).

CAPUT II.

DE OPERIS DISTINCTIONE.

Antequam in evolvendo argumento, iuxta S. Thomae ordinem prosequamur, oportet ad normam modernioris aetatis perpendere sedulius documentum inspiratae Scripturae, quod huic toti expositioni tanquam fundamentum subiacet. In hac nostra dissertatione de primo capite Geneseos, seu de Hexaëmero viam mediam tenere conabimur inter ieiunitatem nimiam et prolixitatem. Partes enim quae nobis incumbunt, non sunt disquisitionis exegeticae, sed expositionis dogmaticae. Sit igitur

DISSERTATIO

DE COSMOGONIA MOSAICA.

Nulla unquam pagina tot alias paginas imo tot volumina provocavit, quot exordium Geneseos. De quo videntur non minus quam de ipso opificio mundi verificari illa Coheleth: « Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit « disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod ope- « ratus est Deus ab initio usque ad finem » [1].

Accedentem autem ad huius magni problematis qualemcumque investigationem reverentia moveri oportet, non timore. « Modicae fidei, quare dubitasti? » nonne haec Christi verba ad Petrum, iure dicuntur ad illos, qui investigant originem rerum trepidantes, ne in aliquid offendant, quod Scripturae veritatem infirmet? Et tamen credenti nullum dubium esse potest de veritate Litterae inspiratae, dum secreta naturae quaerenti nulla unquam infallibilitatis promissio facta est. Quinimo, - uti monere solebat doctissimus ille

[1] Eccles. III, 11.

professor Lovaniensis Van Beneden: « fides est, scientia fit ». Modo tamen fides sit illuminata; id est, sapiens et discreta, non urgens uti credenda, quae non credenda sunt, non recusans uti scientifice certa, quae iam certa via ac ratione ingenium humanum de rebus naturalibus acquisivit.

Quare, antequam ad praesens argumentum gressum moveamus, quaedam utiliter monenda visa sunt.

Considerationes praeviae.

1) Et primo quidem quoad ipsum Scripturae fontem divinitus inspiratum *a*) fide inconcussa tenendum est, nihil quod in Scripturis de fide vel moribus directe est inspiratum, posse ullatenus errori subesse. Esset enim contradictio, quae vel inspirationem ipsam negaret, vel imo Deum faceret mendacii auctorem. - *b*) Insuper in his quae nonnisi indirecte inspirata sunt, error haberi nequit eatenus, quatenus sunt inspirata, hoc est, eo sensu quo Deus voluit haec conscribi; qualia certe sunt multa ad scientias naturales et ad facta quoque historica pertinentia. - *c*) Inspiratio non exigit ut omnia quae scripta iacent, tunc solummodo sint exorta et composita. Et sane, facta quae narrantur, non a scribente finguntur; allocutiones sive cantica ab aliis prolata, non sunt opus eadem transmittentis [1], nisi quatenus fideli calamo illa posteritati servat. - *d*) Ex quo iam sequitur, non obesse inspiratae indoli Scripturarum, quod auctores documenta adhibuerint praeiacentia, eaque textui sacro inseruerint servando eisdem documentis characterem originalem, scilicet historicum, si sint historica, lyricum, si lyrica. - *e*) Imo inspiratio non requirit, ut auctor sacer, etiam dum inspiratur ad scribendum, sit ab errore immunis circa ea quae scribit, in his quae non directe ab inspirante intenduntur. Ita, v. gr., narrans mirabile factum Iosue, diei lucem prolungantis ad pleniorem de hoste victoriam, potuit non solum, accommodando

[1] Equidem scio, Cl. Harnack compositionem, v. gr., canticorum *Benedictus* et *Magnificat*, etc., peritiae S. Lucae tribuere; nec ignoro, Cl. Loisy orationibus Domini, quas exhibet evangelium S. Ioannis, valorem denegare historicum. Sed hi sunt excessus ab exegisi catholica alieni nimis.

se loquendi modo huius temporis [1], dicere solem stetisse; sed putasse, dum hoc scriberet, solem re vera circa nostram volvi tellurem. Quo spectent istae considerationes, in discursu nostrae dissertationis mox patebit.

2) A parte autem scientiarum plura monenda sunt. *a*) Imprimis non praecipiti iudicio identificanda est doctrina revelata, cum aliqua sententia, quae sibi non amplius vindicare potest quam aliquam probabilitatem. Id acute monet S. Augustinus: « In rebus obscuris atque a nostris oculis remotis-« simis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae « possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere « sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita « proiiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam « recte labefactaverit, corruamus, non pro sententia divina-« rum Scripturarum sed pro nostra ita dimicantes, ut eam « velimus Scripturarum esse, quae nostra est » [2]. - *b*) Praeterea cavendum, ne theologus disserens de argumentis mixtis, utpote pertinentibus tum ad revelationem tum ad scientias naturales, ignorantiam suam de hisce scientiis prodens, revelationem ipsam apud peritos, sed non credentes, in discrimen adducat. Quare optime rursus animadvertit S. Augustinus: « Plerumque accidit, ut aliquid de terra, de caelo, de « caeteris mundi huius elementis, de motu et conversione vel « etiam magnitudine et intervallis siderum,.. de naturis ani-« malium... atque huiusmodi caeteris etiam non Christianus ita « noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe « est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut « christianum de his rebus quasi secundum christianas lit-« teras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, « quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens, risum « tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans « homo deridetur, sed quod auctores nostri ab iis qui foris « sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio,

[1] Cave, ne confundas huiusmodi accommodationem, — quae innocua est, imo qua et ipse Christus est usus, v. gr. loquendo de grano frumenti, quod in terra moritur, — cum accommodatione, quae spectat ad errores de ipsis rebus fidei et morum. Quare dicere, Christum, licet scientem se non esse plus quam hominem, accommodasse se errori eorum, qui eum ut Filium Dei acclamabant, esset in ipsam humanam dignitatem Christi, si nonnisi esset homo iustus, vehementer offendere.

[2] *Gen. ad litt.* l. I, c. 18, n. 37. — *P. L.* XXXIV, 260.

« de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehen-
« duntur atque respuuntur » [1]. - Larga proin simul ac firma mente ad huiusmodi problemata accedendum est, iuxta sequens Hipponensis criterium: « Quidquid ipse de natura
« rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, osten-
« damus nostris litteris non esse contrarium; quidquid autem
« de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est,
« catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam
« facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse
« falsissimum; atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in
« quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae abscon-
« diti [2], ut neque falsae philosophiae loquacitate [3] seducamur,
« neque falsae religionis superstitione terreamur » [4].

Hoc igitur criterio muniti, ad argumentum nostrum animose sed caute accedamus, memores verborum S. Thomae:
« Quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur. Quae-
« dam enim sunt per se substantia fidei, ut Deum esse Tri-
« num et Unum, et huiusmodi; in quibus nulli licet aliter
« opinari... Quaedam vero per accidens tantum, in quantum
« scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu
« Sancto dictante promulgatam esse...; et in his etiam Sancti
« diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode expo-
« nentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad
« substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse crea-
« tum, et hoc omnes Sancti concorditer dicunt. Quo autem
« modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per
« accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius verita-
« tem diversa expositione Sancti salvantes diversa tradide-
« runt ».

Ordo autem inquisitionis nostrae erit sequens: I) pauca de ipso textu explicando dicemus; II) vicissitudines exegeseos catholicae per saeculorum decursum breviter exhibebimus; III) praecipuas sententias in catholicis scholis hodie vigentes afferemus atque perpendemus.

[1] Ibid. c. 19. n. 39. — Col. 261.
[2] Coloss. II, 3.
[3] Cf. Baruch. III, 23.
[4] Ibid. c. 21, n. 41. — Col. 262.

I. De ipso textu Cosmogoniae Mosaicae.

1) Conferenti ad invicem caput primum et caput secundum Geneseos apparet, quasi duplicationem haberi eiusdem argumenti. Bis enim origo rerum describitur, modo tam diverso, ut quidam opinentur, caput primum, utpote in quo aquae magis exhibentur tanquam principium a quo terra exsurgat, derivari a regione Ægyptiaca et Babylonica; caput vero secundum, utpote in quo arida et siccitas magis dominantur, originem ducere a partibus Mesopotamiae, Syriae et Chanaan [1]. Sed, licet inter utriusque narrationis ordinem discrimen sat magnum adsit, ut duplicem videantur indicare fontem [2], non omnino eumdem habent scopum. Prius enim enarrat ipsam originem universi; alterum, supponens mundum iam exstantem, ipsam originem primi hominis primaeque mulieris, eorumque conditionem primaevam penitius describit [3].

2) Pertingit autem capitis primi narratio usque ad versum quartum capitis secundi editionis Vulgatae latinae; utrum autem inclusive, an exclusive, disputatur. De qua quaestiuncula haec pauca sufficiant.

a) Aliqui putant, v. 4.m adhuc includi, veluti [4] epilogum. Sed contra hanc sententiam duae rationes afferuntur. α) Vox תולדות [5], quae passim significat « generationes », hic significare deberet effectionem; β) epilogus est superfluus, quum in duobus versibus praecedentibus iam satis habeatur [6].

[1] Cf. H. Gunkel (*Genesis übersetzt und erklärt*, - Göttingen 1901, p. 4); - H. Zimmen (*Biblische und babylonische Urgeschichte*, — Leipzig 1901, p. 18).

[2] Inde etiam alia verba occurrunt ad idem significandum.

[3] Cf. V. Zapletal O. Pr. (*Der Schöpfungsbericht der Genesis — mit Berücksichtigung der neuesten Entdeckungen und Forschungen* p. 2, sq. — Freiburg, Schweiz, 1902).

[4] Cf. ibidem p. 3, sqq.

[5] Ex hac voce, quae decies in capite partium occurrit (II, 4; V, 1; VI, 9; X, 1; XI, 10; XI, 27; XXV, 12; XXV, 19; XXXVI, 1; XXXVII, 2), potest hic liber, uti graece Γένεσις, ita hebraice vocari תוֹלְדוֹת ; vocari autem solet a prima voce בְּרֵאשִׁית.

[6] Nescio utrum hae rationes magnam habere vim dicendae sint. Prior debilitatur, si voci תוֹלְדוֹת sensus magis genericus tribuatur, qui rerum effectionem etiam in se contineat. Altera infirmatur, si duo primi versus considerentur tanquam finis narrationis, quin tamen sit epilogus ad modum syntheticae reassumptionis. Et sane requies diei septimae in his versibus describitur.

b) Cum versu autem 4.° incipere novum fragmentum, recusant quotquot hanc formulam uti propriam habent redactoris codicis sacerdotalis, et hoc fragmentum scriptori jahwistico tribuunt. Insuper in hoc fragmento non proprie agitur de generatione rerum, sed penitius describitur modus, quo in mundo ortus est primus homo, et post virum ex viro mulier [1]. - *c*) Ex prima ratione allata in *a*), nequit versus 4.s, scindi ita, ut prima verba sint epilogus exordii et reliqua incipiant fragmentum novum [2]. - *d*) Aliqui putaverunt, versum transponendum esse ante versum initialem capitis primi [3]; sed ex eadem ratione haec hypothesis sat violenta evanescit. - *e*) Periisse autem fragmentum, cuius prima verba versus 4.i essent initium, hypothesis est gratuita. - *f*) Putant proin nonnulli, hunc versum in textum ex errore irrepsisse.

Peritior eligat sibi solutionem meliorem. Res minoris est momenti, dummodi narratio exordii Geneseos non claudatur ante versum tertium completum [4].

3) De constructione et sensu verborum huius narrationis pauca animadvertere iuvat. *a*) Primus versus ita melius legitur ut sensum plenum exhibeat: « In initio Deus creavit « caelum et terram ». Id suadent simul traditio constantissima [5], et simplex verborum nexus. - Lectio: « In principio, - quando Deus creavit caelum et terram, - terra erat inanis « et vacua » [6], parum naturalis est, quum non explicet formam וְהָאָרֶץ in initio secundi versus. - Lectio quae versum secundum considerat veluti parenthesim: « In principio, « quando Deus creavit caelum et terram, - terra autem erat « inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et « Spiritus Dei ferebatur super aquas, - dixit Deus » [7], exhibet

[1] Nisi admittatur sensus largior iuxta dicta in nota praecedenti.

[2] Si tamen haec ratio non habet tantam virtutem, iuxta addita ibidem in nota, minuitur pariter praesens exclusio.

[3] Cf. Gunkel (op. cit. p. 106).

[4] Ita legunt et Iudaei.

[5] Unanimiter ita omnes versiones: Septuaginta, Samaritana, Onkelos, Peschittho, Aquilae, et punctatores Masorethici, qui scripserunt בָּרָא et non בְּרֵא. — Cfr. Fr. Kaulen (*Der biblische Schöpfungsbericht* c. 9, sq. — Herder, 1902).

[6] Ita legunt post Iarchi, Schrader, Dillman, Kautsch, etc.

[7] Ita Holzinger, Gunkel, Loisy, etc.

quidem eumdem sensum dogmaticum, sed nimis detorta videtur [1].

Habet nihilominus aliqualem suasibilitatem ex forma periodica capitis sequentis [2], et ex initio capitis sexti libri IV· Esdrae [3].

b) Vox בָּרָא in initio narrationis Mosaicae significat effectionem totalem οὐκ ἐξ ὄντων vel ἐξ οὐκ ὄντων, qualem mater Machabaeorum, ad hunc locum manifeste alludens, diserte proclamat [4]. Id simul suadent vox adhibita, indoles argumenti et traditio. α) Vox adhibita ברא, licet non semper significet creationem in presso sensu, nunquam adhibetur nisi de operatione divina, uti distincta ob operationibus humanis [5]. In ista autem narratione occurrit ter: in versu initiali, ubi sermo est de primo exordio rerum; in v. 21, ubi sermo est de creatione vitae animalis; in v. 27, ubi agitur de creando homine. - Vox autem עשה quae in eadem narratione occurrit, magis generica est, utpote potius formationem secundam exhibens. Discrimen autem inter utrumque vocabulum apparet in versu finali: אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת. Rectissime igitur Wellhausem describit vocabulum בָּרָא tanquam existens « unice ad significandam virtutem divi- « nam creatricem, et ad eam excipiendam supra similem « operationem et effectionem humanam; vocabulum, quod in

[1] Non solum offendit in vocem וַיֹּאמֶר (cur haberetur copulatio ו?) sed, et in totius narrationis stylum, qui nihil periodici habet, quin absolutis et brevissimis sententiis incedit.

[2] Vers. 46-7.

[3] « Initio terreni orbis, et antequam starent exitus saeculi, et antequam spira- « rent conventiones ventorum.... tunc cogitavi etc. » (Vers. 1-6). Simile quid occurrit in cap. VIII libri Proverbiorum: « Ab aeterno ordinata sum.... quando praeparabat « caelos aderam; etc., etc. » (Vers 23-31). Imo sunt qui, cum Loisy, hanc lectionem urgent ex similitudine cum principio cosmogoniae Babylonicae. — (Cf. Loisy: *Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse* — Paris, 1901, p. 16).

[4] II *Mach.* VII, 28. — Ex hoc solo facto, quod mulier de populo tam aperte hanc veritatem proclamarit, corruit obiectio a quibusdam mota, ac si populus Iudaicus huius veritatis notionem habere non potuerit. Caeterum haec notio iam occurrit in antiquissimo documento Babylonico. Imo haec notio est primitiva, haud secus ac cultus monotheisticus, cuius est consequens immediatum. Quomodo autem contra hanc sententiam non faciat locutio ἐξ ἀμόρφου ὕλης (Sap. XI, 17), superius ostendimus. Et sane haec locutio componenda est cum doctrina eiusdem libri, in quo (I, 14) dicitur: « ἔκτισε εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα » (Cf. ZAPLETAL, op. cit. p. 9).

[5] Cf. plura loca allata apud laudatum Hummelauer (*Nochmals der biblische Schöpfungbericht*, p. 7).

« significatione tam exclusiva nec in graeco, nec in latino, « nec in germanico sermone reddi potest » [1]. - β) Indoles argumenti idem suadet. Manifestissime enim Moyses hoc in loco ad primam originem rerum assurgit. Iam vero si in hoc versu initiali vox ברא non dicat effectionem rerum ex toto, Moyses silentio praeteriens aspectum primarium argumenti, ignorantiae documentum dedisset et validum praeiudicium in favorem Dualismi reliquisset, quum tamem Monotheismum ubique strenue propugnet [2]. Quae ratio urgetur ex ipsa voce initiali בְּרֵאשִׁית, de qua iam alibi satis diximus [3]. - γ) Porro traditio idem omnino vindicat. Licet enim Septuaginta ponant ἐποίησεν, et Aquilas ἔκτισε, omnes versiones antiquae, etiam superius allata Arabica, habent vel ipsam vocem ברא, vel aliquam similem, quae significat effectionem ex nihilo [4].

c) Iam conspectus offerendus est totius descriptionis Mosaicae, ut uno veluti ictu oculi tota narratio comprehendi possit, ponendo ex una parte successionem dierum et ex altera parte varia quae de singulis diebus enarrantur [5], scilicet edictum, impletio [6], descriptio [7], appellatio, laudatio [8], benedictio et successio.

Circa quam synthesim pauca animadvertere liceat. α) Inter textum graecum et latinum tria discrimina occurrunt [9]. α') In opere secundae diei textus graecus habet verba: « καὶ ἐγέ- « νετο οὕτως » ante verba: « καὶ ἐποίησεν »; latinus autem, concordans cum hebraico, haec ponit ante verba: « vocavitque Deus firmamentum ». β') In opere tertiae diei textus graecus

[1] « Um lediglich die göttliche Schöpferthätigkeit zu bezeichnen und sie dadurch « aus der Aehnlichkeit menschlichen Thuns und Bildens herauszuheben, ein Wort, « das in so exclusiver Bedeutung weder im Griechischen noch im Lateinischen oder « im Deutschen wiederzugeben ist » (*Proleg. zur Gesch. Isr.*, p. 321. Berlin 1883).

[2] Hanc rationem bene invenis expositam a Cl. Hummelauer (op. cit. p. 8).

[3] Utrum versio Targ. Pseudojon « in Sapientia בחוכמה » derivetur a Sap. VIII, 22, an ex Col. I, 16, incertum est.

[4] Ita Samaritana habet vocem טלמס (Cf. HAULEN, l. c. p. 13).

[5] Hanc tabellam, parumper immutatam et dilatatam, quoad maiorem partem ex Hummelauer desumpsimus (*Comm. in Genes.* p. 84).

[6] In opere sextae diei impletio exprimitur non immediate post ipsum opus, sed post verba quae Deus primis hominibus dixit.

[7] In primo die descriptio continetur in solo verbo « vidit », utpote in quo tota ratio lucis continetur.

[8] In opere primae diei laudatur lux antequam nomine proprio nominetur.

[9] Cf. STIER und THEILE, (*Poliglotten-Bibel zum praktischen Handgebrauch*).

habet sententiam, quae in utroque alio textu deest: « Καὶ « συνήχθη τὸ ὕδωρ τό ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς « αὐτοῦ, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά ». γ') In opere quintae diei verba « καὶ εγένετο οὕτως » desunt in utroque alio textu. - β) Dies sex per quos Deus operatur, ita describuntur ut procedant de vespere in mane: וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם. - γ) Iam huiusmodi dies praecesserunt, antequam describatur creatio solis in lucem diei et lunae in noctem. - δ) Duae occurrunt dies in quibus opera duo, licet sat distincta, narrantur effecta: α') Tertia enim die, discreta est arida ab aquis, et arida adornata est plantis, seu vita vegetali; β') sexta die creata sunt simul animalia terrestria et homo; ita ut, licet discrimen sit longe maius inter homines et quadrupedes terrestres, quam inter istos et pisces, pisces tamen et quadrupedes narrentur diverso die, homo vero et quadrupedes eodem die creati. - ε) Ter Deus benedicit: bis ad excitandam et faecundandam vitam animalium et hominum, die quinto et sexto; demum ad diem septimum uti sacrum proclamandum. - ζ) Consideranti locum, quem in narratione occupat creatio distincta solis atque stellarum, apparet, quatuor primos dies exhibere constitutionem tum caeli tum terrae; opus autem diei quintae et sextae contrahi ad terram animantibus et hominibus implendam. Quae utique constituunt complementum ornatus eius; ita tamen ut iam opus diei tertiae describat primum telluris ornatum, qui vita vegetativa constat. Plantae enim et ligna pomifera sunt sane ornamenta terrae iucundissima. Quare non omnino placet, *a parte rei,* distinctio in duo tridua, quorum prius exhibeat operis distinctionem, alterum operis ornatum. Nam opus diei tertiae iam in sua altera parte continet ornatum terrae; et opus diei quartae non describit dumtaxat caeli ornatum, sed eius constitutionem per solem, lunam et stellas, quae utique simul eum adornant. Sed, uti videbimus, *a parte scribentis* haec distinctio est tenenda. Quousque autem per opus primi tridui describantur regiones, quae per opus alterius tridui exercitibus caelestibus et terrestribus impleantur, infra patebit [1].

Ecce iam, iuxta praemissa, totius narrationis conspectus.

[1] Hanc sententiam nuper in laudato opere strenue defendit ZAPLETAL, contradicente inter alios VETTER (*Theol. Qtlschr.* Tübigen, 1903, II).

CONSPECTUS SYNOPTICU

	Prima dies: *a)* lux (v. 3-5);	*Secunda dies:* *b)* firmamentum (v. 6-8);	*Tertia dies:* *c)* mare et arida (v. 9-10);	*d)* plantae (v. 11-13);
Edictum.	Dixitque Deus: Fiat lux.	Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum.	Dixit vero Deus: Congregentur etc.	Et ait: Germin terra etc.
Impletio.	Et facta est lux.	(Et factum est ita) καὶ ἐγένετο οὕτως.	Et factum est ita.	Et factum est it
Descriptio.	Et vidit Deus lucem, etc., appellavitque etc.	(Et fecit Deus firmamentum etc.) καὶ ἐποίησε κ. τ. λ.	καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ κ. τ. λ.	Et protulit terr etc.
Appellatio.		Vocavitque Deus etc.	Et vocavit Deus aridam terram etc.	
Laudatio.	Vidit .. quod esset bona.	καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν.	Et vidit Deus, quod esset bonum.	Et vidit Deus, quod esset bonum
Benedictio.				
Successio.	Factumque est vespere et mane, dies unus.	Et factum est vespere et mane, dies secundus.	Et factum est vespere et mane, dies tertius.	

›SMOGONIAE MOSAICAE.

uarta dies: luminaria [v. 14-19);	*Quinta dies:* *f)* aquatilia et volatilia (v. 20-23);	*Sexta dies:* *g)* animalia terrestria (v. 24-25);	*h)* homo (v. 26-31);	*Septima dies:* quies ab opere (II, 2, 3).
ıt autem Deus: ınt luminaria etc.	Dixit etiam Deus: Producant aquae etc.	Dixit quoque Deus: Producat terra etc.	Et ait: Faciamus hominem etc.	
factum est ita.	καὶ ἐγένετο οὕτως.	Factumque est ita.	Et factum est ita (v. 31)	Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit, etc.
ecitque Deus luminaria etc.	Creavitque Deus cete etc.	Et fecit Deus bestias etc.	Et creavit Deus hominem etc.	
t vidit Deus, od esset bonum.	Et vidit Deus, quod esset bonum.	Et vidit Deus, quod esset bonum.	Viditque Deus cuncta quae fecerat. et erant valde bona.	
	Benedixitque eis dicens, etc.		Benedixitque illis Deus etc.	Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, etc.
Et factum est spere et mane, dies quartus.	Et factum est vespere et mane, dies quintus.	Et factum est vespere et mane, dies sextus.		

d) Demum ponderandus est sedulo nexus existens inter versum primum et secundum atque sequentes. Estne primus versus mere syntheticus totius descriptionis sequentis; an affirmatio initialis operationis Dei materiam primam e nihilo efficientis, circa quam deinceps operetur? In priori sententia, versus primus ita explicari potest: « In initio temporis, sive universi, Deus creavit caelum et terram. Ecce autem quomodo in hoc opere processit. Terra erat inanis et vacua, etc. ». In altera sententia sensus erit: « In ipso exordio primo rerum omnium quae extra Deum exstant, Deus creavit de nihilo elementa caeli et terrae. Terra autem erat inanis et vacua ». Hanc alteram sententiam praeferendam esse putamus, tum ob rationes allatas in *b*) β), tum quia nexus ita melius apparet inter versum primum et secundum (וְהָאָרֶץ). Efficacius in hac altera sententia vindicari posse vim vocabuli ברא tamquam creationem proprie dictam significantis, manifestum est. Nec debet urgeri prima sententia ex versu quarto capitis sequentis, ob rationes quas superius attulimus de hoc versu disputantes.

Et haec de ipso textu Hexaëmeron pro scopo nostro satis.

II. Brevis conspectus historicus exegeseos Hexaëmeron [1].

Interpretatio cosmogoniae biblicae a primis temporibus usque ad tempora nostra, quatuor praesertim aetatibus distingui potest: iudaica, patristica, proto-scholastica, deutero-scholastica.

A) Auctores Iudaei qui Mosaïcam narrationem interpretati sunt, alii sunt inspirati, alii non. 1) Inspirati auctores *a*) alii inculcant dogmaticas veritates in cosmogonia contentas, scilicet creationis ex nihilo [2], creationis in tempore [3], Sapientiae personalis per quam omnia sunt condita [4]; - *b*) alii lyrice sive poëtice ortum rerum illustrant [5].

[1] Consule de hoc argumento Cl. Hummelauer, fontesque ibidem assignatos (*Comment. in Gen.* p. 49, sqq.).

[2] II. Mach. vii, 38.

[3] Prov. viii, 23, sqq.; Eccli. xxiv, 14.

[4] Prov. iii, 19, sq.; viii, 22, sq.; Sap. ix, 9; Eccli. xxiv.

[5] Ps. ciii; Iob. xxxviii; etc.

2) Non inspirati autem ab originali nitore et sobrietate deflectunt, sive sensum litteralem exaggerantes [1] fabulisque permiscentes, sive sensum allegoricum unice evolventes; e quibus Philo materiam ponit aeternam, lucem interpretatur angelos, diesque reales omnino excludit.

B) In aetate Patristica iuvat distinguere scriptores Graecos seu Orientales et Latinos. 1) Apud Graecos duplex tendentia distinguitur, quam vocare licebit alteram idealisticam, alteram realisticam.

a) Idealistarum parens est Origenes, qui, animadvertens, lucem ante sidera creari non potuisse, omnia interpretatur de creatione simultanea, iuxta illa verba: « Creavit omnia « simul » [2], et illud ipsius Geneseos: « In die, quo fecit Domi- « nus caelum et terram » [3]. Insuper Origenes multa explicat in sensu allegorico: ita caelum intelligit angelos; abyssum, infernum; aquas superiores et inferiores, angelos bonos et malos; solem et lunam, Christum et Ecclesiam [4].

In interpretationem creationis simultaneae Athanasius [5] haud secus ac Origenes [6] pronus videtur [7].

Ex opposito S. Ephraem antesignanus apparet interpretationis litteralis; tenet enim creationem successive, - utique ex nihilo et in tempore, - per totidem dies naturales, a vespere ad vesperam effectam. Non admittit, angelos significari per « caelum »; imo, - in quo recte dissentit Iacobus Edessenus, et cum eo postea plerique, - per « spiritum Dei » qui super aquas ferebatur, intelligit simpliciter ventum. Quum dies teneat naturales, putat die quarta arbores una die ex humo natas esse et ad faecunditatem pervenisse. Astra putat efformata ex ipsa luce ab exordio creata, sed condensata.

[1] Cf. IV Esdr. vi, 38, sqq.

[2] Eccli., xviii, 1.

[3] Gen., ii, 24.

[4] *In Hexaëm.* (*P. G.* xii, 145, sqq.); *De Princ.* l. iv, n. 15 (Ibid. xi, 376, sq.); *Ctr. Cels.* l. vi, n. 60 (Ibid. 1380); etc.

[5] Apud Athanasium primo occurrit argumentum deductum ex verbis « *Faciamus* hominem », ad demonstrandam in uno Deo pluralitatem personarum.

[6] Ante Origenem nonnisi pauciora de cosmogonia apud scriptores sacros occurrunt (Cf. Hummelauer, op. cit. p. 50).

[7] Or. 2. ctr. Arian. — *P. G.* xxvi, 276.

S. Ephraem Syro, praeter alios [1], adnumerandi sunt imprimis S. Chrysostomus, S. Basilius et S. Gregorius Nyssenus, passim schola Antiochena.

Hoc apud S. Chrysostomum valde notandum est [2], quod Moysen affirmet prophetico afflatu cosmogoniam eructasse, prophetando non quidem futura, sed in primordiis rerum absconse acta. Quem loquendi modum, a pluribus deinceps admissum [3], Severianus Galabit. expressius declarat his verbis: « Haec historia Moysis legislatoris scriptum est et Spi-« ritus Sancti revelatio, continetque creationem Dei virtute « factam, per propheticam vero gratiam Moysi revelatam. « Non enim haec Moyses ut historiographus dixit, sed ut « propheta: illa quippe dixit, quae non viderat, et illa nar-« ravit, quorum spectator non fuerat. Ut enim pridem tria « esse prophetiae genera diximus, primum verbo, secundum « opere, tertium opere et sermone: sic nunc tres prophetiae « partes statuimus, prophetiam de praesentibus, prophetiam « de futuris, et prophetiam de praeteritis... Moyses quae ante « evenerant, aperuit; alii, quae ventura erant. Accipienda « igitur historia haec non ut narratio, sed ut prophetia ve-« raciter a Spiritu S. prolata » [4].

Quae sententia est quidem magni momenti pro illis, qui credunt, Moysen fuisse ad hanc cosmogoniam scribendam superne illuminatum; non autem videtur directe adduci posse ad corroborandam sententiam quae contendit, ordinem quo Moyses cosmogoniam describit, non esse historicum, sed ordinem visionis divinitus habitae [5].

In S. Basilio et S. Gregorio Nysseno commendanda est rerum naturalium peritia, quam, pro hac aetate summam, in Scripturae persecutione adhibere studuerunt; unde iure parentes vocari possunt illius systematis, quod concordantiae audit, at servatis dierum naturalium spatiis. Nonnulla in his conaminibus notatu digna. Per primum triduum S. Basilium putat, diem et noctem esse producta per expansionem

[1] Uti Diod. Tars., et Theod. Mops. (*P. G*, XXXIII, 561, sq.; LXVI, 636, sq.).

[2] Homil. I in Genes. — *P. G.* LIII, 27, sq.

[3] Cf. S. Greg. Nyss. (*Hexaëm.* — *P. G.* LXIV, 68); Iunilium Africanum (*Instit. regul.* l. I, c. 3, sq.), etc.

[4] Or. 1. in mundi creation. (*P. G.* LVI, 431).

[5] Forte hoc nimis urget laudatus HUMMELAUER (op. cit. 52).

et contractionem lucis; aquas autem superiores existimat in statu vaporoso, non liquido. Astra Gregorius orta dicit ex particulis a rotante luce seiunctis et in corpora distincta veluti conflatis.

In scriptis horum Patrum apparet magna sinceritas, et studium ardens tuendi textum sacrum a derisionibus impiorum. Difficultas mota ex sole quarta dumtaxat die creato, quum tamen iam antea tres dies numerentur, eos reperit omnes tantopere sollicitos, ut insulsa prorsus appareat haec modernorum vanitas, quasi hanc difficultatem primo ostenderit aetatis recentioris progressio. Nihil e contra vetustius, tum convinciis inde ab incredulis contra Scripturam motis, tum zelo defensorum revelatae veritatis ad eadem depellenda. Nec praetereunda solutio quam suggerit S. Cyrillus Alexandrinus, solem non tunc esse creatum, sed dumtaxat tunc apparuisse [1].

2) Iam ad Patres *Latinos* gressum moveamus. S. Hieronymus nonnisi pauca de hoc argomento scripsit, medium quasi iter tenens inter litterali et allegorico sensui addictos, plus tamen in priorem pronus [2]. S. Ambrosius vix a S. Basilio discedit [3].

S. Augustinus vero pluries et fusius cosmogoniae Mosaicae problema investigandum suscipit. Quare tum ob auctoritatem tanti viri, tum ob molem paginarum quas de hac quaestione conscripsit, eius menti perscrutandae parum immorandum duximus. Et quidem ab exordio dixisse iuvet, vix ullum scriptorem in hoc argumento ostendisse maiorem simul sinceritatem et libertatem. Quum se cerneret veluti undique premi sive ex difficultatibus textus, qualem habebat [4], sive ex adversariorum, imprimis Manichaeorum, obiectionibus et calumniis, sive ex proprii ingenii subtilitate, Augustinus, litterae addictus quousque res sinebat, audaces sublimesque hypotheses protulit spatium genuinae libertatis in immensum ampliantes. Quibus solutionibus, in se minus probabilibus hodie-

[1] *Glaph. in Gen.* l. I, — *P. G.* LXIX, 17.

[2] *Quaest. hebr. in Gen.;* Epist. 69 *ad Ocean.* — *P. L.* XXIII, 935; XXII, 659.

[3] *Hexaëm.* — *P. L.* XIV, 123.

[4] Ita v. gr. S. Augustinus legebat GEN. II, 3: « Cum factus est dies, fecit Deus « caelum et terram ». Quae sane lectio sicuti difficultatem non parum augebat, interpretationem dierum qualem induxit, valde stimulabat.

que forsan vix amplius afferendis, maximas sibi laudes in aevum meritus est, ostendendo quam late pateat catholicae interpretationis in hoc problemate campus.

Prima vice de cosmogonia Augustinus, nondum episcopus, disputavit in opere cui titulus: « *De Genesi contra Mani-* « *chaeos* », anno 389 confecto; quo in opere ita sensui litterali adhaeret, ut tamen in explicanda indole dierum iam aliquid allegorici inducat. De verbis: « Et factum est vespera, « et factum est mane dies unus » ait: « Et hic calumniantur « Manichaei, dum putant ita dictum esse, quasi a vespera dies « coeperit. Non intelligunt operationem illam, qua lux facta « est, et divisum est inter lucem et tenebras, et vocata est « lux dies, et tenebrae nox: hanc ergo totam operationem « non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem ope- « rationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia « etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transiisse « dies unus, nisi etiam nocte transacta, cum factum est mane; « sic deinceps reliqui dies conputantur a mane usque in « mane. Nunc enim cum factum est mane, et transactus est « unus dies, incipit operatio, quae sequitur ab ipso mane « quod iam factum est; et post ipsam operationem fit ve- « spera, deinde mane, et transit alter dies; atque ita deinceps « caeteri dies transeunt » [1]. - Et paulo inferius, respondens difficultati motae ex tarda apparitione solis, affert: « Hic « primo quaerunt, quomodo quarto die facta sint sidera, id « est, sol et luna et stellae », haec « Restat ergo ut intelli- « gamus in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones « operum sic appellatas, vesperam propter transactionem « consummati operis, et mane propter inchoationem futuri « operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia « plerumque a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. « Habent enim consuetudinem divinae Scripturae de rebus « humanis ad divinas res verba transferre » [2]. Ipsam autem difficultatem solvit dicens, quarto die non quidem facta esse

[1] *De Gen. ctr. Manich.* l. I, c. 10. — *P. L.* XXXIV, 180. sq.

[2] Ibid. c. 14, n. 20. — Col. 183. — Quam facile hic modus loquendi possit allegorice dilatari, liquet. Mens tamen Augustini hic unice est illustrandi per humana nostra opera, cur in Scripturis dies numerentur per vesperam et mane. Nonne Cl. HUMMELAUER videtur hic scopum Augustini allegoricum nimis urgere (op. cit. p. 53)?

diem et noctem, sed diem assignatam principatui solis, noctem vero principatui lunae. « Quae duo iam divisa erant, sed « nondum inter sidera, ut iam certum esset, de siderum « numero, quid per diem, quid per noctem appareret homi- « nibus » [1].

Quatuor interiectis annis, Augustinus maius de hoc argumento opus inchoavit, sed crescente difficultate scribenti dum scriberet, imperfectum reliquit, ut ipse humiliter fatetur: « In scripturis exponendis tirocinium meum sub tanta sarci- « nae mole succubuit » [2]. Voluit nihilominus hunc conatum « manere..., ut esset, ait, iudex..., rudimentorum meorum in « enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis » [3]. In hoc opere, pressus imprimis difficultate mota ex die quarto, et ex loco Eccli. XVIII, 1. « Qui manet in aeternum, creavit omnia si- « mul », confugit ad allegoricam interpretationem dierum quae componi possit cum creatione instantanea, ita ut vespera dicat operum finitatem ob nihil ex quo facta sunt, mane vero eorumdem pulchritudinem. Caeterum in hoc libro multa continentur egregia, quae Augustini acumen ostendit atque libertatem. Ita Spiritum Dei, qui ferebatur super aquas, dicit tripliciter intelligi posse: de Spiritu Dei, « quem in ipso « ineffabili et incommutabili Trinitate veneramur », [4] de vitali principio, quod universum informat [5], de ipso aëre, uno e quatuor elementis, unde constat universum [6]. - Lucem primo die factam interpretatur de luce vel oculis manifesta vel occulta; et si occulta, vel corporea vel incorporea; et si incorporea, vel vitae animalis vel vitae spiritualis; et si vitae spiritualis, imo et angelicae. « Et fortasse quod quaerunt « homines, quando angeli facti sunt, ipsi significantur hac « luce, brevissime quidem, sed tamen convenientissime et « decentissime » [7].

Nec tacenda sententia, qua S. Augustinus viam aperit interpretationi altiori, independenti a temporali successione

[1] Ibid., n. 23, col. 184.
[2] *Retract.* l. I, 13. — *P. L.* XXXII, 613.
[3] Ibid.
[4] Op. cit., c. 4. n. 16. — *P. L.* XXXIV, 226.
[5] Ibid. c. 17. — Col. 226, sq.
[6] Ibid. n. 18, col. 227.
[7] Ibid. c. 5, nn. 20, 21, col. 227, sq.

rerum, quae tanquam successive creatae narrantur. « Quam-« quam sine productione temporis faciat Deus, cui subest « posse, cum volet; ipsae tamen naturae temporales motus « suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est; « " Et facta est vespera, et facta est mane dies unus », sicut « ratione prospicitur ita fieri debere aut posse, non ita ut fit « temporalibus tractatibus. Nam in ipsa ratione operationem « contemplatus est in Spiritu Sancto, qui dixit: " Qui manet « in aeternum, creavit omnia simul " [1]; sed commodissime « in illo libro quasi morarum per intervalla factarum a Deo « rerum disgesta narratio est, ut ipsa dispositio, quae ab infir-« mioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, « per huiusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis « cerneretur » [2].

In his quae habet de cosmogonia in *Confessionibus* [3], anno 400 editis, notanda apparet eadem mentis fluctuatio. Angelorum creationem significari putat per caelum in principio creatum [4]; terram autem putat informem, iuxta versionem quam legebat: « terra autem erat invisibilis et incom-« posita ».

In libro *De Genesi ad Litteram,* - quod veluti reassumptum est opus alterum imperfectum, et in quo, anno 401 inchoato, anno 416 edito, uti ipse modeste ait: « plura quae-« sita quam inventa sunt: quae inventa, paucioribus firmata; « caetera ita posita, velut adhuc requirenda sint » [5], - S. Augustinus eadem sinceritate et libertate mentis problema investigat, solutionesque suggerit idealisticas, quae campum interpretationis in immensum dilatant. Placet afferre modum spiritualem, quo de angelis et de angelorum cognitione explicat, quae in cosmogonia Mosaica dicuntur de luce et de diebus. Etenim eadem semper motus difficultate intelligendi lucem, necnon diei ac noctis successionem ante luminaria, e quibus haec corporaliter nunc derivant, Augustinus confugit ad lucem spiritualem, mentis scilicet Angelicae, quae cognoscit

[1] Eccli. xviii, 1.
[2] Op. cit. c. 7, n. 27, col. 231.
[3] Lib. xii, sq. — *P. L.* xxxii, 825, sqq.
[4] Hanc solutionem iam suggesserat in opere praecedenti (c. 3, n. 7, col. 223).
[5] *Retract.* ii, 24.

se, et successive alia opera divina senario numero distributa. Haec distributio facit dies, quorum vespera est cognitio angelorum et rerum in ipsis angelis et rebus; mane relatio eiusdem cognitionis ad laudandum Deum auctorem spiritualis lucis et universi.

Gradationem autem cognitionum ab ignorantia ad plenam Verbi lucem ita eleganter describit: « Multum quippe inter-
« est inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, et cogni-
« tionem eius in natura eius; ut illud merito ad diem perti-
« neat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius,
« quae in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua creatu-
« ram quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici
« potest; quae rursus tantum differt ab errore vel ignorantia
« eorum, qui nec ipsam creaturam sciunt, ut in eius compa-
« ratione non incongrue dicatur dies. Sicut ipsa vita fide-
« lium, quae in hac carne atque in hoc saeculo ducitur, in
« comparatione vitae infidelis atque impiae non irrationabi-
« liter lux et dies appellatur, dicente Apostolo: " Fuistis ali-
« quando tenebrae, nunc autem lux in Domino " [1]; et illud:
« " Abiiciamus opera tenebrarum, et induamus nos arma
« lucis; sicut in die honeste ambulemus " [2]. Qui tamen dies
« nisi rursus in comparatione illius diei, quo aequales angelis
« facti videbimus Deum sicuti est, ipse quoque nox esset;
« non hic prophetiae lucerna indigeremus. Unde apostolus
« Petrus dicit [3]: " Habemus certiorem propheticum sermonem,
« cui bene facitis intendentes sicut lucernae lucenti in obscuro
« loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus
« vestris » [4].

Quae pulchre excogitata et dicta ad angelorum cognitionem ita applicat: « Quapropter cum sancti angeli, quibus
« post resurrectionem coaequabimur [5], si viam, quod nobis
« Christus factus est, usque in finem tenuerimus, semper
« videant faciem Dei, Verboque eius unigenito Filio sicut
« Patri aequalis est, perfruantur, in quibus prima omnium

[1] Ephes., v, 8.
[2] Rom. xiii, 12, 13.
[3] II. Petr. i, 23.
[4] *De Gen. ad litt.* l. iv, c. 23. — *P. L.* xxxiv, 312, sq.
[5] Matth. xxii, 30.

« creata est sapientia; procul dubio universam creaturam, « in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei « prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae tempora- « liter facta sunt, aeternae rationes tanquam in eo per quod « facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, quam sic « noverunt tanquam infra despicientes, eamque referentes « ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes « secundum quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo « tanquam per diem unde et concordissima unitas eorum « eiusdem veritatis participatione dies est primitus creatus; « hic autem tanquam per vesperam. Sed continuo fit mane « (quod in omnibus sex diebus animadverti potest), quia non « remanet angelica scientia in eo quod creatum est, quin « hoc continuo referat ad eius laudem atque charitatem in « quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur; « in qua veritate stando dies est. Nam si vel ad seipsam « natura angelica converteretur, seque amplius delectaretur, « quam illo cuius participatione beata est; intumescens super- « bia caderet, sicut diabolus: de quo suo loco loquendum « est, cum de serpente hominis seductore sermo debitus fla- « gitabitur »[1].

Unde in eodem allegorico, idealistico conceptu perseverans, explicat cur sex diebus non addatur nox: « Quia ergo « angeli creaturam in ea ipsa creatura sic sciunt, ut ei scien- « tiae electione ac dilectione praeponant quod eam sciunt « in Veritate, per quam facta sunt omnia, participes eius « effecti; ideo per omnes sex dies non nominatur nox, sed « post vesperam et mane dies unus; item post vesperam et « mane dies secundus; deinde post vesperam et mane dies « tertius; ac sic usque in mane sexti diei, unde incipit sep- « timus quietis Dei, quamvis cum suis noctibus, dies tamen « non noctes narrantur. Tunc enim nox ad diem pertinet, « non dies ad noctem, cum sublimes et sancti angeli id quod « creaturam in ipsa creatura noverunt, referunt ad illius « honorem et amorem, in quo aeternas rationes quibus creata « est, contemplantur; eaque concordissima contemplatione « sunt unus dies, quem fecit Dominus[2], cui iniungetur Ecclesia

[1] Ibid. c. 23, col. 313.
[2] Ps. CXVII, 24.

« de hac peregrinatione liberata, ut et nos exultemus et « iucundemur in eo » [1].

E subsequentibus scriptoribus S. Gregorius Magnus [2] et Beda noster [3] sensui litterali magis adhaerent; alii, uti S. Isidorus [4] et Alcuinus [5], potius sequuntur S. Augustinum.

C) Scholastica aetate priori, quam proto-scholasticam vocavimus, duplex via, altera magis in litteram, altera magis in alterum sensum intendens, a variis auctoribus inita est.

Sensui litterali cum Ven. Beda magis adhaerent Rhabanus et Hugo Victorinus; idealisticum sensum spiritualem prosequitur Rupertus noster, dies ideales non reales, et in luce primordiali angelos intelligens.

In periodo maximae efflorescentiae disciplinae scholasticae, praedominans fuit interpretatio litteralis; opiniones tamen sive dubia S. Augustini de luce spiritualiter et de diebus idealiter intelligendis, ob auctoritatem tanti Doctoris cum reverentia adducebantur [6] uti mox ex ipso S. Thoma videbimus. Imo in Commentario Lombardi Aquinas in eam inclinat: « Moyses rudem populum de creatione instruens, « per partes divisit, quae simul facta sunt. Ambrosius vero et « alii Sancti ponunt ordinem temporis in distinctione rerum « servatum; et haec quidem positio est communior et magis « consona videtur litterae quantum ad superficiem; sed prior « est rationabilior et magis ab irrisione infidelium sacram « Scripturam defendens.... et haec opinio plus mihi placet [7] ».

D) Sed ecce in deutero-scholastica periodo studia linguae hebraicae reviviscunt; e quibus paulatim adminicula desumuntur efficaciora ad litteram sacram perite interpretandam. Non inde tamen qui haec studia nutriunt, ab idealistica explicatione recedunt. Ita Caietanus, et Melchior Canus ad

[1] Ibid. c. 25.

[2] *Moral. in Iob.* XL. 10. — *P. L.* LXXVI, 644, sq.

[3] *Hexaëm.* (*P. L.* CI, 1).

[4] *Quaest. in Gen.;* sent. I, 10.

[5] *Interr. et resp. in Gen.* — *P. L.* c. 515.

[6] Imo Albertus Magnus in Augustini sententiam sat pronus fuit. (In II dist. 12, a. 1. et in Summa *De quatuor coaevis*).

[7] II Sent. dist. XII, q. 1. a. 2. — Cf. *Summ. theol.* I. Q. LXXIV, a. 2.

creationem simultaneam redeunt. In hac periodo communior evadit opinio, astra die quarto dumtaxat apparuisse, licet ab initio exstiterint.

Zelum originalis textus consulendi non parum stimularunt ps. Reformatores, quippe qui, catholicam traditionem respuentes, ad fontes scriptos redire cogebantur. Ipsi vero in miraculosam magis quam in naturalem explicationem proni, quum passim dies naturales urgerent, parum de concordia inter revelationem et scientiam hoc tempore meriti sunt [1].

Inter exegetas huius aetatis laude speciali dignos eminent sane Parerius, Cornelius a Lapide et Calmet.

Quantopere autem progressio scientiarum naturalium enucleandae cosmogoniae Mosaicae contulerit, apprime liquet. Geocentrismus, a Ptolemaeo dictus [2], cedit heliocentrismo a Copernico invecto [3]; Leonardus da Vinci geologica strata et petrefacta scrutatur; legem gravitatis universalis firmat Newtonius; Laplacius hypothesim suam eruditis elucubrationibus fulcit. Ita viae aperiuntur undique ad novas de cosmogonia Mosaica investigationes atque sententias, quarum praecipuas iam breviter exponere et discutere iuvat.

III. Praecipuae sententiae catholicae discutiuntur.

Sententiae quae propugnantur a catholicis viris, - catholicos nomino sollicitos de vindicanda cosmogonia Mosaica a conviciis eorum, qui Scripturam Vet. Test. tanquam librum qualemcumque habent, quem scilicet, ubi fabulis vel ineptiis indulget, absque scrupulo deridere et despicere liceat, - in duas magnas classes seu categorias distribui possunt, secundum quod de concordantia inter Scripturam et scientiam sunt non tantum indirecte, sed directe sollicitae, necne.

Missa igitur sententia eorum, qui narrationem Mosaicam ex toto aequiparant mythis, quales ethnicae cosmogoniae

[1] Cf. Zoeckler (*Geschichte der Beziehungen zwischen Theologie und Naturwissenschaft.* — Guetersloh 1877-1879).

[2] Aristoteles non parum contulit ad hoc systema sua auctoritate firmandum.

[3] Iam aliquid de hoc systemate, motum scilicet telluris circa centralem ignem agnoverant Heraclides, Sponticus et Pythagorici.

exhibent, ac proin, uti fabulis plenam depellunt, primo dicamus de sententiis quae Geneseos exordium putant exhibere verum ordinem historicum quo, universum a Deo conditum est atque multiplici vita ornatum; dein de sententiis quae ab hoc vero ordine historico plus minusve abstrahunt.

Sed ut ab initio via tenenda facilius conspiciatur, placet praemittere tabellam opinionum, quas ex ordine exponendas et discutiendas aggredimur.

- A) Sententiae cosmogoniam *historice* explicantes:
  - 1) dies naturales:
    - *a*) strata formata per diluvium (Diluvianistae) (*1*),
    - *b*) strata formata ante diluvium (Restitutionistae) (*2*);
  - 2) dies-periodi (sententia Periodistae):
    - *a*) sensu pressiori (Concordistae) (*3*),
    - *b*) sensu latiori (*4*), (dies cosmici) (*5*);
- B) Sententiae aliter cosmogoniam explicantes:
  - I) *idealistice:*
    - 1) recurrentes ad *visionem*
      - *a*) angelorum (*6*);
      - *b*) ipsius Adami:
        - α) simpliciter (*7*),
        - β) cum fundamento successionis a parte rei (*8*);
    - 2) citra visionem:
      - *a*) liturgice (*9*),
      - *b*) poëtice (*10*),
      - *c*) allegorice-analytice (*11*),
      - *d*) logice-dogmatice (Sabbatistae) (*12*);
  - II) *traditionalistice:*
    - 1) ex mythis (Mythicistae)
      - *a*) simpliciter (sententia damnata) (*13*),
      - *b*) ex mythis castigatis (*14*);
    - 2) citra mythos, ex antiqua traditione orali (*15*).

A) Inter sententias primae categoriae 1) primo loco assignandae sunt omnes interpretationes, quae dies Mosaicos in sensu litterali intelligunt. Hae autem aetate nostra in tres praecipue sententias specificas distribuuntur. *a*) Prima sententia est *Diluvianistarum (1),* eorum scilicet qui strata, qualia nunc cernuntur, convulsionibus tribuunt quae diluvii tempore acciderunt; unde putant illi, haec strata nihil efficaciter concludere contra opus sex dierum uti in Scripturis narratur.

Huic sententiae subscribunt inter alios Keil [1], Laurent [2], Sorignet [3], Gatti [4], Bosizio [5], Trissl [6].

Haec autem sententia, licet magna auctoritate extrinseca gaudeat, ob tot Patres et Scholasticos, qui, - secluso munere quod diluvio tribuit, - interpretationi dierum naturalium adhaeserunt, vix amplius tenenda videtur.

Sane, si agatur de absoluta possibilitate, Deus potuisset intra sex viginti quatuor horarum condere mundum et universum, quorum tamen structura in se spectata effectus videretur evolutionis per longa saeculorum spatia peractae. Sed, quaeso, quonam spectaret ista prope deceptio? Insuper quaestio non est de possibilitate, sed de facto. Porro ubi factum quaeritur, miracula non sunt sine necessitate multiplicanda. Iam monebat S. Augustinus, haec problemata non esse solvenda « secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia « sunt... Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas « rerum, secundum Scripturas eius nos convenit quaerere; « non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiae velit « operari » [7].

Iam vero ex una parte non datur ratio sat cogens, quae impediat sex dies, quos enumerat Scriptura, intelligi sensu latiori. Ex altera parte, ad semovendas difficultates contra litteralem acceptionem horum dierum motas inductio diluvii parum iuvat. Diluvium quidem strata manifestaverit, sus deque vertens, atque ditaverit; non autem illa ex toto efformare potuit. Insuper difficultates motae contra dies in sensu litterali intellectos, non unice a stratis proveniunt; sed a creatione lucis, a formatione telluris, a die quo sol, luna et astra effecta narrantur, a productione et evolutione plantarum, etc., quemadmodum mox fusius apparebit.

[1] *Biblischer Commentar über die Bücher Mose's.* — Leipzig. 1866.

[2] *Etudes géologiques, philologiques et scripturales sur la cosmogonie de Moïse.* — Paris, 1863.

[3] *La Cosmogonie de la Bible,* etc. — Paris 1854.

[4] *Institutiones apologetico polemicae,* 1867.

[5] *Hexaëmeron u. die Geologie.* — Mainz 1865; — *Die Geologie u. die Sündfluth.* — Mainz 1877.

[6] *Sündfluth oder Gletscher? — Das biblische Sechstagewerk;* — München-Regensburg 1894.

[7] *De Genes. ad litt.* l. II, c. 1, n. 2. — *P. L.* XXXIV, 263.

b) Quae ultimae animadversiones valent pariter contra dictos *Restitutionistas (2),* qui formationem stratorum ponunt ante opus sex dierum, scilicet inter primum et secundum versum Geneseos; quatenus, iuxta theoriam ineunte saeculo XIX a Cuvier inductam, singulae periodi per quas strata producta sunt, immanibus ab invicem separantur catastrophis, quarum ultima reliquit terram in statu Thohu-vabohu. Huius sententiae praecipui patroni sunt Rosenmüller [1], Hetzel [2], Chalmers [3], Buckland [4] et Card. Wiseman [5].

Putamus, hanc sententiam melius quidem explicare formationem stratorum. Sed quoad alias difficultates in pari gradu stat cum sententia praecedenti. Sacro autem textui violentiam nimiam inferre videtur.

Nam prima verba Geneseos: « In principio creavit Deus « caelum et terram » vel dicunt primam effectionem elementorum, e quibus Deus sequentibus diebus caelum et terram discreta perfecit et ornavit; vel dicunt synthetice totum opus, quod in sequentibus enucleate narratur. Eadem vero verba significare primaevam quamdam creationem et efformationem, cui novum succedat instaurationis opus per sequentia descriptum, arbitrarium videtur nimis.

Putamus igitur neutram ex his sententiis dies in proprio sensu intelligentibus probabilitatem intrinsecam sibi vindicare posse. Extrinseca autem, uti diximus, auctoritate magna gaudet. Unde Suarez scribebat: « textum Genesis ad litteram « de die naturali, qui per spatium et durationem unius con« versionis primi mobilis fit, esse intelligendum. Haec est « communior sententia Patrum: Basilii, Ambrosii, Chryso« stomi, Bedae, Ruperti et Nazianzeni et Gregorii, et alio« rum, quibus Magister et Scholastici magis assertiuntur, « quamvis propter Augustini auctoritatem de illius sententia « valde modeste et temperate loquantur » [6]. Quin et nuper Stentrup, theologus optimi sane nominis, haec scripsit: « Cum

[1] *Antiquissima telluris historia.* — Ulm. 1776.

[2] *Die Bibel A. u. N. T.* — Lemgo, 1780.

[3] *Review of Cuvier's theory of the earth.* — Edinburgh, 1814.

[4] *Geology and mineralogy considered with reference to natural theology.* — London, 1848.

[5] *Twelve lectures,* etc. — London, 1849.

[6] *De opere sex dierum,* l. I, c. 11, n. 33.

« ceteris paribus rei natura pro nativa et ordinaria vocum « significatione praeiudicet, dies autem spatium quattuor et « viginti horarum significet, quousque theoria de periodis « firmioribus non sit vindicata argumentis, per " diem " Ge- « neseos spatium 24 horarum intelligendum putamus » [1]. Haec non transcribimus uti ex toto probanda, – nam et ipsa disiunctio: « aut dies 24 horarum aut periodi » incompleta nobis esse videtur, - sed ad ostendendum, quid etiam nunc scriptores tantae famae atque doctrinae de praesenti argumento senserint. Unde et T. Pesch. S. J. de eadem hoc iudicium profert: « Sententia illa, quae in littera sacrae Scripturae « haerens docet, mundum hunc per sex dies naturales for- « matum, reiicienda esse videtur, cum solido fundamento « careat. Cui tamen a priori absurditatis nota imprimenda « non est [2]. Deo sapientissimo profecto non poterant deesse « rationes, ut immediate per seipsum modo praeternaturali « et miraculoso conderet mundum, si ita ei placuisset » [3]. Et pergit adducendo easdem fere rationes a Suarezio olim ad hanc sententiam corroborandam adductas [4].

Qui dies Mosaicos in sensu litterali intelligendos contendunt, urgent verba « vespera et mane », utpote quae significationem habent manifestam, si sermo sit de diebus naturalibus; nullam autem si de periodis.

Multipliciter huic difficultati responderi solet. *a*) Et primo quidem patroni epocharum eisdem verbis utuntur, ut suam sententiam corroborent, quatenus, aiunt, nulla datur dies naturalis, quae incipiat vespera et claudatur mane [5]. - *b*) Esto, verba haec minus convenire periodis; at conveniunt diebus idealibus, si tota narratio in sensu ideali accipi possit. - *c*) Nec verum est, ea verba de periodis intelligi non posse. Nam α) sicuti periodus potest per diem exprimi; ita potest per partes diei illustrari, iuxta interpretationem, quam superius a S. Augustino audivimus. Opus scilicet per diem effectum

[1] *De Deo Uno,* n. 456. — Vix aliter Card. Mazzella. (Op. cit. p. 166, sqq.).

[2] Op. cit., p. 611.

[3] Loc. cit. c. 10, n. 25. — Eodem prope modo de hac sententia loquitur Illmus Katschthaler (*Theol. dogm.* t. I, p. 407).

[4] *De opere sex dier.* l. I, c. 10, n. 25.

[5] Hanc rationem valde debilem existimo, quia, non considerat praecedentem diem, qui utique vergit in vesperam, et locum cedit diei sequentia, quando pervenit in mane.

clauditur vespera; transit nox usque ad mane, tanquam intervallum ad praecedentem diem pertinens, potius quam ad sequentem [1]. β) Imo si verba ערב et בקר sumuntur non quidem in sensu « vespera » et « mane », sed in sensu originali confusionis (quae vespere occurrit) et aperitionis seu manifestationis (quae producitur mane), ערב potest significare terminum a quo operis efficiendi, בקר terminum ad quem operis perfecti [2]. Ex hisce rationibus validior nobis esse videtur secunda; caeterae plus habent speciei quam virtutis.

2) Alia igitur sententia, quae *Periodistarum* est, reiectis diebus naturalibus seu civilibus, dies Mosaicos intelligit totidem periodos longiori minorive spatio protrahendos iuxta indolem operum descriptorum. Qui huic sententiae adhaerent, conantur illustrare concordiam, quae existit inter narrationem Geneseos et cosmogoniam seu pressius geogoniam, qualis ex scientiis geologicis, astronomicis et palaeontologicis exhibetur. Unde patroni huius sententiae et *Concordistae* audiunt [3]. Possunt autem in duas praecipuas classes subdividi, secundum quod hanc concordantiam plus vel minus urgent [4].

a) *Rigidiores* itaque, uti Cuvier, Pianciani [5], Vigouroux [6], et nuperrime Kaulen [7], concordiam perfectam demonstrari contendunt inter cosmogoniam Moysis et inquisitiones scientificas. Differunt autem quoad nexum inter periodos. Dum enim alii per catastrophas putant periodos seiungi ab invicem; alii, uti C. Lyell, contendunt pacifice unam in aliam transiisse. Inde priores audiunt *Catastrophistae*, alii *Quietistae;* qui ultimi viam veluti sternunt ad Periodismum minus stricte dictum [8].

[1] Haec autem ratio, optima de die naturali, vix habet vim de die periodica, uti mox dicemus.

[2] Cf. Palmieri, vide mox dicenda de hac ratione (op. cit. p. 148, sq.).

[3] Hoc tamen nomen non illis convenit exclusive, sed specialiori titulo.

[4] Huc afferenda essent quaecumque scripserunt Pini, Henslerus, Deluc, André, Buckland, Daubuisson, Humbold, Steffens, Frayssinous, Nicolas, etc., etc., ad concordiam illustrandam inter res physicas et narrationem Geneseos.

[5] *In histor. creationis Mosaicam.*

[6] *Man. bibl.* I, n. 263, sq.

[7] Op. cit. — Adde Card. Satolli (op. cit., disp. III, lect. 6).

[8] Difficile interdum est dictu, utrum aliquis scriptor rigidioribus an minus rigidis Concordistis sit adnumerandus, v. gr., Lambrecht (op. cit., p. 173, sqq.).

b) *Minus rigidi* Periodistae admittunt quidem concordiam inter successionem, quae in cosmogonia Mosaica describitur et scientifica methodo demonstratur. Nolunt tamen hanc epocharum distinctionem nimis urgeri; imo aliqualem epocharum compenetrationem omnino admittendam esse existimant. Inter theologos huic sententiae addictos placet afferre Cl. Paquet et Chr. Pesch S. J. Prior existimat, sententiam de diebus-periodis probabiliorem esse, « dummodo non stricto « sed latiori sensu intelligatur » [1]; et alter adhuc latius thesim formulat: « vocabulo " diei " in primo capite Genesis merito « dicuntur respondere diuturnae temporis periodi, licet non « periodi geologicae » [2].

Alii theologi dies-periodos admittunt, quin expresse affirment, quousque concordiam stabiliri posse existiment inter narrationem mosaicam et geogoniam scientifica methodo acquisitam [3]. Ita Cl. Palmieri thesim formulat: « Etsi forma- « tionis opus successive per sex dies peractum esse dicatur, « nulla tamen necessitas ut dies genesiacus accipiatur pro eo « spatio temporis quod modo vulgaribus diebus continetur; imo « probabile est longius spatium temporis per eum designari. « Ratio vero in promptu fuit, cur illud spatium temporis « diei nomine appellaretur » [4]. Scilicet: « series earum epo- « charum exstitura erat typus hebdomadae, quae est men- « sura quaedam temporis nostri: septimus dies futurus erat « typus illius diei, quo ab operibus quiescere oportet Deum- « que laudare; cum ergo typo iure fiat appellatio eadem « qua ectypus appellatur (exemplar enim e. g. domus in « mente artificis potest et ipsum vocari domus), iure meri- « toque illae epochae sunt appellatae dies » [5].

Antequam penitius in Periodistarum seu Concordistarum sententiam investigemus, placet breviter praemittere, quid inquisitiones scientificae de ortu et formatione telluris hucusque probasse videntur.

Notum est, in duas partes abire geologos, secundum quod

[1] Op. cit., pag. 291.
[2] Op. cit., p. 43.
[3] Ita et Schwetz (op. cit. p. 361, sqq)
[4] Op. cit. th. xvi, p. 146, sqq.
[5] Ibid. p. 149.

in formatione telluris plus tribuunt elemento ignis vel elemento aquae, hinc *Plutonistae* (aut *Vulcanistae*) vel *Neptunistae* appellati [1].

Origenem ducit systema Plutonistarum a theoria Laplaciana [2], iuxta quam terra, ope rotationis a communi massa seiuncta, in initio ignitus erat globus vaporeus, cuius superficies, ob emissum semper magis magisque calorem, paulatim coepit solidari, crustaque circumduci immensis vaporibus obvoluta. Hinc vapore in aquam condensato, duplex elementum in tellurem agere coepit: ignis internus in corticem per foramina et per insitam virtutem iugiter agens; aqua exterior aliter et aliter afficiens tellurem pro indole conformationis aut perturbationis eiusdem. Triplex enim causa agere potuit in producendos montes et abyssos, ac proin in colligendas in maria aquas: aut pondus corticis igneam massam circumcingentis, aut impetus ignis interni, aut pondus aquarum corticem hic illic deprimentium.

Theoria quae plus in hisce tribuit aquis, magis magisque praevalet. Porro Neptunistae solent quinque distinguere periodos, quae quindecim circiter formationes complectuntur; periodis autem et formationibus respondent epochae telluricae, ita quidem ut periodi et epochae non semper eodem omnino gradu formationis discernantur, iuxta tabellam sequentem:

[1] Cf. de hoc argumento Reusch (*Bibel und Natur*), T. Pesch (op. cit, p. 598, sqq.), Coiluy (*Spicil.* a *Deo Creat.* Comment. I, 1. p. 187), Stöckl (*Philosophie.* t. II, p. 172, sqq.), Lambrecht (op, cit., p. 125, sqq.); — imprimis autem tractatus geologicos Delapparent. (*Traité de Géologie* II, p. scet. l. II, c. 2; *Abrégé de Géologie* l. II, p. 159).

[2] Theoriae Laplacianae praeluserat primo Cartesius, qui tamen in primordiali universi statu multiplicabat diversas dispositiones praeordinatas ad corpora a massa communi disiungenda. Postea Kantius simpliciori modo hanc massam universi primaevam concepit, at unice virtute attractiva dotatam. Laplacius autem praeter virtutem attractivam demonstravit necessitatem virtutis rotativae; ac ita systemati, quod eius nomine decoratur, scientificam formam contulit. Appellatur tamen etiam a nonnullis systema Kantianum-Laplacianum.

Quidquid autem sit de originali statu massae chaoticae primordialis, manifestum est tum esse eiusdem, cum suis latentibus virtutibus, fuisse totum a Deo creante, tum initialem rotationis motum a Deo movente. Quare inania prorsus evadunt conamina sive Materialistarum sive Pantheistarum, qui per hoc veluti embryonale universi exordium iugem evolutionem eiusdem explicare praesumunt, excluso, uti gratuito et inutiliter posito, creante et movente Deo.

Periodi:	Formationes:	Epochae telluris:
I. *Azoica* [1] (*archaica*):	1) Laurentina, 2) Cambrica vel Huronica:	I. Primaria; (1 vel 2-4)
II. *Palaeozoica:*	3) Siluriana, 4) Devoniana, 5) Carbonica, 6) Permica;	II. Secundaria; (5-9)
III. *Mesozoica:*	7) Triassica, 8) Iurassica, 9) Cretacea	
IV. *Caenozoica:*	10) Eocaena [2], 11) (Oligocaena) 12) Miocaena 18) Pliocaena	III. Tertiaria; (10-12)
V. *Recentior:*	(Tempora glacialia) 14) Diluviana vel postpliocaena, 15) Alluviana.	IV. Quartaria.

Quatuor primae periodi praehistoricae sunt.

Iam vero conferenti narrationem Mosaicam cum evolutione telluris, qualem inquisitio scientifica probabilius exhibet, apparet primo intuitu, quoad multa utramque convenire. Gradationem naturalem dari a prima creatione materiae informis usque ad creationem hominis, negabit nemo. Transitus autem per creationem lucis (opus 1ae diei); seiunctionem firmamenti et terrae (opus 2ae diei), separationem aridae et maris necnon productionem plantarum (opus 3ae diei), dein piscium, avium (opus 5ae diei) et terrestrium animantium usque ad hominem (opus 6ae diei), menti maxime arridet ob logicam gradationem; imo, - nisi urgeatur nimis periodorum distinctio, - ob globalem quamdam concordantiam huius evolutionis cum inquisitionibus geologicis et palaeontologicis.

Quin et moderna theoria evolutionis videtur per narrationem Mosaïcam corroborari potius quam impugnari. Quod enim in Genesi tribuitur tot operationibus divinis, potest intelligi, de tot praecipuis evolutionis geologicae et zoolo-

[1] Haec periodus non ex toto suum nomen meretur, nam secunda eiusdem formatio iam quaedam vitae vegetativae indicia servat; imo dubium est de prima formatione ob « eozoon Canadense ».

[2] Haec formatio non ab omnibus ita distinguitur.

gicae gradibus, iuxta vires ab ipso Deo primitus inditas rebus, et a Deo in hanc evolutionem ab exordio ordinatas et motas.

Triplex imprimis difficultas contra omne tentamen huius concordiae moveri solet, altera ex verbo ויום quod, aiunt, nequit significare periodos; altera ex opere quartae diei, quod certe nequit intelligi de periodo vera interiacente inter opera diei tertiae et quintae; tertia demum ex defectu concordiae inter successionem periodorum Moysis et vestigia in stratis telluris servata.

a) Prima quidem difficultas facilius depellitur; non tamen ita facile ac nonnulli existimare videntur. Esto, vocabulum יום per se sumptum posse significare non modo diem 24 horarum, sed tempus; quod apparet ex aliis locis Scripturae: v. gr., ex v. 4 capitis sequentis: « Istae sunt generationes « coeli et terrae, quando creata sunt, in die (בְּיוֹם) quo fecit « Dominus Deus caelum et terram »; pariter ex locutionibus sequentibus: « In tempore placito exaudivi te, et in die « salutis auxiliatus sum tui » [1], ubi parallelismus ostendit « manifeste, diem idipsum significare ac tempus; necnon, licet minus evidenter, quia hic potest adesse inde terminatione gradatio: « Venit tempus, prope est dies occisionis » [2]. - Esto, - uti contendit Vigouroux [3], - in sermone hebraico non dari aliud vocabulum praeter יום ad periodos designandas. - Obiectio depellenda non solum petitur a voce יומי, sed a vocibus coniunctio ערב et בקר, vespera et mane, quae certe indicare videntur, hic agi de vero die. Haec instantia a plerisque minis parum attenditur. Et sane aut haec verba demonstrant, agi de die in sensu litterali, qui quidem incoeptus mane, clauditur vespera et protrahitur usque ad alterum mane, diei sequentis exordium [4]; aut oportet ut in sensu

[1] Is. XLIX, 8.

[2] EZECH. VII, 7. — Longe minoris efficaciae sunt locutiones in quibus dies occurrit in plurali, v. gr.: « Erat Abraham senex, dierumque multorum » (GEN. XXIV, 1. — Cf. DEUT. XXXII, 7); idem die de locutione: « usque in praesentem diem » (EXOD. X, 6); de locutione « a die quo » (DEUT. IX, 24); de locutione « in die illo » (DEUT. XXXI, 17, 18); at efficacior haec occurrit alibi (ECCL. VII, 15).

[3] *Man. bibl.* I, n. 267.

[4] Recole pulchram explicationem S. Augustini superius allatam. Qua explicatione admissa, post opus per lucem dici completum, nihil magis naturale quam formula: « et factum est (completo scilicet opere) vespera et (nocte quietis ad eamdem « diem pertinente) mane, dies primus, secundus (scilicet ex toto transactus .

allegoricae diei, haec quoque verba sensum allegoricum accipere possint [1]. Iam vero quisnam erit iste sensus? Si dicis cum Cl. Tanquerey [2]: « vespere finem operis, mane autem « initium designat, quum homines mane soleant opera inci- « pere, et vespere ab eis cessare »: ergone, quum mane succedat vesperi, opera quae narrantur, a fine incepta sunt? Nam numerus diei appositus mensurat tempus quod praeteriit, non quod a mane novo incipit; secus legendum esset: « et factum est vespera, et factum est mane principium diei « primi, secundi », quod est omnino contra textum. - Si autem cum Cl. Palmieri [3] contendis, vesperam significare opus informe, mane vero opus perfectum: ergone per noctem et non per diem Deus operatus est? - Conclusio sit: non sine violentia quadam textui illata dies Mosaicos intelligi in mente scribentis de longis periodis, et non, - utrum ideo ordine stricte historico, mox investigabimus, - de diebus naturalibus, quibus hebdomada constat.

Patroni tamen huius interpretationis monent, periodos pariter occurrere in cosmogoniis Persarum et Etruscarum. In Persica, prout legitur in Zendavesta, Oromazdes supremi numinis primogenitus opus creationis a lumine inchoatum, per sex tempora protrahit, ac dein opere completo, festa agit quietis. In altera sex periodi sunt sex mille anni [4].

b) Altera difficultas sane maior consistit in opere diei quartae. Quae difficultas plures habet aspectus. Et sane α) quomodo intelligenda est lux iam primo die dividens dies a noctibus, ante solem a Deo creatum ut praesit diebus? - β) Quomodo concipi potest, solem, lunam et stellas nonnisi tunc fuisse creata? - γ) Quomodo potest admitti periodus interiacens inter creationem plantarum et piscium aviumque, per quam periodum astris ornati sint caeli?

In duplicem viam abeunt docti de concordia inter scientiam et historicam narrationem Geneseos solliciti. Alii totum id quod die quarta effectum esse narratur, ad phaenomena

[1] Lege hanc difficultatem optime expositam apud Cl. Hummelauer (op. cit., p. 61, sq.).

[2] Op. cit. t. I, p. 378. — Caeterum brevis expositio problematis apud hunc auctorem est lucida valde.

[3] Loc. citato.

[4] Cf. Perrone (op. cit. p. 85).

reducunt, quatenus astra iamdudum formata nonnisi tunc pulsis tandem vaporibus [1] apparere potuerunt. Scilicet qui adhaerent hypothesi Laplacianae, per « Fiat lux » primae diei intelligunt condensationem solis; cuius lux nonnisi quarto die atmosphaeram terrestrem penetravit.

Alii putant, re vera terram prius esse formatam sole, utpote quae, longe minor mole, potuit ab annulari vortice prius seiungi et in globum planetarum efformari longe ante constitutionem solis. Sed ista interpretatio non potest admitti de luna, quippe cuius dimensio longe minor est nostra tellure, et quae ideo prius hoc nostro orbe ad statum suum pervenisse dicenda est. Quaenam tunc fuerit illa lux existens ante formationem solis, aliter et aliter explicant. In quibus explicationibus id sane recte dicitur, solem non esse lucem, sed magnum pro nobis lucis productorem. Bene quidem, sed quisnam ante effectum solem talis pro terra productor fuit? [2].

Insuper salvaturne, quaeso, satis vigor textus sacri, si de mera tunc manifestatione intelligimus, quod in eo de formatione expresse affirmatur. Praeterea nonne modus quo stellae iuxta - ponuntur lunae, videtur esse alicuius, qui re vera putat, lunam stellis esse maiorem, ac proin effectionem stellarum, tanquam aliquid minus, sequi effectionem lunae?

c) Tertia difficultas petitur ex ipsis vestigiis plantarum et animalium, quae sat permixtim inserta iacent, quin tantum discrimen appareat inter vestigia plantarum, piscium, aliorumque animalium, ut eorum formatio totidem distinctis periodis assignari debeat. Et sane in periodo palaeozoica, iam a prima formatione Siluriana apparent animalia typi crustaceorum; permixtim occurrunt cum plantis, maxime marinis, plurima animalia inferiora, cum quibusdam amphibiis ac piscibus. In periodo mesozoica rariores fiunt plantae, at occurrunt magno numero saurii, quaedam aves et minora mammalia, dein arbores nonnullae. In periodo caenozoica apparent ingenti agmine mammalia omnis staturae; necnon, usque in regionibus septentrionalibus, arbores illae, quas nunc nonnisi regiones tropicae fovent; unde magnum sane

[1] Adde, aiunt, tempus requisitum ad hoc ut radii solis et stellarum ad nos pervenire potuerint. Sed haec ratio, parva pro sole, nulla est pro luna.

[2] Veriorem solutionem, — at non concordisticam, — infra videbimus.

argumentum prostat diversae conditionis, in qua quoad virtutem caloriferam terra nostra tunc temporis habebatur. Nonnisi in periodo interglaciaria apparent vestigia hominis [1]. Quare concordat quidem palaeontologia cum ordine narrationis Mosaicae quatenus hominis vestigia nonnisi ultima apparent; non autem quatenus creatio plantarum, piscium aviumque, et terrestrium animalium longis periodis ab invicem separatis tribuitur. Quid ergo?

Equidem existimo has difficultates sat magnas esse, ut prudens theologus ab urgendis periodis mosaicis stricte sumptis abstineat [2], et concordiam inter Mosaicam cosmogoniam sive geogoniam et scientias naturales largiori via vindicet. At non ideo neganda est quaedam temporis simul et ordinis successio, in evolutione generum ab inanimis elementis usque ad hominem [3]. Quae evolutio [4], si toties causam habuit Deum directe operantem, minus apparet cur tam ingentia spatia inter gradus huius entium scalae interponi deberent. Si autem, praeordinante et gubernante Deo, at viribus insitis sese evolventibus, - hypotesim exprimo, non propugno, - haec scala est perfecta, facilius intelliguntur diutiora interposita tempora [5]. Sed quid tunc de vestigiis tantopere permixtis?

[1] Paucis abhinc annis reperta sunt vestigia humana in regione Belgarum, necnon prope Rhenum, quae a quibusdam tanquam argumentum habita sunt existentiae hominis tertiarii. Sed haec opinio praemature emissa, iam obsoleta est. — Dum haec scribo, ecce ab amico accipio, hisce diebus, in sinu Colebi prope Mosam, haud procul a monasterio Maretiolensi, reperta esse ossa humana antiquissimae originis, de stirpe illa praehistorica Troglodytarum, cavernarum incola, ex aetate lapidis dicta.

[2] Fortiter Lagrange: « Ce système est jugé, parce que l'accord des jours et des « périodes ne se fait pas » (*Revue biblique,* 1896, p. 390).

[3] Hanc liberiorem concordiam in eadem ephemeride 1894 evolvit Robert. Bene iterum Lagrange: « La nature est allée de l'imparfait au plus parfait; et c'est « justement le procédé que doit suivre la Genèse pour que les bêtes puissent se nour- « rir des plantes et que l'homme, roi de la création, ne parût qu'après les animaux » (Ibidem p. 390, sq.).

[4] A tempore scilicet, quo incipit opus ornatus cum plantis inclusive.

[5] De mensura horum temporum vix aliquid determinati stabiliri potest, quum elementa ad aliqualem de his rebus certitudinem acquirendam deficiant. Optime Haughton, vir harum rerum peritissimus: « Respecting the question of absolute time « in geology, you must understand that we are perfectly and totally ignorant about « it, except so far as much speculations can throw light upon it. Indeed one of the » most enlightened of our geologists, Prof. Philipps of Oxford, recently in the Geological

Igitur nolim abiicere ex toto solutionem quam suggerunt Periodistae, modo tamen liberius quam propugnant concordiam intelligatur, talis scilicet, quae non impediat in quibusdam regionibus simul apparuisse animalia et pisces, licet quoad rei summam eo ordine extiterint producta quo narrantur a Moyse aut ab auctore exordii Geneseos. - Caeterum ab oculis non est dimittendum inquisitiones geologicas aut palaeontologicas hucusque factas, tantopere esse fragmentarias, ut nondum inde aliquid certi pro toto circuitu telluris stabiliri possit. Insuper si, quae supersunt fossilia, argumentum praestant sui; quot autem plantae et animalia nullum sui vestigium reliquerunt, deficientibus conditionibus requisitis ut conservari potuerint. Quare inductio ex his reliquiis facta, vix poterit unquam esse plene concludens.

Ex dictis sequitur, quid censeamus de forma quam sententiae Periodistarum nuper dedit Bourdais [1] (5), existimans, dies a Moyse enumeratos non esse naturales, nec tamen indeterminatas periodos, sed *dies cosmicos*. Cosmicus, dies scilicet ille est, in quo mensura unius anni astronomici adhibetur tanquam infima divisio, quae instans vocatur, sive sexagesima pars momenti, id est termillesima et sexagesima pars unius horae. Quum autem Babylonica hora esset duodecima pars diei, annus cosmicus ab antiquis agnitus [2] esset annorum 43.200, ac proin duratio Hexaëmeron annorum 259.000.

Quidquid sit de anno cosmico iam ab Abrahamo iuxta Bourdais cognito, systema dierum cosmicorum minus arridet quam systema periodorum, quum minorem relinquat interpretationi et concordiae libertatem [3].

« Society of London expressed his own doubts respecting what he calls the " geologi- « cal calculus " and the enormous drafts upon time which geologists frequently feel « themselves compelled to make ». (*Manuel of Geology*, 2. edit 1866, lect. IV, p. 83). Hinc tantae inter huiusmodi calculos differentiae, ut risum prope moveant. Formandae deltae fluminis Mississipi 100.000 annorum assignaverat Lyell, re maturius perpensa, extremum tempus geologi Americani ponunt annos 4.400. Caeterum haec antiquitatis quaestio tunc solum connectitur cum doctrina christiana, ubi circa originem ipsius hominis vertitur. Quare hanc quaestionem integram ad hoc argumentum remittimus.

[1] « *Le jour Génésiaque* » — *Science catholique* 1889, p. 550, sqq.; — cf. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1890, I, p. 97, sqq.

[2] Cf. LENORMANT (*Essai de commentaire des fragments cosmogoniques de Bérose* — Paris, 1871, p. 186, sqq). Annus sothiacus Ægyptiorum erat annorum 1460.

[3] Igiturne ad creandam lucem requirebantur anni 43.200?

Æquum videtur ut discussionem sententiae Periodistarum non absolvamus quin unum alterumve tentamen concordiae, speciminis causa, afferamus.

En breviter expositio, quam suggerit ex aliis scriptoribus Cl. Tanquerey [1].

Narratio Geneseos.	Formatio mundi.
1. « In principio creavit Deus caelum et terram ».	Creatur materia nebulosa, astraque formantur iuxta systema Laplacianum.
2. « Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi ».	Terra constat massa chaotica; elementa permiscentur confusa; deficiente calore, nulla lux.
3-5. *Prima dies.* « Dixitque Deus: fiat lux etc. ».	Lux solis, invisibilis in se, densos vapores pervadere coepit.
6-8. *Secunda dies.* « Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis ».	Condensati vapores terrae adhaerentes in aquam vertuntur. Reliqui vapores, uti nubes suspensi manent. De piscibus autem, qui iam tunc apparent, Moyses tacet, quia proprius spectant ad opus alterius diei.
9-13. *Tertia dies.* « Dixit vero Deus: congregentur aquae... in locum unum et appareat arida... Et ait... Germinet terra herbam virentem ».	Refrigescente sinu terrae, cortex ubi densior deprimitur: hinc exsurgunt continentia et montes. Plantae exsurgunt primo humiles, dein giganteae, e quibus carbonifera strata confecta sunt. — De piscibus rursus Moyses tacet.
14-19. *Quarta dies.* « Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento caeli ».	Frigescente magis magisque tellure, et maxima carbonis quantitate per plantas iam absorpta, per lucidiorem atmosphaeram sol, luna et astra cernuntur. — Hactenus telluris strata *primaria.*
20-23. *Quinta dies.* « Dixit etiam Deus: producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram... ».	Re vera in stratis *secundariis* inventa sunt fossilia reptilium [2] ingentium, necnon et volatilium: — Apparuerunt novae plantae; sed de his tacet auctor.

[1] Op. cit. p. 279, sq.

[2] Huc scilicet pertinent batrachion ingens, ichthyosaurus, plesiosaurus, pterodactyli, lacertae alatae, megalosaurus, etc.

24-31. *Sexta dies.* « Producat terra animam viventem in genere suo, iumenta et reptilia, et bestias terrae... Faciamus hominem... etc. ».	Operi hic enarrato respondent strata tertiaria, in quibus apparent fossilia mammiferorum [1]; dein cum periodo glaciali, aetas *quaternaria*, in qua apparuerunt belluae illae mirae magnitudinis coaevae primorum hominum [2].

Ecce autem alterum tentamen, quod nobis suggessit vir in rebus naturalibus peritissimus, quin tamen Periodista ipse haberi velit.

Formatio mundi.	**Narratio Geneseos.**
1) Massa chaotica, in qua vortices, motus gyratorii producuntur a Deo (hypothesis Cartesii, instaurata ab H. Faye).	Chaos, tenebrae. — Spiritus Dei movens omnia.
2) Ex vorticibus annulariis oriuntur planetae, dum simul conglomeratur massa centralis, ex qua fiet sol.	
3) Terra fit incandescens per contractionem materiae [3].	Fiat lux [4].
4) Ex incandescente, ipsa fit liquida; postea solidata in superficie, densissima atmosphaera circumdatur.	Vespera primae diei.
5) Frigescente magis terra, vapores aquei partim in liquidum statum transeunt, quae maria formabunt, partim constituunt nubes densas valde in atmosphaera.	Conditur firmamentum; aquae sub firmamento et super firmamentum [5]. Vespera secundae diei.

[1] Huc spectant coryphodon, palaeotherium, dinotherium, simius anthropomorphus, mastodon, cetacea, etc.

[2] V. gr. megatherium, megalonyx, mammouth, hippopotamus.

[3] Alia nuper explicatio lucis primae data est: terra pertransiens nebulosam, inde inflammari coeperit emiseritque magnum splendorem, qualem emittere solent dictae stellae novae. (Cf. W. Laska — *Der biblische Schöpfungsbericht im Lichte der « Neustern » Hypothese. — Die Cultur.*, 1903, III, p. 188, sqq.). Sed haec hypothesis, qualiscumque iudicetur, contrahit nimis ad solam terram illud « Fiat lux » quod de luce in genere dictum videtur.

[4] Vel, si quis praeferat hypothesim Laplacianam, iam tunc condensatur sol; cuius lux quarta demum die vapores terrenos pertransit.

[5] In hoc conamine, sicut in praecedenti, significatio « firmamenti » nimis detorquetur ab originali et vera vocis significatione, quam hic retinet, uti in conclusione nostra dicemus.

6) Motus ignis centralis exagitant crustam solidam: germinant montes, valles deprimuntur, in quibus aquae congregantur in maria.	Congregantur aquae in locum unum et fit arida.
7) Vita vegetalis apparet, simul animalia inferiora (trilobites, brachiopodus). Flora eadem per totam terrae superficiem: ergo calor non erat a sole.	Germinat terra herbam virentem. Vespera tertiae diei.
8) Sol formatur [1], radiosque immittit in terram; calor centralis terrae minuitur, vapores atmosphaerici magis condensantur; inde apparent et luna et stellae.	Fiant luminaria in firmamento caeli.... etc. Vespera quartae diei.
9) Sol activitate crescit, temperies terrae secundum latitudinem geographicam variatur. Oriuntur primo pisces (in terreno devonico), deinde reptilia aquatica (in epochis mesozoicis), - ultimo sauri aquatici (ichthyosaurus, etc.).	Producunt aquae reptilia animae viventis, volatilia super terram, cete grandia. Vespera diei quintae.
10) Species nonnullae animalium (inferiorum) iam adsunt; mammalia in magno numero apparent; temperies magis calida quam nunc.	Iumenta, reptilia, bestiae terrae.
11) Periodus glacialis triplex. — Durante secunda periodo interglaciaria, homo creatur.	« Faciamus hominem ». Vespera diei sextae.
12) Temperies fit magis frigida, decrescente energia solis, animalia sunt minoris staturae, etiam plantae, praesertim post diluvium.	Diluvium (tertia pars periodi glaciariae).

Hoc alterum tentamen longe praeferendum ducimus. Nihilominus nequit carere omnibus defectibus illis, quos superius indicavimus. Caeterum magna inaequalitas inter has qualescumque dies-periodos est admittenda; v. gr. [2], inter diem quartum, si intelligatur de sole et astris tunc tandem apparentibus, et diem sextum cuius opus tot periodos geologicas pervadit. Quare, ut aliqualiter stare possit sententia

[1] In eadem hypothesi Laplaciana, sol iam a primo die formatus, tunc demum apparet.

[2] Ut nihil dicamus de creatione lucis, quae in instanti videtur effecta.

periodistica, oportet ut largissimo sensu concipiatur. Secus in scientifica documenta tam aperte offendit, ut textum sacrum nedum tueatur, peritorum derisui exponat.

Caeterum, in hac sententia Periodistarum supponitur aliquid, quod non est facile concedendum: Moysen scilicet, - et auctores sacros in locis similibus, - voluisse, inspirante Deo, populum docere de rebus ordinis scientifici. Hoc tam parum videtur verum, ut si scientifice de praesenti argumento loqui voluisset, neque potuisset a populo intelligi. Imo in multis auctor huius cosmogoniae sese accommodavit non solum scientiae coaevorum de rebus naturalibus et astronomicis, sed et simplicioribus conceptibus vulgi, quo melius intelligerentur eae magnae imo sublimes veritates dogmaticae, quas inculcare nomine Dei moliebatur [1].

Sed haec nos conducunt ad alias sententias exponendas atque ponderandas.

B) Sententiae, quae a veritate historica ordinis cosmogoniae Mosaicae directe vindicanda abstrahunt, in duo rursus genera subdividi possunt; aliae enim idealisticam interpretationem magis illustranti, aliam traditionalem fontem penitius investigant. De utrisque breviter agendum superest.

I) Sententiae *idealisticae,* duplicis speciei sunt: aliae inducunt elementum praeternaturale visionis; aliae citra visionem rem explicant. 1) Inter sententias visionem inducentes *a*) primum locum obtinet sententia S. Augustini, suggerentis *creationem simultaneam,* diesque de *visione* seu *cognitione angelica* (*6*). Quam tamen sententiam Hipponensis indagando potius quam statuendo exposuit. Ait enim: « Quisquis non « eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare « potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumera- « tione sententiam, quae non in prophetia figurate, sed in « hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intel- « ligi; quaerat et divinitus adiutus inveniat. Fieri enim potest « ut etiam ego aliam his divinae Scripturae verbis congruen- « tiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc affirmo,

[1] Hinc Cf. Vetter periodisticam concordantiam nuper a Kaulen propositam impugnat tanquam falso principio innitentem (*Theol. Quartalschr.* — Tübing. 1893, I, p. 108).

« ut aliam quae propugnanda sit, inveniri non posse con-« tendam » [1]. De vicissitudine huius sententiae apud Patres et Scholasticos iam diximus.

α) Simultaneitatem creationis universi S. Augustinus probare contendebat argumentis ipsius Scripturae, at parum efficacibus. α') Verba enim: « Qui vivit in aeternum creavit « omnia simul » [2], nihil aliud evincunt nisi Deum omnia aeque, i. e., nulla re excepta condidisse [3]. - β') Pariter locutio « in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram » [4], idem sonat ac « quando ».

β) Dierum interpretatio de cognitione angelorum, ingeniosa quidem est; at arbitraria, ideoque vix hodie ab aliquo recepta; nisi quatenus, dilatato campo, exegetas a litteralis interpretationis nexu liberat. Inde Albertus Magnus eam vocabat « rationi consentaneam » [5]; et S. Thomas « sublimio-« rem, magis ab irrisione infidelium Scripturas defenden-« tem » [6]. Imo Angelicus alibi fatetur, eam sibi placere magis [7].

b) Alii, relicta interpretatione de visione angelica, contendunt cosmogoniam Mosaicam exhibere ordinis visionis quam habuit *Adamus,* caput humani generis, utpote a quo derivatur traditio illa antiquissima cosmogoniae, cuius vestigia in monumentis aliorum populorum, etsi deturpata, reperiuntur. Haec sententia, quae *visionaria* audit, potest subdividi in puram et mixtam.

α) Sententiam *visionariam puram* (*7*) principaliter defendit laudatus Hummelauer [8]. Quemadmodum, ait, Adamus in exstasi cognovit sublimitatem connubii coniugalis, ita quoque in extasi, per totidem dies vidit sibi creationis opus a Deo proponi in exemplar hebdomadae hinc ab hominibus ser-

[1] *De Gen. ad litt.* l. IV, c. 28. — *P. L.* XXXIV, 315.

[2] ECCLI. XVIII, 1.

[3] Cf. « *Simul* insipiens et stultus peribunt » (Ps. XLVIII, 11), ubi « simul » non significat « uno instanti », sed aequaliter *(ugualmente).*

[4] GEN. II, 4.

[5] Loc. cit.

[6] *De Pot.* q. IV, a. 2.

[7] II. Sent. dist. XII, q. 1, a. 2.

[8] Op. cit. — Inter scriptores qui hanc sententiam ultimis hisce temporibus amplexi sunt, satis sit afferre B. SCHÄFER *(Bibel und Wissenschaft.* — Münster, 1881, p. 241, sqq.); et G. HOBERG (*Die Genesis nach dem Literalsinn erklärt.*, p. 1. sqq.).

vandae. Haec sententia cavet utique a difficultatibus e scientiis naturalibus contra ordinem cosmogoniae Mosaicae motis. Sed hoc non sufficit ad hoc ut probanda praedicetur. Oportet insuper, imo principaliter, ut in se fundamentum habeat. Iam vero hoc fundamentum vix adesse putamus. Etenim α') nihil est in textu quod huiusmodi visionem insinuet. Cognoverit utique Adamus modo supernaturali originem rerum, per scientiam sibi de hoc argumento sicuti de tot aliis divinitus inditam; sed non per huiusmodi visionem. - β') Si ordo rerum a Deo conditarum alius est ac habetur in hac visione, cur hunc ordinem Deus in visione Adamo patefecit? - γ') Auctoritas extrinseca huic sententiae pariter deest. Nam quae S. Chrysostomus dicit de sermone prophetico a Moyse in Hexaemeron prolato, vix possunt de longinquo cum hac sententia conferri.

Videtur ergo nobis haec sententia unice inducta ad incredulorum difficultates radicitus evellendas. Sed haec ratio non impedit, quominus in se arbitraria appareat, ac solido fundamento destituta. Severe quidem, at, iudicio nostro, sat vere Cl. Lagrange, loquens de recenti opere P. Zapletal [1], nuper scripsit: « Il faut lui savoir gré de ne pas même s'ar-« rêter à discuter le concordisme; on comprendrait encore « moins l'importance qu'il attache à réfuter le systême des « visions du R. P. de Hummelauer, si on ne savait quelle « étrange fortune a trouvée cette fiction parmi les Allemands « catholiques. On s'est jeté sur cette échappatoire, sans raison « critique ou traditionnelle, et cela est attristant » [2]. Et sane si sententiam nullo solido fundamento suffultam ideo tandem excogitamus, ut nos a molestiis adversariorum liberemus, nonne causam nostram tradimus victam potius quam victricem tuemur?

β) *Mixta* sententia *visionaria* (*8*) est ea, quae admittit quidem Adamum fuisse per illustrationem divinam de origine rerum instructum, at ordinem descriptum in Genesi fundamentum habere in aliquali successione qua res a Deo creatae prodierunt. Vix differt ista sententia ab ea, quam superius vocavimus mitigate concordisticam, nisi quatenus expressius

[1] Op. cit.
[2] *Revue biblique*, 1903, I, p. 144.

affirmat, caput humani generis fuisse de problemate cosmogonico superne edoctum. Si autem ex una parte istam visionem, et ex altera parte fundamentum concordantiae urgeat, haec sententia mixta defectus et pericula utriusque sententiae simul conflat, dempta tamen ratione β') contra sententiam visionariam puram superius allata.

2) Iam ad sententias idealisticas citra visiones ab angelis vel ab Adamo acceptas.

a) *Carmen liturgicum* esse cosmogoniam Mosaicam contendit Rm̃us Cliffort [1], episcopus Cliftoniensis. (*9*) Moyses enim ut populum Hebraicum efficacius averteret ab idolatricis usibus Ægyptiorum, qui singulos hebdomadae dies tot planetis, veluti tot dies sacrabant, cármen composuit, in quo tot celebrat opera divina singulis diebus producta.

Huic sententiae, - praeter indolem carminis liturgici proprie dicti, - philologice connexa est sententia nuper propugnata ab erudito viro De Gryse, olim professore in seminario Brugensi, nunc decano Cortracensi [2]. Is existimat, verba « et « factum est vespera et factum est mane, dies unus, secun- « dus », nihil aliud significare nisi: institutus est dies civilis complectens vesperam et mane, id est dies primus, secundus, etc., usque ad completam hebdomadam. Moyses scilicet tria inculcare vult: Deum mundum creasse, mundum formasse, et hebdomadam instituisse. Dies igitur Genesiaci sunt dies viginti quatuor horarum, sed non habent relationem ad durationem operum quae eisdem assignantur, sed constituunt hebdomadam simul civilem et sacram.

Fateor, hanc sententiam mihi subtiliorem videri quam solidiorem. α) Si litteram inspicis: α') « factum est », non est idem ac « institutum est »; β') « factum est vespera et factum « est mane » [3], longe aliter sonat ac institutum est vespera et mane; γ') dies non bene videtur totus designari per vesperam et mane, sed per diem et noctem, aut per mane et

[1] *Dublin Reviem* — Apr. 1881, apr. 1883.

[2] Primo in ephemeridibus flandricis « *Het Belfort* » (1888), dein latine « *De Exae- « mero secundum cap. 1. Geneseos ad litteram* » et gallice in ephemer.: « *Science « catholique* » 1889, p. 329; 1890, p. 73, sq.; 1891, p. 534.

[3] Flandrice: « en het werd avond en het werd morgen ».

vesperam. Si β) nexum inter dies singulas et singula opera consideras, non apparet cur dies numeretur *post* singula opera. Potius debuisset ordo inverti; quatenus quod instituitur, dies novus est, cui, recordationis aut cultus causa, aliqua pars operis divini assignatur [1].

b) *Carmen* esse, narrationem primi capitis Geneseos, sed non indolis liturgicae, alii contendunt, inter quos Hauser et Vetter (*10*). Est scilicet hymnus in laudem Creatoris. Hinc est quod Deum veluti in scenam inducit loquentem, antequam agat, operaque peracta laudantem. Quae omnia, si ad litteram sumerentur, anthropomorphismum saperent; poëtice autem dicta, optime sonant. Corroborant hanc sententiam per cantica similia Vet. Test., in quibus Creatori de opere tributum laudis offertur [2]. Originem autem huius carminis assignant aliam et aliam, iuxta indolem propriae de hoc puncto sententiae. Ita Cl. Vetter existimat, hoc carmen esse originis antiquissimae, e temporibus patriarchalibus desumptum; similitudinem autem, quam prae se ferre videtur cum documentis Babylonicis, nullatenus inde provenire, ac si origo carminis esset Babylonica sive ethnica, sed quia in ista regione non potuit nihil de huius regionis idiomate derivare [3].

[1] De sententia Cl. De Gryse lege inter alios: G. Vandepputte (*Science catholique,* 1889, p. 785, sqq.; 1891, p. 534, sqq.); — J. Kern S. J. (*Zeitschr. f. cath. Theol.,* Innsbruck, 1891, p. 144, sqq.); — Chr. Pesch S. J. (op. cit., p. 45, sq.); — De Hummelauer S. J. (op. cit., p. 85, sqq.).

[2] « Ein Lied also ist das erste Kapitel der Genesis, ein Hymnus auf die Schö« pfung, und zwar ein sehr alter Hymnus, dessen Wortlaut bereits Abraham aus « Babylonien mitbrachte, als ein Erbstück seiner Familie aus patriarchalischer Vor« zeit. Da Abraham und sein Haus auf dem Boden von Kanaan notgedrungen die « Sprache der neuen Heimat, das Kanaanitische annahmen, so übertrugen sie unbe« wusst auch die uralten Familienüberlieferungen in das neue Ideom, aber ganz ver« wischt hat sich der ursprünglich babylonische Charakter des Liedes nicht, denn « seine Sprache trägt noch in mehr als Einem Punkte babylonisches Gepräge. Der « erste Schöpfungsbericht ist babylonisch nicht in dem Sinn, als ob er auf babylo« nischem Boden entstanden und heidnischen Ursprungs wäre, aber er wurde jedenfalls « eine Zeit lang überliefert in einer Patriarchenfamilie, die in Babylonien wohnte ». (*Theol. Qtlschr.* Tüb. 1903, II, 280).

[3] Hinc non omnino placet modus, quo aliqui scriptores simplicitatem huius narrationis veluti deprimunt. Ita Schwetz non sine excessu scribit: « Multa in narra« tione Mosaica occurrere modo infantili, utpote soli primae aetati generis humani « conveniente, adumbrata » (op. cit., p. 363). Sume verba: « Fiat lux, et facta est « lux ». Haec poteris anthropomorphice exhibere uti infantilia. Sed nonne simul sunt sublimia praedicanda? Idem dic de verbis: « Et erant valde bona »; maxime de verbis: « Faciamus hominem etc. » Inde scripsit Dillman, licet ipse in rationalistica

Equidem non inficior, me in hanc sententiam sat multum inclinari. Sinceritas tamen urget, ut debile latus unius alteriusve rationis in eius fulcimen adductae detegamus. α) Ex hoc quod, v. gr., canticum trium puerorum lyrica forma cosmogoniam Mosaicam magna ex parte sequitur, non potest demonstrari, et istam esse lyrice confectam. Potest enim esse substratum historicum lyricae contemplationis et exsultationis. β) Rursus modus quo inducitur Deus loquendo operans et opera laudans, non est necessario indicium motus lyrici. Imo mira simplicitas, qua haec forma adhibetur, nonne insinuat, sublime ingenium, ad erudiendas populares mentes condescendens, potius quam ad poëticum se volatum extollens?

c) A poëtica ad *allegoricam* interpretationem transimus (*11*). Haec, nuper propugnata imprimis ab A. Stoppani [1], reassumit veluti modum olim ab Origene inductum. Contendit, in primo versu Geneseos totum synthetice contineri; ac in sequentibus idipsum analytice, at per modum allegoriae evolvi. Haec utique sententia est facillima, utpote ob omni conatu concordantiae expedita. Sed estne re vera conformis indoli expositionis Mosaicae? Caeterum allegoriam admittere simpliciter, etiam ubi sermo eam non insinuat, non est solum humani sermonis indoli parum conforme; sed inducit in periculum allegorice interpretandi quidquid deinceps iuxta litteram intellectum minus arridebit.

d) Ideo, reiecta allegoria, alii ad nexum *logicum-dogmaticum* se recipiunt. Defensores huius sententiae sat plures sunt, inter quos enumerare sufficiat praecipuos: Michelis [2], Faye [3], Baltzer, Reusch [4], Semeria [5], et Tepe [6] (*12*).

placita pronus: « A tempore quo scriptores describere conati sunt, verbis humano « intellectui accommodatis, creationis opus, quod semper nobis erit mysterium, impos- « sibile evasit maiori magnificentia aut dignitate illud exhibere. Merito igitur ex hac « narratione argumentum oritur quod sit revelata; nisi enim Deus seipsum mani- « festet, eius opus recte delineari nequit. Opus equidem est Spiritus revelantis ». (*Genesis* p. 9, ap. ZAHM: *Bible, Science and Faith*).

[1] *Sulla cosmogonia Mosaica,* Milano, 1887.

[2] *Natur und Offenbarung.*

[3] *Sur l'origine du monde.*

[4] *Bibel und Natur,* ab editione tertia: nam in duabus primis editionibus auctor, adhuc catholicus, sententiae adhaerebat periodisticae.

[5] *La Cosmogonie mosaïque* (*Revue bibl.,* oct. 1893, p. 437, sq.; apr. 1894, p. 187, sqq.)

[6] *Institut. theol.,* t. II, p. 461, sqq.

Modus autem quo hi scriptores sententiam suam evolvunt et tuentur, aliquid peculiaris apud singulos habet. Quare infinitus esset prope labor et extra scopum nostrum, singulis immorari. Cl. Tepe thesim suam ita formulat: « Moyses, « postquam Gen. I, 1 docuit Deum ex nihilo hunc mundum « produxisse, in subsequentibus probabiliter sibi proposuit « enarrare ordinem formationis rerum non physicum sed « logicum. Unde per dies genesiacos formaliter significantur « (dies ideales, quibus respondeant) varii formationis gradus, « quibus mundus per specialem Dei interventum a statu im- « perfecto ad debitam perfectionem paulatim adducebatur ».

Quod si quaeris, cur sex huiusmodi dies ideales inducti sint, respondent hi scriptores, ob hebdomadam hoc esse factum. « Hebdomada creationis ait Reusch, est divinum « exemplar; hebdomada nostra, imago terrena » [1]. Quapropter hi sex dies creationis non repraesentant totidem dies naturales vel dies-epochas, per quas successive singula opera confecta sunt; sed totidem principales ideas divinas, quas Deus, - (cum quanam temporali seiunctione ab invicem, aut cum quanto evolutionis spatio, ad dogma parum refert), - actu cómplevit [2].

[1] *Bibel und Natur* (ed. 4. Bonn. 1876), p. 128. — « Die Schöpfungswoche ist das « göttliche Urbild, unsere Woche das irdische Abbild. Der chronologische Grund- « begriff, von dem wir ausgehen müssen, ist mithin nicht der Tag, sondern die « Woche. Von sieben Tagen, worunter der letzte der Tag des Ruhens Gottes ist, spricht « Moses nur, weil sieben Tage, worunter der Ruhetag der letzte ist, eine Woche « ausmachen. Also auf den Begriff Hebdomas kommt es an, nicht auf den Begriff « Tag. Dass die Siebenzahl in dem Schöpfungsverlauf eine bestimmte Stelle hat, das « ist religiös bedeutungsvoll und durfte darum nicht übergangen werden: ob es eine « Siebenzahl von Minuten, von Stunden, von Tagen, von Jahren oder Jahrtausen- « den ist, das ist an und für sich unwesentlich.... Aber die Zahl ist nicht gleichgil- « tig. Wenn Gott bestimmt hat, dass einer, nicht von je sechs oder acht, sondern « gerade von je sieben Tagen von den Menschen gefeiert werden soll zu Ehren des « Weltschöpfers und zum Dank und Preis für die Wohlthat der Erschaffung, dann « muss der Verlauf der Schöpfung eine Hebdomas gewesen sein, in welcher die letzte « Monas dem von Gott vorgeschriebenen Ruhetage entspricht, während die sechs « vorhergehenden Monaden den Arbeitstagen entsprechen ».

[2] « Nach dieser Auffassung bezeichnen die sechs Tage nicht sechs aufein- « ander folgende Perioden, sondern logisch voneinander zu unterscheidende Haupt- « momente der schöpferischen Thätigkeit Gottes, sechs durch die Schöpfung verwirk- « lichte göttliche Gedanken oder Ideen. Dass alles, was geworden ist, durch Gott « und nach dem Willen Gottes geworden ist, das ist eine religiöse Wahrheit, welche « in dem Schöpfungsberichte möglichst bestimmt und anschaulich ausgesprochen wer- « den muss; das geschieht durch die Aufzählung der einzelnen schöpferischen und

Sane negari nequit α), ex una parte nexus maxime intimus inter narrationem Mosaicam et antiquissimum cultum hebdomadae. Hinc solemni oraculo Moyses proclamavit: « Septimo « die sabbatum Domini tui est... sex enim diebus fecit Domi- « nus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, « et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei « sabbati et sanctificavit eum » [1]. Quam doctrinam S. Paulus suam pariter fecit [2]. Sabbatismus ergo erat una ex veritatibus, quas Deus per Moysen populo inculcari maxime voluit.

β) Ex altera parte negari nequit, in enumeratione sex dierum apparere indicium artis, qua narrator ad praestitutum dierum numerum pervenit; et quidem ita ut senarius iste numerus in duplex ternarium veluti per gradationem disponatur; quae gradatio, adiuncto versu primo, et ipsa triplex est.

Primus enim versus proclamat primam effectionem caeli et terrae, id est, totius universi, at confusam prorsus et veluti informem. Prius ternarium exhibet distinctionem triplicem, primam in caelo: lucis a tenebris; secundam inter utrumque: aquarum superiorum ab aquis inferioribus, interposito firma-

« weltbildenden Acte Gottes. Welche Zeit die Verwirklichung der einzelnen göttli- « chen Acte und die Vollendung der ganzen Schöpfung ausgefüllt, das ist nicht religiös « bedeutsam, und wir haben darum eine Belehrung darüber in dem biblischen Schö- « pfungsberichte nicht zu erwarten und sind nicht berechtigt, eine solche in der « Bezeichnung der sechs Tage zu finden. Auch die chronologische Reihenfolge der ein- « zelnen göttlichen Acte ist an sich nicht religiös bedeutsam, und wir sind darum auch « von vornherein nicht berechtigt, darüber in dem Hexaemeron Aufschluss zu erwar- « ten. Die Vertheilung der einzelnen Acte auf sechs Tage und die damit zusammen- « hängende Aneinanderreihung derselben hat ihren Grund in dem Parallelismus « zwischen der göttlichen Schöpfunswoche und der menschlichen Woche. Die ein- « zelnen, Tage brauchen darum nicht als einzelne abgeschlossene und aufeinander « folgende Perioden angesehen zu werden. Vielmehr können möglicherweise die « Werke der einzelnen Tage, z. B. die Scheidung von Wasser und Land, die Bild- « ung des Erdreliefs und die Entstehung der Pflanzen und der verschiedenen Thier- « klassen, zum Theil gleichzeitig verlaufen sein; Moyses kann sie darum doch als « abgeschlossene Werke je eines Tages darstellen, weil jedes derselben ein beson- « deres Moment in der schöpferischen Thätigkeit Gottes bildet, und er kann sie in « der Reihenfolge vorführen, in welcher sie im Hexaemeron dargestellt werden, « zunächst mit Rücksicht auf die in denselben herrschende Ordnung, dann aber auch « darum, weil die folgenden Werke von den vorhergehenden abhängig und bedingt « sind » *.

[1] Exod., xx, 10, sq.

[2] Hebr., iv, 4, sqq.

* Ibid., p. 256, sqq.

mento; tertiam in terra, aquarum inferiorum a terra herbis faecunda. Alterum ternarium haec tria perficit eodem ordine quo fuerunt discreta: caelum, sedes lucis, perficitur astris in utilitatem et iucunditatem diei ac noctis; aquae inferiores producunt pisces et aves; terra producit reliquas bestias, universoque praeficitur homo.

Hic parallelismus, quem iam S. Thomas, licet parumper aliter, fuse illustravit [1], et quem, Angelico duce evolvit

[1] « Si informitas materiae ante opus sex dierum accipitur non secundum exclu-
« sionem omnis formae, sed secundum quod dicit solum carentiam et exclusionem
« debitae distinctionis et consummatae cuiusdam pulchritudinis: quantum ex lit-
« tera Genesis accipi potest, triplex formositas deerat corporali naturae, propter
« quod dicebatur informis. Deerat enim a caelo et a toto copore diaphano decor et
« pulchritudo lucis, quod designatur per tenebras. Deerat autem elemento aquae
« debitus ordo et debita distinctio ab elemento terrae: et haec informitas designatur
« nomine abyssi, quia hoc nomen significat quamdam immensitatem inordinatam
« aquarum, ut Augustinus dicit contra Faustum *. Terrae vero deerat duplex pul-
« chritudo: una quam habet ex hoc, quod est aquis discooperta, et haec informitas
« designatur per hoc quod dicitur: Terra autem erat inanis sive invisibilis, quia
« corporali aspectui patere non poterat propter aquas undique eam cooperientes;
« alia vero, quam habet ex hoc, quod est ornata plantis; et hoc tangitur per hoc
« quod dicitur, quod erat vacua sive incomposita, id est non ornata. Et sic ante
« opus distinctionis Scriptura tangit (etiam) multiplicem (s. iterum triplicem)
« distinctionem praefuisse in ipsis elementis mundi a principio suae creationis.
« Primo tangit distinctionem caeli et terrae, secundum quod per caelum intelli-
« gitur totum corpus diaphanum, sub quo comprehenditur ignis et aër propter
« diaphaneitatem, in qua conveniunt cum coelo. Secundo tangit distinctionem ele-
« mentorum quantum ad suas formas substantiales per hoc, quod nominat aquam et
« terram; quae sunt magis sensui apparentia; per quae dat intelligere etiam alia
« duo minus sensui apparentia. Tertio tangit distinctionem secundum situm, quia
« terra erat sub aquis, quibus invisibilis reddebatur; aër, vero, qui est subiectum
« tenebrarum, significatur fuisse supra aquas per hoc quod dicitur: Tenebrae, i. e. aër
« tenebrosus, erant super faciem abyssi. — Sic ergo formatio primi corporis, quod est
« caelum, facta est primo die per productionem lucis, per quam proprietas luciditatis collata est soli et corporibus caelestibus, quae secundum suas formas substan-
« tiales praecesserant, per quam informitas tenebrarum remota est. Et per huius-
« modi formationem facta est distinctio motus et temporis, scilicet noctis et diei:
« tempus enim sequitur motum supremi caeli. Unde distinxit lucem a tenebris, quia
« causa luminis erat in substantia solis, et causa tenebrarum erat in opacitate terrae;
« et in uno hemisphaerio erat lumen, et in alio tenebrae, et in eodem hemisphaerio
« in una parte temporis erat lumen, et in alia tenebrae; et hoc est quod dicit:
« Lucem appellavit diem, et tenebras noctem. Secunda vero die formatum et distinc-
« tum est medium corpus, scilicet aqua, per firmamenti formationem, accipiens
« quamdam distinctionem et ordinem, ita quod sub nomine aquae omnia corpora dia-
« phana intelligantur; et ita firmamentum, id est caelum sidereum, secunda die
« productum, non secundum aliquam accidentalem perfectionem, dividit aquas quae

* Lib. 22, c. 11.

Scheeben [1], potest suggerere aliquam rationem ob quam de sole, luna et stellis sermo fiat die quarto, et non prius. Numerus autem senarius ad quem erat perveniendum, explicat cur ornatus terrae datus per vitam vegetativam coniugatur alteri operi die tertia effecto; et cur iumentorum productioni adiungatur creatio hominis tanquam opus unius diei.

« sunt supra firmamentum, id est caelum totum diaphanum et absque stellis, quod « dicitur aqueum, sive crystallinum..., quod est supra firmamentum, ab aquis, id est « ab aliis corporibus diaphanis corruptibilibus, quae sunt infra firmamentum; et ita « corpora diaphana inferiora nomine aquarum designata, acceperunt per firmamen- « tum quemdam ordinem et debitam distinctionem. Tertia vero die formatum est « ultimum corpus, scilicet terra, per hoc quod discooperta est aquis, et facta est « distinctio in infimo maris et aridae. Unde satis congrue, sicut informitatem terrae « expresserat dicens, quod terra erat invisibilis, vel inanis: ita eius formationem « exprimit per hoc, quod dicit: Appareat et arida: congregataeque sunt aquae in « unum locum seorsum a terra sicca; et congregationes aquarum appellavit maria « et siccam appellavit terram, quam, quia prius erat informis et vacua, decoravit « plantis et herbis. Quarta vero die fuit prima pars creaturae corporalis ornata, quae « prima die fuerat distincta, scilicet caelum per productionem luminarium. Quae « secundum substantiam suam fuerunt a principio creata; sed prius eorum substantia « erat informis, sed nunc quarta die formatur, non quidem forma substantiali, sed « per collationem determinatae virtutis, secundum quod attributa est luminaribus « determinata virtus ad determinatos effectus, secundum quod videmus alios effec- « tus habere radium solis, et alios radium lunae et stellarum. Et propter hanc deter- « minationem virtutis dicit Dionysius 4. cap. de div. Nom., quod lumen solis, quod « prius erat informe, quarta die formatum est. Non autem fuit facta mentio de ipsis « luminaribus a principio, ut dicit Chrysostomus, sed solum quarta die; ut per hoc « Scriptura removeret populum ab idololatria, ostendens luminaria non esse deos, « ex quo nec a principio fuerunt. Quinta vero die secunda pars corporalis natu- « rae, quae secunda die fuit distincta, ornatur per productionem avium et piscium; « et ideo in hac quinta die facit Scriptura mentionem de aquis et de firmamento « caeli, ut designet, quod quinta dies respondet secundae, in qua de aquis et fir- « mamento fit mentio. In hac ergo die per verbum Dei ex materia elementari prius « creata fuerunt aves et pisces in actu et in propria natura producti ad ornatum « aëris et aquae, in quibus apta nata sunt motu animali convenienter moveri. In « sexto vero die ornatur tertia pars et ultimum corpus, videlicet terra, per produc- « tionem animalium terrestrium, quae apta nata sunt moveri in terra motu ani- « mali. — Unde sicut in opere creationis designantur tres partes creaturae corporalis « — prima videlicet, quae significatur nomine caeli, et media, qnae significatur « nomine aquae, et infima, quae significatur nomine terrae; et prima pars, videlicet « caelum, distinguitur prima die et quarta die ornatur: media vero pars, videlicet « aqua, distinguitur secunda die et quinta ornatur, ut dictum est: ita conveniens « fuit, quod infima pars, videlicet terra, quae tertia die distincta est, et sexta die per « productionem animalium terrestrium in actu et secundum species proprias orna- « retur » *.

[1] Op. cit., § 144, n. 280.

* *De Pot.*, q. IV, a. 2.

En schema huius ordinis logici:

I Gradus: opus creationis:	In principio creavit Deus caelum et terram,				synth.
II Gradus: opus distinctionis:	*1.ª dies:* distinctio lucis a tenebris;	*2.ª dies:* dist. aquarum ope firmamenti;	*3.ª dies:* dist. aridae ab aquis.	I ternarium	analytice.
III Gradus: opus ornatus (impletionis):	*4.ª dies:* ornatus caeli (sol, luna, stellae);	*5.ª dies:* ornatus aquarum et aëris (pisces, aves);	*6.ª dies:* ornatus aridae (quadrupeda, homo).	II ternarium	

Quantopere ista sententia, tenens dies ideales iuxta ordinem logicum-dogmaticum, Scripturam tueatur ab impugnationibus indolis scientificae, manifestum est. Imo in hac sententia multa possunt in cosmogonia Mosaica occurrere dicta iuxta scientiam astronomicam et geologicam primaevi temporis, quin id in detrimentum characteris sacri huius narrationis cedat.

Et haec de sententiis Idealistarum pro scopo nostro satis.

II. *Traditionalistas* vocare liceat illos, qui in solutione problematis τοῦ Hexaëmeron plus tribuunt modo quo haec narratio per traditionem vel ortum duxit, vel ad nos pervenit. Quos igitur in hac parte scriptores adducemus, in multis conveniunt cum propugnatoribus unius alteriusve sententiae idealisticae; sed magis in recto ponunt, aut saltem explicitius evolvunt, quae spectant ad modum, quo narratio Mosaica acquisivit formam, qua in capite Geneseos legitur [1]. Vicissim pars problematis hic penitius investigata non fugit auctores enumeratos superius, praesertim inter Idealistas; sed vis princeps sententiae quam tuentur, in Hexaëmeron indole residet potius quam in eius origine [2].

[1] Ita, v. gr., artificialem ordinem, quem in ultima sententia propugnavimus, eloquenter exponit Lagrange (op. cit., 395, sq.).

[2] Ita v. gr., originem antiquissimam, Adamiticum scilicet Hexaëmeron fortiter propugnat Hummelauer (*In Gen.* p. 19).

His praemissis, tres principaliores sententiae evolvendae supersunt, secundum quod in formatione narrationis Mosaicae mythis vel totum, vel aliquid saltem, vel nihil tribuunt.

Sed antequam hoc examen pressius instituamus, excludendi sunt fontes, qui cum cosmogonia Mosaica nonnisi remotissimam analogiam habent, uti sunt cosmogoniae Indorum et Ægyptiorum; necnon fontes ab aliis magis originalibus derivati, ut est cosmogonia Graecorum. Unde contrahenda est comparatio ad cosmogonias Chaldaeorum et Phoenicaeorum.

Sane si conferimus ad invicem *a*) cosmogoniam Babylonicam - relictis theogonia Damascii, et fragmento cosmogonico Berosi [1], - iuxta tabulas in tabulario Assurbanipalensi a Georgio Smith anno 1875 inventas, et *b*) cosmogoniam Phoenicaeam iuxta Sanchoniathonem, a Philone et Eusebio nobis transmissam, apparet nonnisi laxatior nexus inter utramque narrationem tumque quoad spiritum, tum quoad formam imaginum [2]. Babylonica cosmogonia sapit quidem Pantheismum quia non exhibet creationem; habet tamen theogoniam et cosmogoniam magis spiritualem. Cosmogonia autem Phoenicaea est veluti conatus omnia per evolutionem primaevae materiae explicandi; unde iam Graeci eam nimis atheisticam esse querebantur.

Si autem utraque confertur cum cosmogonia Mosaica, utrimque apparent quaedam similitudines, quas Cl. Lagrange ita contrahit: « Les Chaldéens ont l'abîme primordial, *Tiamtu,*

[1] Cf. C. Müller (*Fragmenta historicorum graecorum*. Paris. 1848, p. 497), sq.). Lege ibi fabulosas descriptiones primorum animalium hominumque, qui ex chaotica massa tenebrosa et aquosa prodierunt: homines quippe dabantur duabus alis, duabusque faciebus praediti, alii in quibus capita, virile ac muliebre, aliaque membra ad sexum utrumque pertinentia geminabantur, at in uno corpore; alii homines cum cruribus cornibusque caprinis, aut cum pedibus equinis, aut ante ut homines, retro ut equi, e genere hippocentaurorum. Prodierunt pariter tauri cum capite humano, canes cum quadruplici corpore desinentes in caudam piscium; equi et homines cum capite canino, etc., etc. Haec cum maiestate cosmogoniae Mosaicae collata quis non iure irrideat?

[2] Vide utramque cosmogoniam fuse expositam et discussam apud Lagrange (op. cit. p. 397, sqq.) et Zapletal (op. cit., p. 39, sqq.). — Tabulas Smithianas, infeliciter incompletas, interpretati sunt, inter alios, praeter ipsum Smith, Oppert, Lenormant, Jensen, Delitzsch.

« qui ressemble comme chose et comme tout au *Tehom* [1]. Cet « abîme est séparé en deux pour former le ciel et aussi pro- « bablement la terre. Ces deux parties sont séparées par « une cloison qui retient en haut les eaux supérieures. La « création des corps célestes vient après, et elle est suivie de « celle des animaux. Le rôle des corps célestes est en partie « semblable dans les deux récits ». Forsan plures similitudines apparerent, si tabulae essent completae.

« Les Phéniciens ont le souffle et le chaos ténébreux, « une semence en forme d'œuf, probablement aussi *Tehom* « sous forme de *Tomot*. Ils ont le même ordre, les astres, les « vivants et les créatures intelligentes. Dans l'origine de « l'homme ils font intervenir Baau et Æon » [2]. Adde, quod ipse agnoscit superius [3], similitudinem inter Evam et Æon, « quae invenit artem vescendi fructu arboris ».

Hae similitudines, « uti rarae nantes in gurgite vasto », tam fabulosis immerguntur absurditatibus [4], ut exinde tanta excellentia Mosaïcae narratio accedat, quae magnum constituit argumentum in favorem divinae inspirationis eiusdem. Quomodo enim citra supernam hanc originem, discrimen tam immensum explicari posset? [5]

[1] « Ils connaissent aussi une déesse Baau, mais dont le rôle n'est pas fixé ». (Nota ipsius Lagrange).

[2] Op. cit., 404.

[3] P. 402.

[4] En, iuxta Halévy, compendium poëmatis Babylonici: « La matière et l'esprit « sont considérés comme une composition unique et indissoluble. Le chaos représenté « par l'océan infini et primordial était animé. Cette énorme masse liquide, douée « d'un mouvement perpétuel, se dédouble d'elle-même en deux êtres et sexes diffé- « rents, formant ainsi le premier couple panthéiste dont l'union répand le germe « divin dans lequel les divinités plus semblables aux hommes prennent leur origine. « Les dieux cosmiques de l'océan primordial ne manquent pas de considérer la créa- « tion projetée de l'univers comme une invasion faite dans leurs domaines et comme « un dépouillement partiel de leurs droits séculaires.... L'ensemble des divinités se « divise par cela même en deux groupes ennemis qui se déclarent l'un à l'autre une « guerre à mort... Les débuts de la bataille ne sont pas favorables aux dieux de la « lumière, dont les rangs se raréfient sous les coups des monstres démoniaques... « mais finalement, l'un deux (Mardouk) réussit à abattre le monstrueux chef des « dieux malfaisants et à disperser son armée. Le corps de Tiamat est coupé en « deux moitiés qui servent à former le ciel et la terre, où s'installent les dieux « protecteurs sous forme d'astres et d'étoiles * ».

[5] Dum in cosmogonia Babylonica homines turmatim creantur, quin dignitas specialissima entis rationalis celebretur; in cosmogonia Phoenicaeorum distinguuntur

* *Revue sémitique*, 1893, p. 103.

Quaestio igitur solvenda est, quid censendum sit de narratione Mosaica, in sua relatione ad has cosmogonias ethnicorum populorum?

Dividuntur exegetae in duas partes, secundum quod admittunt, - qui in duas sententias subdividuntur, - aut negant cosmogoniam Mosaicam aliquid de mythis derivasse.

I. Missis incredulis, qui hanc derivationem eo fine urgent, ut inspirationem a narratione Mosaica excludant, - inter quos nuper emicuit Fr. Delitzsch [1], - ecce 1) Fr. Lenormant facilius aequo concessit, populos sibi hosce mythos effinxisse, eosque, epuratos utique, in Mosaica cosmogonia servari (*12*). Quum autem haec assertio nimis generali forma praedicaretur, nec satis distincte in hac theoria notio genuina inspirationis servaretur [2], haec opinio uti audacior damnata est.

b) Castigatius sententiam Lenormant alii temperarunt, affirmantes quidem in cosmogonia Mosaica vestigia reperiri mythorum, sed haec vestigia mythicam rationem ibidem formaliter amisisse. Ita Lagrange existimat, cosmogoniam biblicam locum tenere medium inter Babylonicam et Phoenicaeam « La ressemblance des récits est précisement ce qu'elle « devrait être si les Hébreux s'étaient inspirés des Chaldéens

viventia intelligentia, sed pariter magno numero producti videntur. Ita quoad originem hominis, ut alia taceam, celsitudo cosmogoniae Mosaicae sublimiter eminet.

[1] Cf. *Babel und Bibel, ein Vortrag von Fr. Delitsch, neue durchgesehene Ausgabe mit Anmerkungen.* Lipsiae, Heinrich. — In una ex adnotationibus huic collationi adnexis (pag. 64) auctor ad demonstrandam mythicam originem narrationis Mosaicae arguit ex verbis « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem « nostram », utpote in quibus vestigium remanserit mythi polytheistici et theogoniae humanae; putatque Delitzsch, inter hunc locum et Is. XLVI, 5 dari oppositionem irreconciliabilem. Sed quam leviter haec dicantur, penitius consideratus hic ipse versus facile demonstrat. — Inter studia quibus, — praeter celebrem epistolam imperatoris Germanici, qui huic collationi una cum augusta familia interfuerat, — oratio Delitzsch occasionem praebuit, satis sit enumerare: *Der Kampf um Bibel und Babel* (OETTLI. Prof. in Greiswald); *Babel und Bibel* (BAENTSCH, *Protest. Monatshefte* 1902, 8); *Babel und israelitisches Religionswesen* (BARTH, Berol. 1902); *Babel und Bibel oder Babel gegen Bibel* (ROSENTHAL, Ibid. 1902); *Babel und Bibel* (E. KOENIG, Ibid. 1902); *Babel und Bibel* (P. JENSEN, *Die Christl. Welt.* 1902, n. 21); *Die altorientalischen Denkmäler und das alte Testament* (D. HOMMEL, Berol. 1902); *Das Alte Test. und die Ausgrabungen* (D. K. BUDDE, Giessen. 1902); cf. *Revue Biblique,* 1903, n. I, p, 125, sqq.

[2] « Malheureusement, ait Lagrange, cette théorie se mêlait chez son auteur à des « opinions mal conçues sur l'inspiration et n'était pas présentée avec les distinctions « théologiques nécessaires » (op. cit., p. 402). — Halévy putat, auctorem cosmogoniae Geneseos narratione Chaldaica usum esse, eamque monotheistice citra ullam revelationem epurasse (*Revue sémitique,* 1893, janv. et avr.).

« et les Phéniciens des Hébreux » [1]. Mitius tamen hoc ultimum affirmat.

At duo simul contendit Lagrange: α) narrationem Mosaicam quoad spiritum tantopere differre a cosmogonia Babylonica, ut hoc immensum discrimen nonnisi revelationi aut inspirationi tribui possit; imo eruditus exegeta hanc ispirationem eloquenter extollit; - β) similitudinem formae litterariae non afficere doctrinam, ac proin non esse mythicam proprie dictam, sed figuralem sive allegoricam [2]. - Sententiam Lagrange quoad rei summam sequuntur Zapletal et Holzhey [3], contradicente nuperrime Vetter [4].

2) Alii cum hoc ultimo existimant, nullam dari sat solidam rationem ad admittendam in narratione Mosaica derivationem a cosmogoniis populorum ethnicorum. Non negant isti, in cosmogonia Mosaica occurrere quaedam, quae similitudinem prae se ferunt cum fabulis Babylonicis; putant autem haec aliter explicari posse, dicendo, cosmogoniam Mosaicam exhibere traditionem antiquissimam, longe anteriorem tabulis

[1] Op. cit., p. 40b.

[2] Vix aliter Loisy: « Dans l'ensemble la Bible et la mythologie babylonienne « offrent souvent les mêmes symboles, les mêmes images; elles diffèrent essentielle- « ment quant à l'esprit et dans l'usage de ces matériaux » (*Les mythes babyloniens et les premiers chap. de la Genèse,* p. 109).

[3] *Schöpfung, Bibel und Inspiration.* — Stuttgart und Wien Roth., 1902, VI, 75, p. 80. — Insuper Holzhey censet, redactionem cosmogoniae Mosaicae esse posteriorem exilio Babylonico.

[4] « Wir stimmen dem Verfasser zu in seiner Deutung der Grundgedanken des « Schöpfungsberichtes, ebenso in der Annahme einer den Bericht beherrschenden « apologetischen Tendenz; ferner in der Deutung des Schemas auf die Sabbatwoche; « nicht aber stimmen wir zu der weiteren Annahme, dass der Bericht das Werk « eines Gelehrten sei, der babylonisch-mythologische Termini in monotheistischem « Sinne umgedeutet habe. Wir erblicken im Schöpfungsberichte eine uralte, in Abra- « hams Familie ursprünglich babylonisch fortgepflanzte, und später nach dem Wech- « sel der Sprache hebräisch weitergegebene Ueberlieferung. ». (*Theol. Qtlschr.* loc. cit.). Timet Cl. Zapletal in exordio operis sui, ne quam tuetur sententiam collocent in categoria « die man den verblassten oder verbesserten Mythismus » genannt hat (p. IV). Ad quod Lagrange: « Il a raison, parce que le mythe ne paraît ici qu'absolument « en sous œuvre, dans une mesure où le R. P. Hoepfl ne refuserait pas de le recon- « naître, mais qui n'est pas sa nature propre » (*Revue bibl.,* 1903, I, p. 145). Magis videtur Zapletal similitudinem contrahere ad terminos aliis cosmogoniis mythologicis desumptos, sed ab originali sensu avulsos. — Insistit autem multum Zapletal in sensum vocis צָבָא: quatenus per tres primos dies Deus distinguit regiones, quos per tres alios dies implet *exercitibus.* Sed Lagrange censet, hanc quaestionem non esse magni momenti; imo probabilius putat, legendum esse *sebi,* quum LXX verterint κόσμος, unde Vulgata habet « *ornatus* » (II, 1).

Assurbunipalensibus, sed conservatam in medio populi Chaldaeorum, unde in terram Chanaan ab Abrahamo translata est. Quare nil mirum, si hic illic vocabula quaedam veluti colorem Babylonicum servaverunt [1].

Haec sententia nobis eo magis placet, quod similitudo quoad ordinem narrationis existens inter cosmogoniam Babylonicam et Mosaicam, consistit in his quae sunt magis obviae notitiae et quae respondebant statui scientiae geologicae et astronomicae huius temporis.

Insuper quum traditio illa sit antiquissima, fundata super revelationem probabilius primordialem, quid mirum, si in mythis Babylonicis aliqua vestigia huius primaevae institutionis, licet fabulis immersa, non ex toto perierint? Quae ratio valet et de cosmogonia Phoenicaeorum.

Usquedum ergo fortiora argumenta proferantur ad veram et directam filiationem ostendendam inter narrationem Geneseos et mythos Babylonicos, haec ultima sententia nobis magis arridet.

CONCLUSIO.

Iam liceat hanc nostram inquisitionem paucis concludere.

Equidem placeret argumentum formulis mere negativis absolvere, subscribendo, v. gr., propositioni Perrone: « Neque « ex geologicis aut physicis, neque ex astronomicis observa- « tionibus quidpiam eruitur, unde cosmogonia mosaica infir- « mari possit » [2]; aut thesi Tanquerey: « Ex capite I Geneseos « nihil certi definiri potest circa creationis ordinem in dies « genesiacos, ideoque varia systemata inter catholicos exco- « gitata, ad conciliandam mosaicam narrationem cum natu- « ralibus disciplinis, salva fide, libere disputari possunt, dum- « modo veritas Scripturae inconcussa teneatur » [3].

[1] « Das babylonische Gepräge, welches der Bericht allerdings in mehreren Zügen « aufweist, erklärt sich vollständig wenn der Schöpfungsbericht eine in Abrahams « Familie mündlich fortgepflanzte und aus der babylonischen Heimat nach Kanaan « mitgebrachte mündliche Ueberlieferung darstellt. Von den Argumenten, aus welchen « Holzhey S. 39-41 den Schluss ableitet, das Material der biblischen Erzählung bilde « einen Auszug aus einem anderen, umfangreicheren Schöpfungsdrama, anerkennen « wir auch kein einziges als durchschlagend "». Ita rursus Vetter (Ibidem).

[2] Op. cit., p. 87.

[3] Op. cit., p. 271.

Sed ulterius aliquid, si possibile, praestandum videtur. Itaque hanc conclusionem modeste proferre liceat.

In narratione cosmogoniae Mosaicae triplex elementum distinguendum est: 1) elementum revelationis, 2) elementum humanae scientiae, 3) elementum artis.

1) *Elementum revelationis* ad praecipua haec capita reducitur: *a*) Deus est creator potentissimus, et ordinator sapientissimus universi. - *b*) Deus solus omnia creavit et ordinavit, quin aliorum spirituum uteretur auxilio. - *c*) Omnia opera Dei bona sunt, quia omnia respondent ideae et ordinationi divinae. - *d*) Corpora caelestia et ipsa sunt creata, ut inserviant temporibus humanis mensurandis. - *e*) In creatione habetur gradatio ab informibus elementis usque ad hominem. - *f*) Homo est omnino alterius dignitatis ac aliae creaturae; est imago Dei, rex universi. - *g*) Tempus per quod Deus universi opus complevit, est exemplar dierum per quos homo labori vacare debet, servato in cultum Dei et in quietem sacrum die septimo ad imaginem quietis ipsius Dei.

Iuxta haec omnia narratio Geneseos est sublimiter inspirata.

De tempore quo facta est ultima revelatio de hebdomada et de Sabbato, non constat. Moyses sane proclamat Sabbatum in sua relatione ad quietem Dei post laborem sex dierum, tanquam veritatem notissimam.

2) *Elementum humanae scientiae* consistit in notionibus, quales habebantur in antiquissimo tempore de rebus astronomicis, geologicis et zoologicis [1], v. gr.: *a*) de natura et sede lucis, veluti independentis ab astris, quasi haec non essent nisi ornatus caeli aut exercitus caelorum, in mensuram diei, noctis et temporum; - *b*) de firmamento [2], quod habebatur tanquam aliqua zona subtilis, at firmissima, dividens caelos superiores ab atmosphaera inferiori, dividens aquas superiores ab inferioribus; ita ut per foramina in firmamento facta aquae superiores erumpere possent in terram; - *c*) de natura astrorum, quae fingebantur veluti appensa firmamento; - *d*) de dimensione solis et lunae relate ad stellas; - *e*) de

[1] Cf. Calmet (op. cit.).

[2] De firmamento cf. Gen. vii, 11; Iob. xxvi, 11; xxxvii, 18; Ps. lxxviii, 23 civ, 2; II Reg. vii, 2, 19; Is. xl, 22. — Cf. infra Q. lxviii.

arida supernatante aquis, firmo fundamento solidata; - *f*) de generatione spontanea plantarum et animalium.

Quoad haec omnia potuit auctor sacer loqui iuxta statum scientiae naturalis sui temporis, quin exinde inspiratio sacri textus detrimentum ceperit. Imo ita loqui aliqualiter debuit ut intelligi posset.

3) *Elementum artis* consistit in ordinis dispositione et in imaginibus adhibitis.

a) *Imagines* in narratione Mosaica haberi plures ab ipso scribente pro arte sua inductas, negari nequit: talia sunt quaecumque repraesentant Deum anthropomorphice loquentem et agentem [1]. - *b*) Sed et arti scribentis magna ex parte tribuendus est narrationis *ordo*. Non ille, quo opus descripsit ab imperfecto ad perfectum, a natura inanimi usque ad hominem, gradatione naturali completum: hic enim ordo praeiacebat in opere ipso. Sed ille ordo in typum hebdomadae manifesto ordinatus, iuxta bipartitionem distinctionis et ornatus, quam superius descripsimus. Quae distributio operum ita ab auctore narrationis confecta est, ut quos nominat dies, naturales dies describantur; sed artificiose, non historice, ad typum hebdomadae exhibendum.

Utrum autem in hac parte artistica auctor omnes imagines et operum ordinationes, - excluso fundamento reali evolutionis operis imperfecti in opus perfectum, - a seipso veluti creaverit, an aliquid ex aliis documentis etiam ethnicis derivaverit, res non tanti momenti videtur, quum talis derivatio non amplius respiciat mythum proprie dictum, sed accidentalem formam litterariam mythi [2].

Quid haec nostra sententia habeat de schola Antiochena sensum litteralem olim propugnante, quid de Alexandrina sensum allegoricum defendente, nemo non videt. Quomodo ex pluribus sententiis modernioribus certiora desumat elementa, pariter liquet.

[1] De his imaginibus intelligendum est imprimis, quod monet Petavius in altera cautione, qua ad Moysis narrationem accedendum suadet: « Altera (cautio), in illis « ipsis naturalibus et corporeis exponendis rebus Moysem rudis hebetisque populi « ad captum et ingenium temperasse stylum » (Op. cit. l. 1, prooem. n. 6).

[2] Quare putamus, excessiva esse verba, quibus auctor criticus G. in *Litterarische Rundschau* sententiam P. Zapletal nuper corripuit, quatenus huiusmodi methodus Nov. Testamento applicata conduceret ad Straussianismum. Nego paritatem.

Caeterum nonnisi modeste hanc nostram sententiam proponimus. Quis enim post tantam opinionum varietatem, quam prope cum Genesiaco תֹהוּ וָבֹהוּ conferre liceat, se verius aliquid dixisse prorsus confidat?

Quinimo huic dissertationi finem imponere lubet exclamando: « Fiat lux! ».

Utinam de hoc argumento tam splendens tandem exsurgat elucubratio, de qua rerum naturalium simul et sacrarum periti iam concordi voce proclament: « Et facta est lux! » [1].

I. - DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM.

QUAESTIO LXVI.

De ordine Argumenti. - 1) In praecedenti dissertatione agentes de arte qua cosmogonia Mosaica confecta est, diximus, in eadem haberi tres gradus: *a*) constitutionem primam elementorum; *b*) distinctionem perfectiorem rerum; *c*) distinctarum rerum ornatum perfectum. In hac Quaestione quaerimus de hoc primo gradu. In tribus Quaestionibus sequentibus de secundo gradu quaeretur, utpote opus trium

[1] Praeter opera decursu huius dissertationis allata consule: De Foville *(Les jours de la semaine et les œuvres de la création);* Monsabré *(XIII.e Conf. La Genèse du monde);* Molloy *(Géologie et Révélation);* Jean d'Estienne *(Comment s'est formé l'univers);* Arduin *(La religion en face de la science);* Jungmann *(De Deo Creatore);* De la Vallée-Poussin (*Revue des Questions scientifiques,* 1879, I; *Revue catholique,* 1870, mai); Moigno (*Les splendeurs de la foi* t. III); H. Faye *(Sur l'origine du monde);* Janssen *(Dogmat. specialis);* Hamard (ap. Jaugey: *Diction apol.* ad verbum *Jours de la création);* Dana *(New text-book of Geology);* Geikie *(Hours with the Bible);* Castelein S. J. (*La première page de Moïse,* Louvain, 1884); Motais (*Origine du monde d'après la tradition, avec Introd. sur la Cosmogonie biblique* par Ch. Robert); Burmeister *(Geschichte der Schöpfung);* Haneberg *(Geschichte der bibl. Offenbarung);* Hettinger (*Apol.* t. II, p. 1); Pflaff *(Schöpfungsgeschichte);* Marcel des Serres *(De la Cosmogonie de Moïse comparée aux faits géologiques);* Jahn (*Einleitung in d. A. B.* II); Schanz (*Die naturwissensch. Exegese der Väter.* — Tüb Qrtlschr. 1887, p. 636); Barthold *(Natur und Offenbarung,* 1874, 1875); Holzammer *(Apolog. Erört. d. bibl. Schöpfungsgesch.);* Güttler *(Naturforsch. und Bibel in ihrer Stellung zur Schöpfung);* Lorinser *(Das Buch der Natur);* Rheinstätter *(Das Christenthum u. die Einsprüche seiner Gegner);* Gutberlet *(Das Sechstagewerk);* Güttler *(Kirchenlex, Hergenr. Kaulen; Hexaëmeron);* etc., etc.

primorum dierum, seu primi ternarii complectente. De tertio gradu, seu de altero ternario agetur in capite sequenti, tertio huius Sectionis.

Porro in hac Quaestione S. Thomas sciscitatur de origine materiae primordialis, (a. 1 et 2) caeli empyrei, (a. 3) et temporis (a. 4).

Breviter, in quantum fieri potest, hoc totum argumentum usque ad Quaestionem LXXIV absolvemus, fideliter discernentes quid in his tribui debeat conditioni scientiae naturalis, quali S. Thomas tempore suo utebatur.

ARTICULUS I.

UTRUM INFORMITAS MATERIAE TEMPORE PRAECESSERIT FORMATIONEM IPSIUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) De materia initiali rerum, quam Moyses describit in duobus primis versibus Geneseos, triplex praesertim sententia haberi potest. *a*) Prima sententia tenet, Deum primo condidisse materiam prorsus informem, sive puram; *b*) altera sententia ex opposito tenet, Deum creasse ab initio materiam non solum non informem, sed perfecte distinctam; *c*) tertia sententia, media, tenet, Deum ab exordio creasse materiam, non quidem ex toto informem, quae repugnat, sed tamen nondum plena rerum distinctione perfectam. Hanc tertiam sententiam S. Thomas hic defendit. In favorem primae sententiae procedit prior obiectionum series, in favorum tertiae, altera.

2) Et sane prima sententia teneri nequit, quia offendit in principia philosophica circa impossibilitatem ut materia absque ulla forma actu existat. Quae principia Scholae hic nota supponimus. Oportet ergo non solum ut materia, quam Deus ab initio condidit, non fuerit omnino informis, sed ut habuerit suas formas determinatas. Nam repugnat pariter aliqua forma primaria, fundamentalis, communis, cui omnes aliae formae nonnisi accidentaliter adveniant.

Impossibilitatem materiae ab initio absque ulla forma conditae optime agnovit et illustravit S. Augustinus.

3) Tertia sententia falsa pariter est dicenda; non autem eodem modo quo prima. Haec enim repugnat intrinsece, non autem illa. Potuisset enim Deus, si voluisset, ab ipso exordio condere universa usque ad perfectum suum ornatum undequaque in instanti perfecta. Sed narratio Scripturae, necnon ipsae scientiae naturales demonstrant Deum aliter egisse, ab imperfectione initiali opus suum gradatim ad perfectionem suam adducendo.

Quare si informis intelligitur materia nondum suam plenam distinctionis formositatem adepta, poterit dici, Deum condidisse materiam nondum formatam. Ita locuti sunt alii Patres, sat plures, quorum doctrina nullomodo repugnat cum doctrina S. Augustini.

4) Stat igitur vera sententia media, utpote simul principiis philosophicis et veritati revelatae scientiarumque naturalium investigationibus consona. Fuit ergo ab initio materia condita non sine ulla forma, ac proin cum primordiali distinctione, magis deinde magisque distinguenda.

5) Nec dicas, hanc sententiam esse contrariam verbis Scripturae: « Terra erat inanis et vacua ». Nam, reponunt Scholastici, totus contextus multipliciter ostendit iam aliquam distinctionem rebus ab initio infuisse. Et sane *a*) *caelum* et *terra* in primo versu aliqualiter saltem distinguuntur ab invicem: *b*) ipsa *terra,* quae inanis et vacua describitur, praedicatur tamen esse; *c*) *abyssus* vocatur illud spatium ingens distinctum ab ista terra inani et vacua; *d*) distinguuntur *aquae,* super quas ferebatur Spiritus Domini; *e*) *aër* a quibusdam sub hoc spiritu intelligitur; sed ista interpretatio non videtur probanda.

Fateor tamen, has distinctiones non esse urgendas. Imo, uti videbimus in *Sed contra est,* intentio sacri auctoris in versu secundo est exhibere descriptionem magnae veluti chaoticae confusionis; at non ideo ex toto informis.

6) Dicendum est ergo, Deum eodem omnino temporis instanti condidisse materiam et eius radicalem informationem. Potest nihilominus logica fieri distinctio ordinis inter materiam et formam. Materia enim est potentia, et forma est actus. Iam vero in omnibus quae non sunt actus purus, id est, in omni creatura, potentia logice sive natura prae-

cedit actum. — Cf. locum S. Augustini in *Corpore* afferendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* primae seriei urget verba « ina- « nis et vacua », quin attendat ad totum contextum. Cf. dicta n. 5; et dicenda in *Corpore.*

2. Obi. Arguit a pari, ubi paritas non datur. Deus enim creat ex nihilo. - Sed neque admissa paritate concludit obiectio. Nam natura non producit effectum in actu de ente, quod non sit nisi in potentia, sicut materia sine actu; sed de ente, quod est in actu suo, licet in potentia ad alium actum.

1. Obi. alterius seriei, non attendit ad liberam dispositionem, qua Deus voluit cum gradatione opus suum ad plenam perfectionem adducere, non quidem ex defectu potentiae, sed ex sapientia consilii.

2. Obi. Arguit ac si nullum daretur medium inter informationem absolutam et distinctionem ultimam.

In Corpore. Antequam S. Thomae argumentum afferamus, placet parumper immorari ipsis verbis versus secundi. Traductio litteralis haec esset: « Terra erat desertum et vacui- « tas, et tenebrae super abyssum, et spiritus Domini incubans « super aquam ». Verba substantiva תֹהוּ וָבֹהוּ vertunt LXX: « ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος », ad significandam confusionem tam perfectam, in qua oculus nihil discernere valeat. Abyssus autem hic intelligenda videtur immensi veluti aquarum oceani: talis enim est sensus proprius vocis תְּהוֹם. Terra igitur erat immersa tenebrosis fluctibus, quibus faecundus Dei Spiritus superferebatur, informi adhuc materiae terrestri veluti incubans. Hunc autem totum versum de conditione primaria terrae, non vero universi esse dictum, patet ex voce initiali וְהָאָרֶץ, quae reassumit ultimam vocem versus praecedentis. Unde iam concludere ab exordio possumus, omnia quae postea evolventur, nostram respicere terram; aut si de caelo etiam agunt, in nostram tellurem ordinari.

Placet cum hac descriptione primordialis status terrae conferre notissima carmina Hilarii et Ovidii:

Hilarius haec habet:

« *Omnia quum tegeret nigrum Chaos, altaque moles*
« *Desuper urgeret informis corpora mundi,*
« *Et caliganti premeret serotina nocte,*
« *Nec species, nec forma foret: Deus intus agebas,*
« *Corporibus tectis mixtus, secreta potestas* [1] ».

Et alter fusiori metro canit:

« *Ante mare et tellus, et, quod tegit omnia, caelum*
« *Unus erat toto naturae vultus in orbe,*
« *Quem dixere Chaos: rudis indigestaque moles*
« *Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaque eodem*
« *Non bene iunctarum discordia semina rerum.*
« *Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan.*
« *Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,*
« *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus*
« *Ponderibus librata suis, nec brachia longo*
« *Margine terrarum porrexerat Amphitrite.*
« *Utque erat et tellus, illic et pontus et aër;*
« *Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,*
« *Lucis egens aër; nulli sua forma manebat* » [2].

Porro haec ultima verba « nulli sua forma manebat », quae respondent verbis Geneseos « terra erat inanis et « vacua », non esse intelligenda ad exclusionem omnis omnino formae, S. Thomas iuxta S. Augustinum in hoc *Corpore* demonstrat. Probat enim concordiam inter Hipponensem et alios Patres, quatenus e tribus sententiis superius expositis isti negant sententiam secundam; ille autem primam, ac proin utrosque convenire in tertia sententia media, quam ostendit esse veram.

Etenim 1), iuxta doctrinam scholasticam [3], repugnat tum *a*) materia actu existens omni forma destituta, quin est contradictio in terminis; tum *b*) forma communis, cui postea advenirent aliae formae distinguentes, quae non amplius essent nisi accidentales; unde non darentur verae transformationes, sed dumtaxat alterationes.

2) Nihilominus in hac materia, licet iam formam aliquam aut formas aliquas habente, deerant multipliciter illae formae

[1] *Carm. ad Leonem.*

[2] *Metamorph.* I, 5-17.

[3] De hac doctrina confer recentissimum opus L. Schmöller *(Die scholastische Lehre von Materie und Form);* cf. et Heinrich (op. cit. p. 263, sqq.).

constituentes formositatem, seu hunc decorem, quem universo iam perfecto inesse videmus. Scilicet, iuxta S. Thomam:

Deerat formositas triplex:
- 1) caelo deerat formositas lucis (tenebrae erant);
- 2) terrae deerat formositas
  - *a*) distinctionis ab aquis (inanis, invisibilis);
  - *b*) ornatus, seu plantarum (vacua).

Quaeres. Quaenam fundatior est interpretatio verborum « Spiritus Dei » in fine versus secundi: « et Spiritus Dei « וְרוּחַ אֱלֹהִים ferebatur super aquas »? [1] - Triplex principalis apud scriptores sacros occurrit. 1) Alii Spiritum intelligunt aërem agitatum sive ventum a Deo immissum ad exsiccandam terram. Ita cum S. Ephraemo Theodoretus, Severianus, Targhum Onkelos, Rabbi Moses Maimonides et Aben Hezra. - 2) Alii intimam vim vitalem intelligunt, principium omnis motus et faecunditatis. Ita S. Chrysostomus [2]. - 3) Alii intelligunt Deum, cum appropriatione Spiritus Sancti. Quae sententia communior est. Ita S. Augustinus ait: « Spiritum ope« rantem esse vi quadam effectoria et fabricatoria, ut illud, « cui superfertur, efficiatur et fabricetur. Sicut superfertur « voluntas artificis ligno, vel cuique rei subiectae ad ope« randum; vel etiam ipsis membris corporis sui quae ad « operandum movet » [3]. Et paucis interiectis hunc Dei Spiritum intelligendum ait personam SS. Trinitatis [4]. Nec aliter S. Cyrillus, S. Basilius, S. Ambrosius, S. Hieronymus. Hoc sensu canit Prudentius:

« *Qui Spiritus olim*
« *Ore superfusus Patris volitabat in undis*
« *Nondum discretis, nec certo littore clausis* » [5].

Et Victor Uticensis: « Superferebatur Spiritus Dei super « aquas, utpote creator virtute potentiae suae continens crea-

[1] Cf. iam praemissa in dissertatione de cosmogonia Mosaica.
[2] Homil. 3.
[3] *De Gen. lib.* imperf. c. 4, n. 16. — *P. L.* XXIV, 226.
[4] Ibid. — Admitit tamen insuper duas alias interpretationes. — Cf. dicta superius in dissertatione.
[5] *Apoth.*

« turam; ut ex iis viva omnia producturus ipse rudibus ele-
« mentis ignis proprii fomenta [1] praestaret » [2].

Petavius censet, Spiritum Domini significare quidem Deum; sententiam autem integram huc spectare existimat, ut ostendatur, « nullum super aquas tunc fuisse corpus », scilicet « nullum ibi corpus remve aliam esse, quae mundum amplexu « contineat, praeter Deum » [3]. Quo sensu Rabbi Selomah dixit, aquas « solium fuisse Dei in aëre consistentis ».

Placet afferre ex integro modum, quo S. Augustinus demonstrat simul fuisse tempore creatam materiam et formam eius, licet materia ordine naturae praecedat. Ad quod illustrandum S. Doctor duplici utitur comparatione, altera inter vocem et verba; altera inter res simul actas et ordinem quo eas nonnisi per verba sibi succedentia exprimere valet sermo humanus: « Non quia informis materia formatis rebus tempore « prior est, cum sit utrumque simul concreatum, et unde « factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba « vero formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, « prius emittit informem vocem, quam possit postea colli- « gere, atque in verba formare: ita creator Deus non priore « tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordi- « nem quarumque naturarum, quasi secunda consideratione « formavit; formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud « unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine « prius est, quam illud quod inde fit; potuit dividere Scrip- « tura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus « non divisit. Si enim quaeratur utrum vocem de verbis an « de voce verba faciamus; non facile quisquam ita tardo « ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respon- « deat: ita quamvis utrumque simul qui loquitur faciat, quid « unde faciat, naturali attentione satis apparet. Quamobrem, « cum simul utrumque Deus fecerit, et materiam quam for- « mavit, et res in quas eam formavit [4], et utrumque ab Scrip-

[1] Ita S. Basilius actionem hic descriptam confert actioni, qua gallinae ova incubitu fovent. (*Dial.* I, interr. 55).

[2] *Fidei rat. ad Hunericum.*

[3] *De opif. sex. dier.*, l. I, c. 3, n. 6. — Lege ibidem expositionem totius huius versus secundi.

[4] Non inde tamen haec prima informatio iam continet ultimum ornatus distinctionem.

« tura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit; « prius illud unde aliquid factum est, quam illud quod inde « factum est, dici debuisse quis dubitet? Quia etiam cum « dicimus materiam et formam, utrumque simul esse intelli- « gimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Sicut « autem in brevitate temporis contingit, cum duo ista verba « proferimus, ut alterum ante alterum proferamus: ita in « prolixitate narrationis alterum prius quam alterum nar- « randum fuit, quamvis utrumque, ut dictum est, simul fece- « rit Deus; ut quod sola origine prius est in faciendo, etiam « tempore prius sit in narrando: quia duae res, quarum etiam « altera nullo modo prior est, nominari simul non possunt; « quanto minus simul narrari? Non itaque dubitandum est, « ita esse utcumque istam informem materiam prope nihil, « ut non sit facta nisi a Deo, et rebus quae de illa factae « sunt, simul concreata sit » [1].

Rationes ob quas Deus prius informe opus fecerit, quum ornatum condere potuisset, S. Ambrosius ita investigat: « Potuit utique; sed ideo primo facta, postea composita decla- « rantur, ne vere increata et sine principio crederentur, si « species rerum velut ingeneratae ab initio, non postea addi- « tae viderentur. Incomposita terra legitur, et iisdem a phi- « losophis aeternitatis, quibus Deus, privilegiis honoratur. « Quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? De- « mersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum « addicta naufragio: et adhuc a nonnullis facta non creditur. « Quid si decorem primogenitum vindicaret? - Accedit illud, « quod imitatores sui nos Deus esse voluit: ut primo facia- « mus aliqua, postea venustemus: nedum simul utrumque « adorimur; neutrum possimus implere. Fides autem nostra « quodam gressu crescit » [2].

De mente S. Bonaventurae.

Doctor Seraphicus in l. II Sent. Distinct. XII duplici quaestione de praesenti argumento tractat, sciscitans 1) « an « materia corporalium creata sit in omnimoda possibilitate »,

[1] *De Gen. ad litt.*, l. I, c. 15, n. 29. — *P. L.* XXXIV, 257.
[2] *Hexaem.*, l. I, c. 7.

et 2) « an materia producta sit in perfecta actualitate ». Quemadmodum S. Thomam audivimus demonstrantem, S. Bonaventura mediam sententiam sequitur, quae tenet materiam corporalium conditam fuisse non in mera possibilitate, nec tamen in perfecta actualitate, quatenus ab initio habuit quidem primordialem formam, nondum tamen perfectionem ultimam.

1) Priorem affirmationem illustrat ope distinctionis inter materiam uti est in natura, et uti consideratur ab anima; *a*) hoc altero modo, potest apprehendi sine ulla forma, unde oritur ordo rationis inter materiam et formam; *b*) at in natura nequit existere sine aliqua forma. « Est iterum loqui « de materia secundum quod habet esse in natura, et sic nun- « quam est praeter locum et tempus, sive praeter quietem « et motum: et hoc modo non solummodo congruit, imo « etiam impossibile est materiam existere per privationem « omnis formae » [1].

At non ideo in instanti omnia cum sua ultima perfectione creata sunt. Hic S. Bonaventura exponit duplicem sententiam, quam tam nitidis verbis exponit, ut textum, licet longiorem, ex integro transcribere non pigeat. Unum tamen praemonemus: S. Augustinus non tanquam certam tradidisse sententiam, quae tenet, omnia condita esse simul; neque necessario id evolvere doctrinam, quae affirmat, materiam sine ulla forma creari non potuisse. En igitur verba Seraphici Doctoris: « Circa hanc quaestionem diversae sunt Sanc- « torum opiniones. Quidam enim Sancti in hac quaestione « magis secuti sunt viam theologicam, trahentes rationem ad « ea quae sunt fidei. Quidam vero, inter quos praecipuus fuit « Augustinus, magis secuti sunt viam philosophicam, quae illa « ponit quae videntur magis rationi consona: unde et intellec- « tum Scripturae trahit ad rationis confirmationem et attesta- « tionem. Unde cum videatur rationabilius a summa potentia « omnia produci simul, et mora temporis interiacentis nul- « lius videatur esse utilitatis vel necessitatis, posuit omnia « simul esse producta: suam positionem confirmans per auc- « toritates sacrae Scripturae, et exponens illud quod videtur

[1] Loc. cit., art. 1, q. 1.

« sibi contradicere, videlicet de dierum distinctione, osten-
« dens quod illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius
« spirituales, qui omnes simul potuerunt esse; et haec positio
« multum fuit rationabilis, et valde subtilis. Verumtamen quia
« ad hanc positionem videtur intellectus Scripturae distrahi,
« et securius est, et magis meritorium intellectum nostrum,
« et rationem omnino Scripturae supponere, quam ipsam
« aliquo modo distrahere, ideo communiter aliqui doctores,
« et qui praecesserunt Augustinum et qui secuti sunt, sic
« intellexerunt, et posuerunt, sicut textus in littera sacrae
« Scripturae Genesis sonare videt. Unde posuerunt omnia
« materialia, et corporalia simul esse creata in materia, sed
« per senarium dierum esse distincta in forma. Hanc positio-
« nem, etsi minus videatur rationabilis quam alia, non tamen
« est irrationabile sustinere. Quamvis enim ratio non perci-
« piat huius positionis congruitatem prout considerationi suae
« innititur, percipit tamen prout sub lumine fidei capti-
« vatur » [1]. Quantopere sententia quam superius exposuimus, merita utriusque scholae coniungat, sat superque est manifestum.

At nihilominus S. Bonaventura penitius investigans in oeconomiam creationis, qualem exhibent Scripturae, quatuor rationes in ea reperit, quarum pariter, paucis omissis, integram expositionem transcribere iuvat. « Est enim huius
« successivae formationis, et distinctionis ratio quadruplex,
« videlicet *litteralis, moralis, allegorica,* et *anagogica.* - *Lit-*
« *teralis* in hoc quod Deus non tantum intendit facere quan-
« tum potest, tantum etiam communicare creaturae quantum
« potest recipere. Unde cum possit dare beatitudinem absque
« meritis, vult tamen quod mereamur. Sic cum possit statim
« perficere materiam, maluit tamen ipsam sub quadam infor-
« mitate et imperfectione facere, ut ex sua imperfectione
« quasi materia ad Deum clamaret, ut ipsam perficeret. Et
« hoc idem voluit per senarium dierum differre, ut in per-
« fectione numeri simul ostenderetur perfectio universi... -
« Ratio *moralis* est, ut in hoc erudiatur homo quod, sicut
« materia corporea per seipsam informis existit, tunc autem

[1] Ibid., q. 2.

« formatur, cum divina bonitas eius informitati tribuit for-
« mam: sic anima formari non potest per seipsam, nisi Deus
« gratiam suam infundat. Cui etiam numerus senarius atte-
« statur, quia tempus est merendi per universum tempus
« vitae praesentis, ut postmodum detur homini quies: quia
« non pervenitur ad perfectionem meriti usque ad consum-
« mationem gratiae finalis, post quam nulla sequitur vespera,
« et ideo dies septimus non habet sibi assignatum vespere
« in Scriptura. - *Allegorica* vero ratio est, quia sicut expresse
« Augustinus ostendit, in illa prima mundi conditione quae
« est distincta per senarium, totum spatium decursus mundi
« praesentis secundum sex aetates praesignatur: ut primus
« dies aetati primae respondeat, secundus secundae, et sic
« deinceps... [1] - Ratio autem *anagogica* est, ut in illa dierum
« distinctione intelligatur perfectio cognitionis in Angelica
« natura beatificata, secundum quod plane ostendit Augu-
« stinus supra Genesim ad litteram quasi per totum » [2].

Sub ratione allegorica sane comprehendi potuisset typus hebdomadae deinceps ab homine servandae. Quae ratio, potior utique in sententia quam superius amplexi sumus, servat suum quoque pondus in sententia cui adhaerebat Seraphicus.

ARTICULUS II.

UTRUM UNA SIT MATERIA INFORMIS OMNIUM CORPORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Liceat liberius de hoc argumento disserere ob discrimen quod hic occurrit inter doctrinam S. Thomae et scientiam perfectiorem ab Angelici tempore in rebus naturalibus acquisitam.

2) Experientia enim et penitior persecutio caelestium corporum docuit, non tantam esse inter terrestria et caelestia corpora differentiam, qualem fingebant antiqui. Unde semper magis invaluit sententia tenens, eiusdem esse omnium corporum constitutiva elementa primaria, illa scilicet quae antiquitus quatuor numero tenebantur.

[1] Agnosce quam eleganter S. Bonaventura non solum temporis spatium, sed ipsum senarium numerum per has varias rationes illustrat.

[2] Ibid.

3) Quae sententia hinc corroboratur, quod tellus nostra per illa stadia pertransiit, in quibus sol et stellae nunc adhuc apparent; ac proin primordiales vires omnium corporum esse easdem validissime suadetur, quin oporteat distinguere corpora inter corruptibilia et incorruptibilia. Adde investigationes in lunam et viciniores planetas ope telescopii completas, quae omnes ostenderunt identitatem elementorum terrestrium atque caelestium; ut nihil dicam de corporibus istis, quae interdum nimis extravagando in terram nostram attracta proiiciuntur.

4) Antiqui vero et Scholastici philosophi in hac distinctione admittenda conveniebant. At non ideo concordes erant in solutione praesentis quaesiti. Imo in quatuor abibant sententias.

a) Plato dicebat, omnia corpora tam caelestia quam terrestria constitui eisdem elementis, ac proin eadem materia prima; at incorruptibilia esse corpora caelestia, quia Deus non vult ea corrumpi, et fortior vis est lex divinae voluntatis, quam propriae essentiae.

b) Aristoteles tenebat, corpora caelestia esse intrinsece incorruptibilia, quia motus circularis eorum caret contrarietate, et omnis corruptibilitas a contrarietate elementorum ortum ducit. Quare iuxta Aristotelem alia est materia prima corporum coelestium et alia corporum terrestrium, quia per generationem et corruptionem non possunt transire in invicem.

c) Avicebron tenebat principium Aristotelis quoad corpora incorruptibilia; non autem admittebat Stagiritae conclusionem quoad materiae primae utrarumque diversitatem. Putabat enim, unam esse nihilominus formam omnium corporum, scilicet formam corporeitatis, ac per consequens in omni materia esse eamdem radicalem potentiam, ad actum corporeitatis.

d) Averroës tenebat, non solum, uti Avicebron, principium fundamentale Aristotelis, sed et eius conclusionem quoad diversam materiam corporum incorruptibilium et corruptibilium; sed discrepabat quoad modum explicandi formam corporum caelestium, dicendo eas esse substantias separatas, uti motrices, quae explent materiae caelestis potentiam ad

ubi, et non autem ad formam. Unde secundum hunc philosophum discrimen fundamentale inter utramque materiam est, quod materia corporum caelestium est dumtaxat ad ubi, materia autem corporum terrestrium est ad esse actu per formam.

5) S. Thomas, adhaerens sententiae Aristotelis, tenet *a*) corpora caelestia esse incorruptibilia ex sua essentiali constitutione prorsus diversa a corporibus terrestribus corruptibilibus; - *b*) per consequens aliam esse materiam primam utriusque generis corporum, quatenus materia prima corporum corruptibilium est in potentia ad omnes formas corruptibiles per quas actuatur, materia vero prima corporum incorruptibilium est in potentia ad formas incorruptibiles (qualescumque istae sint), per quas actuatur; - *c*) actuatur tamen tam perfecto per eas, ut simul exhauriatur, ac proin firmiter maneat; - *d*) conveniunt nihilominus analogice geminae materiae, non quatenus sunt in potentia ad formas corporeitatis, sed quatenus sunt in ratione potentiae. - *e*) Quare si quaeritur, utrum omnia corpora sint in eodem genere, distinguendum est: α) physice est negandum: datur enim duplex genus corruptibilium et incorruptibilium; at β) logice potest concedi, fingendo genus commune corporeitatis.

II. **Ad Textum.** - Ex hac ipsa expositione doctrinae patet, quid de textu huius articuli censendum sit. Unde ab eiusdem penitiori discussione abstinemus. Sententia enim quam in eo tuetur Angelicus, antiquata est quoad suum principale fundamentum. At nihilominus in eiusdem expositione egregie ostenditur debilitas rationum ab Avicebrone et Averroë allatarum. Prior enim supponit, non dari communem praeter formam corporeitatis, cui aliae omnes formae superveniant. Alter enim supponit, materiam coelestem posse actuari per meram actionem motricem, ac si ipsa materia non esset potentia ad actum formalem essendi, sed dumtaxat ad ubi.

Corollarium. - Ex huius articuli doctrina habes, quid intelligatur per famosam illam antiquorum *quintam essentiam,* (unde vocabulum *quintessence, quintessenza*). Dum enim corpora terrestria quatuor elementis constare putabantur, spe-

cialis quaedam essentia quinta tribuebatur corporibus caelestibus. Quam alchimistae quovis studio perscrutari atque colligere sunt conati. Sub roris forma desupér delabi, sed primo cum terrestri corpore contactu veluti evanescere censebatur.

ARTICULUS III.

UTRUM CAELUM EMPYREUM SIT CONCREATUM MATERIAE INFORMI

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hucusque de his quae intelligi debent sub verbo « *terra* » primi versus Mosaici. Nunc investigandum est de « *caelo* », quod ibidem imo ante terram ponitur. Iam vero quadruplici modo intelligi potest haec vox: *a*) de caelo aëreo quo terra proxime circumvolvitur; *b*) de caelo aethereo [1] vel sidereo, in quo sidera micant; *c*) de caelo empyreo seu igneo, quod circumdat duos praecedentes; *e*) de angelis ab initio in summo caelo conditis.

2) Antequam de his sententiis verbulum faciamus, iuvat breviter exponere doctrinam antiquorum de empyreo caelo [2]. Distinguebant scilicet concentricum caelum triplex: *a*) *aëreum* quo terra nostra proxime circumvestitur, in quo pendent nubes et sufflant venti; *b*) *sidereum,* quod octo distinguebant veluti zonis: septem primae reservabantur soli, lunae atque planetis; octava fixis stellis; - *c*) *empyreum* seu *igneum,* quod super siderum undequaque sese per gyrum extendebat. Hoc tertium caelum erat lucidissimum, maiestate Dei veluti perfusum, sedes proin exercitus angelorum atque beatorum. Dum duo caeli inferiores erant moti et moventes, caelum empyreum erat immobile, utpote altioris ordinis; at disputabatur utrum moveret caelum inferiorem sidereum necne. S. Thomas, - in resp. ad secundum, - inclinat in affirmandum, quia inde maior exsurgunt universi unitas et gradatio.

3) Totam hanc de empyreo caelo antiqui scriptores et theologi scholastici non docebant uti certo tenendam. Inde tam facile potuit Caietanus huius caeli existentiam negare:

[1] Interdum vocabulum *aethereum* adhibebatur veluti synonymum *empyrei.*
[2] Cf. Heinrich (op. cit. p. 231, sqq.). — Cf. et Q. LXVIII.

« Empyreum siquidem caelum, ait, a posterioribus traditum, « nullibi invenitur in Scriptura » [1]. Imo ipse S. Thomas in exordio huius *Corporis* expresse affirmat: « quod caelum « empyreum non invenitur positum nisi per auctoritatem « Strabi et Bedae, et iterum per auctoritatem Basilii ».

4) Quaestio quam hic movet S. Thomas, non erat sine momento pro controversia cum Manichaeis. Hi nimirum opus creationis despiciebant, utpote a tenebris inchoatum. Quae obiectio aliter et aliter a Patribus solvebatur. Alii simpliciter concedebant, creationem a tenebris incepisse, ostendentes huius rei convenientiam, non quasi tenebrae essent aliquid, sed quatenus privative bene exprimabant τὸ nihil, ex quo Deus omnia fecit. - Alii cum Augustino non admittebant nisi successionem originis inter tenebras et lucem, sicuti inter materiam informem et formatam. - Alii demum cum Basilio ponebant ab initio condita veluti duo extrema: caelum empyreum lucidissimum et terram tenebris opertam. Hanc ultimam sententiam S. Thomas amplectitur, iuxta scientiam astronomicam suo tempore vigentem.

5) Licet haec sententia hoc modo intellecta non amplius hodie teneatur, quaeri potest, utrum vocabulum « caelum » in exordio narrationis Mosaicae sit in hoc sensu interpretandum. Sane non sufficit ut intelligatur caelum aëreum, nam in sequentibus sermo recurret de eodem caelo, quod ab initio est nominatum. Ergo tenendum est, ab exordio per הַשָּׁמַיִם intelligi saltem id omne, quod per spatia universa sensibili existit circa terram; ita ut expressio « caelum et « terra », significet passim in usu biblico id quod dicitur κόσμος.

At in hoc toto cosmico, intenditne auctor sacer speciali modo per « caelum » significare caelum empyreum, quod haud secus ac Babylonici noverant Israëlitae? En quaestio subtilior. Responsio negativa probabilior esse videtur, tum *a*) quia in sequentibus non occurrit specialis mentio huius tertii caeli; dum caelum secundum, sidereum scilicet, expresse describitur secunda die distinctum et quarta die ornatum; - verba enim versu 8: « vocavitque Deus firmamentum « cae-

[1] II. Cor. xii.

« lum שָׁמַיִם » non possunt de caelo empyreo intelligi; - tum *b*) quia caelum empyreum alibi cum additamento exprimitur, uti, v. gr. in Deuteronomio: « En, Domini Dei tui « caelum est et caelum caeli (הַשָּׁמַיִם וּשְׁמֵי הַשָּׁמָיִם), terra « et omnia, quae in ea sunt » [1]. Quare existimo, in exordio Geneseos vocem « caelum » non significare proprie caelum empyreum; at nihilominus eatenus caelum empyreum sub hac voce contineri, quatenus auctor sacer docens nos, Deum esse omnino creatorem universi, noluit ab hac actione creatrice ullatenus excipere caelum supremum.

A fortiori noluit ab hac actione excipere angelos. Sed quousque teneri possit angelos in primo versu Geneseos adsignificari, investigabimus ubi de horum spirituum creatione investigabimus [2].

II. **Ad Textum.** - Obiectiones ita procedunt, ut non solum impugnent concreationem caeli empyrei cum informi materia, sed etiam huius caeli existentiam: nam deberet esse 1) mobile, 2) agens in caelos inferiores, 3) sedes contemplationis et 4) per se totum lucidum. Solvit autem S. Thomas negando primum, componendo probabilius secundum cum harmonia universi, distinguendo in tertio et in quarto.

Sed contra est. In forma plurali vocis שָׁמַיִם inveniunt aliqui implicitam sententiam de multiplici zona planetarum [3]. Sed hoc non videtur cogens [4]. Origo vocis desumitur a tecto domus, vel ab operimento tabernaculi [5]. Firmamentum enim antiqui habebant ad modum tecti superstructi telluri. Hoc sensu Theophilus Antiochenus eleganter illustrat, cur Deus a caelo opus universi inceperit: « Nam homo, qui in infima « mundi regione situs est, a terra aedificare incipit, nec nisi « fundamento iacto, tectum construere potest. Dei vero in « hoc potentia monstratur, ut ex iis primum, quae non ex-

[1] C. x, 14. — Cf. « Si enim caelum et caeli caelorum te capere non possunt... », III. Reg. viii, 274; II. Paral. ii, 5.

[2] Inter recentiores auctores, qui censent per hanc vocem designari angelos, eminet Cl. Kaulen (op. cit.).

[3] Ita Gunkel (*Genesis*, p. 98).

[4] Nec aliunde cogens est consideratio Aben Heyra dicentis, caelum hic contrahi ad viciniores caeli orbes, eo quod articulo signatur את.

[5] Frankenberg (*G. G. Anz.* 1901, p. 687, sq.).

« stant, creata omnia pro voluntate sua faciat. Quae enim « penes homines impossibilia sunt, penes Deum possibilia « sunt. Idcirco Propheta dixit, primo caeli fabricationem esse « factam, quod tecti instar esset; loquens sic: In principio « fecit Deus caelum » [1].

E Patribus sunt, qui ex hoc, quod firmamentum dicatur secundo die confectum et vocatum caelum, existiment, caelum de quo agitur in ipso exordio, esse aliud caelum superius.

Ita Severianus ait: « Primo die caelum quod non erat, « condidit: non hoc quod videmus, sed superius. Hoc enim « die secunda factum est. Fecit Deus caelum illud, de quo « David dicit: " Caelum caeli Domino " [2]. Est autem superior « ista contignatio » [3]. Consentiunt cum aliis S. Ambrosius [4], duce S. Basilio, qui ait: « Dictum est a praecessoribus nostris: « non esse hanc secundi caeli creationem, sed prioris expo- « sitionem. Ibi enim carptim Scriptura attulit caeli terrae- « que facturam, hic curiosius rationem tradit nobis, qua « unumquodque confectum sit elementum. Nos autem dici- « mus, quia et quando nomen aliud et usus proprius est in « secundo, aliud esse necessario illud primum, quod factum « est caelum habens naturam validiorem, quae praestat rebus « omnibus utilitatem praecipuam » [5]. Gregorius autem Nyssenus aliam addit rationem, asserens scilicet, per haec verba « caelum et terram » " significari tanquam extrema rerum « omnium, quae sensibus percipiuntur: ut cum ea, quibus « comprehensa sunt caetera, a Deo procreata diceret, id « omne complecteretur, quod intra extrema continetur » [6].

Quam tamen sententiam S. Basilius hic non amplectitur, S. Cyrillus Alexandrinus his verbis exponit: « Cum igitur « Moyses ait: " In principio fecit Deus caelum et terram ", « intellige summatim et velut in compendium collatis omni- « bus, universarum rerum creationem exponere: tum arti- « ficiose progredi ad explicandum quemadmodum ornata

[1] *Ad Autol.*, l. II.
[2] Ps. CXIII, 25.
[3] Homil. I.
[4] Hexaëm. l. II, c. 3.
[5] Homil. 3.
[6] Hexaëm.

« fuerint, et qua ratione singula rerum creatarum hoc ipsum « quod sunt, consentanee sint adeptae » [1].

Huic potius sententiae adhaerentes, putamus per vocem « caelum » intelligi quidquid extra terram ad universum pertinet, sine speciali significatione, sed nec cum exclusione caeli empyrei; verbo per « caelum et terram » intelligi universum, seu mundum, iuxta definitionem auctoris libri de Mundo ad Alexandrum: « Mundus (κόσμος) est collectum ali- « quid e caelo atque terra, atque ex iis naturis, quae intra « ea continentur » [2].

In Corpore. S. Doctor ita procedit. 1) In favorem primordialis creationis caeli empyrei adducit auctoritatem Strabi et Bedae, imo et S. Basilii. - 2) Discrimen ostendit in ratione, quae eos ad hoc ponendum movit: *a*) duo primi hoc ponunt, ut caelum ab exordio factum distinguant a caelo sidereo secunda die distincto; *b*) Basilius autem ut solvat obiectionem Manichaeorum, creationis opus calumniantium, utpote a tenebris inceptum. - 3) Ostendit hanc obiectionem iuxta Augustinum aliter solvi posse, quin ad hoc ponatur lucidum caelum ab exordio conditum. - 4) Ipse aliam rationem suggerit huius primordialis creationis: ut scilicet sicut ab exordio, angelorum beatitudo inchoabat gloriam spiritualem, ita a principio lucidum caelum empyreum inchoaret gloriam corporalem. - 5) Demum ostendit discrimen inter caelum empyreum vel aethereum, quale, cum Platonicis, ponebat Augustinus, et caelum empyreum distinctum a caelo aethereo, quale cum recentioribus ponebat ipse S. Thomas. Sane de isto argumento sententia S. Augustini verior.

Haec, eruditionis causa, breviter compendiasse, satis sit.

Corollarium. Solent increduli, inter quos atheus ille Gallus astronomus Flammarion, deridere doctrinam catholicam de caelo sede beatorum atque maiestatis Dei. Ecce, aiunt, haec sedes fingebatur caelum empyreum; hoc autem caelum nonnisi vanum est commentum; cum hoc igitur caelo tota evanescit caeli, imo Dei ipsius fabula.

[1] *Ctr. Iulian.*, l. II. — Eamdem explicationem interrogando inducit S. Augustinus: (*De Gen. ad litt.* l. I, c. 3).

[2] Plura vide de hoc argumento apud Petavium (op. cit. l. I, c. 2).

Insulse dictum! Ergone Deus unice existere dicebatur, ne caelum hac maiestate suprema careret? Ergone nulla ratio praedicandi futuram gloriam beatorum, nisi ut hoc caelum impleant? E contra, quum Deum deceat, maiestatem suam in quodam sublimiori beatis angelis et sanctis manifestare, haec autem maiestatis simul et beatitudinis sedes alicubi ponenda esset; hoc caelum haec praestare putabatur. Nedum autem astronomia recens sedem hanc reddiderit impossibilem, potius dicendum e converso, facilius hanc sedem fingi centrum ipsius universi, quam zonam aliquam circularem qua totus mundus circumducatur [1]. Caeterum quid stultius quam proterve affirmare, caelum dari nullum, quia ignoramus locum ubi sit? Quasi Deus non possit angelis et sanctis ad beatitudinis sedem destinare locum, qui sibi placuerit!

Quaestio de situ huius loci tantopere secundaria est, ut haec progressio scientiae astronomicae nonnisi de longinquo dogma catholicum affecisse dicenda sit [2]. At mitigandae, imo castigandae sunt assertiones theologorum, qui olim tanquam omnino certam docebant [3] doctrinam, non modo de aliquo caelo, sede beatorum, - quod Ecclesia existere non semel defi-

[1] Hoc bene his verbis monet laudatus Heinrich: « Was die Construktion des « Universums betrifft, so wird durch die Anschauung der modernen Astronomie « die Vorstellung des Himmels der Seligen offenbar nicht erschwert, sondern erleich- « tert und einleuchtender gemacht. Denn es ist offenbar viel schwieriger, sich mit « den Alten den Himmel der Seligen auf der Kugelfläche des das Universum um- « schliessenden caelum empyreum vorzustellen, als ihn der heutigen astronomischen « Anschauung entsprechend im Mittelpunkt des Universums zu denken » (Op. cit., loc. cit.).

[2] A fortiori idem valet de loco infernali. Quare putamus, Cl. Loisy nonnisi leviter adduxisse hoc exemplum ad suum dogmaticum transformismum illustrandum: « L'Eglise répète encore chaque jour dans le Symbole des apôtres: " Il est « descendu aux enfers, il est monté aux cieux ". Ces propositions ont été prises à « la lettre pendant de longs siècles. Les générations chrétiennes se sont succédé en « croyant l'enfer, le séjour des damnés, sous leurs pieds, et le ciel, le séjour des « élus, au dessus de leurs têtes. Ni la théologie savante, ni même la prédication « populaire ne maintiennent aujourd'hui cette localisation » (*L'Evangile et l'Eglise*, p. 164, sq.). Etiamsi verum esset, omnino constare, locum inferni non esse in sinu terrae, non ideo ex hac accidentali modificatione circa locum poenarum potest argui, veluti *a pari*, ad radicales illas transformationes per quas auctor huius lugendi libri existimat Evangelium transiisse in hodiernam Ecclesiam, ipsamque Ecclesiam, — modo sapiat, - esse iugitur transituram. (Cf. quae de hoc opere scripsimus in *Revue Bénédictine* 1903, II, p. 203, sqq., necnon scripta ibidem allata, quibus adde egregium studium Cl. Lagrange in *Revue Biblique* 1903, II, p. 292, sqq.).

[3] Cf. Sylvium hoc loco.

nivit [1], sed de illo caelo empyreo quale cogitabant antiquiores.

Quaeres. Quomodo, iuxta veterem in hac re doctrinam, conditum erat caelum empyreum, num cum aliqua informitate, an omnino perfectum? - Perfectum id ab initio conditum affirmabant. Ita, v. gr., Ioannes a S. Thoma arguit ex huius caeli perfectione ac vastitate; insuper ex eo quod non legatur deinceps amplius formatum; demum ex eius immutabilitate. Placet secundam ex his quatuor rationibus afferre: « Et quia magnitudine » (caelum enim sidereum undequaque circumcomprehendit) « superat reliquos orbes, cum supra « omnes sit, non possumus invenire in aliquo corpore infe- « riori sufficientem materiam, ut ex illa tam vastum corpus « formari posset, nisi reliqua corpora consumendo, ideoque « per creationem fieri oportuit. Et sic prima die factum est, « in quo opus creationis ex nihilo terminatum est » [2]. Lepida prope ratio; quasi materia corporis debeat aliunde desumi, et non possit ibi condi ubi corpus est, licet adhuc perfectius performanda. Num forte diebus sequentibus, per quos perfectius informata est terra, nova materia iugiter aliunde erat adducenda? Equidem existimem, si caelum empyreum detur, perfectum ab initio conditum, sed non ex simili ratione.

ARTICULUS IV.

UTRUM TEMPUS SIT CONCREATUM MATERIAE INFORMI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Scholastici passim dicebant, quatuor esse primo creata: naturam angelicam, caelum empyreum, materiam corporalem informem, et tempus. Quae assertio, si caelum empyreum unice dicatur locus angelis destinatus, et materia corporalis informis eo sensu quo vidimus, eam nunquam neque per instans temporis, esse potuisse, absque ulla forma, teneri potest. Unde examen praesens contrahendum est ad rationem ob quam tempus huic materiae concreatum sit.

[1] Ita Concilia Florentinum et Tridentinum.

[2] *Cursus Theol.* t. II, p. 699, a. — Ed. Vives, 1883.

2) Ut autem haec quaestio plenius solvatur, oportet duas praemittere distinctiones. *a*) Aliud tempus proprie dictum, aliud improprie dictum; *b*) alia mensura intrinseca, alia mensura extrinseca.

α) Tempus proprie dictum est mensura motus rerum corporalium aut corporibus vitaliter coniunctorum. - Improprie dictum est mensura motus substantiarum spiritualium, quarum proprium est moveri non in tempore sed in aevo.

β) Mensura motus intrinseca moto est mensura successionis quae habetur in quadam re in seipsa considerata: v. gr., pulsatio proprii cordis est mensura intrinseca vitae ipsius hominis viventis; mensura motus extrinseca est mensuratio motus alicuius rei, iuxta motum alterius rei: v. gr., mensura pulsationum cordis iuxta adhibitum chronometrum.

His breviter praemissis, utpote alibi iam fusius expositis [1], iam ad quaesitum solvendum accedamus.

3) Et primo quidem impossibile est cum creatione non incepisse aliquem motum, et per consequens aliquod tempus sive proprie, sive improprie dictum. Et sane *a*) si ab initio facta est materia corporalis, quum haec absque ulla forma repugnet, corpus autem actu sine ulla mutatione vel motu existere nequeat, initium materiae fuit initium motus, ac per consequens initium mensurae eiusdem, seu temporis proprie dicti. - Si autem *b*) ab initio non exstiterunt nisi substantiae spirituales angelicae, quum hae existere nequeant quin per cogitationes et affectus accidentaliter moveantur, initium angelorum fuit initium huius motus, ac per consequens mensurae eiusdem, seu temporis, sed improprie dicti.

4) Porro si quaeritur de ordine, inter motum et tempus, inter mensuram intrinsecam et extrinsecam [2], respondendum est. *a*) Inter motum et tempus non datur successio temporis; logice tamen praecedit motus: tempus enim est mensura motus; qui motus ubi incipit, incipit esse mensurabile, ac proin mensurari mensura intrinseca. Haec igitur quatuor simul in istanti incipiunt, licet hoc ordine sint ponenda: corpus, motus, mensura motus intrinseca, tempus.

[1] Cf. *De Deo uno*, t. I, ubi de Dei aeternitate disputavimus.

[2] De mensura intrinseca et extrinseca egregie disserit Sylvius (op. cit. hoc loco).

b) Inter mensuram intrinsecam et extrinsecam semper datur iste ordo logicus, ut mensura intrinseca sit prior. Potest insuper dari successio temporalis, si ab exordio non existat nisi unum corpus mobile, aut non existant nisi corpora nondum inter se ita ordinata, ut unius motus possit adhiberi tanquam mensura motus alterius.

c) Quum Scripturae narrent caelorum ornatum nonnisi quarto die completum, motus caelorum uti mensura temporis non potuit esse ab initio [1]; quin tamen ideo nondum esset tempus, quia ante hanc mensuram extrinsecam habebat aliam mensuram.

5) Duo solvenda supersunt: *a*) cur concreatum dicatur tempus potius quam *motus,* quum tamen hic logice praecedat illud; *b*) cur non dicatur aeque concreatus *locus,* quum tamen sit aeque ac tempus mensura extrinseca.

Sane, absolute loquendo, utrumque dici potest, materiae informi concreatum esse motum et locum. Non tamen est in usu; et sane huius discriminis ratio praestat. Nam *a*) motus nimis identificatur cum singulari mobili de quo praedicatur, quam ut utiliter dicatur cum mobili concreari. Tempus vero, uti mensura extrinseca, quae hic simpliciter intenditur, habet rationem generalem magis a singularibus mobilibus distinctam. - *b*) Locus vero quatenus dicit spatium omnia locata continens, exprimebatur ab antiquis per caelum empyreum cuncta circumplectens. Adde discrimen inter locum et tempus, quatenus locus, ut dicit S. Thomas, habet rationem permanentis, tempus rationem fluentis; unde locus magis identificari videtur cum locatis, quam tempus cum motis, et maior est ratio ut initium temporis, utpote fluentis, cum initio rerum concreatum dicatur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ne S. Augustinus sibi aperte contradicat, sententia hic allata componenda est cum sententiis quas in *Sed contra est* mox adducemus. Scilicet naturam angelicam dicit hic S. Augustinus carentem temporibus, quoad suam immobilem spiritualem essentiam, non quoad motus cogitationum et affectuum; materiam primam corpo-

[1] Haec intellecta velimus iuxta litteram sacri textus.

ralem dicit factam temporibus carentem, quia motus suos habet a forma, non a seipsa uti materia.

2. et *3. Obi.* Confundunt tempus ipsum cum mensura speciali temporis: aliud ipsum tempus, seu mensura motus mobilium; aliud mensura per diem et noctem, per annos et periodos, iuxta motus varios telluris et systematis solaris.

4. et *5. Obi.* Non attendunt ad discrimina exposita n. 5.

Sed contra est. Problema eleganter ponit Augustinus his verbis: « Si primum facti sunt angeli, quaeri potest utrum « in tempore facti sunt, an ante omne tempus, an in exordio « temporis. Si in tempore, iam erat tempus antequam angeli « fierent; et quoniam etiam tempus ipsum creatura est, incipit « necesse esse ut aliquid prius quam angelos factum acci- « piamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut « cum ipsis coeperit tempus, dicendum est falsum esse quod « quidam volunt, cum caelo et terra tempus esse coepisse. Si « autem prius quam tempus angeli facti sunt, quaerendum « est quomodo dictum sit in consequentibus: " Et dixit Deus, « fiant luminaria in firmamento caeli, et luceant super ter- « ram, et dividant inter noctem et diem, et sint in signa et « tempora et dies et annos ". Hic enim potest videri tunc « coepta esse tempora, cum caelum et luminaria caeli ordi- « natis itineribus currere coepissent: quod si verum est, quo- « modo potuerunt dies esse antequam tempus esset, si a « cursu luminarium tempus exortum est, quae quarto die « dicuntur esse facta? ». Et respondens quaesito, affirmat motus caeli non esse ipsum tempus, sed manifestiorem temporis mensuram. « Haec enim tempora, si nullus motus cor- « porum esset, nulla essent, et ipsa sunt hominibus manife- « stiora ». Dein scrutatur motum incorporeae creaturae, « quae « utique in cogitationibus movetur, et ipso motu aliud habet « prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi « non potest. Quod si accipimus, etiam ante caelum et terram « potest intelligi tempus fuisse, si ante caelum et terram « facti sunt angeli: erat enim iam creatura, quae motibus in- « corporeis tempus ageret ». Et interposito quodam dubio concludit: « Illud certe accipiendum est in fide..... omnem « creaturam habere initium; tempusque ipsum creaturam

« esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec coaeternum esse « Creatori » [1]. Ergo iuxta Augustinum, eatenus tempus est concreatum materiae informi, quatenus haec materia creata est in principio [2].

In Corpore. In argumenti expositione S. Thomas totus in eo est, ut sententiam Scholae de quatuor simul concreatis componat cum sententia S. Augustini in prima obiectione exposita.

Corollarium. Vix operae pretium erit ut hic tangamus per transennam duplicem errorem eorum qui posuerunt, in ipsissimo rerum principio, ante exortam lucem productum esse Christum et Melchisedech.

a) De Christo ita opinabantur ob dictum ipsius Christi: « Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego « sum » [3]. Sed est pessima confusio inter geminam Christi naturam. Christus, ut Deus, ortum habet ex Patre ante saecula, in sinu aeternitatis, quippe per quem omnia condita sunt, ipse non productus sed natus. Ut homo, Christus praedestinatus quidem est et eatenus primogenitus ante omnem creaturam; factus est autem in tempore ex muliere, in instanti quo beata Virgo concepit Verbum, Mater Dei.

Quodsi dicitur alibi a Paulo: « Secundus homo de caelo « caelestis » [4], hoc non intelligendum est de Christo homine caelesti tunc primus condito, sed de conditione caelesti primi Adami innocentis, a qua decidit factus terrenus, et ad quam revocatus est per secundum Adamum caelestem, qui modo eminentiori ac prior conditus est.

b) De Melchisedech autem hoc ponebatur a viris, inde Melchisedechianis vocari solitis [5], ob dicta Pauli in epistola ad Hebraeos, ubi princeps - sacerdos, typus Christi, describitur « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium die- « rum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei » [6].

[1] *De Gen. ad litt. opus imperf.* c. III, n. 8. — *P. L.* XXXIV, 222, sq.

[2] Inter auctores qui recentius de tempore scripserunt, consule Cl. DE SAN (*Institut. metaphys. specialis, Cosmologia* p. 517, sq.).

[3] IOANN., VIII, 38.

[4] I. ad COR. XV, 47.

[5] Cf. de hoc argumento PETAVIUM (op. cit.,c. 3).

[6] C. VII, 3.

Sed haec sunt evidenter dicta ob rationem typicam, ratione cuius « manet sacerdos in aeternum » [1], et ab Ecclesia vocatur « summus sacerdos » [2].

Corollarium II. - Quum tempus concreatum sit exordio rerum mutabilium, rursus apparet relatio rerum creatarum ad aeternitatem Dei. Res creatae nequeunt ullo modo ita praedicari coexistentes aeternitati divinae, ut a Deo non fuerint creatae ex nihilo. Non ita tamen debent praedicari creatae in tempore, quasi verum tempus primae creaturae praeexstiterit. Quare in ipsis rebus: sicut origo ex nihilo, ita est praedicandum initium. Dubium autem, uti iam diximus, moveri potest, utrum hoc creationis initium possit concipi cum aliquali creatione ab aeterno. Placet documentis et rationibus superius allatis, ubi data opera hanc quaestionem movimus, suggerere solutionem Origenis (nam ipsius genuina verba esse videntur, licet non occurrant in versione Rufini), iuxta codicem Casinensem nuperrime typis expressum: « Sed rursum in hoc humana intelligentia habeatur « atque constringitur, quo modo possit intellegi semper ex « quo Deus est, fuisse etiam creaturas, et sine initio, ut ita « dixerim, substitisse eas, quae utique sine dubio creata « *(creatae)* esse atque a Deo factae credendae sunt. Cum « ergo haec inter se humanarum cogitationis atque intellec- « tuum pugna sit rationibus utrobique validissimis occur- « rentibus ac repugnantibus et contemplantis sensum in par- « tem suam quamque *(quaeque)* torquentibus, nobis pro exiguo « ac brevissimo sensus nostri captu, illut occurrit, quod sine « omni pietatis periculo confitendum est, Deum quidem Pa- « trem semper fuisse, semper habentem unigenitum Filium, « qui simul et sapientia, secundum ea quae supra exposui- « mus, appellatur; haec ergo ipsa est sapientia, cui semper « adgaudebat Deus orbe perfecto, ut per hoc etiam semper « laetari intelligatur Deus. In hac igitur sapientia, quae « semper erat cum Patre, describta semper inerat ac for- « mata conditio, et numquam erat quando eorum quae futura « erant praefiguratio aput sapientiam non erat; et hoc modo

[1] Ibid.

[2] In Canone Missae. — De hac expressione lege Cl. Germ. Morin (*Rassegna Gregoriana* 1903, v, 193, sq.).

« fortassis pro nostra infirmitate pium aliquit de Deo sentire « videbimur, ut neque ingenitas coaeternas Deo creaturas « dicamus, neque rursum cum nihil boni prius egerit, Deus « in id ut ageret esse conversum, cum verus sit ille sermo qui « scribtus est, quia *omnia in sapientia fecisti.* Et si utique « in sapientia omnia facta sunt, cum sapientia semper fuerit, « secundum praefigurationem et praeformationem semper « erant in sapientia ea quae protinus etiam substantialiter « facta sunt... ». Et adductis in confirmationem huius sententiae verbis Salomonis: « Quid est, quod factum est, etc. » [1] ait: « Si ergo singula quae sub sole sunt fuerunt iam in illis « seculis quae fuerunt ante nos, cum nihil recens stibus « *(sit sub)* sole, sine dubio omnia vel genera vel species fue- « runt semper, et fortassis etiam per singula ». Et concludit: « Verumtamen omnimodo hoc est quod ostenditur, quod « non Deus conditor aliquando esse coeperit, cum ante non « fuerit » [2]. Haec verba attulimus, non ad illa ex toto probanda, sed quia, si ipsius re vera Origenis sunt, mentem huius scriptoris sat bene illustrant.

N. B. - Ob rationes cuivis lectoris obvias a brevissima synopsi huius Quaestionis necnon et Quaestionum sequentium usque ad finem huius Sectionis abstinemus.

II. - DE IPSA OPERUM DISTINCTIONE SECUNDUM SE.

Quaestiones quae supersunt de singulis Hexaëmeron operibus, hac methodo absolvemus, ut in prima expositionis parte textum Scripturae breviter illustremus, adiunctis praecipuis quibusdam interpretationibus Patrum; in altera parte de littera S. Thomae pauca addamus.

[1] Eccl. I, 9.

[2] *Bibl. Casin.* t. V, 2. pars, Cod. CCCXLIII, 18, p. 143, sq. — Cf. et n. 17.

I. - DE OPERE PRIMAE DIEI.

QUAESTIO LXVII.

I. - De Textu Scripturae.

Verba de opere primae diei sonant in Vulgata: « Dixit-« que Deus. Fiat lux! et facta est lux. — Et vidit Deus lucem, « quod esset bona, ut divisit lucem a tenebris. — Appellavit-« que lucem diem, et tenebras noctem. Factumque est ve-« spere et mane, dies unus » [1].

In hac brevissima narratione occurrunt consideranda: 1) locutio Dei creans, 2) opus creatum, 3) operis laudatio, 4) operis discretio, 5) operis appellatio, 6) temporis prima mensura. De singulis pauca.

1) Obiter legenti videri potest anthropomorphismum sapere modus quo Deus inducitur creans loquendo. Sed penitius investiganti apparet huius repraesentationis ratio simul simplex atque sublimis. Simplex quidem, quia ad captum populi, cui destinabatur; sublimis autem, quia operi creatrici aptissima. Etenim *a*) exprimit optime dominium supremum, supremamque potentiam qua Deus creavit: α) dominium, quia iubendo aliquis se Dominum manifestat; β) potentiam, quia verbum unum sufficit ad perfectam et instantaneam rei iussae effectionem. Utrumque coniungit S. Ambrosius dicens: « Plena vox luminis, non dispositionis apparatum significat, « sed operationis resplendet effectu. Naturae opifex lucem « locutus est, et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei « natura est... Non ideo dixit, ut sequeretur operatio; sed dicto « absolvit negotium » [2]. - Alterum optime exponit Iulinius Africanus: « Tanta celeritate operationis omnipotentem esse « declarat, cui voluisse, creasse est. Nam humana fragilitas, « cum aliquid operatur, v. gr., domum aedificamus, in princi-« pio operis materiam praeparamus; et post hoc principium

[1] Cap. I, 3-5.
[2] *Hexaëm,* l. I, c. 9.

« fodimus in altum; deinde mittimus lapides in fundamen-
« tum; deinde pariter augescentibus lapidum ordinibus adpo-
« nimus; sicque paulatim ad perfectionem operis propositi
« perficiendo pervenimus. Deus autem, cuius manus omnipo-
« tens est, ad explendum opus suum non eguit mora tem-
« poris, quia scriptum est: " Omnia quaecumque voluit,
« fecit " ». Inde ethnicus scriptor Longinus exordium Moysis tam mirabile praedicabat [1]. - Sed *b*) insuper haec locutio exprimit magnam illam veritatem, quam Ioannes erat proclamaturus in exordio sui evangelii dicendo: « Omnia per ipsum « (Verbum) facta sunt ». Loquendo igitur Deus creat, quia per Verbum omnia creat.

Monet autem recte Augustinus, hoc Verbum non esse dictum a Patre ad Filium, quasi Pater iussisset Filium producere lucem, et Spiritus Sanctus productam probasset. « An ita « Trinitas intelligitur: " Et dixit Deus: Fiat; - Et fecit Deus. « - Et vidit Deus quia bonum est? ". Sed non convenit uni-
« tati Trinitatis, ut Filius quasi iussus fecisse intelligatur,
« Spiritus autem Sanctus, nullo sibi iubente, libere vidisse
« bonum esse quod factum est. Quibus enim verbis iuberet
« Filio Pater ut faceret, cum ipse sit principale Verbum
« Patris per quod facta sunt omnia? » [2]. Locutio ergo imperans est totius Trinitatis, sicuti totius Trinitatis est imperium. Nihilominus Verbum Patris ab aeterno gerit rationes omnium rerum. Imo vox imperans in Deo aeterna est, licet creatura per eam effecta incipiat in tempore, sive in temporis initio [3].

Nec praetereunda est hic sententia quaedam absona et risum prope movens Theodori Mopsuesteni, qui putavit, primas voces: « Fiat lux, etc. » non fuisse veras, quum nulla extaret creatura ad quam proferrentur; at « postquam esse
« coeperunt ea, quae conditorem nosse debebant ex voce, qui
« substantia sua minime est aspectabilis: tunc pro Dei arbi-
« trio vox praeibat, vocem opus est consecutum » [4]. Quam sententiam, fortiter a Ioanne Philopono reprehensam, mirum

[1] *De sublim. gen. orat.* Sect. 7.
[2] *De Gen. ad litt.* l. II, c. 6, n. 11. — *P. L.* XXXIV, 207, sq.
[3] Cf. S. Augustinum, ibidem.
[4] Apud Ioann. Philop. *De opif.* l. I, c. 22.

est, Basilium Seleucensem, Theodoretum et Procopium esse amplexos. Ita, v. gr., Theodoretus existimat, Deum voce usum esse « in gratiam angelorum ac virtutum, quae videri « oculis nequeunt: ut scirent, ipso iubente, ea quae non sint, « subsistere ». At, quaeso, si angeli sunt corpore expertes, quomodo prolata voce indigent, ut moneantur?

Ergo tenenda est sententia communiter a Patribus exposita, qui dicunt, hanc vocem non esse nisi figurativam. Non ideo tamen ista vox hic significat unice rationem, quia vox graeca λόγος simul significat rationem et verbum. Etenim verba וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים significant locutionem, sed figurative. Opera tamen singula vocari possunt totidem verba, uti saepe monet Augustinus. Hoc sensu verissime ait S. Gregorius Nyssenus: « Omne quod fit, λόγῳ, (id ut ratione) fit: nihilque « rationis expers, aut fortuitum et casu eveniens subsistit « in his quae divinitus fiunt. Sed inesse rebus singulis sapien- « tiam quamdam, artificiosamque rationem oportet credere; « tametsi praestantior sit quam a nobis videri queat. Quid- « nam ergo dixit Deus? quandoquidem rationem exprimit « vox huiusmodi » [1].

2) Antiqui, uti vidimus, putabant lucem esse aliquam creaturam specialem, cuius sedes esset mysteriosa; eamque credebant proin aliquid distinctum a sole, luna et stellis, utpote quae non sunt nisi insignia receptacula lucis ac moderatores temporum. Quanti momenti sit haec notio scientifica in antiquis temporibus vulgata, ad ordinem cosmogoniae Mosaicae intelligendum, iam superius diximus, nec est hoc loco iterandum. Condidit ergo Deus, potenti sua voluntate per verbum manifestata, principium illud sublime, qualecumque sit, quod nuncupatur lux, et per quod, sicuti cernuntur alia, ita quoque discernuntur tenebrae; ac per alternantem successionem lucis et tenebrarum, prima oritur diei mensura.

Sed in interpretanda illa luce, quam auctor cosmogoniae Mosaicae narrat prima die creatam, alii alias sententias amplectuntur, quae breviter ad sequentes contrahi possunt.

[1] *Hexaëm.*

a) S. Augustinus inter plures explicationes suggessit, ut hoc verbo intelligeretur lux spiritualis, natura scilicet angelica [1]. Sed S. Basilius et S. Chrysostomus a Mosaica narratione excludunt angelos: alter quia angeli creati sunt ante initium creaturae corporeae [2]; alter, quia populus rudis, ad quem scribebat Moyses, nihil de angelis intellexisset, imo in eos ut Deos adorandos pronus fuisset [3].

b) S. Basilius tenuit lucem aliquam excellentiorem ab initio conditam, - non utique Deo coaeternam, qualem Palamitae et Eugubinus somniabant, - in qua degebant Angeli; et quae per interpositum firmamentum ad superiora contrahitur. Quae sententia evidenter supponit, lucem esse aliquod corpus, iuxta opinionem apud antiquos frequentissimam.

c) Dionysius tenet, fuisse quidem lucem corporalem, subtiliorem, nondum plene formatam et dein in solem contractam. « Haec ipsa namque lux est, tametsi tunc informis erat, « quam divinus ait Moyses, et illam ipsam definisse primam, « ut numerari solemus, dierum triadem » [4]. Cui sententiae S. Augustinus alibi prope adstipulari videtur, ubi suggerit solem postea conditum fuisse, quia lux illa prior, uti altior, ad nostram tellurem non sat valide perveniebat [5].

d) Alii cum S. Gregorio Nysseno et Damasceno putant, hanc lucem fuisse ignem, operante Deo, ex Chao excussum. Quae sententia a non paucis modernis tenetur; aliter tamen et aliter, iuxta diversas causas, quas huic erumpenti luci assignant, uti iam diximus.

e) Petavius adhaerens sententiae B. Bedae, existimat lucem primordialem de qua Moyses, esse « conditam non « per se illam quidem, atque extra corpus omne consisten- « tem: sed in vastissima illa nebula, et vapore, quam aquam « et abyssum Scriptura nominat » [6]. Quae rursus sententia potest cum moderna scientia sat facile conciliari.

f) S. Thomas, cui adstipulantur multi, putat hanc initialem lucem non aliam esse quam ipsum solem. Qui tunc

[1] *De Civit. Dei*, l. II, c. 9 et 33. — Cf. *De Gen. ad litt.* op. imperf. c. 5.
[2] *Hexaëm.* homil. 1.
[3] *In Genes.* homil. 2.
[4] *De div. nomin.* 4.
[5] *De Gen. ad litt.*, l. I, c. 11, n. 23. — *P. L.* XXXIV, 254, sq.
[6] Op. cit., l. I, c. 7, n. 5.

rursus in diversa abeunt, ubi conantur hanc sententiam componere cum narratione operis diei quartae.

Quam ex omnibus sententiis probabilius verbis ipsius cosmogoniae Mosaïcae subiacere putemus, ex praemissa dissertatione patet; eam scilicet quae melius respondet opinioni quam habebant antiqui de luce, utpote de aliqua re ab astris in se veluti independenti et cuius sedes in caelis esset abscondita [1].

3) *Laudat* opus suum Creator, non sicuti quivis artifex gaudet de felici successu conatus: hic sensus nimis puerilis est pro textu tam alte concepto [2]; sed opus laudando, proclamat eius conformitatem cum divino exemplari, et ratificat leges internas, quarum vi opera divina manent. Unde sicuti Deus opera ex nihilo producit iubendo, ita illa active servat laudando. Bene S. Augustinus: « Placuit, quod factum est, « ea benignitate qua placuit, ut fieret. Duo quippe sunt, « propter quae Deus amat creaturam suam: ut sit, et ut « maneat. Ut esset ergo quod maneret, " Spiritus Dei super- « ferebatur super aquam "; ut autem maneret " vidit Deus « quia bonum est " » [3]. Et tria coniungens, pulchre ait: « Quid « convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici « potest, quam quum ita ponitur: *dixit, factum est, placuit:* « ita quod in eo quod *dixit,* imperium eius intelligatur; in « eo quod *factum est,* potentia; in eo quod *placuit,* beni- « gnitas? ».

Hisce Geneseos verbis innititur quam theologi vocant *scientiam approbationis* [4]; cui respondet ex opposito terribilis illa damnationis ignorantia: « Nescio vos! » [5].

4) Porro divisio a tenebris est veluti scopus operis primae diei. Per hoc iam completur prima discretio fundamentalis.

[1] Iob. xxxviii, 19 sq.,

[2] Id bene monet Kaulen: « Nur ein sehr oberflächliches Urteil kann hier eine « kindische Ansicht von der Freude des Schöpfers über das Gelingen seines Tuns « ausgesprochen finden » (Op. cit., p. 34, sq).

[3] *De Gen. ad litt.,* i, 8 (n. 14. — *P. L.* xxxiv, 251. — Cf. S. Basilium (*Hexaëm.* homil. 2, hoc loco).

[4] Cf. quae de hac scientia diximus in tract. *De Deo Uno* (t. i, p. 6, sq.).

[5] Matth., xxv, 12.

Verba enim: « et divisit lucem a tenebris » respondent verbis: « et tenebrae erant super faciem abyssi ». Hoc ergo est primum opus ab excubante Dei Spiritu completum; ac si halitu suo Deus lucem emiserit tenebras expellentem.

Divisio autem haec inter lucem et tenebras aliter et aliter est intelligenda, iuxta interpretationem ipsi luci datam, et iuxta opinionem philosophicam de ipsa tenebrarum indole. Et sane qui cum Mario Victorino existimat, tenebras esse substantivas, per divisionem hanc sibi finget tenebras, facta divisione, veluti « in medio orbe condensatas; ut lux facta « per mediam partem mundi illuminaret » [1].

Porro hanc falsam, rudem, sed apud antiquos sat communem et verbis Geneseos ad litteram maxime consonam imaginationem, eo usque urgendo, ut tenebrae ponantur substantiales, Deo coaeternae, atque adversae, ecce in fundamentalem inciditur errorem Manichaeorum, contra quem Patres tanta virtute decertarunt.

Qui lucem hac die conditam dicunt ipsum esse solem, facilius explicant quomodo ista lux tenebras non omnino sustulerit, sed veluti divisione facta separaverit. Difficilius id explicatu est, si ista lux sit ignis e chaotica massa veluti excussus. In sententia quam nos de luce tenemus, solutio patet, pariter iuxta gradum naturalis scientiae illius temporis. Haec enim spectant ad secundum e tribus elementis, quae in hac narratione distinximus.

5) *Appellat* autem Deus creaturam a se conditam in signum regalis dominii. Est simul argumentum cognitionis et possessionis. Ita ipse primus homo, rex constitutus universi, cunctisque dominans bestiis terrae, singulis ipse dedit nomina sua [2]. In signum huius dominii legimus, Nechaonem Ægypti regem mutasse regi Eliakim nomen in Joakin [3]; et Nabuchodonosorem pariter Matthaniam vocasse Sedeciam [4]. In signum huius dominii Deus mutavit nomen Iacobi in Israël [5];

[1] *Opusc. de princ. diei.*
[2] Gen. ii, 20.
[3] Paral. xxxvi, 4.
[4] IV. Reg. xxiv. 17.
[5] Gen. xxxv, 10. — Idem iam fecerat Abrahamo et Sarae (Ibid. xvii, 5, 15).

unde ipse Deus dixit Isaiae: « Noli timere, quia redemi te, « et vocavi te nomine tuo, meus es tu » [1]. Quae nominis impositio vel mutatio significat insuper honorem et munus, ad quod electae personae praedestinantur. Si enim Pharao dedit Ioseph nomen significans « Salvatorem mundi » [2], quanto magis efficax et honorificum est nomen a Deo impositum proprio Filio suo [3]; qui et ipse Simonem, in caput Ecclesiae suae prae omnibus apostolis electum, vocavit symbolice Cepham sive Petrum [4].

6) Restat ut *successionem* temporis in hac die consideremus. Verba praecedentia ostendunt, quo sensu ista sit intelligenda. Lucem Deus vocaverat diem et tenebras noctem. Lux igitur illa diei, quam Deus fecerat, in vesperam vertens, cessit nocti, quae nox cessit in mane; et ita primus circulus peractus est, seu prima completa est mensura, quam vocamus diem. Duplici enim sensu diem nuncupamus, *a*) pressiori, distinctum a nocte; *b*) minus pressum, una cum nocte, distinctum ab alio die, vel ab aliis diebus. Fuit igitur sensu hoc latiori completus dies unus, quando nox pervenit in mane. Unus autem dicitur hebraice יוֹם אֶחָד, quia typus est mensurae temporis; sequentes erunt secundus, tertius, etc., quia post primum incipit series numero ordinali mensurabilis.

Vides ergo, dies Mosaicos repraesentari uti dies naturales, a mane in mane vergentibus; nec esse cur mira videatur illa locutio: « Et factum est vespere et mane ». Nam haec est superadditio significans veluti stadium quietis inter varia opera per singulos dies completa. Sicut enim dies quieti quavis hebdomada destinatus non impedit, quominus homo per sex dies operans, quavis nocte vires reficiat; ita adnumerantur totidem noctes totius a vespere in mane vergentes. Quare locutio « factum est » significat hic successionem. Inde repetitur ad ostendendum mane succedens vesperae, sicut vesperam succedentem diei. Quod melius

[1] Is. XLIII, 1.
[2] Gen. XLI, 45.
[3] Luc. I, 31.
[4] Matth. XVI, 18.

exprimunt forma hebraica: « וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר », et graeca: « καὶ ἐγένετο ἑσπέρα καὶ ἐγένετο πρωΐ » [1].

Sunt tamen qui censeant, - inter quos Petavius, qui longa dissertatione hoc argumentum pertractat [2], - dies Mosaicos enumerari incipiendo a vespere, ac proin formulam et « fac- « tum est vespere et factum est mane », significare totam diem nocte ac die compositam, quatenus initium noctis, vespera, ponitur pro tota nocte, et initium diei, mane, pro tota die. Magnum argumentum istorum deducitur ex consuetudine Iudaeorum dies numerandi a vespere [3]. Sed ista consuetudo, quam et Ecclesia in sua liturgia retinet, originem habet liturgicam. Et sane sicuti naturale est solemniorem diem integra vigilia, imo interdum longiori periodo praeoccupare, uti fit in Adventu; ita in naturae ordine est ut quivis dies indolem festi habens vespera anticipetur. Hunc autem morem non a die uti tali, sed a die uti festiva, demonstratur ex ipsa liturgia, quae de feriis nihil in vesperis anticipat, sed dumtaxat de festis.

Putamus proin dies Mosaicos numerari a mane in mane; quod sane indicium est altioris antiquitatis. Nam si postea Hebraei rationibus ritualibus moti, a vespera dies inchoare solebant, non ita Chaldaei et Ægyptii, qui de mane in mane numerabant dies [4].

Res caeteroquin non est tanti momenti. Unum tamen consequens notare iuvat. Si cum Petavio [5] tenes, dies Mosaicos inchoari a vespere, dicendum est, primae diei descriptionem incipere a verbis: « Terra autem erat inanis et vacua, « etc. », ita ut tenebrae effusae super faciem abyssi sint initium primae diei, quippe quae nequit inchoari per verba: « Fiat « lux! ». Sed hoc ipsum displicet. Imo ex narratione Mo-

[1] Inde vides, non esse probandam versionem Lutheri: « Da ward aus Abend und « Morgen der erste Tag ».

[2] Op. cit., l. 1, c, 9.

[3] Imo et in Urbe horae adhuc saepe ita numerantur, ut occasus claudat horam ultimam, *le ore ventiquattro.*

[4] De vestigiis morum Chaldaeorum in codice populi Israëlitici nuper egregie tractavit Franciscus Mari in dissertatione cui titulus: « *Il codice di Hammurabi e la* « *Bibbia* », ostendens ex hic analogiis, nedum detrimentum, e contra novum splendorem accedere paginis sacris, quippe quarum inde tum antiquitatis authentia corroboratur, tum sublimitas religiosa et ethica eminentior illustratur.

[5] Loc. cit.

saica nova dies incipit a novo « fiat » divinae potentiae; quod « fiat » sane dictum est « mane », id est, oriente nova luce novae diei.

II. - AD LITTERAM S. THOMAE.

Ordo Quaestionis valde logicus duplici parte constat. In priori S. Thomas, quaerit de luce tunc condita; in secunda ostendit, hanc lucem congruenter hac die esse factam. 1) Prima pars subdividitur in duo membra: *a)* primo quaerit S. Doctor utrum agatur de luce corporali, an spirituali (a. 1.); *b)* dein inquirit in naturam lucis corporalis, utrum sit corpus (a. 2), an corporis qualitas (a. 3). - 2) Secunda pars unico articulo absolvitur.

I. **Ad articulum 1m. - Utrum lux proprie in spiritualibus dicatur.** — Potuisset S. Thomas apertius quaerere, utrum in narratione Mosaica lux condita primo die sit spiritualis, an corporalis. Sed sub alia forma idem, aut prope idem quaerit. Nam sciscitando utrum lux proprie in spiritualibus dicatur, intentum pariter obtinet, quatenus, si magis proprie dicatur de luce corporali, qualiscumque haec sit, iam probabilitas stat pro luce corporali in narratione Mosaica. Non ideo tamen S. Thomas non discutiet infra sententiam illorum, qui ad solvendas difficultates se ad lucem spiritualem receperunt.

Doctrina autem huius *Corporis* paucis verbis multa continet. Docet Aquinas, de *luce* loquendum esse sicuti de actione videndi: lux enim facit videre. Porro videre, secundum primam impositionem vocis, dicitur de exercitio sensus visivi; at, propter huius sensus nobilitatem et certitudinem, extenditur ad aliorum sensuum perceptionem imo et intellectualem. Ita de luce impositio prima vocis est de re quam percipit oculus; dein quoad usum extenditur ad omnem cognitionis manifestationem secundum quamvis apprehensionem sensilem sive etiam intellectualem. Imo non tantum de quacumque vi manifestativa cognitionis, sed de ipsa virtute perceptiva eiusdem. Quo sensu oculus vocari potest lux, necnon mens humana aut angelica; maxime autem Deus, et Dei Verbum, Lumen de Lumine.

Si ergo locutio propria contrahitur ad primam impositionem vocis, lux dicitur de spiritualibus metaphorice; secus et proprie dicitur.

II. **Ad articulos II et III. - Utrum lux sit corpus, an qualitas.** - Antiqui non pauci tenebant lucem esse corpus subtilissimum; de quo aliter et aliter disserebant. Quae sententia omnino obsoleta est. Hodiedum passim explicatur phaenomenon lucis per motum vibratorium undularum aetherearum, quae velocissime ab obiecto lucido in omnes directiones, nisi obstaculum interiaceat opacum, emittuntur. Lux ergo distinguenda est in lucido obiecto lucis auctore, in aethere lucis vehiculo, in obiecto illuminato, in sensu lucem percipiente. Sub quadruplici hoc respectu lux est qualitas, et non corpus; aliter tamen et aliter. Sed de hoc argumento fusius discurrere, non spectat ad indolem nostri tractatus.

Doctrina S. Thomae de indole lucis cum reverentia perlegenda est, ratione habita ad statum scientiae naturalis tempore quo scribebat. Recte contendit Angelicus, lucem non esse corpus, idque pluribus considerationibus ingeniosis illustrat. At non omnia quae adducit argumenta, sunt probanda. Ita non valet ratio quam urget ex illuminatione in instanti. Si tamen in instanti illuminatio fieret, efficaciter ex hoc posset demonstrari, lucem non esse corpus.

Lucem autem esse qualitatem, demonstrat Angelicus mediam sententiam tenens inter eos qui contendunt, eam non habere nisi esse intentionale, quod est nimis parum, et eos qui contendunt, eam esse ipsam formam substantialem solis. Nescio, utrum argumentum in hac altera parte adductum sit omnino convincens. Aliud enim est lux in ipso corpore lucido, puta in sole; aliud lux in vehiculo aethereo, iuxta distinctionem superius adductam.

IV. **Ad art. IV. - Utrum convenienter lucis productio in prima die ponatur.** - Quatuor rationes affert S. Thomas, cur lux illa corporalis, cuius indolem investigavit, prima die creata ponatur: *a*) quia est qualitas primi corporis, *b*) quia est communior, *c*) quia alia omnia manifestat, *d*) quia sine luce nulla dies.

Quaestionem de angelis indiscussam relinquit, adducens sententias S. Augustini, S. Basilii et S. Chrysostomi.

Duplicem obiectionem motam ex impossibilitate lucis sine sole, qui die quarto factus dicitur, et ex vicissitudine diei et noctis, quae supponit motum firmamenti, quod nonnisi secundo die formatum narratur, S. Thomas solvit admittendo quidem, lucem primae diei esse lucem solis, sed nondum ad omnes suos effectus determinati; et admittendo primo die motum communem, unde oritur vicissitudo diei et noctis, non autem motus diversificatos per diversa corpora caelestia, unde oriuntur series temporum.

Ubi advertendum est, quoad priorem solutionem (resp. ad 2m) S. Thomam recte quidem refellere primam solutionem de nube lucida; non autem aeque bene, quatenus ad eam depellendam confugit ad doctrinam tunc vigentem de quinta essentia corporum caelestium. - Eleganter autem ibi describit triplicem distinctionem lucis a tenebris, ratione causae, loci et temporis: *a*) causae per substantiam solis; *b*) loci per interpositam opacitatem terrae; *c*) temporis, per successionem diei ac noctis.

In solutione altera (resp. ad 3m) rursus optime S. Thomas refellit sententiam eorum, qui successionem diei et noctis repetunt ab emissione et contractione lucis; at in solutione quam suggerit, ostendit quidem fundamentum aliquod distinctionis inter diem primam et quartam; non autem inter diem primam et secundam. Unde vix respondet obiectioni [1].

[1] Qui plura de his quaerit, legat Scholasticos passim. E scriptoribus secundae epochae scholasticae consulat, v. gr., Ioannem a S. Thoma fusius contra Suarezium disputantem.

II. - DE OPERE SECUNDAE DIEI.

QUAESTIO LXVIII.

I. - De textu S. Scripturae.

Opus secundae diei ita describitur: « Dixit quoque Deus: « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab « aquis. - Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quae « erant sub firmamento, ab aquis quae erant super firma- « mentum. Et factum est ita [1]. - Vocavitque Deus firma- « mentum caelum. Et factum est vespere et mane, dies se- « cundus » [2].

Quae superius diximus de Dei locutione, de operis peracti appellatione, de temporis successione, hic quoque valent. Specialia quaedam dicenda occurrunt 1) de firmamento, 2) de aquis, 3) de caelo.

1) Quid sit istud *firmamentum* רָקִיעַ [3], στερέωμα, ipse hic contextus sat clare insinuat. Est aliquid *firmum* [4], quod valeat continere aquas superiores, easque separare ab aquis inferioribus. Ulterius idea quam Hebraei de hoc firmamento habebant, ex analogis locis Scripturae desumenda est. Psalmista ad opus secundae diei manifesto alludens, exclamat: « Verbo Domini (scil.: fiat firmamentum!) caeli firmati sunt: et « spiritu oris eius omnis virtus eorum » [5]. Imo versus sequens, rationem huius firmae divisionis assignans, eodem ordine

[1] Iam diximus, haec verba melius poni immediate post verba v. 6, uti in LXX.

[2] GEN. I, 58.

[3] A voce רקע expandere, veluti « cum lamina vel bractea tundendo dilata- « tur » *. Continet ergo significationem extensionis, firmitatis et tenuitatis.

[4] Inde allud Iob: « Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi « aere fusi sunt » (XXXVII,18); necnon illud Lucae: « Inter vos et nos chaos magnum « firmatum est » (XVI, 26).

[5] Ps. XXXII, 6.

* PETAVIUS (op. cit., l. I, c. 10, n. 10).

loquitur de aquis inferioribus et superioribus: « Congregans « sicut in utre aquas maris; ponens in thesauris abyssos » [1]. Quae verba simul complectuntur partem operis diei sequentis. Porro ordo in creaturis descriptus, descendens a summitate caeli usque ad terram, talis est in Scripturis, ut aquae quae super firmamentum sunt, modo celsiorem, modo inferiorem occupent quam sol et stellae. Psalmista canit: « Laudate eum « sol et luna: laudate eum omnes stellae et lumen. Laudate « eum caeli caelorum: et aquae omnes quae super caelos sunt, « laudent nomen Domini, Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse « mandavit et creata sunt. Statuit ea in aeternum, et in sae- « culum saeculi: praeceptum posuit et non praeteribit. Lau- « date Dominum de terra, etc. » [2]. Pueri autem in cammino ardenti cantant: « Benedicite angeli Domino,.... benedicite « caeli Domino,... benedicite aquae omnes, quae super caelos « sunt, Domino,.... benedicite omnes virtutes Domini Do- « mino,.... benedicite sol et luna Domino,.... benedicite stellae « caeli Domino,.... benedicite omnes imber et ros Domino « etc. » [3]. Hic alter enumerationis ordo magis tenendus est, utpote qui est in se manifestior, et ad quem facilius trahitur locus praecedens [4], quam iste ad illum.

Interim animadvertatur, quam constanter « virtus Dei » apponatur operi firmamenti aquas superioris continentis; quatenus nonnisi potentissima virtus tantum abyssorum pondus, ne diffluerent in terram, cohibere valebat, firmando cohibens. Inde ad dimittendas inundantes aquas, Deus nonnisi solvit absconditas cataractas abyssi: « rupti sunt omnes fontes « abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt » [5].

Haec notio elementaris, - a qua et Graecorum Latinorumque oritur « Iupiter pluvius », communis erat Hebraeis, Chaldaeis, Indis, Ægyptiis atque Persis. Universum cogitabant veluti palatium ingens, columnis suffultum [6], cuius cae-

[1] Ibid. v. 7. — Saepius aquae superiores abyssi vocantur. — Cf. Gen. vii, 11.

[2] Ps. cxlviii. 2-7.

[3] Dan. iii, 58, sq.

[4] Nam « caeli caelorum » qui ibi ponuntur, aquis superioribus obvoluti, nunquam intelliguntur inferiores sideribus.

[5] Gen. vii, 11. Cf. iv Reg. vii, 2, 19.

[6] Cf. Gen. xxviii, 17.

lum erat veluti aula suprema, portis munita [1]. Interdum dominatur imago tabernaculi, cuius velo firmamentum figuratur [2].

Quibus omnibus apparet, quam parum servent originalem conceptum firmamenti, quale in Scripturis describitur, Concordistae, qui illud identificare conantur cum zona aërea circumdata telluri et qua nubes dissolvuntur in imbres.

Patrum autem sententias de firmamento afferre, vix operae pretium. Si enim plures eorum conatus progressionem scientiarum naturalium huius temporis insinuant, non ideo ad originalem vocis significationem illustrandam conferunt. E Graecis Patribus Gregorius Nyssenus haec habet: « Ego arbitror corpus nullum solidum ac durum sive unum « ex quatuor elementis, sive alterum quoddam diversum ab « his, ut externa philosophia commenta est, circa firmamen- « tum considerari; sed extremum sub sensum cadentis sub- « stantiae, quod ignis natura perpetuo motu praedita virtute « percurrit firmamentum a Scriptura nominari, quatenus cum « sempiterna et corporis experte, quaeque tactu percipi non « potest proprietate confertur » [3]. E Latinis S. Augustinus obiectionem eorum solvens, qui putabant contra motum caeli argui posse ex voce *firmamenti:* « quod si movetur, inquiunt, « quomodo firmamentum est? », respondet: « Hoc sane nove- « rint, nec nomen firmamenti cogere ut stare caelum pute- « mus: firmamentum enim non propter stationem, sed propter « firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum supe- « riorum et inferiorum aquarum intelligere licet » [4]. Nec modo licet; sed iuxta genuinum, originalem Scripturae usum oportet.

2) Quam firmamenti significationem authenticam esse monstravimus, iam conducere ad verum sensum aquarum superiorum et inferiorum, liquet. Sunt nempe aquae, quas naturaliter aquas nuncupamus; eiusdem omnino utrimque

[1] Cf. Iob. xxvi, 11.

[2] Cf. Is. xxiv, 20.

[3] *Hexaëm.*

[4] *De Gen. ad litt.* l. ii, c. 10. — *P. L.* xxxiv, 271, sq. Et addit optime, cursus stellarum cum immobilitate firmamenti posse componi, « si veritas caelum stare « persuaserit »; quod peritorum astronomiae iudicio corroborat.

naturae. Ex una parte, uti mox per opus tertiae diei illustrabitur, aquae inferiores sunt omnes illae, quas in terra conspicimus, quarumque magna receptacula sunt maria finibus suis provide circumclusa. Ex altera parte sunt fontes illi absconditi et mysteriosi, e quibus in terram profluunt faecundantes imbres, aut castigantes cataractae. Etenim hac remotissima aetate nondum solverant problema originis atque formationis aquarum superne delabentium [1].

Eruditionis causa, necnon ad illustrandam libertatem, qua a primis saeculis scriptores catholici in hoc argumento usi sunt, recolere hic iuvat, Origenem [2] aquas illas sive superiores sive inferiores intellexisse in sensu spirituali de naturis angelicis bonis et malis. Basilius utrumque tota virtute depellit [3]. Gregorius autem quoad angelos bonos assentitur; dissentit quoad malos, ne Deus mali auctor esse videatur [4]. S. Augustinus in aliquo loco interpretationem spiritualem meminit, quin eam confutet, nisi quatenus ob hoc eius auctores eam inducant, « quod videlicet non putant aquarum fluidam gravemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui » [5]. Sed alibi disertim de hoc argumento inquirens, ait: « quoquo modo et qualeslibet aquae ibi sint, « eas esse ibi minime dubitemus: maior est quippe Scripturae « huius auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas » [6].

Scopus a Patribus hisce aquis superioribus duplex tribuebatur, alter terram, alter caelum respiciens.

a) Propter terram imbribus faecundandam istae aquae veluti in immenso armamentario collectae suspenduntur. « Quia « opus erat aquis, eo quod colenda erat humus, aquosum in « sublimi caelum condidit: ut cum aquarum irrigatio terris « necessaria foret, paratum sit ad hoc caelum ». Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus [7]. Sed quod ex bonitate conditum erat in bonum, ex iustitia vertitur in poenam. « Quomodo

[1] Hoc bene exponit Cl. Hummelauer (op. cit., p. 21, sq.).
[2] Cf. Epiph. epist. ad Ioann. Episc. Hierosol.
[3] *Hexaëm.* homil. 3.
[4] *Hexaëm.*
[5] *De Civ. Dei,* l. xi, c. 34.
[6] *De Gen. ad litt.,* l. ii, c. 5. — *P. L.* xxxiv, 267.
[7] Catech. nona.

« legimus, ait Epiphanius, in diluvio apertas cataractas caeli, « et aquas inundasse diluvii? Unde aperti sunt fontes abyssi « et totus mundus opertus est aquis? » [1].

b) Alter scopus est temperare calorem astrorum per immensam illam zonam glacialem caelo obductam [2]. Id docet Severianus his verbis: « Nam quia solis flammam exceptu- « rum erat, et lunae et astrorum infinitam multitudinem, ac « totum igne completum ne calore dissolveretur aut exure- « retur, caeli terga constravit aquarum pelago illo, uti pin- « guiora faciat, et inungat illius terga, quae hoc modo flam- « mae resistant neque torreantur » [3]. Idem habet S. Ambrosius a S. Basilio de more mutuatus: « Cum ipsi dicant volvi « orbem caeli stellis ardentibus refulgentem, nunc divina « providentia necessario prospexit, ut intra orbem caeli et « supra orbem redundaret aqua, quae illa ferventis axis « incendia temperaret » [4]. Argumentum huius desumi posse putabant ex rore, quem veluti solis madescentis sudorem habebant. « Hinc enim, ait idem Severianus, rores existere: « cum neque nubes sit usquam, nec aër aquam habeat: « ex quo perspicuum est, solem ex eo quod redundat, « stillare » [5]. Et pariter S. Basilius: « Unde frequenter et « solem videmus madidum atque rorantem. In quo evidens « dat indicium, quod alimentum sibi aquarum ad temperiem « sui sumpserit » [6].

Auctor Quaestionum ad Orthodoxos aliam rationem reddit, ut scilicet astra per aquarum gravitatem satis consistant, ne ventorum impetu quatiantur ac forte dissolvantur [7].

[1] Ibid.

[2] Forsan color congelatae aquae, utpote aliquid cerulei saepe exibens, in hanc opinionem conducebat.

[3] Cf. S. Chrys. homil. 2 de Cosm.

[4] *Hexaëm.* II, 3.

[5] Inde exemplum adducit lebetis qui, ut Petavii elegantibus verbis utar, « ad ignem « admotus, quamdiu aqua in eo continetur, illi resistit: aqua vero exhausta, dissol- « vitur » (Op. cit., l. I, c. 15, n. 7).

[6] Ibid. — Inde, uti superius innuimus, zelus ille alchimistarum, ut ex analysi roris ad quintam essentiam cognoscendam pervenirent. Nam quum ros ille esset stillatus a sole; stillatio autem solis esset effectus aquarum superiorum; hae autem aquae occuparent fines caeli empyrei; hoc autem caelum incorruptibili quinta constaret essentia, per rorem ad hanc essentiam perscrutandam sibi viam patere putabant.

[7] Resp. ad 93.

Nec defuerunt, qui in his aquis veluti stellarum quoddam alimentum considerarent. Contra quos optime Marius Victor:

« Forsitan hic aliquis sic secum errore perito
« Disserat: aethereis ne desint pabula flammis,
« Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo,
« Exurat mortale genus, caelumque coruscum
« Non possint terrena pati, subiecta deorsum est
« Machina firma poli: quae, dum nos protegit umbra,
« Interea superimpositis frigescit ab undis [1].
« Numinis at vero divini quaerere causas
« Mens fuge nostra procul. Plus sit tibi quaerere semper
« Posse Deum quidquid fieri non posse putatur » [2].

Ut ergo hisce utilitatibus inserviret, firmamentum stratum est super sidereum caelum, veluti zona crystallina firmissima, cuius frigiditatem aquae circumfusae iugiter veluti instaurarent. Unde firmamentum etiam audit caelum crystallinum.

3) Etenim, uti iam monuimus, ubi de empyreo caelo agebamus, plures ab antiquis distingui solebant caeli; in qua opinione scriptores Christiani confirmabantur per Scripturas, in quibus de caelis, deque caelorum caelis sermo frequens occurrit.

Praeter tripartitionem in caelum empyreum, sidereum et aëreum, in medio caelo sidereo astronomi et philosophi antiqui zonas distinguebant, septem soli, lunae et quinque planetis circa terram volventibus destinatas, quarum caelorum moti varii magnam constituebant illam sphaerarum harmoniam a Tullio tam canoris verbis descriptam [3]. Eleganter

[1] Eodem modo utrarumque aquarum breviter scopum exponit Theodoretus: « ut « et quae supra posita sunt, humiditate ac frigiditate luminarium ardorem prohi- « beant, ne firmamentum laedat; et inferiores nutriant vaporibus suis exustum « aërem et exsiccatum ab igne superiore » (Quaest. 11 *in Gen.*). Ubi vides, S. Cyrillum totum tribuere aquis superioribus; dum iste duplex munus inter utrasque aquas dispertit.

[2] Lib. 1. — Paulo antea ipsum firmamentum hisce verbis eleganter descripserat:

« Rursus mane novum primo iam vespere pulso,
« Reddita lux fuit: quum se firmissima moles
« Fluctibus e mediis concreto corpore cedens
« Extulit: ac late duro solidata rigore
« Divisas suspendit aquas, gelidumque profundum
« Axibus obiecit calidis ».

[3] Cf. *Somnium Scipionis*. E quo haec saltem verba transcribere iuvat: « Quae « cum intuerer » (systema caelestium sphaerarum) « stupens, ut me recepi, Quid?

S. Ambrosius: « David caelos caelorum in illo laudantium « Dominum constituit choro. Quem imitantes philosophi quin- « que stellarum, solis et lunae globorum consonum motum « introduxerunt: quorum orbibus, vel potius globis connexa « memorant omnia: quos sibi innexos et velut insertos ver- « sari retro, et contrario caeteris motu ferri arbitrantur, « eoque impulsu et motu ipsorum orbium dulcem quendam « et plenum suavitatis atque artis et gratissimi modulaminis « sonum reddi » [1].

Sed praeter has septem sphaeras octava quaedam altior ponenda erat, sphaera scilicet stellarum, quas vocant fixas, seu caelum Zodiaci, speciali motu omnino dotatum. Imo supra Zodiacum ponebatur zona primi mobilis, seu firmamentum, cuius diurnus motus erat veluti primus caelestium motuum moderator.

Porro, iuxta ea quae diximus, quod in Mosaica narratione secunda die conditum narratur firmamentum, est caelum crystallinum inter empyreum et sidereum. Utrum idipsum sit primum mobile, an potius primo mobili circumductum, disputari potest. Si ponitur distinctum, habentur, caelo aëreo incluso, caeli duodecim: empyreum, crystallinum, primum mobile Zodiaci, sidereum, septenarium planetarum, aëreum

Caelum autem recte vocatur firmamentum, quia illi tribuebatur diaphanus ille subtilisque color ceruleus passim caelestis appellatus.

Et haec de isto argumento eruditionis causa sat dicta habeantur. Si plures rationes a Patribus adductae risum hodie movent, advertat lector errores fundamentales, in qui-

« hic, inquam, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? — Hic « est, inquit ille, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione « distinctis, impulsu et motu, ipsorum orbium efficitur: qui acuta cum gravibus « temperans, varias aequalibiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus « incitari possunt, et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera « autem acute sonent. Quam ob causam summus ille caeli stelliferi cursus, cuius « conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono: gravissimo autem hic « lunaris atque infimus. Nam terra, nona, immobilis manens, imo sede semper haeret, « complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est « duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui numerus rerum omnium « fere nodus est. Quod docti homines nervis imitati, atque cantibus, aperuere sibi « reditum in hunc locum; sicut alii, qui praestantibus ingeniis, in vita humana, « divina studia coluerunt ».

[1] *Hexaëm.* l. II, c. II.

bus isti scriptores de motu corporum caelestium, de distantia stellarum, de oeconomia vaporum e tellure per solis calorem exhaustorum, de figura universi, ut alios taceam, versabantur; et agnoscet, multas explicationes, quae nobis lepidae videntur ac prope infantiles, nec subtilitate nec aliquali fundamento ex falsarum imaginationum ambitu ac nexu fuisse destitutas [1].

Quidquid sit de hisce rudimentariae scientiae documentis, ex dictis patet, quomodo se habeat caelum in versu 1. ad caelum in versu 8. In primo loco sumitur in sensu latissimo, ita ut contineat ea quoque spatia, quae supra firmamentum extenduntur. Hic sumitur pro ipso firmamento, quatenus, praeter id quod est in se, est veluti caelos inferiores continens, ac proin cum eis identificabile. Quod et in narratione operis quartae diei mox apparebit.

Patet quoque nexus logicus inter opus primae et secundae diei. Primo erat facienda lux, utpote sine qua opus discerni et ornari nequit, nec dari possunt vicissitudines quae cum alternantibus tenebris dies constituunt. Nunc limes constituitur eorum, quae per sequentia opera magis discernentur atque perficientur.

Ex quo iam simul nexus patet inter opus secundae et tertiae diei. Relictis aquis superioribus, utpote extra firmamentum, et insuper in locum suum locatis, sacer scriptor immediate transit ad aquas inferiores in sua loca adunandas, unde arida et maria fixis limitibus discernantur. Propter quem nexum immediatum, - praeter alias rationes iam suggestas, - formatio caeli siderei differtur usque ad opus diei quartae.

II. - Ad litteram S. Thomae.

Ordo Quaestionis patet. 1) Primo quaerit S. Doctor de ipso firmamento in se, quale sit secunda die formatum (a. 1); - 2) quaerit de relatione huius firmamenti ad aquas: utrum

[1] Certitudo, imo subiectiva evidentia, qua scriptores isti speculationes suas pervolvunt, monet cautelam, ne nimis cito mens nostra conclusiones praecipitet, quasi certissimas, ubi scientia, indagationis stadio nondum persoluto, prudens dubium nondum abdicare aut saltem modestam affirmationem nondum valet excedere. Quam

sint aquae supra firmamentum (a. 2), utrum dividat aquas ab aquis (a. 3); - 3) demum quaerit de habitudine firmamenti ad caelum, utrum sit unum caelum, an plures.

I. **Ad art. I. - Utrum firmamentum sit factum secunda die.** - Obiectiones tres procedunt ex hoc quod firmamentum 1) sit idem cum caelo, 2) fieri debuerit ante aquam et terram, 3) imo non potuerit formari postea, velut ex materia praeexistente.

S. Thomas optime sentit, haberi hic aliquam difficultatem. Unde exorditur solutionem afferendo prudentissimum monitum S. Augustini.

Discussio S. Doctoris hoc schemate contrahi potest:



In hanc alteram potius interpretationem S. Thomas inclinare videtur. Et sane facilius solveret difficultatem, nisi significationem firmamenti ab originali acceptione detorqueret.

Ex ipso *Corpore* directe soluta est obiectio ultima. Reliquorum solutio complenda est, determinando magis respectum inter caelum, de quo fit sermo in primo versu, et de quo in opere secundae diei. Optime monet S. Thomas, evanescere difficultatem, si cum S. Chrysostomo primus versus sumitur syntheticus omnium operum deinceps analytice descriptorum. Si autem aliter intelligatur, iam oportet ut distinctio

stolidam e contra petulantiam instigare possit caeca obstinatio in errore uti veritate propugnato, declarunt, v. gr, convicia prope tabernalia, quibus Baco systema Copernicianum impetebat, ipse de rebus scientificis ab alto uti credebat, uti philosophus, at uti ignarus prorsus disputans.

fiat inter caelum et caelum; quare S. Doctor affert praecipuas solutiones a Patribus suggestas:

	Caelum 1. vers.	*Secundae diei*
Augustinus	natura spiritualis,	corporeum;
Beda		
Damascenus	empyreum,	sidereum;
	nona sphaera mobili primum,	sidereum;
Augustinus	sidereum	aëreum;

S. Thomas in hoc responso videtur potius inclinare in solutionem S. Chrysostomi.

II. **Ad art. II. - Utrum aquae sint supra firmamentum.** - Obiectiones petuntur ex triplici qualitate aquae, quae videtur supra firmamentum repugnare: scilicet *a*) gravitas, deorsum ferens; *b*) fluiditas, rotundum fugiens; *c*) elementum aptum ad generanda mixta.

Difficultatem pariter hic sentiens, S. Doctor ab eodem quasi monitu rursus exorditur.

Ipsius autem problematis solutiones varias affert iuxta varias sententias tum de ipsis aquis, tum de firmamento. E quibus sententiis duas reiicit: primam, quae cum Origene putat, aquas illas, quae et alibi ad laudandum Deum invitantur, esse naturas spirituales angelicas; aliam, quae tenet, aquas vaporabiliter resolutas elevari super caelum sidereum. Hanc autem alteram sententiam reiicit rationibus ex parte desumptis ex falsis notionibus aetate sua receptis. Dubium autem S. Doctor relinquit, utrum sint aquae informes, aquae de natura elementorum, aquae vaporabiliter resolutae, eaeque supra primum vel altius caelum.

Quae de articulo praecedenti diximus, et hic valent. Probabilior solutio huius difficultatis haurienda est iuxta statum scientiae naturalis tempore quo confecta est narratio cosmogoniae Mosaïcae. Solutio obiectionum evidenter alia et alia erit, secundum sententiam, quam aliquis tenet quoad naturam harum aquarum et situm.

Missa sententia Origenis de aquis spiritualibus, de quibus utique nulla ex his tribus difficultatibus moveri potest, tertia sententia dicens, aquas esse vaporabiliter resolutas supra

caelum aëreum, facilius solvit tres obiectiones; secunda sententia, quae tenet, aquas esse materiam informem corporum, sat facile duas primas depellit. Sed neutra sententia suasibilis est: non tertia, quia detorquet firmamentum a vero sensu, et ponit vapores supra caelum aëreum, non secunda, quia ponit aliquod gratuitum ac parum intelligibile. Prima autem sententia solvit difficultates recurrendo ad aliquam specialem aquarum istarum tenuitatem, crystallinamque diaphaneitatem (unde caelum crystallinum), cuius virtus calorem caelestium corporum contemperet!

Arbitraria lepidaque varietas harum solutionum non habet quod diutius lectorem detineat. Iuxta systema antiquiorum istae difficultates vix existunt. Nam fingebant sibi caelum non rotundum, sed potius ad modum immensi tecti planum atque firmissimum; unde continebat aquas, quin istae diffluerent per concavum. De difficultate ex generatione et corruptione illi non cogitabant; fluit enim ex doctrina posteriori de elementis atque corporibus mixtis.

III. **Ad art. III. - Utrum firmamentum dividat aquas ab aquis.** - Divisio aquarum ab aquis supponit aliquod dividens, et aquas utrimque. Inde difficultates motae in obiectionibus. Duae primae procedunt de aquis per dilemma: aut sunt eaedem aquae, et tunc idem eis debet esse locus; aut non sunt eaedem natura, et tunc non indigent dividi. Tertia procedit contra divisionem, quia aquae inferiores non pertingunt usque ad firmamentum.

S. Thomas reiecto systemate illorum, qui universum fingunt aqua exortum, ac proin aquas ponunt extra systema nostrum firmamento clausum; fuse disserit de ratione ob quam Moyses nonnisi de terra et de aqua, tanquam de elementis magis manifestis, ad populum rudem sit locutus. Quo praemisso quaesitum ac obiectiones solvere conatur iuxta varias interpretationes in praecedenti articulo suggestas. Unde praeter ea quae iam animadvertimus, nihil est superaddendum.

IV. **Ad art. IV. - Utrum sit unum caelum tantum.** - Obiectiones ex opposita ratione procedunt: duae primae contra

pluralitatem caelorum ratione unitatis; tertia contra pluralitatem defectu rationis communis.

Locutio « *caeli caelorum* » habet in lingua hebraica indolem superlativi, ac si dicatur caelum sublimius, celsissimum. Aquinas autem occasionem inde sumit exponendi theoriam de pluralitate caelorum, deque varia ratione sub qua caeli dicuntur. En schema huius *Corporis*.

- Caeli dicuntur in Scripturis tripliciter:
  - I) *proprie* et naturaliter, de corpore sublimi et luminoso, unde caelum *triplex:*
    - 1) caelum *empyreum* (lucidum totum),
    - 2) caelum *crystallinum* seu aqueum (totaliter diaphanum) quod omittitur in trilogia, quae aëreum caelum complectitur,
    - 3) caelum *sidereum* (partim diaphanum) octo sphaeris constans;
  - II) *participative*, de corpore participante lucem et sublimitatem, *aëreum* constans:
    - 1) igne,
      - *a*) supremum *igneum,*
      - *b*) inferius *olympium;*
    - 2) aëre,
      - *a*) supremum *aethereum,*
      - *b*) inferius *aëreum;*
  - III) *metaphorice:*
    - 1) SS. Trinitas,
    - 2) Bona spiritualia,
    - 3) genera supernaturalium visionum:
      - *a*) corporalis,
      - *b*) immaginariae,
      - *c*) intellectualis (S. Pauli).

Inde caeli *tres,* iuxta Damasc.: superius (3.m S. Pauli), sidereum et aëreum; aut, subdividendo aëreum, *septem,* iuxta Rhabanum.

Corollarium. – Ex dictis patet, quanta eloquentia Psalmista de Christo nomine solis cantaverit: « A summo caelo egressio « eius, et occursus eius usque ad summum eius » [1]; « qui « ascendit super caelum caeli ad Orientem » [2].

[1] Ps. XVIII, 7.
[2] Ps. LXVII, 34.

III. - DE OPERE TERTIAE DIEI.

QUAESTIO LXIX.

I. - De Textu S. Scripturae.

Iam superius diximus, duplex opus hac una die a narratore sacro coniungi, ob intimum nexum utriusque ad invicem, et ne senarius numerus apprime intentus frustraretur.

En verba quibus Scriptura hoc geminatum opus denarrat.

1) « Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub « caelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum « est ita. - Et vocavit Deus aridam terram, congregationes- « que aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset « bonum.

« 2) Et ait: Germinet terra herbam virentem et facientem « semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus « suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et fac- « tum est ita. - Et protulit terra herbam virentem et facien- « tem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, « et habens unumquodque sementem secundum speciem « suam. Et vidit Deus quod esset bonum. - Et factum est « mane et vespere, dies tertius » [1].

Duplex revera opus hic narrari per modum unius, declarant duplex executio et duplex approbatio completo gemino opere apposita. Pauca sint de utroque.

1) **De primo opere.** - Iam animadvertimus discrimen inter textum LXX et Vulgatae. In versu nono, post verba: « et « factum est ita », habentur verba: quae opus effectum eisdem verbis quibus est iussum, tanquam perfecte completum describunt. Nonnulli putant, haec verba esse translata ab originali quodam textu, quem ideo inserendo delapsa restituunt [2].

[1] Gen. I, 9-13.

[2] Ita, v. gr., Wellhausen et Ball.

Lectio LXX « εἰς συναγωγὴν μίαν » indicat, eos loco מָקוֹם legisse מִקְוֵה. Parum refert. Forma pluralis יַמִּים insinuat extensionis vastitatem.

Vocabulum הַיַּבָּשָׁה non est id, quo terra passim vocari solet. Hic autem demonstrat, scopum sive effectum huius operis Dei fuisse, ut terra, quae in primordiali statu fluctibus iacebat immersa, quin appareret, iam a fluctibus distincta cerneretur. Unde id vocabulum recurrit alibi, tum ad terram speciali modo a mari distinguendam [1], tum ad modum prodigiosum exprimendum, quo Deus viam siccam populo suo per undas produxit [2].

Censet Gunkel, hunc versum vix cum initio narrationis concordare: quatenus hic terra ex aquis emergit; ibi vero nihil exstitisse videtur praeter aquas. Sed talis contradictio, a priori iam parum verosimilis, a textu sacro prorsus abest. E contra ab ipso primo versu terra non solum nominatur, sed describitur inanis et vacua; imo ratio huius inanitatis redditur, abyssus scilicet aquarum eam circumvolvens. Unde remotis aquis, eodem die, veluti per unum geminatum opus, remota vacuitate, e sinu terrae educentur herbae atque plantae.

Sed hic duplex quaestiuncula moveri potest. 1) Quaenam sunt istae aquae in maria collectae? 2) Quaenam causa eas in unum collegit?

1) Nexus intimus huius loci cum versibus praecedentibus exigit ut intelligamus in genere aquas, quae sub firmamento manebant. Quum autem ex contextu hoc firmamentum supra caelum sidereum sit collocandum, sunt omnes aquae per caelum non solum aëreum, sed et sidereum sparsae. Hanc esse narratoris mentem, extra dubium mihi videtur.

Ex quo iam apparet ordo necessario ab eo servandus quoad opus diei quartae. Etenim antequam caelum sidereum posset sole, luna stellisque adornari, vacuandum erat aquis per immensa spatia diffusis. Noluit tamen stellarum effectionem enarrare ante productionem plantarum, quia haec productio erat cum discretione aridae quasi per modum unius connexa.

[1] Exod. iv, 9; Ion. i, 13; ii: 11.

[2] Exod. xiv, 16; xxii, 29; Ios. iv, 29. In Ion. i, 9 alluditur ad locum nostrum.

2) Quare hic quaerere de causis, quibus aquae collectae sunt in sua loca, quae maria nuncupantur, extra indolem huius narrationis est. Exhibetur enim ut opus immediatum Dei.

Possumus autem in hoc opere distinguere duplex elementum: *a*) condensationem aquarum per caelestia spatia diffusarum, et *b*) earumdem congregationem in loca profundiora finibus circumducta. Prior operatio nihil exigit productum in ipsa tellure. Altera autem sine relativa exaltatione aut depressione telluris concipi nequit. Prior operatio exprimitur directe per verba: « Congregentur aquae, quae sub caelo « sunt, in locum unum »; altera, per verba: « et appareat « arida ».

Nec tacenda hic opinio S. Basilii, cui adhaeret S. Ambrosius. Putant enim, per verba Dei hic allata aquas accepisse hanc qualitatem, ut effluerent in locum unum iuxta insitam tunc sibi legem motus et gravitatis. Audiatur episcopus Mediolanensis: « Ante praeceptum Domini non hanc aquae fuisse « naturam, ut laberetur et flueret. Non enim ex usu hoc « habet caeterorum elementorum, sed speciale et proprium; « non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate et opera- « tione summi Dei. Quid iusserit Deus, audiunt. Vox autem « Dei efficiens naturae est. Eam vocem effectus operationis « implevit. Coepit labi aqua, et in unam confluere congre- « gationem, quae antea erat diffusa per terras, et plurimis « acceptaculis inhaerebat » [1].

Philo Iudaeus censet, Deum quidquid in aquis salini continebatur hoc die, collegisse in mare, relicta dulcedine aquis irrigantium fluminum [2].

II. **De altero huius die opere.** - De ipso textu primum pauca sint. Collatis inter se versibus 11 et 12, apparent tria discrimina. *a*) In primo legitur: « Germinet terra herbam virentem « et facientem semen »; in altero adduntur verba: « iuxta genus « suum ». Versio LXX haec iam habet in priori: « κατὰ γένος « καὶ καθ' ὁμοιότητα ». - *b*) In primo versu ponitur « lignum

[1] *Hexaëm* I, c. 2. — Inferius pulchre describit, quomodo potentissima Dei manus furori oceani finem posuerit exiguam littoris arenam (Ibid. III, 22). — Cf. S. Basil. Seleuc. (orat. 1).

[2] *De cosmop.*

« pomiferum », in altero dumtaxat « lignum ». In hebraico est uti in Vulgata; in LXX bis habetur « ξύλον κάρπιμον ». - *c*) In v. 11 verba « iuxta genus suum » habentur post « faciens « fructum »; in v. 12 ponuntur post « habens unumquodque « sementem »; unde in v. 11 directe referuntur ad lignum, in v. 12 ad semen. Rursus textus hebraicus ordinarius concordat cum Vulgata; dum LXX, sibi constans, habet bis ordinem verborum v. 12.

d) Porro versio Vulgata non satis distinguit verba דֶּשֶׁא, עֵשֶׂב et עֵץ. Primum vocabulum est collectivum, idem significans ac vegetationem sed viridum recens exortum; alia duo exhibent duas veluti magnas classificationes plantarum, scilicet herbas, quae proferunt semen nudum, et arbores, quae idem edunt fructu obvolutum. Melior proin esset lectio: « Producat terra viridum: herbam, etc. ».

Scopus narratoris sacri in descriptione huius operis est ostendere, tellurem a Deo huc destinari, ut virentibus plantis non tantum decoretur quantum compleatur, quatenus, inde semina erant telluri a Deo veluti inserta, ut quamprimum afflante Dei verbo erumperent. Insuper ostendere voluit magna illa discrimina, quae occurrunt in plantis, ab humilibus herbis ad giganticas arbores, necnon leges constantes, quibus seminationis ope suas proprias servant atque diffundunt species, esse effectum potentis et providae divinae voluntatis.

Utrum autem haec narrans generationem spontaneam plantarum a telluris sinu cogitaverit, parum refert; quum voluntate iubentis Dei has prorupisse instanter proclamet. Unde in capite sequenti expresse totum omnipotenti Deo tribuitur: « Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum « pulchrum visu, etc. » [1].

Ast maiorem difficultatem parit collatio inter narrationem operis diei tertiae, et quae ibidem paulo ante leguntur: « In « die quo fecit Dominus Deus caelum et terram, et omne « virgultum agri antequam oriretur de terra, omnemque « herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat « Dominus Deus super terram, et homo non erat qui opera- « retur terram: sed fons ascendebat e terra, irrigans uni-

[1] Gen. ii, 9.

« versam superficiem terrae » [1]. Difficultas residet in hoc. Quomodo potest heic siccitatis causa impar germinandis plantis describi haec terra, quae ex ipsis modo aquis adhuc madescens emergit?

De qua difficultate veluti triumphans scribit Cl. Hummelauer: « Memento, haec omnia ostensa esse in visione: tam « perfecte igitur ea visione terrae ab aquis separationem « effectam conspexit Adam, ut media circiter tertia die vide- « rit terram omnino aridam producendisque germinibus, nisi « pluvia aut res concederetur, imparem. Disce hinc, quam « complete in ea visione singula suis diebus opera perfecta « sit intuitus Adam » [2]. Fateor, ut minus dicam, haec me parum convincere.

Alii, uti iam innuimus, ex indole, primo saltem intuitu, tam diversa utriusque narrationis, ad duplicem fontem recurrunt: priorem derivatum a regione, in qua dominabantur aquae; hunc alterum e regione siccitate potius laborante [3].

Sane concordia inter utrumque locum, - neque per visionem [4], - perfecta vindicari posset, si in capite secundo simpliciter diceretur, tellurem siccitatis causa non potuisse proferre virgultum herbamque germinare, antequam per pluviam faecundata fuisset. Sed non ita textus sacer. Imo dicit, ab exordio fontem, sive nebulam [5], id « per universam superfi- « ciem terrae » praestitisse, quod postea temporibus congruis effecit pluvia. Et sane, praeter nativam virtutem, quam Deus die tertia condidit, terraeque sinui veluti inseruit, de more tria sunt, - uti nihil dicam de rore nocturnis, maxime antelucanis horis, tellurem humectante, - quae temporum decursu, atque lege constanti ad perfectam completamque plantarum evolutionem concurrunt: fontes seu fluvii e terra prosilientes atque humum irrigantes, imbres superne faecundantes, manus hominis industria naturae vires et media duplicantis. Iam vero iuxta textum, de quo quaeritur, in initio nondum aderat manus hominis, nec nubes pluviam emiserant; sed dumtaxat primum ex his tribus germinatio-

[1] Ibid. 4-6.
[2] *Comment. in Gen.* p. 125.
[3] Cf. citatum Zapletal. p. 2.
[4] Imo per visionem longe minus.
[5] Ita versio *Chald.*

nem stimulabat. Si autem nebula et non fons hic intelligi debet, forsan agitur de hisce nebulis humido vestigio abundantissimis, quae veluti medium aliquem locum tenent inter rorem et pluviam. Quare puto hanc difficultatem a plerisque exaggerari; eo vel magis quod in capite primo res effectae potius enarrantur; in altero capite, idque sat probabiliter ex altero fonte, modus effectionis penitius describitur.

Nec sane tacenda est hic expositio S. Augustini. Allata sententia: « Nondum enim pluerat Deus, etc. », addit: « Tan-« quam diceret: Non ea sic fecit Deus, quemadmodum fecit « nunc talia, cum pluit, et cum operantur homines. Haec enim « iam per moras temporum fiunt, quae tunc non erant, cum « fecit omnia simul, unde etiam tempora inciperent » [1].

Quaeres. - Quot plantarum semina censendus est ab initio distinxisse Deus? - Hic ingredimur in illam intricatissimam quaestionem de evolutione specierum. Quam quaestionem ad sequens volumen differendam duximus, ubi de origine hominis erit data opera disserendum. Interim monere placet, iam forsan Augustinum introspexisse quemdam evolutionismum, quando de opere tertiae diei breviter dixit: « Tertio, « species maris et terrae, atque in terra potentialiter, ut ita « dicam, natura herbarum atque lignorum: sic enim terra « ad Dei verbum ea produxit, antequam exorta essent [2], acci-« piens omnes numeros eorum quos per tempora exsereret « secundum suum genus » [3]. Et simile habet de opere diei quintae et sextae.

Interim, praeter id quod iam alibi de hoc argumento diximus, tria hic monuisse sufficiat.

1) Non potest ex primo capite Geneseos, uti contra revelationem reprobari sententia, quae tenet, omnes plantas fuisse potentialiter in primo germine contentas, per temporum spatia in firma genera et species numero veluti infinito evolvendas.

2) Quin et sententia admittens evolutionis transitum de uno ordine in alterum, v. gr., de ordine vegetali ad ordi-

[1] *De Gen. ad litt.* l. v, c. 6, n. 19. — *P. L.* xxxiv, 328; cf. ibid. l. viii, c. 3, n. 6. — 371, sq.

[2] Haec addit verba ob versum 5 cap. ii Geneseos.

[3] Ibidem l. v, c. 5, n. 14. — 326.

nem animalem, non funditus repugnat principio scholastico, iuxta quod formae non gignuntur per ipsas formas, sed educuntur de potentia materiae. Unde ipsi Scholastici generationem quamdam spontaneam admittebant. Qua semel admissa pro animalibus inferioribus, non apparet tam stringens ratio virtutem transformationis ad haec dumtaxat contrahendi. Quae consideratio habet saltem aliquem valorem polemicum pro Transformista cum Scholastico puro disputante.

3) Tum sana philosophia, tum theologia monent, prudens esse ut ambitus virtutum naturalium, a Deo utique inditarum, augeatur potius quam minuatur: quatenus cautius est, ut non nisi ex manifestis rationibus sive philosophicis sive theologicis absoluta impossibilitas phaenomeni naturalis proclametur.

Haec nullatenus dicta velim ad Transformismum latissimo quoque sensu probandum; sed ad criteria quaedam praeoccupanda, ad quorum normam mens nobis est opportuniori loco hoc arduum vastissimumque problema investigandi.

Caeterum, quantumcumque virtus evolutionistica primis elementis inclusa dilatetur, nunquam id obtinebit, quod vellent Materialistae, ut causam initialem creatricem supplantet [1]. Quin ex opposito, quo magis haec mirabilis vis extollitur, eo mirabilius apparet opus Illius, qui eam condidit.

II. - Ad litteram S. Thomae.

S. Thomas duplici articulo argumentum absolvit, iuxta duplex opus hac una die perfectum.

I. **Ad art. I. – Utrum aquarum congregatio convenienter dicatur facta tertia die.** - Difficultates moventur tum contra rem, tum contra modum quo narratur. 1) Contra rem, quia non aderat locus, in quem aquae convenirent, quum tota terra esset aquis obducta (2), praeterea quia non congregatae sunt in locum unum, quum maria non omnia se teneant (3), insuper quia aqua naturaliter fluit, quin ad hoc opus sit ut Deus specialem iussionem emittat (4); - 2) contra modum quo factum narratur, quia deest verbum « fiat » effectionem iubens (1), et quia inutiliter tunc vocatur terra, quae iam a primo versu ita appellabatur (5).

[1] Cf. Gutberlet (*Natur und Offenb.* 1878, p. 16).

Convenientiam autem S. Thomas ostendit in *Corpore* tum secundum mentem S. Augustini nonnisi naturae ordinem admittentis, tum secundum mentem eorum, qui inter opera sex dierum agnoscunt insuper ordinem temporis.

1) Iuxta S. Augustinum primo die imprimitur materiae informi forma naturae supremae, secundo die forma caelestis, tertio die imprimuntur formae elementares.

2) Iuxta aliorum Patrum sententiam prima die distinctum seu formatum est corpus supremum; secunda die corpus medium, seu aqua; tertia die, ultimum corpus, seu terra.

In resp. ad 2m obi. S. Thomas praefert rationem primam, quum tamen tertia potior sit habenda.

Reliqua vide in ipso textu.

II. **Ad art. II. - Utrum plantarum productio convenienter tertia die facta legatur.** - Difficultates inde petuntur, quod plantae pertineant ad opus ornatus et non ad opus distinctionis (1); quod quaedam plantae sint effectus maledictionis (2); quod omittantur lapides et metalla (3).

In *Corpore* duplex pars est distinguenda. In priori S. Thomas ostendit harmoniam inter confusionem quae ab exordio descripta erat, et modum quo nunc terra distinguitur; primordiali invisibilitati respondet apparitio aridae ab aquis distinctae, vacuitati originali respondet germinatio plantarum, quae, utpote coniunctae cum terra, non tanquam simplex ornatus, sed potius tanquam aliquid integrale considerantur. Unde solvitur obiectio prima. Quodsi lapides magis coniuncti sunt telluri, respondetur et metalla tantopere cum ea coniungi, ut in ipsius sinu veluti pars eiusdem habeantur; insuper ea non apparere, et Moysen ad rudem populum non nisi loqui de rebus quae cernuntur.

In altera parte *Corporis* S. Thomas conciliat opus hac die narratum cum modo loquendi Scripturarum in capite sequenti. Difficultatem solvunt aliter et aliter; iuxta S. Augustinum, in hypothesi creationis instantaneae, limitando opus tertiae diei ad virtutem potentialem tunc terrae inditam ut germinaret plantas; - iuxta sententiam creationis successivae, distinguendo inter primarum plantarum germinationem et earum iuxta firmam seminum legem propagationem.

CAPUT III.

DE OPERE ORNATUS.

Partitionem Hexaëmeron in operis distinctionem et operis ornatum superius attulimus, monendo, eam habere quidem solidum fundamentum, quin tamen ultra limites exaggerari debeat. Nam *a*) praeter hanc magnam partitionem ordo naturalis in successione prostat; *b*) duo membra sese aliqualiter compenetrant; *c*) opera ornatus non omnino respondent operibus distinctionis.

Hac igitur iterata animadversione, accedimus ad opus alterius ternarii; quo exposito, S. Thomas considerat et diem septimam; imo totam hanc tractationem absolvit contemplando synthetice integram hebdomadam Mosaicam [1].

IV. - DE OPERE QUARTAE DIEI.

QUAESTIO LXX.

I. - De Textu S. Scripturae.

En verba quibus Vulgata opus diei quartae describit: « Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, « et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora « et dies et annos: - ut luceant in firmamento caeli, et illu- « minent terram. Et factum est ita. - Fecitque Deus duo « luminaria magna: luminare maius, ut praesset diei; et lumi-

[1] Hinc novem quaestionibus in schemate initiali huius Sectionis indicatis, adde et decimam, Quaestionem LXXIV, quae totum argumentum breviter veluti reassumit.

« nare minus, ut praeesset nocti: et stellas. - Et posuit eas « in firmamento caeli, ut lucerent super terram, - et prae- « essent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et « vidit Deus quod esset bonum. - Et factum est vespere et « mane, dies quartus » [1].

Nexum inter opus huius diei et opera praecedentia iam indicavimus. Dum Ægyptii superiores quoque caelorum aquas quovis genere animantium faecundas sibi fingebant [2]; hic incolis ornantur caeli, aquae inferiores, aër et terra. Nam et astra aliquomodo sunt incolae spatiorum caelestium, ad modum exercitus, qui iubenti Deo libens et pronus obedit, iuxta illud Baruch: « Stellae autem dederunt lumen in custo- « diis suis et laetatae sunt: vocatae sunt, et dixerunt: Adsu- « mus; et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas » [3].

Quae utique metaphorice dicta sunt, nec ullo modo exigunt, ut stellae iuxta Scripturam animatae habeantur. Simili metaphora utitur Psaltes, quando ad laudem Dei invitat non solum caelum et stellas, sed corporales creaturas omnes; quin ideo Psaltes eiusdem sententiae fuisse dicendus est ac Thales, iuxta quem et lapides erant animati [4]. S. Paulus metaphorice pariter dixit: « Exspectatio creaturae revelationem « filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est « non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.... « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit « usque adhuc » [5].

Quibus verbis, sicut et aliis propheticis verbis, abutebatur Origenes, ut totam creationem animatam esse contenderet [6]. Maxime autem id de astris affirmabat, quae, - in hoc, uti in aliis, placita Platonica [7] Christianae doctrinae immiscens, - non solum animata, sed et intellectu praedita esse censebat. « Siquidem illa etiam quae in caelo sunt astra, ani-

[1] Gen. I, 14-19.

[2] Cf. G. Maspero (*Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique*, I. — Paris, 1895, p. 143).

[3] Bar. III, 34, sq.

[4] Hunc errorem docebant et Manichaei (Cf. S. Aug. *Tract. 1 in Ioann.* et alibi pluries).

[5] Rom. VIII, 19, 20, 22.

[6] Cf. homil. 4 in Ezech.

[7] Cf. *Timaeum, Epinom.* etc.

« malia sunt ratione praedita, et luce cognitionis illuminata « sunt a sapientia: qui est splendor lucis aeternae. Etenim « sensibile lumen ipsorum opus est universorum opificis. « Intelligibile forsitan et illorum, atque ex libero eorum arbi- « trio profectum » [1].

Magistri sui errorem depulit Eusebius Caesareensis. Iudaeorum enim philosophiam prae Gentilium philosophia extollens atque cum Christiana conferens, ait: « Imprimis elementa « corporum, terram, aquam, aërem, ignem, ex quibus totum « hoc universum constituitur, animadverterunt: nec non « solem, lunam, stellasque non esse deos, sed Dei opera cogi- « tarunt. Quippe naturam corporeae substantiae non solum « rationis expertem, sed inanimem quoque esse, quatenus « fluxa et corruptionis obnoxia est apud se statuerunt » [2].

Haec doctrina apud Patres vere dici potest unanimis. Quae enim in unius alteriusve scriptis difficultatem primo intuitu movent, per sermonem metaphoricum, ad modum locutionum Prophetarum, ipsiusque Pauli sat facile componuntur [3]. Caeterorum Patrum loco audiatur S. Basilius: « Ecquid enim caelestibus corporibus imago dictum est Altis- « simi Dei? Quamnam vero sol servat conditoris imaginem? « Quid luna? Quid reliqua sidera? quae inanimata quidem « et materia constantia corpora, caeterum pellucida possi- « dent: in quibus non inest intelligentia, neque eligendi mo- « tiones, neque libertas arbitrii: sed impositae necessitati « serviliter subiecta sunt, secundum quam circa eadem sine « ulla necessitate versantur » [4].

Iure ergo optimo Stephanus Parisiensis episcopus de Theologorum consilio anathemate perculit propositiones affirmantes, « quod anima caeli est intelligentia: et orbes caelestes « vere sunt instrumenta intelligentiarum, sicut organa, sicut « auris, et oculus est organum virtutis sensitivae... »; « quod « natura, quae est principium motus in corporibus caele- « stibus, est intelligentia movens » [5].

[1] *Ctr. Celsum,* l. IV.

[2] Lib. VII. *de Praepar. Evang.* c. 3. — *P. G.* t. XXI, col. 511.

[3] Cf. epist. S. Ambrosii ad Horontianum (ep. 38).

[4] Homil. in ps. 48. — Plura testimonia huiusmodi lege apud Petavium (op. cit. l. I, c. 12, n. 7. sqq.).

[5] Vide plura addenda ubi de art. 3 S. Thomae.

Et sane narratio Mosaica nihil continet, quod huic errori ansam praebere potuerit. E contra sacer scriptor diserte affirmat, solem, lunam et stellas esse creaturas, ab ipso Deo immediate conditas, eo fine ut terrae nostrae, id est, homini terram incolenti ad mensuram temporum inservirent.

Modus autem quo haec creatio describitur, redolet scientiam astronomicam remotae antiquitatis, ita ut hic rursus habeamus argumentum manifestissimum illius secundi elementi, quod in tota cosmogonia Mosaica distinximus; idque absque ullo detrimento paginae sacrae.

In antiquiori aetate, - quod ex collatione, v. gr., cum Ægyptiorum scientia constat [1], - stellae cogitabantur uti lampades appensae firmamento; quod firmamentum habebatur, uti diximus, non ut sphaericum, sed ad modum fornicis, aut tabernaculi, iuxta illud Isaiae: « Qui extendit velut nihi « lum (lege: fornicem) caelos, et expandit eos sicut taber- « naculum ad inhabitandum » [2]. Et illud Psalmistae: « Qui « extendit caelum sicut pellem » [3]. Unde et ipse S. Paulus eadem imagine usus est: « Talem habemus pontificem, qui « consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum « minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non « homo » [4].

Inde et Patres nonnulli de forma caeli vehementer disputaverunt, negantes formam sphaericam, « ut inepti homines « philosophando disputant » [5]. Ipse S. Chrysostomus, citato hoc S. Pauli textu, exclamat: « Ubi sunt igitur, qui caelum « moveri asserunt? Ubi qui sphaericae figurae illum esse « defendunt? Utrumque enim hoc loco refellitur » [6]. Ioannes autem Damascenus utramque sententiam proponit, tum quae plenam, tum quae dimidiatam sphaeram affirmat esse nostram tellurem [7]. Quam libertatem iudicii apud Latinos ostendit quoque S. Augustinus. « Quaeri etiam solet, quae forma et « figura caeli esse credenda sit secundum Scripturas nostras.

[1] Cf. G. Maspero (op. cit., p. 17).
[2] Is. xl, 22. — Cf. xxiv, 20.
[3] Ps. ciii, 2.
[4] Hebr. viii, 1, sq.
[5] Ita Severianus Gabalit ex allato loco Isaiae arguens.
[6] In epist. ad Hebr. homil. 14.
[7] Plura de hoc lege apud Petavium (op. cit., l. i, c. 12 ab initio).

« Multi enim multum disputant de iis rebus, quas maiore « prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non « profuturas discentibus; [1] et occupantes, quod peius est, mul- « tum pretiosa et rebus salubribus impendenda temporum « spatia. Quid enim ad me pertinet, utrum caelum sicut « sphaera undique concludat terram in media mundi mole « libratam, an eam ex una parte desuper velut discus ope- « riat? » [2]. Et pergit conciliando, si opus sit, cum priori sententia metaphoras Psalmistae et Isaiae, qui caelum conferunt pelli extensae, et camerae suspensae [3]. Haec libertas iudicii eo magis in Augustino laudanda, quo vehementius Lactantius invexerat contra sphaericam terrae formam et contra antipodarum existentiam [4], quam et ipse Augustinus reiiciendam putat, etiamsi forma sphaerica telluris nostrae admitteretur [5].

Porro, ut ad narrationem Mosaicam revertar, sacer scriptor astra describit sicuti hoc remoto tempore considerabantur. Duo habebantur omnibus maiora: sol maior, et luna minor; reliqua omnia uno stellarum nomine vocabantur. Quumque hoc tempore de dimensione caelestis spatii longe minor erat aestimatio, stellae omnes iudicabantur prae sole et prae ipsa luna multo minores.

Quae omnia ad normam scientiae huius temporis dicta, altitudinem eiusdem narrationis nullatenus minuunt, quatenus diserte affirmant tum astra omnino non esse nisi creaturas a solo Deo immediate effectas, tum astra esse a Deo in illuminationem diei ac noctium et in mensuram temporum provide condita.

[1] Quanta ex hoc principio sane intellecto deduci possint nemo non' videt. Imo plus quam Augustinus ipse introspexit, uti demonstrant ultima verba eiusdem capitis: « Breviter dicendum est, de figura caeli hoc scisse auctores nostros quod veritas « habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines « nulli saluti profutura ». Secundam partem huius sententiae potest aliquis omnino probare, quin priori parti subscribere teneatur.

[2] *De Gen. ad litt.* l. II, c. 9, n. 20. — *P. L.* XXXIV, 270.

[3] Ps. CIII, 2; Is. XL, 22 iuxta LXX.

[4] Lib. III, c. 23.

[5] *De Civit. Dei,* l. XVI, c. 9. « Absurdum nimis » videbatur Augustino, ob nimias Oceani interiacentis dimensiones ut homines ex nostra terra ad antipodarum terram pervenire potuissent. Erravit ergo in hoc Augustinus ex praeiudicio geographico et nautico.

In quo altero vide gradationem inter opus primae et quartae diei. Ibi dumtaxat, discreta luce a tenebris, alternatio, qualicumque modo concipiatur, sufficiebat ad producendum diem et noctem. Hic mensura temporum determinatur magis. Non solum sol et luna determinant diem; sed et menses, imo et annos per modum, quo sol varias constellationes percurrere videtur; quin et annorum cyclos; nec annos qualescumque, sed in varias temperiei vicissitudines discretos ob inclinationem axis terrae in planum motus circa solem, sive uti tunc credebatur, solis circa terram, aut saltem ab oriente ad occasum. Haec omnia continentur verbis: « Et dividant diem et noctem » (modo magis determinato ac erat a prima die), « et sint in signa et tempora, et dies et « annos ».

Nec te moveat, lunam non semper lucere per noctem ac proin nocti praeesse non posse. Nam utrumque requirebatur simul: ut plerumque luna in nocte luceret, et tamen interdum abesset, ut inde naturalis mensura mensium haberetur.

De modo autem quo Deus astra fecit, nihil prorsus habetur in textu sacro; nisi quod producta « posuit », lampadum instar « in firmamento caeli, ut lucerent super terram ».

II. - Ad litteram S. Thomae.

S. Thomas trino articulo quaerit de luminarium productione (1), fine (2), et indole (3).

I. **Ad Art. I. – Utrum luminaria debuerint produci quarta die.** – Contra diem, qua luminaria caelestia creata narrantur, arguit S. Thomas 1) ex eorum incorruptibilitate; 2) ex creatione lucis prima die facta; 3) ex eo quod affixa sunt caelo haud secus ac plantae affixae sunt terrae, quacum eodem die creatae narrantur; 4) ex ordine inter creationem plantarum et luminarium quum tamen ista causant illas. - Ultima difficultas 5) non petitur ex tempore, sed ex modo quo describuntur duo luminaria magna. Unde vides, titulum articuli non obiectiones omnes complecti, et rectius hunc articulum describi in Quaestionis prooemio.

In Corpore. S. Thomas iterum inculcat ordinem inter opus distinctionis et ornatus, et ostendit, principium quo

discernitur inter ea quae ad perfectionem et ornatum spectant, maxime desumi a motu. Unde die quarta formatur mobilis exercitus stellarum; die quinta generantur pisces et aves, mobiles incolae aquae et aëris; die sexta animalia reliqua et homo, incolae mobiles terrae. Plantae autem quia terrae affixae, conduntur eo die quo arida ab aquis discernitur.

De hoc stellarum motu aliter et aliter opinabantur antiqui. Ptolemaeus stellas dicebat habere motum seorsum a motu sphaerarum; Aristoteles vero putabat, eas immobiles moveri cum sphaeris; quae sententia magis concordare videtur cum littera cosmogoniae Mosaicae. S. Thomas rem in dubio relinquit.

Quod autem in resp. ad 3m Angelicus insinuat de inferiori firmamento condito die secundo et de superiori die quarta, ex rationibus iam allatis, parum probandum apparet. E contra firmamentum conditum die secunda est superius; stellae autem in eo distribuuntur uti lampades fornici mobili affixae, sive motu proprio dotatae et quasi libratae.

II. **Ad Art. II. - Utrum convenienter causa productionis luminarium describatur.** - S. Thomas duas difficultates movet contra « signum »: alteram ex Scriptura (1), alteram ex hoc quod sunt causae (2). - Contra distinctionem temporum arguit ex distinctione, quae iam prima die producta narratur (3). - Contra subordinationis finem arguit ex nobiliori dignitate stellarum (4). - Contra finem creationis lunae arguit ex insufficientia lunae saepe absentis (5).

In Corpore, praemisso quadruplici fine, qui in creatura considerari potest: *a*) propter se, *b*) propter aliam creaturam, *c*) propter totum universum, *d*) propter gloriam Dei, Angelicus egregie monet, Moysen secundum dumtaxat exhibuisse respectum, quo efficacius populum ab idololatria revocaret. Triplicem autem distinguit utilitatem, quam luminaria hominibus praestant: ex luce, ex temporum vicissitudinibus, ex signis operum opportune faciendorum.

Nescio utrum interpretatio quam S. Doctor dat verbis « in signa », probabilior sit habenda. Sane non est unica. Nam et constellationes signa sunt per semetipsas, unde Zodiaca signa passim audiunt.

Obiectionem tertiam, sane potiorem, Angelicus solvit iuxta doctrinam, qua iam superius putavit, ipsam lucem prima die conditam fuisse lucem solis; at die quarta effectus huius lucis magis fuisse determinatos. Placet de hoc audire Suarezium: « In prima die facta est communi modo, secundum « distinctionem solam inter lucem et tenebras, et illo modo « verum est fieri distinctionem illam per motum diurnum « cum quadam aequalitate et uniformitate; alio vero modo « specialiori fit distinctio inter diem et noctem cum quadam « varietate et inaequalitate, quatenus aliquando dies sunt « maiores noctibus, aliquando minores, quod ex propriis mo- « tibus astrorum provenit » [1]. Scilicet provenit ex inclinatione axis terrae super planum cycli; quae inclinatio si tunc dumtaxat producta sit, inaequalitas temporum tunc quoque exordium sumpsit.

III. **Ad Art. III. - Utrum luminaria caeli sint animata.** - In obiectionibus S. Thomas arguit ex nobilissimo loco, quem astra occupant (1); ex nobiliori corpore, quo constant (2); ex causalitate quam in animata exercent (3); ex motu, quo dotantur (4); maxime ex primo motu, qui est moventis seipsum (5).

In Corpore. S. Thomas ita procedit. Praemissis in hac re opinionibus variis philosophorum ethnicorum: Anaxagorae negantis et Platonis affirmantis; necnon scriptorum Christianorum: Origenis affirmantis, S. Basilii ac S. Ioannis Damasceni negantium, S. Augustini dubii haerentis; - S. Doctor ostendit, astra non posse vocari animata univoce, uti plantas aut animalia, sed aequivoce.

Non univoce, quia carent vita vegetativa et sensitiva, ac proin neque animas rationales possunt habere sibi vitaliter in ordine ad intelligendum unitas, quum haec unio ope phantasmatum a vita sensitiva procedat. Relinquitur ergo quod animata dicantur aequivoce propter virtutem motricem, quatenus aguntur a spiritibus per contactum virtutis. In quam sententiam inde antiqui et ipse S. Thomas [2] erant proni, quia motus astrorum aliter explicare non valebant.

[1] Op. cit. l. II, c. 9, n. 2.

[2] In *Sma ctr. Gent.* l. II, c. 70, longe magis ad sensum antiquorum loquitur.

Adverte hic optimam animadversionem S. Doctoris: potuisse scilicet Platonem facilius existimare stellas animatas, quippe qui ipsam animam humanam nonnisi ratione motus informare corpus putabat. Aliter autem Origenes, utpote qui astra insuper dicere debebat animata ex toto suo systemate de origine et fine mundi corporalis. Contra quem exstat iste canon 3. vulgo uti Concilii oecumenici V allatus: « Si quis « dixerit, solem et lunam et astra ipsa quoque, cum eadem « rationalium unitate essent, ex conversione in peius facta « esse id, quodque sunt: A. S. » [1].

Augustinus autem movit dubium non solum in sensu aequivoco, sed et univoco. En eius verba: « Solet enim quaeri, « utrum caeli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an « habeant rectores quosdam spiritus suos » (en sensum aequivocum); « et si habent, utrum ab eis etiam vitaliter inspi- « rentur, sicut animantur carnes per animas animalium, an « sola sine ulla permixtione praesentia » (en sensum univocum). Et problema in dubio relictum, ad opportuniorem locum data opera perscrutandum differt [2]. Alibi vero suam ignorantiam candide affirmat. Posito enim problemate de distinguenda hierarchia angelica [3], ait: « Dicant qui possunt, si « tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare « confiteor. Sed ne illud quidem certum habeo, utrum ad « eamdem societatem pertineant sol et luna et cuncta sidera: « quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel « intelligentia, videantur » [4].

Corollarium I. - Ex dictis patet, quid valeat argumentatio eorum, qui in favorem sententiae astra animata ponentis arguunt ex verbis Praefationis Missae: « Caeli caelorumque « virtutes ac beata Seraphim » [5]; quasi Ecclesia ponat in eodem gradu Seraphim et luminaria caeli tanquam per inhabitantes angelos animata. Sed, potest haec locutio intelligi, per meram metaphoram quali frequentes utuntur Scripturae [6];

[1] Denzinger, op. cit., n. 189.
[2] *De Gen. ad litt.* l. II, c. 18. — *P. L.* XXXIV, 279, sq.
[3] De hoc Augustini dubio mox agemus, in tractatu de Angelis.
[4] *Enchirid.* c. 58. — *P. L.* XL, 259, sq.
[5] Hinc Ambrosius Catharinus in Caietanum invehit in enarrat. in I cap. Geneseos.
[6] Cf. Petavium (Op. cit., l. I, c. 12, n. 14).

vel Virtutes iam hic sumuntur in sensu hierarchico de uno ex beatis Angelorum ordinibus, et copula *que* habet hic sensum explicativum, uti suggerit Sylvius [1].

Corollarium II. - Quo magis urgetur conceptus stellarum veluti a principiis superioribus iuxta leges divinae harmoniae per caelestia spatia motarum, eo eloquentior fit appellatio in Scripturis, maxime apud Prophetas frequentissima: וְהוָה צְבָאוֹת; quatenus hoc non solum dicitur de exercitu angelicae militiae ut talis, sed etiam de exercitu stellarum, quae per immensam caelorum sphaeram divina veluti palatia custodiunt, iuxta custodias illas a Baruch tam poëtice celebratas [2].

V. - DE OPERE DIEI QUINTAE.

QUAESTIO LXXI.

I. - De textu S. Scripturae.

Opus diei quintae Vulgata ita describit: « Dixit autem « Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile « super terram sub firmamento caeli. - Creavitque Deus « cete grandia, et omnem animam viventem atque motabi- « lem, quam produxerant aquae in species suas et omne « volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset « bonum. - Benedixitque eis, dicens: Crescite et multiplica- « mini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super « terram. - Et factum est vespere et mane, dies quintus ».

In textu graeco habetur in fine versus 30: « καὶ ἐγένετο « οὕτως ».

Pisces non vocantur hic vocabulo solito דָּגִים, forte quia in versu primo cap. II considerantur ut צָבָא; unde hic exhibentur uti aliquid se movens. Versio Vulgata potuisset hic

[1] Hoc loco.
[2] Loc. cit.

esse felicior, reddendo bis duplicem effectum verborum יִשְׁרְצוּ et שֶׁרֶץ, וְעוֹף et יָעוּפֵף.

Tria hic maxime quaerenda sunt: 1) Utrum volatilia ex aquis producta dicantur; 2) cur pisces et aves simul producta narrentur; 3) quare Deus avibus piscibusque multiplicandis benedixerit, quum id non fecerit de plantis. Pauca de singulis.

1) Rationes dubitandi de primo sunt: *a*) ipse textus hebraicus: « וְעוֹף יָעוּפֵף עַל־הָאָרֶץ: et volatile volitet super « terram », et non: « volatile, quod volet »: deest enim pronomen אשר. - *b*) insuper parallelismus cum versu sequenti, in quo verba « quam produxerunt aquae in species suas », non ponuntur in fine versus, ita ut simul aves comprehendant, sed post descriptionem piscium; - *c*) ipsa synthesis, quae videtur pulchior esse, si aves creentur in aëre, sicuti pisces in aquis, et reliqua animantia de terra.

Ob has rationes potius existimem cum Caietano, aves in aëre sicuti pisces in aquis iuxta Mosaicam narrationem esse productas Versio enim litteralis sonat: « Pullulent aquae « pullulatione animae viventis et volatilia volent super ter- « ram sub firmamento caeli » [1]. Unde vides, neque generationem piscium *ex* aquis affirmari in textu sacro, sed *in* aquis.

2) Si autem aves non minus quam pisces ex aquis productae sint, ratio patet cur utraque animalium genera eadem die producta narrentur. Si autem secus, haec ratio ulterius investiganda superest. Quae, praeter senarium numerum dierum a priori intentum, inveniri potest in affinitate, quae ratione structurae et motus inter haec viventia reperitur. Eleganter sane S. Basilius, qui et inde eamdem utrorumque originem explicat: « Quare ex aquis etiam volu- « cribus originem dedit? Quoniam velut cognatio quaedam « est avium cum piscibus. Etenim quemadmodum pisces « aquam secant, pinnarum agitatione progredientes, caudae « vero mutatione flexuosos et rectos motus et impetus sibi « gubernantes; sic idem et in volucribus licet cernere, quae

[1] Bene Zapletal: « Es wimmle das Wasser von einem Gewimmel lebender We- « sen, und Flugthiere sollen fliegen über der Erde vor der Feste des Himmels ». (Op. cit., p. 22).

« per aërem pennis similiter natant » [1]. S. Augustinus analogiam urget inter aërem et aquam, ad communem utrorumque animalium originem ex aqua explicandam.

Quidquid sit, ob hanc propinquitatem originis et indolis, lex abstinentiae a carnibus olim non tam volatilia quam quadrupeda animantia respiciebat [2].

3) Porro quod Deus animantibus a se in aquis et in aëre creatis benedicit, insinuat tum magnum discrimen quod interest inter plantas, vitam dumtaxat vegetativam habentes, et animantia, vita insuper sensitiva dotata; tum discrimen ingens quod interest inter germinationem et faecunditatem veluti caecam et necessariam plantarum, et multiplicationem animalium per spontaneum concursum utriusque sexus. Insinuare etiam hic narrandi modus videtur, plantas a Deo productas esse simul per omnem aridam, quae ex aquis emergebat; pisces vero et volucres magis in uno loco, unde se per spontaneum motum diffundendo totum ambitum aquarum et aëris implerent.

Quaeres I. - Quomodo sunt intelligenda ultima verba versus 20: « sub firmamento caeli? » Suntne contrahenda ad secundum incisum de avibus, an etiam ad prius incisum de piscibus? Sat pronus sum ad hoc alterum existimandum, ut ita falsa imaginatio Ægyptiorum excluderetur, qui animalem vitam ponebant etiam supra firmamentum, in aquis superioribus pullulantem.

Quaeres II. - Quomodo cum hac narratione componitur versus 19 capitis sequentis: « Formatis igitur Dominus Deus « de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus « caeli, adduxit ea. »? Parum placet solutio, quae verba « de « humo מִן־הָאֲדָמָה » refert unice ad animantia terrae: est enim violenta disiunctio [3]. - Nec placet solutio distinguens in volucribus, quarum aliae factae essent ex aquis, aliae ex humo; id enim est contra textum, bis enim iteratur particula כֹּל. - Dicendum est ergo potius, vel terram hic sumi

[1] *Homil.* 8 *de Hexaëm.* — *P. G.* t. XXIX, col. 167.

[2] Cf. illud Regulae S. Benedicti: « Carnium vero quadrupedum ab omnibus « abstineatur comestio, praeter omnino debiles et aegrotos » (Cap. 39).

[3] Hanc tamen solutionem praefert Caietanus (op. cit., l. I, c. 15, n. 4).

in latiori sensu ad eam contradistinguendam a caelo; vel aves fuisse quidem creatas in aëre, sed de humo.

II. - Ad Litteram S. Thomae.

Unico articulo S. Doctor argumentum conficit. Arguit autem contra narrationem Mosaicam ex hoc, quod aquae virtus non sit sufficiens ad generandos omnes pisces (1); ex constitutione avium et piscium, quae magis exposcit ut producta sint e terra (2); ex eo quod melius aves dicantur factae ex aëre, sicuti pisces ex aqua (3); ex insufficientia descriptionis, quum dentur pisces, qui gradiuntur super terram (4); ex eo quod animantia terrestria, utpote perfectiora, melius fuissent creata ante pisces et aves (5).

In *Corpore* S. Thomas redit ad harmoniam gemini ternarii; ostendens insuper discrimen inter modum loquendi S. Augustini docentis, quinta die pisces et aves esse producta potentialiter.

In resp. ad 1m habes doctrinam S. Doctoris, iuxta opinionem tunc vigentem, de generatione spontanea eorum animalium, quae ex putrefactione per virtutem corporis caelestis generantur.

VI. - DE OPERE DIEI SEXTAE.

QUAESTIO LXXII.

I. - De textu S. Scripturae.

Duplex revera opus describitur hac sexta die perfectum, quemadmodum iam aliquid huiusmodi die quarta occurrit. En quibus verbis a Vulgata utrumque exhibetur.

1) « Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem « in genere suo, iumenta et reptilia et bestias terrae secun- « dum species suas. Factumque est ita. - Et fecit Deus bestias « terrae iuxta species suas, et iumenta et omne reptile in « genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum ».

2) « Et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitu-
« dinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli,
« et bestiis universaeque terrae, omnique reptili quod move-
« tur in terra. - Et creavit Deus hominem ad imaginem suam;
« ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam
« creavit eos. - Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et
« multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam, et domi-
« namini piscibus maris et volatilibus caeli et universis ani-
« mantibus quae moventur super terram. - Dixitque Deus:
« Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super
« terram, et universa ligna quae habent in semetipsis semen-
« tem generis sui, ut sint vobis in escam, - et cunctis ani-
« mantibus terrae omnique volucri caeli et universis quae
« moventur in terra et in quibus est anima vivens, ut ha-
« beant ad vescendum. Et factum est ita. - Viditque Deus
« cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Et factum est
« vespere et mane, dies sextus » [1].

Duplex hic dari opus, demonstrat, praeter indolem operis utriusque, - in quo manifestissima gradatio apparet, - duplex Dei locutio, duplex adimpletio et duplex laudatio. Ita tamen ut collaudatio alterius operis, quippe operum seriem claudentis, simul omnia opera synthetice comprehendat.

1) **De primo opere.** In ipso textu notetur classificatio animalium (genus remotum est, uti pro piscibus: « נֶפֶשׁ חַיָּה anima « vivens »: dicit בְּהֵמָה animalia quadrupeda domestica, רֶמֶשׂ reptilia, חַיְתוֹ־אֶרֶץ feras passim; quae tria, licet ordine diverso, in versu sequenti recurrunt. Verbum autem תּוֹצֵא idem est quo v. 12 germinatio plantarum exprimebatur. Ratio est, quia animalia haec, sicut et plantae, e terra directe educuntur.

Nec operae pretium est, ut iterum ostendamus rationem ob quam animalia terrestria non narrantur facta eodem die, quo pisces et aves. Considerantur enim sicuti ornatus seu exercitus terrae, una cum homine, domino suo ac rege.

Potius quaeri potest, cur creationi animalium terrestrium non addatur benedictio, sicuti et superius narratum est de piscibus et avibus. Alii aliam rationem afferunt. Gunkel [2] dicit,

[1] Gen. I, 24-31.
[2] *Genesis*, p. 101.

hanc benedictionem deesse, ne narratio operis diei sextae, iam profusa, adhuc magis protraheretur; Strack [1], quia narrator ad opus principale properabat; Holzingers [2]; ne nimis pateret, duplex hac eadem die enarrari opus. Zapletal ait, esse simpliciter quia animalia terrestria considerantur per modum unius, utpote terrae ornatus [3]. Bene quidem, modo tamen prae oculis habeatur, in benedictione hominis implicite contineri et benedictionem animalium [4].

2) **De altero opere.** Mens nostra non est hic immorari creationi hominis, quippe de qua longiorem disputationem in proximo volume, Deo dante, instituemus. Impraesentiarum satis sit partitionem huius narrationis breviter ostendere. Continet quippe, praeter approbationem finalem, tres partes: *a*) creationem hominis ad imaginem et similitudinem Dei; - *b*) benedictionem hominis, eiusque regalem investituram super trinum genus animalium terram, aquas et aërem incolentium; - *c*) œconomiam providentiae, quae herbas et ligna subordinat victui hominis et animantium.

Ex hac subordinatione et ex hac investitura apparet ratio tum cur plantae debuerint narrari productae ante animalia; tum cur homo debuerit in fine opificii mundi creari. Bene hoc ultimum illustrat Philo: « Ut igitur convivatores non « prius ad coenam vocant, quam ad epulam necessaria prae- « paraverint; et qui gymnicos ludos et theatrales exhibent, « antequam spectatores in theatra vel stadia congregent, « certatorum et earum rerum, quae ad oculorum vel aurium « oblectamentum attinent, copiam parant; ita totius mundi « princeps, tanquam certaminis et convivii dator, hominem « ad epulas et spectaculum vocaturus, quidquid ad utrumque « pertinebat, apparavit; ut in mundum ingressus ille statim « inveniret et convivium et theatrum sacratissimum » [5]. Adde rationem imperii. « Non enim consentaneum erat, ait S. Gre- « gorius Nyssenus, ut princeps et rector existeret, antequam

[1] *Die Genesis ausgelegt.* — München., 1897, p. 3.
[2] *Genesis*, p. 10.
[3] Op. cit., p. 24, sq.
[4] Cf. Dillmann (*Genesis.*, p. 15, et 30).
[5] *De opif. mundi.*

« essent illa, quibus imperaret: sed ut constituto imperio, tum « rex demum renuntiaretur » [1].

Adde et rationem finalitatis mundi, quia, ut optime evolvit Lactantius, « mundum non propter se Deus fecit, quia com- « modis eius non indiget; sed propter hominem, qui eo uti- « tur » [2]; inde totum mundum perfecit antequam in eum induceret hominem, qui per mundi contemplationem finem mundi impleret [3].

Nec longius immorandum est, ut mirabilis gradatio narrationis Mosaicae celebretur; quae gradatio cosmogoniam Hebraeorum in immensum super alias plus minusve consimiles vicinorum populorum extollit. Ubi enim agitur de formando homine, ineffabilis quaedam maiestas narrationem in altiores regiones superelevat. Bene Prudentius hanc gradationem celebrat hisce versibus:

« Tantus amor terrae: tanta est dilectio nostri,
« Dignatur praepinguis humi comprendere mollem
« Divinis glebam digitis: nec sordida censet
« Haerentis massae contagia. Iusserat ut lux
« Confieret: facta est ut iusserat. Omnia iussu
« Imperitante novas traxerunt edita formas.
« Solus homo emeruit Domini formidabile dextra
« Os capere, et flabro Deitatis figmine nasci » [4].

Vides proin, ex hac ipsa lege gradationis, ordinem cosmogoniae Mosaicae, quoad rei summam, optime vindicatum. Quae gradatio talis est, ut, quo magis per varios gradus vitae supra conditionem simplicis materiae ascenditur, eo magis mens, modo vere libera sese expandat, in Deum agnoscendum ipso operum splendore elevetur. Quod nuperrime proclamavit vir apud Anglos scientiarum naturalium peritia iure celeber, Baro Kelvin, cuius verba hic transcribere iuvat, tanquam epilogum ad hunc versum 31 narrationis Mosaicae: « Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona »; scilicet tam bona, ut per mirabilem sui gradationem, ab atomis usque ad hominem intellectu et voluntate praedi-

[1] *De hom. opif.*, c. 2.
[2] Lib. 7.
[3] Plura huiusmodi vide apud Petavium (op. cit., l. II, c. 1).
[4] *Apoth.* v. 1028, ss. — *P. L.* t. LIX, col. 1002.

tum, in laudem sui Auctoris prorumpant, quippe quae laus est bonitatis insitae rebus explicatio atque corona.

« Just think of a number of atoms falling together of « their own accord and making a crystal, a sprig of moss, « a microbe, a living animal. Cicero's expression " fortuitous « concourse of atoms " is certainly not wholly inappropriate « for the growth of a crystal. But modern scientific men « are in agreement with him in condemning it as utterly « absurd in respect to the coming into existence, or the « growth, or the continuation of the molecular combinations « presented in the bodies of living things. Here scientific « thought is compelled to accept the idea of Creative Power. « Forty years ago I asked Liebig, walking somewhere in the « country, if he believed that the grass and flowers that « we saw around us grew by mere chemical forces. He ans- « wered " No, no more than I could believe that a book of « botany describing them could grow by mere chemical « forces ". Every action of free will is a miracle to physical « and chemical and mathematical science.

« I admire the healthy breezy atmosphere of free thought « throughout Professor Henslow' s lecture. Do not be afraid « of being free thinkers! If you think strongly enough, you « will be forced by science to the belief in God, which is « the foundation of all religion. You will find science not an- « tagonistic but helpful to religion » [1].

II. - Ad Litteram S. Thomae.

Vix aliquid dicendum occurrit de unico articulo, quo S. Thomas argumentum sextae diei tractat.

Contra narrationem Mosaicam arguit ex locutione « animae viventis » (1), non attendens, in Hebraico textu eadem verba occurrere de piscibus; ex distributione generum animalium terrestrium (2); ex defectu indicati generis in multiplicatione hominis (3); ex defectu benedictionis datae animalibus terrestribus (4); ex generatione spontanea animalium

[1] Sir Henry Thomson, Baro Kelvin, in ephemeridibus, quibus titulus: *Nineteenth Century and After,* June 1903.

ex animalibus corruptis (5); ex indole noxia quorumdam animalium (6).

In *Corpore* S. Thomas complet argumentum ex ornatu desumptum, iuxta ea quae dixit de operibus quartae et quintae diei.

Adverte resp. ad 5m. Admittit S. Doctor, hac die generari potuisse animalia ex corruptione rerum inanimatarum et plantarum, non autem ex corruptione animalium: et recte quidem, iuxta doctrinam tunc temporis passim receptam.

VII. - DE DIE SEPTIMA.

QUAESTIO LXXIII.

I. - De textu S. Scripturae.

Verba Vulgatae de die septima ita sonant: « Igitur per« fecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum. - Com« plevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et « requievit die septimo ab omni opere quod patrarat. - Et « benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso « cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut fa« ceret » [1].

Pauca sufficiant de hoc textu, per quem clauditur haec pars narrationis Mosaicae.

De duobus vocabulis quoad litteram originalem quaestio movetur. *a*) Dum in textu Vulgatae et LXX habetur « orna« tus, κόσμος », in hebraico textu legitur צְבָאָם; quae lectio, - si authentica sit, - de quo alii dubitant, - « exercitus » vocantur non solum luminaria caeli, - quae denominatio sat frequens est in Scriptura, - sed hic ipse ornatus caelorum et terrae, qui per alterum ternarium descriptus est. Hanc sententiam fortiter propugnat Zapletal, dum alii contradicunt;

[1] Gen. II, 1-3.

alii, cum Lagrange [1], rem uti secundarii momenti considerant; quod et nobis videtur.

b) Porro loco « die septimo », in initio versus secundi in versionibus Samar., LXX, Pes. et in libro Iubil., legitur die sexto (הַשִּׁשִּׁי loco הַשְּׁבִיעִי): « Complevitque Deus die « sexto opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab « universo opere, quod patrarat ». Gunkel [2] existimat, talem mutationem in hebraico esse impossibilem, quum iam absoluta sint, quae spectant ad diem sextam. Sed haec ratio mihi videtur esse petitio principii. Etenim si revera legendum sit: « Complevitque Deus die sexto ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ « opus suum quod fecerat », tunc haec omnia cum versu praecedenti: « Igitur perfecti sunt... etc. » sunt veluti epilogus ipsius Hexaëmeron; et quae ad diem septimum spectant, incipiunt cum verbis: « et requievit die septimo, etc. ».

Maiorem virtutem nobis videtur habere redundantia sermonis, quae adesset, si legendum esset: « Complevitque Deus « die sexto ». Dum haec redundantia in altero casu abest: sensus enim est: perfectis itaque caelo et terra, Deus diei septimo sigillum operibus suis veluti impressit per requiem, qua sex dierum opus complevit, septimam diem sanctae requiei devovendo. In hac lectione verbum « וַיִּשְׁבֹּת et requie- « vit » intelligendum est: « quiescendo ».

Porro hanc requiem metaphorice dici per locutionem anthropomorphisticam, evidens est. Quae metaphora fortiori forma occurrit infra in Exodo Cap. XXXI, v. 17, ubi Deus non solum requievisse, sed per requiem vires suas veluti refecisse dicitur: « שָׁבַת וַיִּנָּפַשׁ ». Quae requies, quomodo intelligenda sit, infra magis patebit. Est enim requies ab opere creandi et primas perfectiones rebus infundendi. Nec ideo Deus conservando et gubernando ab opere cessat; quin iugiter conceptis corporibus humanis animas formali nexu per creationem uniendo.

Quo magis autem dies septimus appareat sacer, Deus huic diei speciali modo benedicit; quod de nulla ex praecedentibus sex diebus fecerat. Inde indoles sacra et divina Sabbati populo Hebraico solemniter inculcatur. Hinc totam suam vir-

[1] Loc. cit.
[2] Op. cit., p. 105.

tutem derivant verba Exodi: « Videte, ut Sabbatum meum « custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationi- « bus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. « Custodite sabbatum meum; sanctum est enim vobis.... Sex « diebus facietis opus; in die septimo sabbatum est requies « sancta Domino.... Custodiant filii Israël sabbatum et cele- « brent illud in generationibus suis. Pactum sempiternum « est inter me et filios Israël signumque perpetuum: sex « enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et in septimo « die ab opere cessavit » [1].

II. - Ad Litteram S. Thomae.

S. Doctor triplici articulo tres respectus huius diei considerat: 1) completionem operum Dei, 2) requiem Dei, 3) benedictionem ac sanctificationem huius diei.

I. **Ad Art. I. - Utrum completio divinorum operum debeat septimo diei adscribi.** - Angelicus tripliciter arguit contra hunc narrandi modum: ex hoc quod completio operum habenda sit solum in consummatione saeculi (1); - ex hoc quod requies nihil compleat (2); - ex hoc quod illa requies non sit absoluta, quum Deus iugiter multa nova operetur (3).

Non autem directe arguit ex hoc quod haec completio melius dicatur facta in fine diei sextae iuxta lectionem LXX et alias.

In Corpore. Distincta duplici perfectione, altera constitutionis, altera finis, sive hic sit operatio, sive operationis effectus, S. Thomas dicit, die septima Deum complevisse opera sua ratione perfectionis constitutivae, quae est operationis principium; non autem ratione perfectionis finalis, quae erit in consummatione saeculi.

Resp. ad 1m hisce paucis contrahitur:

Perfectio
- 1) causaliter:
  - *a*) quoad naturam = in fine Hexaëmeron,
  - *b*) quoad gratiam = in Incarnatione;
- 2) terminative seu finaliter: in fine temporum.

[1] Exod. xxxi, 13-17.

In *Resp. ad 2m* S. Thomas arguit secundum utramque lectionem Vulgatae et LXX.

Resp. ad 3m Doctrina huius responsionis contrahi potest hoc schemate:

- In Hexaëmeron omnia praeexistunt:
  - 1) materialiter = Evae corpus in costa Adami;
  - 2) virtualiter:
    - *a*) individua eiusdem speciei,
    - *b*) imo novarum specierum:
      - α) ex corruptione per virtutem caelestis corporis,
      - β) per commixtionem specierum existent.;
  - 3) similitudinaliter:
    - *a*) novae animae creandae,
    - *b*) Incarnatio Verbi,
    - *c*) gloria
      - α) spiritualis in angelis;
      - β) corporalis in caelo empyreo.

Quidquid novitatis oritur ex evolutione sane intellecta reducendum est ad continentiam virtualem, seu, ut ait Augustinus, potentialem. Sed hoc argumentum ad proximum volumen differimus.

Doctrina S. Augustini de perfectione numeri senarii.

Placet de argumento huius articuli, sicut et sequentium nonnulla depromere ex hoc magno Doctore.

Quum legeret iuxta versionem antiquam, quae cum LXX concordabat, Deum opus suum complevisse die sexto, S. Augustinus fuse de perfectione senarii numeri disserit. Quaedam saltem ex hac disputatione excerpere iuvat. « Invenimus sena-
« rium numerum primum esse perfectum, ea ratione quod
« suis partibus compleatur;.. (scilicet) partibus suis connume-
« ratis et in summam ductis, in se completur. Alii namque
« sunt numeri, quorum partes simul ductae minorem sum-
« mam faciunt, alii vero ampliorem: certis vero intervallo-
« rum rationibus pauciores [1] inveniuntur, qui suis partibus

[1] Imo ni fallor unicus est numerus senarius.

« compleantur, quarum summa nec citra insistat, nec ultra « excrescat, sed ad tantum occurrat, quantus est ipse nu- « merus, cuius partes sunt. Horum primus senarius est » [1]. Partes hic intelliguntur quota. Quae sane nonnisi in senario numero in summam ductae ipsum numerum efformant: $1 + 2 + 3 = 6$ [2]; in quo sane magna mensurae pulchritudo residet. Nam, « quorum numerorum tales partes simul ductae « non implent eosdem numeros, quorum partes sunt, imper- « fecti nominantur, quorum autem etiam excedunt, plus quam « perfecti appellantur » [3]. Stat ergo senarius numerus, ut ita dicam, solus in perfecta absoluta medietate inter defectum et excessum: unde inter omnes numeros sub hoc respectu palmam pulchritudinis tenet.

Et longiores de mensura, numero et pondere, in quibus Deus omnia condidit, considerationes claudit Augustinus his verbis: « Quamobrem non possumus dicere, propterea sena- « rium numerum esse perfectum, quia sex diebus perfecit » Deus omnia opera sua; sed propterea Deum sex diebus « perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. « Itaque, etiamsi ista non essent, perfectus ille esset; nisi « autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non « fierent » [4].

Ad Art. II. - Utrum Deus septima die requieverit ab omni opere suo. - Contra doctrinam in Genesi expositam S. Thomas arguit ex iugi operatione Dei (1) et ex aeterna eius immutabilitate (2); - quodsi Deus dicatur requiescere, quia hominem quiescere facit, S. Th. recusat hanc solutionem, quia tunc ex similitudine dicendum esset, Deum per Hexaëmeron operatum esse, quia hominem facit operari (3).

[1] *De Gen.. ad litt.* l. IV, c. 2, n. 2 et 3. — *P. L.* XXXIV, 296, sq.

[2] In numeris 2, 3, 5, 7, 11, 13, etc. non habetur nisi una pars quota, scilicet 1; in 4 et 9 duplex: 1 et 2, 1 et 3, quarum summa efficit 3 et 4; in 8 et 10 triplex: 1, 2, 4; 1, 2, 5; quarum summae efformant 7 et 8. In 12 habetur prima vice excessus: etenim summa quotarum 1, 2, 3, 4, 6, efficit 16, unde 4 excedit; in 16 summa quotarum 1, 2, 4, 8 numerum afformat uno minus: 15; excedit autem rursus, at 3, numerus 18: 1, 2, 3, 6, 9 = 21; in 24 autem excessus est 12: 1, 2, 3, 4, 6, 8, 12 = 36; etc.

[3] Ibid., n. 5, col. 298.

[4] Ibid. c. 7, n. 13. col. 301.

Doctrinam S. Thomae in *Corpore* nec non in responsionibus contentam sequens schema contrahit:

- Deus requievit die septimo,
  - 1) non quasi
    - *a*) de motu in immobilitatem se recipiens (2),
    - *b*) nec ab operando prorsus iam abstinens (1);
  - 2) sed quia
    - *a*) abstinuit a producendis creaturis omnino novis (cf. resp. ad 3.m art. 1),
    - *b*) complacuit se in semetipso,
    - *c*) iussit et hominem requiescere post opera complacendo sibi in Deo (3).

Hanc ultimam rationem [1], quietem scilicet homini impositam esse ad imaginem ipsius quietis Dei, illustrat S. Augustinus, investigans de hac ipsa quiete, quo sensu dici non possit, quo possit. 1) Non potest, ac si Deus operando, aut saltem operanda excogitando aliquam defatigationem sit expertus [2]; nec quasi Deus a iugiter operando omnimode abstineat. Sed dici potest quia operatio eius non est deinceps nisi veluti continuatio operis completi. « Quapropter sic accipimus, Deum « requievisse ab omnibus operibus suis, ut iam novam natu- « ram ulterius nullam conderet; non est ea quae condiderat, « continere et gubernare cessaret [3]. Unde et illud verum est, « quod " in septimo die requievit Deus ", et illud, quod «" usque nunc operatur "» [4].

2) Pariter dici non potest, Deum quiescere, « velut post « laborem desideratumve negotii sui finem, temporali qua- « dam requie delectatum ». Scilicet « quia vitium est et infir- « mitas animae ita suis operibus delectari, ut potius in eis « quam in se requiescat ab eis; cum procul dubio melius « aliquid in illo sit, quo ea facta sunt, quam ipsa quae facta « sunt; insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dici- « tur quievisse ab omnibus operibus suis quae fecit, nullo « opere sic delectatus, quasi faciendi eius eguerit, vel minor

[1] *De Gen. ad litt.* l. IV, c. 9. — *P. L.* XXXIV, 302, sq.

[2] Op. cit., c. 8.

[3] Necessitatem huius operationis paulo superius eloquenter ostendit ex verbis Apostoli: « in illo vivimus, movemur et sumus ». (ACT. XVII, 28).

[4] Ibid. c. 12, n. 23, col. 305.

« futurus, nisi fecisset, vel beatior, cum fecisset ». Et paucis interiectis, ait: « Requies igitur Dei recte intelligentibus ea « est, qua nullius indiget bono: et ideo certa in nobis in illo « est, quia et nos bonificamur bono, quod ipse est, non ipse « bono quod nos sumus. Nam et nos aliquod bonum ab illo « sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit et nos » [1].

3) Insuper potest dici Deus quievisse, scilicet « creaturae « rationali, in qua et hominem creavit, in seipso requiem « praebuisse, post eius perfectionem per donum Spiritus « Sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, « ut illuc feramur appetitu desiderii, quo cum pervenerimus, « requiescamus, id est, nihil amplius acquiramus. Sicut enim « recte Deus dicitur facere, quidquid ipso in nobis operante « fecerimus; ita recte dicitur Deus requiescere, cum eius mu- « nere requiescimus » [2]. Egregie!

Requies autem hominis ab hac requie divina veluti et exemplari derivata habet tamen et respectum figurativum requiei futurae, idque, iuxta S. Augustinum dupliciter. *a*) Primo quidem quia requies Dei post opus sex dierum figuravit requiem Christi in sepulcro. Pulchre S. Doctor: « Ipse « quippe die Sabbati requievit in sepulcro, eumque totum « diem habuit sanctae cuiusdam vacationis, posteaquam sexto « die, id est parasceve, quam dicunt sextam sabbati, consum- « mavit omnia opera sua, cum de illo quae scripta sunt, in « ipso crucis patibulo complerentur.... Quid ergo mirum, si « Deus istum diem, quo erat Christus in sepultura quieturus, « volens etiam hoc modo praenuntiare, ab operibus suis in « uno die requievit, deinceps ordinaturus ordinem saecu- « lorum ? » [3].

b) Altera figuratio respicit requiem vitae beatae. « Recte « quippe dicitur, sicut Deus post opera sua bona requievit, « ita et nos post opera nostra bona quieturos » [4]. At cum magno discrimine: Deus requiescit in se; nostra quies erit in Deo. « Neque enim similitudo pia est, si velimus ita similes « esse Deo, ut et nos ab operibus nostris requiescamus in

[1] Ibid. c. 14, sqq. col. 306.
[2] Ibid. c. 9, col. 302, sq.
[3] Op. cit., c. 11, col. 304.
[4] Ibid. c. 10, col. 303.

« nobis, sicut ipse requievit in se ab operibus suis. In quo-
« dam quippe immutabili bono requiescere debemus, quod
« ille nobis est, qui nos fecit. Haec erit igitur summa mini-
« meque superba et vere pia requies nostra, ut, sicut ipse
« requievit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua,
« sed ipse sibi bonum est, quo beatus est; ita et nos ab omni-
« bus operibus non tam nostris, verum etiam ipsius, nonnisi
« in illo requieturos nos esse speremus; idque desideremus
« per bona opera nostra: ut etiam sic post bona opera sua
« ipse requiescat, cum post bona opera, quae ab illo iustifi-
« cati fecerimus, in se nobis requiem praestat. Magnum est
« enim nobis ab illo exstitisse, sed maius erit in illo requie-
« visse. Sicut ipse non ideo beatus est quia haec fecit; sed
« quia etiam factis non egens, in se potius quam in ipsis
« requievit. Unde non operis, sed quietis diem sanctificavit,
« quia non haec faciendo, sed eis quae fecit non egendo, se
« beatum intimavit » [1].

Sed ecce haec Augustini ingenio plane digna nos ad argumenta tertii articuli conducunt.

III. **Ad Art. III. - Utrum benedictio et sanctificatio debeatur diei septimae.** - Tres difficultates S. Thomas movet contra benedictionem diei septimae: quia Deo per requiem nihil accedit, quod sit argumentum benedictionis (1); quia potius benedictio debetur operibus quam requiei (2); quia aliis diebus haec benedictio data est, quum Deus opus suum probavit (3).

In *Corpore* S. Doctor considerans in die septima, 1) quod ab hac die Deus incepit gubernationem et conservationem rerum a se conditarum, et 2) quod hac die Deus requievit in semetipso: docet, ratione prioris respectus, huic diei competere specialem benedictionem; ratione alterius, specialem sanctificationem. Unde solutio obiectionum patet.

Pulchre S. Augustinus: « Ipse (Deus) nec cum creavit
« defessus, nec cum cessavit refectus est; sed nos voluit per
« Scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, inti-
« mando nobis, eum diem se sanctificasse, in quo quievit ab
« omnibus operibus suis. Nam nusquam omnium sex dierum

[1] Ibid., c. 17, n. 29, col. 307.

« quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec « ante ipsos sex dies, ubi scriptum est: In principio fecit « Deus caelum et terram, additum est: Et sanctificavit; sed « diem istum, in quo requievit ab omnibus operibus suis quae « fecit, voluit sanctificare, tanquam et apud ipsum, qui nihil « in opere suo laborat, plus quies quam operatio valeat. Hoc « quidem in hominibus Evangelium nobis intimat, ubi Sal- « vator noster meliorem partem dicit Mariae, quod sedens « ad pedes eius requiescebat in verbo eius, quam Marthae, « quamvis propter obsequium, quo ei ministrabat, circa multa « occupatae, et licet bonum opus operantis » [1].

Cur autem haec septima dies mane gaudeat, vespera autem careat, Augustinus ita breviter exponit: « Apud illum quidem « (Deum) quieti eius nec mane nec vespera est; quia nec « aperitur initio, nec clauditur fine. Perfectis autem operibus « eius mane habet et vesperam non habet: perfecta quippe « creatura habet quoddam initium suae conversionis ad quie- « tem Creatoris sui, sed illa non habet finem quasi termi- « num perfectionis suae, sicut ea quae facta sunt... Quae quies « Deo nec initium habet nec terminum: creaturae autem « habet initium, sed non habet terminum; et ideo septimus « dies eidem creaturae coepit a mane, sed nullo vespere ter- « minatur » [2].

N. B. Abstinemus ab illustranda Quaestione LXXIV, in qua veluti per epilogum S. Thomas opus septem dierum reassumit, quaerens 1) de sufficientia horum dierum (art. 1), 2) de eorum distinctione utrum realis an rationis tantum (art. 2), demum 3) de locutionibus, quibus scriptor sacer hac in narratione utitur (art. 3). Quidquid enim de his articulis dicendum occurrit, iam in praecedentibus Quaestionibus, imprimis in praevia nostra dissertatione praehabita sunt.

Quare gressum facimus ad III Partem nostrae expositionis, seu ad Tractatum de Angelis. Placet tamen hanc de creatione universi tractationem claudere brevibus quibusdam considerationibus de momento philosophico, dogmatico, asce-

[1] Ibid. c. 14, n. 25, col. 305, sq.
[2] Ibid. c. 18, n. 31, 32, col. 308.

tico, morali, sociali et esthetico huius fundamentalis veritatis, cui totus Christianismus superstruitur.

CONCLUSIO.

1) « Ipse fecit nos, non ipsi nos » [1]. En magna vox, quam unaquaeque iuxta indolem suam intonat creatura. Imo nulla veritas est, - praeter eas, quae Deum ipsum in se speculantur [2], - cuius negatio tam radicitus et tam violento modo naturam offendat, quam omnium rerum ortus a Deo, uti aiunt, extramundano, liberrimo, sapientissimo, potentissimo universitatis rerum auctore.

Quare quicumque hanc veritatem impugnant, non modo fundamentum verae religionis sibi adimunt, sed et naturam graviter offendunt, imprimis ipsam hominis rationem. Inde *philosophicum* momentum huius dogmatis.

Et sane, qui demonstratam in anteactis veritatem inficiantur, aut in materialismum crassum se proiiciant oportet, nihil aliud admittentes praeter ea, quae sensibus percipiuntur, ipsamque rationem ad materiam deprimentes; - aut, si aliquid de spiritualitatis divinitatisque conceptu retinent, oportet ut hoc universum affirment esse Deum, aut saltem, quum nimii in universo appareant defectus, universum tendere in Deum progressione forsan aliquando exprimendum; quo ultimo sensu frivolus, imo in fine vitae lascivus ille scriptor E. Renan non verebatur asserere: « Jusqu'à présent, Dieu « n'est pas; mais il est possible qu'il se fasse, et qu'un jour « il soit » [3]. Nisi, uti Vandervelde, otiosam de Deo quaestionem declarent, quum eius existentia non sit nisi possibilis, quin unquam possit certo cognosci. - Iam vero hi omnes problema de origine rerum contingentium vel illogice solvunt, vel sedulo investigare recusant.

Quare de hac fundamentali quaestione maxime valet hoc aureum dictum Cl. Odilonis Rottmanner: « Von vielen Be-

[1] Ps. XCIX.

[2] Hae enim, si negantur, Deum ipsum implicite tollunt, et sublato Deo omnem extra Deum naturam.

[3] Cf. Louis Bascoul (*Renan, ses pirouettes, son apothéose.* - *Revue du monde catholique,* 15 Oct. 1903, p. 218).

« kämpfern des Christentums kann man, ohne ihnen Unrecht « zu tun, sagen, dass sie da zu denken aufhören, wo sie zu « denken anfangen sollten » [1].

Nec obiiciant, creationis conceptum humanae menti esse impervium, ac proin tam logice se stare posse in systemate obscuro, quam nos, ulterius progrediendo, ad mysterium pervenimus; imo quum mysterium sit utrimque, potius standum esse in primo, ne progressus fiat in infinitum.

Ast quot confusiones in hac argumentandi via! Et sane *a*) creatio nequit esse undequaque creaturae pervia, secus et ipsa posset creare. Sufficit ut sit pervia Creatori, quod nos omnino praedicamus. - *b*) Aliae sunt solutiones absurdae, in quibus creationem negantes stare coguntur; alia veritas, velamine quidem obducta, at apprime rationalis, ad quam Creatianismus devenit. Absurditates priorum sententiarum logice probari possunt, quas fuse loco suo ostendimus; veritatis vero velamen nihil habet quod offendat rationem, quae imo necessitatem eiusdem evincit. - *c*) Logicum igitur est, non stare in absurdo, sed pergere ad initiale mysterium, logico nexu demonstratum, et in eodem stare, quum talis sit rationis, ut nexum exhibeat inter Deum et creaturam, utpote simul attingens principium rerum in effectu et in causa.

2) Quanti autem sit haec veritas momenti *dogmatici,* multipliciter constat. Per hanc enim, veluti per viam, ad cognoscendum Deum naturali processu pervenimus. Quo cognito Deo, religio exsurgit tanquam ligamen inter creaturam et Creatorem, qui creaturam non potuit nisi ad semetipsum ordinare; ac proin usum rationis atque voluntatis creaturarum ita debet moderari, ut quem habent ex origine Patrem, Dominum agnoscant in regendo, Iudicem expectent in retribuendo, Bonum summum anhelent in beando. Hanc totam vim dogmaticam comprehendit Ecclesia in his Invitatorii verbis: « Adoremus Dominum, qui fecit nos » [2].

3) Porro si magnae huius veritatis, creationis scilicet universi ab uno Deo liberrimo, sapientissimo ac potentissimo, momentum *asceticum* perpendimus, non minus fundamentalis apparet in hoc ordine, quam in ordine logico atque dogma-

[1] *Predigten und Ansprachen,* t. II, p. 167.

[2] Cf. totum psalmum XCIV.

tico. Duo enim sunt quae totum aedificium asceticum quasi gemina columna sustentant: humilitas scilicet et sensus filialis erga Deum.

a) Quantopere dogma creationis *humilitatem* nutriat, docent haec verba Apostoli: « Quid habes, quod non accepisti? « Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » [1] E regione superbiam, in quam conducit Creatoris negatio, eloquenter ostendit Psalmista: « Disperdat Dominus universa « labia dolosa et linguam magniloquam; qui dixerunt: Lin- « guam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt: « quis noster Dominus est? » [2]. Humilitatis exemplar elucet Maria exultans: « Magnificat anima mea Dominum,.... quia « respexit humilitatem ancillae suae » [3]. Superbiae monstrum prostat Lucifer ille, de quo, sub figura Babylonici tyranni, canit Isaias: « Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane « oriebaris?.... Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscen- « dam, super astra Dei exaltabo solium meum... Similis ero « Altissimo! » Insanum tentamen, quod sequitur iusta depulsio: « Verumtamen ad infernum detraheris in profundum « laci » [4]. Tessera proin verae humilitatis est vox illa, quae in caelo intonuit, et a qua Angelorum princeps nomen accepit: « Michaël, Quis ut Deus? » [5].

b) Haec autem agnitio supereminentiae ac dominii summi Dei Creatoris nihil habet, quod cor deprimat. E contra fun-

[1] I Cor. iv, 7.

[2] Ps. xi, 4.

[3] Luc. i, 46, 48.

[4] Is. xiv, 12, sqq. de hoc nomine Dei lege Cl. Lagrange *(El et Jahvé. - Revue biblique,* xii, 3, p. 365).

[5] Optime humilitatem et superbiam ita describit Abbas Emautinus Benedictus Sauter: « Der Demütige frägt sich: Was bist du aus dir selbst? Er geht sodann « die ganze Reihe der Wesen durch, angefangen vom höchsten Gotte bis herab zum « Würmlein im Staub, - und weiter, bis er zuletzt auf das Nichts kommt, und spricht « dann: Also nichts bist du aus dir, nichts warst du, nichts wärest du, und ins « Nichts würdest du versinken, wenn Gott dir nicht Leben und Dasein und alles, « was du bist und hast, gegeben hätte und fortwährend erhielte. - Dieser Erkennt- « nis entsprechend gestaltet sich sein Benehmen und Leben - und das ist Demut.

« Der Hochmütige frägt sich auch: Was bist du? Aber er setzt nicht hinzu das « Wörtlein: " aus dir selbst? " Er geht dann ebenfalls die Leiter der Wesen durch, « indem er von unten anfängt, immer höher steigt, - da er sich selber immer höher « findet, als alles andere, - bis er zuletzt bei Gott anlangt und Gott gleich, ja über « Gott sein will. So hat es der Satan gemacht, - und das ist Hochmut ». *(Colloquien über die heilige Regel.* - viii *de Humilitate,* c. vii p, 81).

damentum est dulcissimi *sensus filialis*. Flectant utique cervicem sub caeca fati tyrannide, quotquot caecam quamdam evolutionem rerum, supremam universi legem agnoscunt, uti philosophus ille fatalista Taine, quem morti proximum ad blandum christianum affectum erga paternam providentiam Dei adducere frustra conatus est Cl. d'Hulst. Nos autem, qui omnia et nosmetipsos a potenti quidem at sapienti manu Dei exortos credimus, dum plenam Dei in creando praedicamus libertatem, Deum ex amore liberrimo cuncta effecisse contendimus. Qui amor vere paternus, sicut iugiter Deum erga suam creaturam, imo aberrantem stimulat, ita in ipsa creatura tenerrimum nutrit affectum, quo Deum adprecatura exorditur: « Pater noster, qui es in caelis ».

Quantam autem filialis hic affectus modestiam nutriat in adiunctis prosperis, quantam patientiam imo spem inconcussam in adversis, monent illa verba Iob: « Dominus dedit, « Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: « sit nomen Domini benedictum » [1].

Porro hic affectus filialis, sicuti spem fovet, ita Deum speratae salutis cooperatorem appellat. « Panem nostrum quotidianum dona nobis hodie;... sed libera nos a malo ». Unde tam longe abest, quominus homo Deum veluti e naturae cursu expellat, miracula quasi impossibilia a priori recusans, ut potius Deum praeter rerum naturalem cursum intervenire ad creaturae rationali in se confidenti opitulandum, aliqualiter uti complementum ordinis naturalis consideret. Hinc tot in Antiquo Testamento prodigia a Deo in favorem electi populi patrata [2]. Hinc verba Christi: « Amen quippe dico vobis, « si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti « huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit « vobis » [3].

[1] Iob. I, 21.

[2] Non possum hic non corripere conatum rationalisticum eorum scriptorum, qui facta in Antiquo Testramento narrata de providentia specialissima, saepe miraculosa, qua Deus populum Israëliticum gubernavit, deprimere contendunt. « Le critique « impartial trouvera que l'histoire de la nation israëlite *se ramène à une suite d'événements vulgaires dans la vie des peuples*, et à l'action d'hommes religieux dont « le caractère n'a rien de commun, le tout, faits et hommes, concourant à une œuvre « plus grande qu'eux, c'est à savoir le monothéisme ». Ita Alf. Loisy in recentissima opella « *Autour d'un petit livre* » (p. 43).

[3] Matth. xvii, 19.

Ita humilitas radicata in dependentia creaturae a Creatore, fit scala mirabilis, ab agnitione propriae impotentiae usque ad participationem omnipotentiae divinae pertingens. Idem enim ille, qui demisse Christum audit dicentem « Sine « me nihil potestis facere » [1], mox animose addit cum Apostolo: « Omnia possum in eo, qui me confortat » [2]; et cum Psalmista: « Auxilium meum a Domino, qui fecit caelum et « terram » [3].

c) Adde sensum *contemplationis*. Dum enim homo materialista aut pantheista in creaturas, quas cernit, veluti immersus, infra semetipsum detrahitur, homo deista opus Creatoris in universo agnoscens, per cuncta quae percipit sensibus, ad sapientiam, pulchritudinem et bonitatem Dei auctoris elevatur. Fit huic tota creatura liber sublimis, in quo legit Dei Verbum, illud *fiat,* per quod omnia facta sunt. Si tellurem miratur coloribus, plantis, fructibus, fluviis, montibus [4], varioque animantium genere ornatam, in haec Psalmistae prorumpit: « Domine, Dominus noster, quam admirabile est « nomen tuum in universa terra! » [5]. Si caelestia spatia scrutatur infinito stellarum agmine micantia, intonat illa: « Caeli « enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum » [6].

4) Porro *morale* momentum fluit ex dictis. Quaenam enim rectior morum norma humilitate? - Adde iam, legem morum ab alio esse non posse, nisi ab illo, qui liberam creaturam condidit, eo sane fine, ut pareat Ipsi. Tolle Deum creatorem, auctorem ac vindicem legum, quibus humani mores reguntur, et ipsum tollis ordinem moralem, sine quo nec familiae valent, nec civitates consistere. Quae assertio quam vera sit, demostrant inania illa tentamina, quibus homines á Chri-

[1] Ioann. xv, 5.

[2] Phil. iv, 13.

[3] Ps. cxx.

[4] Placet hic afferre verba, quae regina Margherita, uxor regis Humberti I, conscenso Monte Roseo, ut in sacello ibidem a se exstructo Missae Sacrificio, quod celebrandûm curarat, die 19 Augusti anni 1893, pie interesset propria manu parieti inscripsit: « *Quasi oliva in campis.* — Tutto ciò che è grande ispira la fede, grande in se « stessa. Innanzi a questa grandezza di monti, ed a questa solenne distesa di ghiacciai, « tace il dubbio misero, e la fede si alza forte e vivace insino a Dio ».

[5] Ps. viii, 2.

[6] Ps. xviii, 2.

stiana religione aberrantes, alia principia moralia ad iuvenes informandos stabilire conantur. Ipse enim Tullius, licet paganus, iam exclamabat: « Haud scio, an pietate adversus deos « sublata, societas etiam humani generis tollatur » [1].

Nec satis. Aliter longe creaturis utitur ille, qui agnoscit eas sibi a Deo dari, ut ea tanquam media adhibeat ad finem suum attingendum; aliter, qui creaturas non magis ut tales agnoscat, quam semetipsum sub auctore Deo, sed ad semetipsum sibi finem.

5) Porro exinde apparet proxime momentum *sociale* huius veritatis. Etenim praeterquam quod, ut diximus, societas humana sine legibus moralibus stare nequit, si Deus agnoscitur ut Conditor universi, eiusdem et Dominus praedicetur oportet: « Domini est terrae et plenitudo eius » [2]. « Ipse est « Dominus Deus noster; nos autem populus eius et oves pa- « scuae eius » [3]. Hinc longe aliter dominium rerum terrestrium apprehenditur ab homine Creatoris Dei dominium supremum agnoscente aut negante. Hic enim, superbe se dominum undequaque existimans, in rei propriae abusum naturali vi trahitur, iuxta paganam definitionem dominii: « ius « utendi et abutendi » [4]. Ille, e contra, intelligens creaturam nullum habere posse dominium in creaturas, nisi sub dominio supremo Creatoris, se villicum Dei potius quam verum dominum sentit. Inde parabola de villico, qua Christus huius dependentiae sensum et officia divitibus inculcavit [5]. Quam parabolam si quotquot maiorem detinent facultatum copiam prae oculis haberent iugiter, et operibus comprobarent, nonne mutaretur facies terrae? nonne illis, qui indigentiam patiuntur, fundamentum tot invidiarum subtraheretur et odiorum, quibus res publica magis magisque in discrimen provocatur?

[1] *De nat. deor.* II. - Haec verba Nicolaus Spedalieri veluti tesseram praeposuit famoso suo operi, cui titulus: « *De' diritti dell'uomo, libri VI, ne' quali si dimostra,* « *che la più sicura custode dei medesimi nella società civile è la religione cristiana,* « *e che però l'unico progetto utile alle presenti circostanze è di far rifiorire essa* « *religione* ». Et tamen huius apologiae auctorem atheizantes « novae Italiae » patroni uti suum, fuso signo, in Urbe celebrarunt!

[2] Ps. XXIII, 1.

[3] Invitat. Matut.

[4] Nolo negare valorem huius definitionis recte intellectae; at mihi semper odiosi nonnihil habere visa est, ac si nulla lex altior rerum usum regat.

[5] LUC. XVI.

Etenim si quaeritur ratio, ob quam Deus, summis omnium rerum Dominus, voluerit in civitate humana abundare alios, alios indigere [1], non est haec in naturali dumtaxat evolutione petenda, aut in necessaria conditione machinae publicae, quae, nisi dentur sortes inaequales, organice moveri nullatenus possit [2]; sed et altiori regitur consilio, ut scilicet ditiores fiant Providentiae divinae comparticipes, et de bonis suis superflua, tanquam destinatione communia, caeteros, qui indigent, fraterna iuvent charitate. Optime ait Leo XIII s. m.: « Quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, « sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam « accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque velut minister « providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum » [3]. Quod iam docuerat S. Gregorius Magnus: « Habens ergo « talentum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, « vigilet, ne a misericordiae largitate torpescat: habens artem « qua regitur, magnopere studeat ad usum atque utilitatem « illius cui proximo partiatur » [4]. Et S. Thomas, loquens de usu rerum quas quis possidet, haec gravia verba scripsit: « Quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut « proprias, sed ut communes; ut scilicet de facili aliquis eas « communicet in necessitate aliorum: unde Apostolus dicit [5]: « Divitibus huius saeculi praecipe [6] facile tribuere, commu- « nicare de bonis » [7]. Iam vero huius mirabilis oeconomiae fundamentum est dominium Dei Creatoris in omnes creaturas tam arctum, ut relate ad Deum homo dives non iam sit vere

[1] Cf. primum e principiis et consiliis, quae « Motu proprio » Pius X coetibus catholicis arcte servanda commendavit. (« *Fin dalla prima Nostra Encielica* » 10 Decembris 1903).

[2] Hinc inania hucusque evanuere conamina, quibus Socialistae civitatum regimen fingere studuere iuxta suam, quam vindicant, plenam sortium aequalitatem. Inaequalitas utique saevit nunc saepe nimis inhumana, ipsi societati non parum nociva, idque ob imminutum sensum christianae modestiae et charitatis. Sed novum ordinem somniare, in quo nihil emineat, dementia est. Hoc enim, in stimulum rei publicae, reservatur perfectioni evangelicae, qua haec ipsa reguntur sodalitia, quae Socialistae tam furenti odio prosequuntur, quum eadem deberent, nisi impietate essent obcaecati, tanquam exemplaria sublimia venerari.

[3] Encycl. « *Rerum novarum* ».

[4] In Evang. Homil. x, n. 7. — Cf. S. Th. II-II. Q. LXVI, a. 2.

[5] I Tim. in fine.

[6] Adverte verbum: non dicit Apostolus: « suade », sed « praecipe ».

[7] II-II Q. LXVI, n. 2.

possessor, sed nonnisi rerum sibi commissarum ad Dei beneplacitum administer.

6) Demum et *estheticum* momentum habet haec fundamentalis veritas. Etenim qui nihil admittunt praeter res sensibiles, aut quod cernitur universum existimant Deum, tam altum sibi in rebus sensibilibus artis exemplar habere videntur, ut altius quaerere putent supervacaneum, imo rerum ipsarum quasi offensivum. Unde hi tales non solum artis apicem constituunt in imitatione naturae, sed et artem sibimetipsi finem sternunt mensuramque moralitatis [1]. Qui vero in omni creatura radium creantis luminis agnoscunt, per radium ad lucem ipsam assurgere conantur; unde altiorem habent inspiratricem pulchritudinem Dei, ad quam iugiter tendunt, artique finem statuunt supra ipsam artem, mentes scilicet et corda per visibilia creaturarum ad invisibilia Creatoris elevare, iuxta illud Pauli: « Invisibilia ipsius a creatura mundi per « ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur » [2]. Quantopere autem redivivus paganismus sive materialismus artem depresserit, eheu! nimis facile ubique cernitur [3]. Utinam ars saltem christiana ab hac pestifera contagie se servaret immunem! Optandum sane ut, quae criteria Pius X feliciter

[1] Optime pictor Flander Ios. Janssens: « Que d'efforts stériles, de déceptions et « de désespérances chez ceux qui n'aiment la nature que pour elle-même! Que d'or- « gueil, de bassesse et de grossière sensualité chez ceux qui ne l'aiment que pour « eux-mêmes! — Voir dans la création le reflet de la beauté divine, aimer la nature « pour Dieu, voilà le partage du croyant » (*Nos luttes et nos espérances*. — *Durendal*, Mars 1900, p. 162).

[2] Rom. I, 20. — Ex hisce Christianae artis antesignanis placet laudare Joann. Fred. Overbeck, qui descriptionem egregii sui operis de septem Sacramentis his verbis inducit: « Ars mihi Davidica cithara, qua iugiter pulsare velim psalmos in « laudem Domini.

« Si terra et mare cum omnibus rebus quas continet; si caeli caelorumque vir- « tutes chorum agunt ad canendam gloriam sui Creatoris; quomodo homo, tam divi- « tibus donis a Dei sapientia et bonitate cumulatus, non huic sese coniungeret cantico « universi? quomodo homo acceptorum bonorum summum, creatricem virtutem, non « devoveret ad gratum suum sensum amoremque erga Dominum artium idiomate « manifestanda?

« Cupio inde ut meae de septem Sacramentis tabulae veluti totidem habeantur « psalmi, quorum fundamentale argumentum hisce ps. CXVI verbis continetur: " Lau- « date Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est « super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum " ».

[3] Hanc artis depressionem Leo XIII in ultima sua concione lugebat, die 22 iunii 1903 habita.

regnans de sacra musica tam sapienter expressit [1], ad alias bonarum artium disciplinas recte applicata, artem sacram, sublimem praedicationis, liturgiae, pietatisque administram, ad puriores normas tandem aliquando reducant! [2].

Ex doctrina hucusque exposita collige, quam nervose dixerit Card. Newman: « If God is more than Nature, Theo-« logy claims a place among the sciences » [3].

[1] In litteris de hac arte, dum adhuc erat Venetorum Patriarcha, conscriptis (1 Maii 1895); — maxime autem in « Motu proprio » « *Tra le sollecitudini* » de eodem argumento in festo Sanctae Caeciliae anno 1903 edito.

[2] De arte sacra lege elegantem concionem MONSABRÉ: « *Notre-Dame-des Arts* » — Cf. orationes a nobis Bruxellis et Brugis habitas: « *Principes d'art religieux* », et « *La voix de nos primitifs* ».

[3] *The scope and nature of university education.* Disc. 1. *Theology a branch of knowledge.*

PARS III.

DE CREATURA SPIRITUALI

SIVE

TRACTATUS DE ANGELIS.

De Ordine Tractatus. - Duplici in loco I.ae Partis *Summae Theologicae* S. Thomas de Angelis tractat: 1) a Quaestione L ad LXIV, de ipsis Angelis in se; 2) a Quaestione CVI ad CXIV, de Angelorum ministerio. Quare ut ista nostra disputatio in se magis sit absoluta, utramque seriem hic coniungemus, tractatum partiendo in duplicem Sectionem, quarum altera de angelis ipsis, altera de eorum ministerio agat.

Quum autem accedamus ad argumentum, in quo speculationes theologicae quoad multa ex philosophica contemplatione potius quam ex positiva revelatione hauriantur, mediam viam quoad eas tenere studebimus: ut non affirmemus tanquam certa, quae hunc doctrinae gradum non sibi pleno titulo vindicant; nec ideo tamen reverentiam evolutioni tam splendidae et tanta auctoritate suffultae iure debitam offendamus, ne in his quidem argumenti partibus, quarum evolutio antiquioribus in saeculis minus expresse radicatur. Absit enim ut illos moderniores scriptores imitemur, qui ex una parte evolutionem catholicae doctrinae urgent usque ad quemdam transformismum de forma in formas; ex altera vero in theologorum studia, quae sunt evolutionis sanae, sub Ecclesiae magisterio, princeps instrumentum, veluti despicientes invehunt [1].

Porro quae spectant ad genesim, ut ita dicam, doctrinae de Angelis nunc passim receptae, opportunis locis iuxta varios eiusdem doctrinae respectus adnectemus. Quoad ipsam doctrinae expositionem in hoc praesertim tractatu sequemur Aquinatem, quippe qui ob eximiam de caelestibus spiritibus contemplationem apprime vocatur *Angelicus*.

[1] Utroque vitio, sane non exiguo, passim laborant scripta Cl. Loisy.

SECTIO I.

DE IPSIS ANGELIS.

(Q. L - Q. LXIV).

Haec Sectio, sane princeps, in quatuor Membra distribuitur, iuxta quatuor in Angelis praecipue consideranda: 1) substantiam, 2) intellectum, 3) voluntatem, 4) ipsam demum creationem.

Sequens schema distributionem totius Sectionis graphice exhibet:

- **Agitur de his quae pertinent ad Angelorum**
  - I. *substantiam:* (I. Membrum)
    - 1) absolute (Q. L);
    - 2) per comparationem ad corporalia, id est:
      - *a*) ad corpora ipsa (Q. LI);
      - *b*) ad loca corporalia (Q. LII);
      - *c*) ad motum corporalem (Q. LIII).
  - II. *intellectum:* (II. Membrum)
    - 1) de virtute cognoscitiva (Q. LIV);
    - 2) de medio cognoscendi (Q. LV);
    - 3) de obiectis cognitionis
      - *a*) immaterialibus (Q. LVI);
      - *b*) materialibus (Q. LVII).
    - 4) de modo cognoscendi (Q. LVIII).
  - III. *voluntatem:* (III. Membrum)
    - 1) de ipsa voluntate (Q. LIX);
    - 2) de voluntatis motu, sive de amore (Q. LX).
  - IV. *creationem:* (IV. Membrum)
    - 1) quoad esse naturae (Q. LXI);
    - 2) quoad esse gratiae et gloriae (Q. LXII);
    - 3) quoad malum
      - *a*) culpae (Q. LXIII);
      - *b*) poenae (Q. LXIV).

MEMBRUM I.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM.

Ordo huius Membri ex praecedenti tabella patet. Potest in duo Capita distribui, quorum prius Angelorum substantiam considerat absolute, alterum per comparationem ad corporalia.

CAPUT I.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM ABSOLUTE CONSIDERATA.

QUAESTIO L.

Ordo Quaestionis hac tabella contrahitur.

De substantia spirituali quaeritur	1) *an* sit (a. 1);	
	2) *quomodo* sit:	*a*) quoad esse compositum (a. 2),
		b) quoad numerum (a. 3),
		c) quoad differentias (a. 4),
		d) quoad immortalitatem (a. 5).

I. - AN SINT.

ARTICULUS I.

UTRUM DETUR CREATURA INCORPOREA, SIVE SPIRITUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praemittenda est notio saltem obvia Angelorum, ut intelligi possit quaestio de eorum existentia.

Angelus (graece ἄγγελος, hebraice מַלְאָךְ) idem sonat ac nuntius; unde potius est nomen officii quam naturae, iuxta illa verba S. Augustini: « Cum spiritus sunt, non sunt angeli;

« angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen, « spiritus est; quaeris officium, angelus est » [1].

Inde, in sensu etymologico, praeter spiritus angelicos vocatur hoc nomine *a*) Verbum Incarnatum [2]: « Ecce Ego mitto « angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. « Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos « quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis » [3]. Et Liturgia Christum appellat « magni consilii angelum » [4]. - *b*) Ministri Dei pariter nuncupantur hoc nomine, maxime qui speciali quodam munere sacro funguntur: « Labia sacer- « dotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: « quia angelus Domini est » [5]; et prima verba modo allata Christus de Praecursore suo dicta testatus est: « Hic est enim « de quo scriptum est: " Ecce ergo mitto angelum meum « ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te " » [6].

Proprie tamen Angeli dicuntur illi spiritus, hominibus superiores, quibus in ordine ad suam providentiam Deus uti solet tanquam ministris, maxime eos ad homines deputando.

2) Angelorum existentiam negabant *a*) antiqui *Epicurei,* utpote nihil admittentes praeter ea, quae sensibus cognoscuntur et corpore constant; *b*) *Sadducaei* apud Iudaeos eisdem doctrinis imbuti, iuxta illud Actuum: « Sadducaei « dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spi- « ritum » [7]; quibus assentiebantur quoque *Samaritani* [8]. Quod utrumque valde mirum est. Quid enim, ut mox videbimus, frequentius in Scripturis Veteris Testamenti occurrit quam Angelorum mentio? Imo in quinque libris Moysis, quos admit-

[1] In Ps. CIII, ubi commentatur verba: « Qui facis angelos tuos spiritus » (v. 4), quae verba passim hoc sensu sumuntur. Dubitari autem posset, utrum pleno iure; imo existimarem potius, *spiritus* hic sumi de vento, quo Deus tanquam angelo utitur, hoc est, tanquam suae actionis nuntio, uti in Pentecoste maxime apparuit. Hinc parallelismus: « et ministros tuos ignem urentem »; nisi in oppositam sententiam me traheret interpretatio S. Pauli de spiritibus angelicis (HEBR, I, 7).

[2] Idem dic de theophaniis passim, quatenus per « angelum Dei » factae narrantur. — Cf. quae de hoc מַלְאַךְ יְהוָה diximus, ubi de theophaniis egimus (*De Deo Trino*, p. 115, sqq).

[3] MALACH. III, 1.

[4] Intr. 3 Missae Nativ. Dom.

[5] MALACH. II, 7; cf. Is. XLII, 19.

[6] MATTH. XI, 10.

[7] ACT. XXXIII, 8.

[8] Cf. WIEST. (*Demonstr. dogm.*, t. IV, p. 604). — Cf. addenda in *Sed ctr. est.*

tebant Samaritani, non semel est sermo de Angelis [1]. - *c*) Horum errorem instaurarunt saeculo XVI *Anabaptistae,* iuxta quos Angeli nihil aliud sunt quam manifestatio potentiae divinae; mali, si in punitionem, boni, si in custodiam et munimen [2]. E *Socianis* plures quoque esse Angelos inficiati sunt. - *d*) Adde modernos *Rationalistas, Materialistas, Pantheistas* passim, qui omnes doctrinam de Angelis reiiciunt: primi, quia, uti aiunt, ortum duxit unice ab ignorantia virium naturae; alteri, quia nihil praeter materiam admittunt; ultimi, quia summam expressionem divinitatis colunt hominem.

3) Iam vero existentia Angelorum est veritas, quae simul ad ordinem philosophicum, ad ordinem historicum et ad ordinem theologicum pertinet.

a) Ad ordinem *philosophicum,* α) quia Angeli, utpote complentes scalam entium, quae per gradationem a rebus corporeis inanimatis ad puros usque spiritus pertingit, ad synthesim universi maxime conferunt. Haec autem synthesis per solas vires rationes non potest nisi suaderi; cogenti argumento vindicari nequit.

β) Pariter utilitas Angelorum, in quantum formaliter sunt angeli, id est, administratorii spiritus, quibus Deus utitur ad mundi, imprimis humani generis gubernium, non est tam patens ut possit solis viribus rationis erui; sicuti non tam manifestus est spirituum malorum influxus, ut possit, independenter a factis historicis, certo stabiliri.

b) Ad ordinem *historicum* pertinet existentia Angelorum, eo gradu, quo omnia facta, etiam quae virtute exsuperant mundum hunc visibilem. Prudens enim iudicium concludere debet ad eorum existentiam, qui sese certo manifestaverint. Et sane, ut exemplum adducam, comitatus quem Tobiae praestitit Archangelus Raphaël, factum fuit historicum haud secus ac dogmaticum [3].

[1] Cf. PETAVIUM (*De Angelis*). Adde et Gnosticos, necnon haereticos Gnosticismo imbutos, qui non negabant quidem existere Angelos, sed tales fingebant, qui longe a veris Angelis discrepant. De quorum erroribus maxime erit sermo in ultimo membro huius Sectionis. — Adde et scriptores catholicos de spiritualitate Angelorum olim imperfecte sentientes. Cf. art. 3.

[2] Cf. WIEST, ibid. p. 646.

[3] Quantum momentum sit in indole obiectiva, historica factorum, quibus constituitur manifestatio religionis revelatae, neminem latet, qui de re apologetica, imo

c) Sed ad ordinem *theologicum* imprimis spectat existentia Angelorum, tum quia per revelationem certo cognoscitur, tum quia multiplices Angeli in re religiosa partes egerunt, tum quia in harmonia universi et in oeconomia ordinis supernaturalis multum conferunt mirabili illi synthesi a Deo sapientissime ordinatae.

Argumenta autem quibus existentia Angelorum theologice demonstratur, breviter colligemus in *Sed contra est* litterae S. Thomae, ad quam accedimus.

II. **Ad Textum.** - Contra existentiam spirituum incorporeorum S. Doctor arguit 1) ex hoc quod non sint incorporei quoad Deum, teste Damasceno (*1. Obi.*); 2) ex hoc quod moveantur (*1. Obi.*), et circumscribantur (*3. Obi.*). Solutio evidens quaerenda est in loco medio, quem Angelus tenet inter Deum et hominem; in motu actionis, distincto a motu corporali; in circumscriptione essentiali, distincta a circumscriptione corporea.

Sed contra est. Veritas existentiae Angelorum theologice demonstratur ex Scripturis, ex Liturgia, ex auctoritate Ecclesiae et ex doctrina Patrum. De singulis breviter.

I) Scriptura tum Antiqui tum Novi Testamenti abundat testimoniis sive historicis, sive didacticis, quibus Angelorum existentia abundantissime declaratur.

A) Ex *Antiquo Testamento* 1) *historica* testimonia afferre omnia, nimium foret [1]. Sufficiant sequentia. Ab ipso exordio

de critica historica sane iudicat. Quod si melius perpenderent quidam novatores, non ad necessitatem recurrerent alicuius nescio qualis semi-kantianae et naturalisticae apologeticae methodi, quam obscuro nomine *immanentiae* decorarunt. Sed ad tale aliquid, licet infirmum, se recipiant oportet, quotquot vel falsis principiis kantianis imbuuntur, vel cum Cl. Loisy in scriptis Novi Testamenti nullum aliud documentum historicum agnoscunt, nisi evolutionis « de la pensée chrétienne ». At huiusmodi excessus suntne adhuc scriptoris, non dicam catholici, sed vere christiani? (Cf. « *l'Evangile et l'Eglise* », et « *Autour d'un petit livre* » passim).

[1] Supponimus heic characterem vere historicum Veteris Testamenti, quem hodie nonnulli nimis facile inficiantur, in magnum detrimentum non modo traditionis sed ipsius dogmatis christiani. « Plusieurs de nos dogmes reposent sur la réalité objective « d'événements passés. Nier ces faits, c'est nier le dogme. Dans l'Evangile, en parti« culier; le point de vue historique et le point de vue religieux se rapprochent telle« ment, ils sont si mêlés, et si entrelassés qu'ils arrivent presque à se confondre. De « même, proportions gardées, dans les Actes des Apôtres. Certains livres de l'Ancien « Testament exigent aussi, à un degré moindre, le caractère historique, parce qu'ils

humani generis apparent Angeli tum boni tum mali: diabolus in specie serpentis protoparentes seducit; expulsis Adamo et Eva lapsis, Cherubim custodit atrium paradisi [1]; - Agar a facie Abrahami fugientem solatur Angelus [2]; - Abrahamo in valle Mambre tres Angeli apparent, quorum duo pergunt usque Sodomam [3]; - Angelus brachium Abrahae sustinet, ne filium Isaac immolet Deo [4]; - Iacob Angelos videt in scala ascendentes et descendentes [5]; - iterum Angelos sibi obviam habet, et cum Angelo noctu luctatur [6]; - Angelus primogenitos Ægyptiorum morte percutit [7]; - seseque inter populum elec-

« soutiennent l'edifice de la révélation et concourent à la fondation de la foi chré-« tienne. (*La bible et l'histoire* par le R. P. F. Prat, S. I. — Paris, Bloud et C.ie 1904. p. 27) ». Quam fundamentalem veritatem quantopere pervertat schola protestantica, cui affinis valde accedit Loysiana, (inde laudes quibus Loisy a protestanticis castris cumulatur, — nemo non videt. — Minus autem placent sequentia ejusdem auctoris: « Ces questions (quousque imprimis hagiographus conficiat documenta quibus « utitur) relèvent moins du théologien ou de l'exégète que du critique et du philoso-« phe, car elles concernent les règles d'un genre littéraire et les lois générales du « discours. Quand les critiques et les philosophes auront prononcé leur verdict, exé-« gètes et théologiens n'auront qu'à s'incliner. (Ibid. p. 56) ». Equidem credo tam specialis indolis esse Sacras Scripturas, ut earum interpretatio, etiam in his quaestionibus, ad Ecclesiam ac proin ad theologos maxime spectet. — At placet valde judicium quod fert de ultimo libro Loisy: *Autour d'un petit livre:* « Il faut que les jeunes qui « le suivent à l'aveugle, par admiration pour son talent, par l'attrait de la nouveauté « et parce qu'un air de libéralisme paraît de bon ton, sachent enfin où on les mène. « La plupart des lecteurs, satisfaits d'une lecture rapide et superficielle, ont pu ne « voir dans les derniers ouvrages du docte abbé que des erreurs de détail, des pro-« positions suspectes et des affirmations hasardées: l'existence de contradictions dans « les Livres saints érigée en axiome, l'authenticité et l'historicité du quatrième Evan-« gile hardiment niées, la fondation de l'Eglise par le Christ et l'institution des sacre-« ments maintenues seulement de nom, en vertu d'une explication qui semble déri-« soire, la personne de Notre-Seigneur rabaissée au niveau d'un homme ordinaire, « un peu plus sage, mais pas beaucoup plus éclairé que les autres, tous les faits sur « lesquels notre foi repose relégués dans une sphère extra-historique où la démon-« stration rationnelle ne les atteint pas. Il est bon qu'ils apprennent, ces lecteurs « distraits ou naïfs, qu'il y a au fond quelque chose de plus radical: une sorte de « nihilisme théologique et de subjectivisme absolu qui, poussé à ses conséquences logi-« ques, ne laisserait subsister ni l'Eglise, ni Jésus-Christ, ni la révélation, ni la cer-« titude, ni même un Dieu personnel ». (*Etudes des Pères Jésuites* 5 nov. 1903, p. 324).

[1] Gen. III.

[2] Ibib. XVI. Vide quae superius diximus de Angelo Domini in Antiquo Testamento. Ad normam doctrinae ibi stabilitae heic dicta intelligi cupimus (Cf. t. III *De Deo Trino*, ubi de Theophaniis, p. 115, sqq.).

[3] Ibid. XVIII, XIX.

[4] Ibid XXII.

[5] Ibid. XXVIII.

[6] Ibid. XXXII.

[7] Exod. XII.

tum et Pharaonis exercitum interponit [1]; - Angelus a Deo promittitur dux populi [2]; - Cherubim supereminent arcae [3]; - Angelus Domini corripit Balaam [4]; - Angelus Dei beneficia caelitus populo electo collata enumerat [5]; - Angelus apparet Gedeoni [6]; - Angelus nascitúrum Samson matri praenuntiat [7]; - Angelus Domini ob David scelus populum flagellat [8]; - Angelus in deserto pascit Eliam [9]; qui et Angelo iubente Ochoziae mortem praenuntiat [10]; - Angelus castra Sennacherib terribili caede disperdit [11]; - Raphaël Angelus Tobiam comitatur in itinere [12]; - Iudith custoditur ab Angelo [13]; - Angelus malus licentiam petit, ut Iob plagis impetat [14]; - Isaias audit psallentes Seraphim, e quibus unus prophetae labia ignito calculo mundat [15]; - Angelus Domini descendit in fornacem ad liberandos Danielem et socios eius [16]; - Angeli liberant Danielem ab ore leonum [17]; - Angelus transfert Hababuc ad pascendum Danielem [18]; - Angelus Gabriel apparet Danieli eique Christum statuto tempore venturum praedicit [19]; - Michaël princeps exhibetur colluctans contra regem Persarum pro populo Dei [20]; - qui et iterum apparet pro populo praeliaturus [21]; - Zacharias Angeli Domini frequenti colloquio utitur [22]; - Iudas Machabaeus et socii eius rogant Dominum

[1] Ibid. XIV.
[2] Ibid. XXIII.
[3] Ibid. XXVIII.
[4] NUM. II.
[5] IUD. II.
[6] Ibid. VI.
[7] Ibid. XIII.
[8] II REG. XXIV.
[9] III REG. XIX.
[10] IV REG. I.
[11] Ibid. XIX; II PARAL. XXXII; Is. XXXV, etc.
[12] Lib. Tobiae.
[13] IUDHIT. VIII, 20.
[14] IOB. I.
[15] Is. VI.
[16] DAN. III, 49
[17] Ibid. VI, 22.
[18] Ibid. XIV.
[19] Ibid. IX.
[20] Ibid. X.
[21] Ibid. XII.
[22] ZACH. I, sqq.

ut bonum Angelum sibi, ut olim sub Ezechia contra Sennacherib, in auxilium mittat [1].

2) *Didactica* [2] testimonia habentur *a*) maxime in psalmis, praecipue in ps. XC, de quo fusior sermo recurret, ubi de Angelorum officiis erga homines loquendum erit. - Huc quoque spectant verba Dei ad populum electum: « Ecce, ego mittam « Angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via, et « introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi « vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet « cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris « vocem eius, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero ini- « micis tuis, et affligam affligentes te, praecedatque te Angelus « meus » [3]. - Nec minoris momenti didactici sunt verba quae Angelus comes Tobiae protulit antequam ad superna se reciperet: « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, « et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas « per diem in domo tua et nocte sepeliebas eos, ego obtuli « orationem tuam Domino... Ego sum Raphaël Angelus, unus « ex septem, qui astamus ante Dominum, etc. » [4], de quibus verbis alibi prolixior sermo redibit. - Adde ex psalmis verba de homine, praecipue de hominis Filio dicta: « Minuisti eum « paulo minus ab Angelis » [5]; necnon exhortationem ad adorandum Christum: « Adorate eum omnes Angeli eius » [6]; et haec de Angelorum ministerio: « Qui facis Angelos tuos spiritus » [7]. - Adde invocationes: « Benedicite Domino omnes « Angeli eius » [9]; « in conspectu Angelorum psallam tibi » [8]; « laudate eum omnes Angeli eius » [10]. - Et in cantico trium

[1] II Machab. xi, 7. Heliodorus ab Angelis videtur fuisse verberibus caesus et ex aerario templi expulsus (Ibid. iii).

[2] Hanc partitionem noli ita intelligere, ac si facta non essent quoque didactica. Quodsi ex praecitatis locis unus alterve referendus est ad factum non quidem vere historicum sed ab hagiographo ut historice fictum, haec fictio tunc magis redundaret in doctrinam, utpote a qua directius orta.

[3] Exod. xxiii, 20, sqq.

[4] Tob. xii, 12, 15, sqq.

[5] Ps. viii, 6.

[6] Ps. xcvi, 7.

[7] Ps. ciii, 4.

[8] Ps. cii, 20.

[9] Ps. cxxxvii, 1.

[10] Ps. cxlviii, 2.

puerorum: « Benedicite Angeli Domini Domino » [1]. - Imo quoties Deus vocatur « Dominus exercituum », toties existentia agminis angelici praedicatur.

B) Porro in *Novo Testamento* pariter prostant testimonia historica et didactica. 1) *Historica* respiciunt vel ipsius historiam Christi, vel Ecclesiae nascentis. - *a*) Christum praedicit Angelus praenuntians Zachariae nativitatem Ioannis [2]; - Incarnationis mysterii praeco est Gabriel [3]; - Angelus angustiatum Iosephum virginei conceptus reddit certiorem [4]; - natum Christum Angeli ad pastores proclamant [5]; - in somno Iosephum de Herodis insidiis Angelus monet [6]; - Christo in deserto de Satana victori famemque patienti subministrant Angeli [7]; - daemones in fugam vertit; - Angelus aquis piscinae Bethsaidae salutiferam virtutem tribuit [8]; - in Christi resurrectione Angeli lapidem removent, sepulchro insident, mulieresque de completo mysterio instruunt [9]; - ad caelum ascendentem Iesum Angeli annuntiant iterum inde reversurum [10]. - *b*) Domini Angelus Apostolos e carcere liberat [11]; - Angelus Domini monet Philippum ut se adiungat currui, quo vehebatur reginae Candacis eunuchus [12]; - Angelus Domini Cornelium instruit de adeundo Petro [13]; - Petrus ab Angelo de carcere noctu educitur [14]; - Ioannes in Apocalypsi multiplici visione Angelos cernit [15], luctamque describit inter Angelos malos et bonos [16].

2) *Didactica* continent verba sive Christi sive Apostolorum quibus Angelorum existentia vel ministeria affirmantur aut describuntur.

[1] Dan. iii, 58.
[2] Luc. i.
[3] Ibid. 26, sqq.
[4] Matth. i, 20, sqq.
[5] Luc. iv.
[6] Matth. ii, 19,
[7] Matth. ii, sqq.
[8] Ioann. v, 4.
[9] Matth. xxviii.
[10] Act. i, 10, sqq.
[11] Act. v, 19.
[12] Ibid. viii, 26.
[13] Ibid. x, 3, sqq.
[14] Ibid. xii.
[15] Passim.
[16] Ibid. xii.

a) Christus non semel in parabolis loquitur de Angelis, v. gr.: « Messores autem Angeli sunt », etc. [1]; - describit ministerium discretionis ab Angelis ultimo die complendum [2]; - dicit se venturum « in gloria Patris sui cum angelis suis » [3]; - gravissimas poenas illis minatur, qui scandalo fuerint parvulis, « quia Angeli eorum in caelis semper vident faciem « Patris mei, qui in caelis est » [4]; - affirmat laetitiam quam peccatorum conversio affert Angelis in caelo [5]; - Sadducaeorum difficultatem solvit ex eo quod « in resurrectione « neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei « in caelo » [6]; - diem ultimum dicit absconditum ipsis Angelis [7]; - passionem inchoaturus protestatur posse se rogare Patrem, « et exhibebit modo plus quam duodecim legiones « Angelorum » [8].

Hoc de spiritibus bonis. De malis autem, praeter ultimam petitionem orationis Dominicae: « Sed libera nos a malo » [9], quae utique de diabolo intelligi potest; habes verba in damnatos proferenda, de igne parato diabolo et angelis eius [10]; habes parabolas de seminante [11], de forti armato [12] et de zizania [13]; habes protestationem Christi de sua innocentia: « Venit « enim princeps huius mundi, et in me non habet quid- « quam » [14]; habes praedictionem de Satana fidem Apostolorum impugnaturo [15]; habes promissionem factam discipulis: « daemonia eiicient » [16]; « portae inferi non praevalebunt » [17].

b) E doctrina Apostolorum eminet expositio S. Pauli, ubi exhibetur Christus, utpote verus Dei Filius, « tanto melior

[1] MATTH. XIII, 39.
[2] Ibid. XIII, 49; XXIV, 31; XXV.
[3] Ibid. XVI, 27; cf. XXV, 31.
[4] Ibid. XVIII, 10.
[5] IOANN. VIII, 44.
[6] Ibid. XXII, 30.
[7] Ibid. XXIV, 36.
[8] Ibid. XXVI, 53. Hic manifeste habemus conceptum Domini exercituum.
[9] MATTH. XVI, 13.
[10] Ibid. XXV, 41.
[11] Ibid. XIII, 19.
[12] LUC. XI.
[13] MATTH. XIII.
[14] IOANN. XIV, 30.
[15] LUC. XX, 31.
[16] MARC. XVI, 17.
[17] MATTH. XVI, 18.

« Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haere-
« ditavit » [1]; adde quae habet in laude charitatis de lingua hominum et Angelorum [2]; necnon partiales enumerationes graduum hierarchiae angelicae [3]. Et: « In ipso (Filio) condita « sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invibilia, sive « Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: « omnia per ipsum et in ipso creata sunt » [4]. Adde textus quibus S. Paulus et S. Petrus exaltationem Christi describunt super omnes choros Angelorum [5]. - Ex Apostolorum Actibus notanda descriptio haeresis Sadducaeorum: « Sadducaei enim « dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque « spiritum » [6]. - In Apocalypsi autem tum laudis tum iudicii ministerium Angelorum multifariam describitur: « Et vidi « et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, « et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia « millium » [7]; « et vidi septem Angelos stantes in conspectu « Dei: et datae sunt illis septem tubae » [8].

De spiritibus malis haec tria testimonia adduxisse sufficiat. Imprimis verba Petri: « Adversarius vester diabolus « tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret » [9]; - necnon illa Ioannis: « Qui facit peccatum, ex diabolo est: « quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei « ut dissolvat opera diaboli » [10]; - pariter et Pauli: « Non est « nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed ad- « versus principes et potestates, adversus mundi rectores « tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caele- « stibus » [11].

Porro ex his omnibus apparet, vix dari veritatem abundantius expressam in Scripturis quam existentiam Angelorum. Licet enim in sacris paginis angelus in multiplici significa-

[1] Hebr. i et ii.
[2] I Cor. xiii, 1.
[3] Rom. viii, 38; Coloss. i, 16.
[4] Coloss. i, 16.
[5] Ephes. i, 20, 21; I Petr. iii, 22.
[6] Act. xxiii, 8.
[7] Apoc. v, 12.
[8] Ibid. viii, 2.
[9] I Petr. v, 8.
[10] I Ioann. iii, cf. 10.
[11] Ephes. vi, 12.

tione occurrat: pro theophania [1], pro spiritibus puris, pro Messia [2], pro Praecursore [3], pro episcopis [4], pro viro altiore munere fungente [5], tamen in locis superius citatis, - si demas quosdam, in quibus prima quoque significatio admitti potest, - sumitur manifeste in significatione secunda. Imo prima secundam continet, si theophania intelligitur per ministerium angelicum completa.

II. *Liturgia* pariter dogma existentiae Angelorum ubertim illustrat. Praeter recentiora festa sanctorum Archangelorum [6], et Angelorum omnium Custodum: in praefatione Missae necnon in hymno *Te Deum* inducuntur Angeli trisagion iugi laude canentes. Post consecrationem sacerdos orat: « Iube « haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare « tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae » [7]. In multis orationibus liturgicis sermo est de Angelis. Ut pauca tangam: in capite *Confiteor*, post B. Mariam Virginem, imploratur beatus Michaël Archangelus; - in commendatione animae post invocatam SS. Trinitatem Ecclesia orat: « Proficiscere, anima « christiana, de hoc mundo, in nomine Angelorum et Archan- « gelorum, in nomine Thronorum et Dominationum, in nomine « Principatuum et Potestatum, in nomine Cherubim et Sera- « phim »; - in exequiis optat defuncto: « In paradisum dedu- « cant te Angeli »; - diem quemque claudit orando ut in domo « Angeli sancti in ea habitent, qui eam in pace custodiant ». Adde exorcismorum orationes, quae passim loquuntur de daemonum imperio in creaturas saeviente.

Nec minus eloquens est in proclamanda existentia Angelorum liturgia Orientalis. Ut me limitem ad orationes Missae iuxta liturgiam, quae nomen habet a S. Ioanne Chrysostomo [8], oratio Ingressus Sancti Evangelii ita sonat [9]: « Do-

[1] Ita certo in oratione Sancti Stephani. Act. vii, 30.

[2] Malach. iii, 1.

[3] Matth. xi, 10; Malach. iii, 1.

[4] Apoc. ii.

[5] II Reg. xix, 27.

[6] Excipe festum S. Michaelis, quod est longe antiquius.

[7] Nisi hic Angelus Dei intelligatur Spiritus Sanctus.

[8] Translatio desumitur ex *Euchologio* seu *Rituali Graecorum*, auctore Goar, Ord. Praedic. — Lutetiae M.DC.XLVII.

[9] P. 67.

« minator Domine Deus noster, qui in caelis ordines et exer-
« citus Angelorum et Archangelorum in ministerium gloriae
« tuae constituisti: fac ut una cum introitu nostro sit etiam
« sanctorum Angelorum introitus simul nobiscum ministran-
« tium et bonitatem tuam glorificantium. Quoniam te decet
« omnis gloria ». Oratio Trisagii [1] haec habet: « Deus Sancte,
« qui in Sanctis requiescis, qui ter sancta voce a Seraphim
« laudaris et celebraris, et a Cherubim glorificaris et ab omni
« caeli potestate adoraris, qui e nihilo ad esse cuncta addu-
« xisti.... etc. ». - In fine Praefationis canitur [2]: « Agimus
« tibi gratias etiam pro hoc sacro ministerio, quod ex mani-
« bus nostris suscipere dignatus es: etsi tibi adsistant millia
« Archangelorum et myriades Angelorum, Cherubim et Sera-
« phim, sex alas et multos oculos habentes, sublimes et alti,
« qui victorialem (triumphantem) [3] hymnum canunt, clamant,
« vociferant et dicunt: Sanctus, Sanctus, etc. ». - Deinde haud
semel in litaniis cantatur a Diacono: « Angelum pacis, fide-
« lem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum,
« a Domino petamus » [4].

Verbo: sicut Scriptura, ita Liturgia dogmate existentiae spirituum caelestium veluti conspergitur.

III. Porro *Ecclesiae auctoritas* pluries hanc veritatem comprobavit et vindicavit. Praeter symbola fidei, in quibus Deus celebratur Creator visibilium et invisibilium « ὁρατῶν τε πάν-
« των καὶ ἀοράτων », sunt testimonia in quibus oeconomia creationis magis illustratur. Huc faciunt verba Concilii Lateran. IV:
« Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et
« corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul [5] ab initio
« temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritua-
« lem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac
« deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore
« constitutam » [6]. Quae verba, uti superius vidimus, Concilium

[1] P. 68.
[2] P. 76.
[3] Haec vox deest in textu latino Goarii.
[4] P. 74.
[5] De vi dogmatica huius *simul*, infra dicemus.
[6] DENZINGER, (op. cit. n. 355) — Cf. Symbolum confessionis fidei Michaëlis Palaeologi, et Concilii Florentini.

Vaticanum reassumpsit [1]. Quod idem Concilium ordinis angelici existentiam a Deo creati affirmat. « Si quis non confi- « teatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et « spirituales et materiales, secundum totam suam substan- « tiam a Deo ex nihilo esse productas: a. s. » [2]. Plura alia continentur de Angelis in canonibus, qui passim citantur uti a Concilio V contra Origenem, - quidquid sit de eorum authentia, - quae utilius alibi data opportunitate afferentur [3].

Quum tam certa sit inter Catholicos existentia Angelorum, Catechismus Romanus absque ulla dubitatione affirmat: « Praeterea spiritualem naturam, innumerabilesque Angelos, « qui Deo ministrarent atque assisterent, ipse ex nihilo crea- « vit, quos deinde admirabili gratiae suae, et potestatis mu- « nere auxit, atque ornavit » [4]. Unde nullus unquam christianus scriptor existentiam Angelorum negavit. Quae negatio apud modernos iam frequens, non ultimum est decrescentis fidei indicium. - Cf. dicenda in Appendice.

IV. *Patrum* testimonia hic multiplicare, supervacaneum est. Unanimi enim consensu scriptores ecclesiastici, uti S. Iustinus, Tatianus, Athenagoras, S. Irenaeus, Eusebius, S. Cyrillus Hieros., S. Ambrosius, S. Hilarius, existentiam Angelorum vel diserte affirmant, vel ita supponunt certam, ut de ea nullum dubium inter Christianos moveri possit [5]. Sufficiat ergo solemne heic afferre testimonium S. Augustini: « Angelos « novimus ex fide; et multis apparuisse scriptum legimus « nec inde dubitare fas nobis est » [6]; necnon illud S. Gregorii Magni: « Angelos et Archangelos penes omnes sacri elo- « quii paginae testantur » [7].

In Corpore. Doctrinam hic a S. Thoma expositam sequenti schemate tene.

[1] Ibid. 1632.

[2] Ibid. 1652.

[3] Cf. canonem Concilii Bracarensis (ann. 563): « Si quis animas humanas, vel « Angelos, ex Deo credit substantia exstitisse, sicut Manichaeus et Priscillianus « docuerunt: a. s. ».

[4] P. I, c. 2, n. 17.

[5] Cf. loca quaedam allata apud Schwetz (*Theol. Dogm.* I, p. 406).

[6] In Ps. 103, serm. I, n. 15.

[7] Homil. 34 in Evang.

Dari creaturam incorpoream,
- 1) docet *fides:*
  - *a)* per aperta testimonia Scripturae,
  - *b)* per declarationes Ecclesiae.
- 2) suadet *ratio:*
  - *a)* decet, dari creaturas quae auctorem suum Deum repraesentent secundum idipsum quo creat, id est, per intellectum et voluntatem;
  - *b)* decet, dari talem creaturam mere spiritualem, veluti mediam inter Deum et hominem.
- 3) negat *error* Sadducaeorum et Materialistarum:
  - *a)* quia isti omnia limitant ad sensu percepta;
  - *b)* nec superioritatem spiritus super sensibilia percipiunt.

De prima et tertia parte huius argumentationis iam satis diximus in praenotamine et in *Sed contra est.* Secundae parti adhuc parumper est immorandum. Argumentatio hic a S. Thoma adducta supponit evidenter, Angelos esse hominibus natura superiores. Et sane, uti ait S. Augustinus, « angelica creatura omnia caetera, quae Deus condidit, naturae « dignitate praecedit » [1]. Tales passim in Scripturis Angeli apparent, uti medii et mediatores inter Deum et homines. Unde S. Paulus, exaltans supremam gloriam Christi, describit eum a Deo ad dexteram suam in caelestibus constitutum: « super omnem Principatum et Potestatem, et Virtutem et « Dominationem, et omne quod nominatur non solum in hoc « saeculo, sed etiam in futuro » [2]. Unde Christus, perfectiorem conditionem hominum in vita futura affirmans, ait: « erunt sicut Angeli Dei in caelo » [3]; et S. Paulus, arguens a fortiori, ait: « Licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit » [4].

Quae excelsior dignitas naturae angelicae prae humana expresse exhibetur in verbis Concilii Lateranensis superius allatis. Pulchre S. Augustinus scalam entium « naturae ordine »

[1] *De Civ. Dei,* l. XI, c. 15.

[2] EPHES. I, 21. — Cf. I PETR. III, 22.

[3] MATTH. XXII, 30.

[4] GAL. I, 8. — Cf. illud: « Si lingua hominum et Angelorum », in qua sententia eadem gradatio reperitur (I. COR. XIII, 1).

ita percurrit: « In his quae quoquo modo sunt, et non sunt « quae Deus est, a quo facta sunt, praeponuntur viventia non « viventibus; sicut ea quae habent vim gignendi vel etiam « appetendi, his quae isto motu carent. Et in his quae vivunt, « praeponuntur sentientia non sentientibus, sicut arboribus « animalia. Et in his quae sentiunt, praeponuntur intelligentia » non intelligentibus, sicut homines pecoribus. Et in his quae « intelligunt, praeponuntur immortalia mortalibus: sicut An- « geli hominibus » [1]. Fundamentum autem huius immortalitatis quoad totum, est ipsa spiritualitas nulli admixta materiae, uti ostendetur pressius in articulo sequenti.

Geminae autem rationi convenientiae a parte ipsorum Angelorum hic a S. Thoma allatae addi potest ratio potius desumpta a parte Dei. Decet, scilicet, ut Deus sese hominibus communicans, utatur entibus superioribus, utpote legatis, quorum ministerio maiestas supremi Domini magis elucescat [2].

Vix operae pretium est monere, rationes in hac secunda parte argumenti expositas, non esse cogentes, sed suasivas. Unde cum moderamine intelligenda sunt, quae scribit S. Bonaventura [3]: « Deus non tantum substantiam a se longinquam, « scilicet naturam corpoream producere debuit, verum etiam « propinquam, et haec est substantia intellectualis et incor- « porea » [4]. Caeterum, in ordine mere naturali, possunt quidem alia esse minus magisque a Deo remota; propinquum autem Deo nihil creatum esse potest. Hoc praestat elevatio ad ordinem supernaturalem.

A fortiori depellenda est necessitas creationis angelicae falsa argumentatione suffulta. Ita Güntheriani Angelorum creationem necessariam esse contendebant, quod, quum mundus sit imago Dei inversa, vita autem divina sit immanens

[1] *De Civ. Dei*, l. XI, c. 16.

[2] Cf. SUAREZ (*De Ang.* l. I, c. 2, n. 4).

[3] Idem dic de modo loquendi quorumdam recentiorum scriptorum catholicorum. Ita Hettinger ait: « Der Glaube an die Geisterwelt ruht auf der Offenbarung als « seinem eigentlichen Grunde; aber auch vor dem tieferen Denker muss er sich als « das Postulat einer vernünftigen Gottes-und Weltbetrachtung bewähren ». Et pergit urgendo rationem inde petitam, quod imago Dei per creationem intenta, nonnisi in spiritibus puris vere elucescit. (*Apol.* t. II, p. 1, p. 174, sqq.).

[4] *Brevil.* II, 6.

cum emanatione, oporteat dari creaturam, cuius vita sit immanens sine emanatione, qui sunt Angeli.

Resp. ad 1m. Ratio hic exposita non parum contulit ad illas expressiones minus cautas, quibus interdum usi sunt Patres loquentes de Angelis, uti in dissertatione articulo sequenti adnexa apparet. Quum enim ibi quaeratur de rigore spiritualis seu incorporeae naturae Angelorum, omnem subtiliorem expositionem ad hunc articulum remittimus.

Corollarium I. - Ex dictis in hoc articulo, vides antiquissimam et distinctam cognitionem Angelorum, qua populus electus pollebat prae aliis gentibus, nullatenus esse derivandam a superstitionibus ethnici polytheismi; sed e converso, hanc veritatem veluti patrimonium antiquissimum, cum primaeva traditione connexum, in populo Israëlitico fuisse vel iugiter servatum, vel saltem primaevae puritati provide restitutum; dum superstitiones ethnicae non sunt nisi eiusdem veritatis deturpatio, quemadmodum ipse Polytheismus corruptio dicendus est primordialis Monotheismi.

Valde enim interest inter fabulas confusas, imo absurdas ethnicorum, et doctrinam tam nitidam, tam rationalem Israëliticae et Christianae religionis de Angelis bonis et malis. Unde a vestigiis primaevae revelationis deducendae sunt traditiones vario modo deformatae, quae apud plures populos, uti Persas, Germanos, Graecos, Agyptios de spirituum existentia servabantur. Et sane non modo apud poëtas fictiones huiusmodi, sed apud philosophos [1] de hoc argumento disquisitiones reperiuntur [2].

Corollarium II. - Ex rationibus, quas praeter Scripturarum et Ecclesiae auctoritatem attulimus ad existentiam Angelorum suadendam, apparet gratuitum esse et leve, quod Materialistae ad eamdem inficiandum absolute proferunt. Equidem concedendum est, has rationes maximam suam vim derivare ab existentia Dei auctoris universi. Sed, nec hac existentia reiecta, sequitur materialistam cum certitudine concludere iure contra existentiam Angelorum. Nam quum ex hypothesi sint puri spiritus, quomodo, quaeso, posset

[1] Cfr. Aristot. (*Metaph.* v, 8), Plato (*Phaed.*), Plutarchus (*De defect. orac.*).
[2] Cfr. Augustinus (*De Civit. Dei,* l. ix), Lactantius (*Istit. div.* l, ii, 15).

ista hypothesis absolute reiici, nisi per petitionem principii? Dicant tales, totum qui cernitur mundus, constare materia; dicant insuper, si hoc ipsis arrideat, hominem carere principio spirituali et non esse nisi materiam felicius conflatam. At de existentia spirituum praeter hunc mundum visibilem, si philosophice agere velint, ignorantiam fateantur; aut ad summum nonnisi cum dubio loquantur oportet. Quam legem logici processus offendit Hobbes, quando proclamat: « non « dari substantias incorporeas, et angelos esse phantasmata, « quae videantur, et non sint, qualia in speculis vel somniis, « vel etiam aliquando per cerebri intemperiem vigilantibus « observentur » [1].

Quando vero Fred. Strauss existentiam Angelorum inde negat, quod in systemate Coperniciano nullus eis locus superest [2], deridendus est sane, nec dignus cui respondeatur. Bene Hettinger: « Gott ist Geist, darum ist er *über* der Welt, « aber ebenso auch *in* der Welt, und es steht daher nicht « zu befürchten, dass er mit den Schaaren seiner Engel « keinen Platz mehr finde im Universum » [3].

Corollarium III. - Licet humana ratio sibi relicta non valeat existentiam Angelorum stricte demonstrare, nihilominus, eadem existentia Scripturis certo cognita, legitime ratio infert, maiorem in divino consilio partem tenere creaturam spiritualem quam materialem. Illa enim potuisset existere sola, non ista. De homine tamen dubium moveri potest, idque duplici ex causa: tum quia habet in se ut sit synthesis universi, tum quia aeterno consilio Verbum Dei humanam erat naturam assumpturus.

Corollarium IV. - Licet ratio per se non possit demonstrare existentiam Angelorum, potest tamen eorum possibilitatem vindicare, idque non solum negative, depellendo rationes quae in oppositum proferuntur, sed et positive, ex inspecta scilicet indole animae humanae. Etenim ratione demonstrari potest, animam humanam non perire corpore pereunte, sed, licet separatam, vitam agere immortalem. Iam vero, si substantia

[1] Praeiudicia scholae rationalisticae nuper nervose corripuit Cl. Palmieri S. I. in aureo sane libro: « *Se e come i Sinottici ci dànno Gesù Cristo per Dio* ». p. 89, sqq.

[2] *Glaubenslehre* (I, p. 671).

[3] *Apol.* t. II; par. I, p. 181.

spiritualis imperfecta potest existere sine materia, cuius est forma et ad quam servat relationem formalem, a fortiori sine materia existere potest substantia spiritualis perfecta, ab omni cum materia connubio libera.

Quaestio. - At, repones, existentia Angelorum saltem demonstrari potest ex eorum operationibus. - Non nimis facile id est concedendum [1]. Alia operatio per se, alia operatio coniuncta cum apparitione sensibili et cum testimonio. Si operatio consideratur per se, non potest cum certitudine conducere ad existentiam Angelorum demonstrandam. Nam si operatio talis est, quae probet principium bonum, id principium potest esse ipse Deus, aut anima sancta; si autem est talis, quae malum principium involvit, potest istud principium esse anima damnata. Nisi operatio certo excedat virtutem animae separatae, sive sanctae sive malae. Sed criterium ad hanc virtutem delimitandam non de facili sternitur.

Porro si operatio est coniuncta cum apparitione sensibili, et cum declaratione, argumentum est, si constet hanc operationem non esse nisi a principio bono; tale enim mentiri nequit. At si non constet de principii indole, certitudo minor est. Sicut enim diabolus potest induere angelum lucis, ita et potest Angeli lucis verba usurpare. Conclude, facilius constare posse manifestationem spiritus mali, quam boni, quum spiritus bonus nequeat fingere spiritum malum, dum spiritus malus in huiusmodi fallaciis delectetur [2], ac proin effectus exsuperans virtutem animae separatae cum testimonio de principio malo effectus auctore, non potest esse nisi a principio malo, dum testimonium de principio bono potest esse a spiritu malo.

Quare Scripturarum auctoritas aut Ecclesiae iudicium requiritur ut ex operationibus ad existentiam spirituum sive bonorum sive malorum absque ullo dubio concludatur [3].

Corollarium V. - Contra existentiam Angelorum nullum inde confici potest argumentum, quod in ipso initio Gene-

[1] Cf. de hoc Billuart (*De Aug.* Diss. I, a. 1).

[2] Inde una ex rationibus ob quas Ecclesia nonnisi sacerdotibus concedit, ut potestate utantur depellendi daemones, idque solum de expressa licentia Episcopi.

[3] Cf. Heinrich (*Dogmatik.* v, 528, sqq.).

seos de eorum creatione nullus sit sermo. Nam *a*) non constat certo, Angelos non contineri sub verbo « caeli », quod narratur in principio creatum. Imo non desunt Patres qui existiment, Angelos quoque sub hac appellatione comprehendi [1]. - *b*) Scopus Moysis erat ostendere originem universi visibilis; unde non tenebatur expresse loqui de creatione Angelorum. - *c*) Angeli exhibentur in Scripturis tanquam creaturae Dei; et in ipso paradiso sub specie serpentis apparet angelus malus; ergo dicendum est, iuxta ipsam Scripturam, angelos ab initio fuisse creatos. De qua creatione infra expressior habebitur sermo.

Nec valet effugium illorum qui dicunt, Iudaeos doctrinam Angelorum ab ethnicis populis tempore exilii derivasse, eamque post exilium in sua scripta sacra induxisse. Nam *a*) doctrina Iudaeorum de Angelis est valde diversa a doctrina illorum populorum apud quos exules degerunt. - *b*) Haec doctrina iam habetur eadem in libris exilio vetustioribus [2]. - *c*) Christus et Apostoli hanc doctrinam confirmarunt. Iam vero indignum est dicere de Christo, quod errori se accommodarit; aut de Apostolis, quod ignoranter errorem propagarint.

Quaeres. – Quomodo, si Angeli quoad perfectionem sunt medii inter Deum et hominem, potuit dicere S. Augustinus: « Inter omnia creata animam esse Deo propinquissimam » [3], « nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus? » [4].

Resp. a) Quum aliunde abundantissime constet, S. Augustinum existentiam Angelorum et excellentiam praedicasse, nequit S. Doctor sibi in re tam aperta contradixisse. - *b*) In praedictis locis S. Doctor considerat in anima dignitatem spiritualem, quin attendat ad duplicem gradum spiritualitatis, animae et Angeli. - *c*) Ne autem posset haec doctrina perperam intelligi, ipse se retractavit his verbis: « Quod « dixi: quod est omni anima melius, id Deum dicimus [5], « magis dici debuit: omni creato spiritu melius » [6].

[1] Cf. Lombardum (II *Sent.* Dist. ii).
[2] Gen. iii, 24; xvi, 7, sqq.; xviii, xix; Exod. xxiii, 20, sqq.
[3] *De quant. animae,* c. 4.
[4] Q. liv inter QQ. lxxxiii. — *P. L.* xl, 38.
[5] In eadem Q. liv paulo superius.
[6] I *Retract.* c. 25.

Corollarium VI. - Quum nomen Angeli non sit nisi nomen ministerii, mirum non est, aliis quoque nominibus Angelos in Scripturis decorari. Ita praeter appellationem *Spiritus,* vocantur *Sancti:* « Dominus de Sina venit et de Seir ortus « est nobis: apparuit in monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia » [1]; - vocantur *Filii Dei:* « Quodam autem die, cum « venissent Filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter « eos etiam Satan » [2]; - vocantur et *Elohim:* « Minuisti eum « paulo minus ab Angelis מְאֱלֹהִים » [3].

APPENDIX.

Antequam penitius Angelorum naturam perscrutemur, placet ostendere, quibus praeconceptis iudiciis theologi protestantes in rationalismum proclivi sese quoad Angelorum existentiam a disertissimis Christi testimoniis excipiunt. Ne latius excurram, unum scriptorem adducam apud suos eruditionis fama bene notum, Georgium Barker Stevens, in Universitate Yalensi theologiae lectorem. In opere cui titulus « *The theology of the New Testament* » [4] per caput integrum tractat de doctrina Novi Testamenti circa bonos et malos spiritus: « *Good and evil spirits* » [5]. In exordio auctor dubia iniicit circa ea, quae in sermonibus Iesu connexionem habent cum scientiis sive historicis sive naturalibus, utpote non pertinentia ad missionem eius Messianicam [6]; unde in his omnibus sese Christus simpliciter accommodavit ideis tunc tempore apud auditores suos receptis [7].

Quid igitur de Angelis? Debentne verba Iesu de Angelis admitti uti sonant, aut explicari per accommodationem iuxta angelologiam a Iudaeis tunc passim agnitam?

[1] Deut. xxxiii, 2. — Cf. Ps. lxvii, 18.

[2] Iob. i, 6: — cf. Ibid. xxxviii. 7. — De filiis Dei, quorum meminit Gen. vi, 2, in articulo seguenti agetur.

[3] Ps. viii, 6; — cf. Ps. xcvii, 7. — De ratione huius appellationis Cf. Petavium (Op. cit. cap. 1).

[4] Edinburgh. T. and T. Clark, 38 George street 1901.

[5] Pag. 76, sqq.

[6] « Whould it have been consistent with his Messianic vocation for him to have « assumed the *rôle* of an expert of literary or historical criticism, any more than « in astronomy or physics? » (p. 76).

[7] Pag. 78.

Ante omnia monet Barker Stevens, Iesum non tam saepe locutum esse de Angelis, quam Iudaeos recentioris aetatis, quos sane durius tractat [1]. Quod existimo falsissime dictum: nam, si numerum attendis orationum Iesu, quas scriptores sacri nobis servarunt, dicendum est potius, saepissime Iesum de Angelis esse locutum.

« Nihilominus, prosequitur auctor, in nonnullis locis modus, « quo de Angelis loquitur, videtur ostendere, eum in veram « illorum existentiam credidisse » [2]. Sed, si huic theologo credas, haec conclusio esset praecipitata ac parum scientifica. Nam « pleraeque ex his locutionibus, in quibus Angelorum « fit mentio, sine ulla violentia possunt symbolice intelligi » [3]. Ita, v. gr., iuxta Barker Stevens, quando Iesus, passionem libere inchoaturus, provocat ad duodecim legiones Angelorum, quos in suum auxilium, si vellet, a Patre impetrare posset [4], sensus huius sententiae satis servatur, si dicamus, Christum unice dicere voluisse, se posse, si cuperet, miraculo contra suos aggressores defendi.

Neque sensus litteralis urgendus in loco, ubi Iesus loquitur de parvulorum Angelis, qui semper vident faciem Patris [5]. Fatetur quidem auctor, - miranda concessio! - Iudaeos haec verba non potuisse aliter intelligere, quam iuxta doctrinam de custodibus Angelis tunc receptam. Ergone Iesus hanc doctrinam per sua verba probavit? Nullo modo. « I do not « believe that he meant to assert anything upon that sub- « ject » [6]. Cur? Iesus intendebat inculcare custodiam provi-

[1] « The Old Testament was filled with references to superhuman beeings and « their agency. The later Judaism greatly increased their number and functions. God « was withdrawn from the world, and angels were conceived of as the mediating « agents by which he accomplishes his purposes among men. In this particular, Jesus « did not altogether follow the thought of his time. He represented God as beeing « in living contact with the world, and as directly operative in human affairs. He « accordingly spoke less frequently of angel-mediation » (p. 80).

[2] « In several places, however, he seems to refer to Angels in such a way as « to show that he believed in their real existence » (p. 80).

[3] « It must be admitted, however, that most of our Lord's references to Angels « may be understood, without violence, in a symbolic way ». Notum est, v. gr., iuxta Beyschlag, Angelos Filium hominis in suo triumpho comitaturos, nihil aliud significare nisi radios eius maiestatis (*N. T. Theol.* I, 87)

[4] Matth. xxvi, 53.

[5] Matth. xviii, 10.

[6] Pag. 82.

dam Dei. Parum ad hoc refert, utrum Iesus hanc custodiam exhibuerit tanquam Angelis commissam, an vulgari hac opinione usus sit ad eam exprimendam.

Postquam alia testimonia eodem modo « sine violentia » interpretatus sit, auctor modeste concludit: « Doctrinam Iesu « praesupponere veram existentiam ordinis entium suprahu- « manorum et sanctorum, est valde probabile (highly pro- « bable); sed minus incidentaliter et indefinite ad illa alludit, « quam ut inde cum certo fundamento concludamus, eum « voluisse positivam quamdam doctrinam tradere de eorum « natura atque officiis. Sermo eius de ipsis, - in quantum « fontes ad iudicium nostrum sufficiunt, - erat valde discretus; « popularibus ideis de Angelis usque ad quemdam gradum « utebatur, sed semper tanquam mediis ad altiorem aliquem « finem; inde verba eius de ipsis sunt passim symbolica et « descriptiva; non inducunt in obviam interpretationem litte- « ralem, sed magis naturaliter in semi-poëtico sensu intelli- « guntur » [1].

Idem criterium mox applicans ad modum, quo Iesus loquitur de spiritibus malis, ad easdem conclusiones devenit. Postquam phaenomena diabolicae possessionis fusius consideravit, hanc sibi quaestionem ponit: « Ubi protrahetur linea « inter simplicem, naturalem et congruum usum popularium « idearum circa argumenta, quorum discussio ad eius mis- « sionem non spectabat, et didacticum eius testimonium de « eisdem ideis? ». Et paucis interiectis ait: « Iesum credidisse, « et in doctrina sua inculcasse, dari entia bona Angelos no- « mine, et mala nomine daemones et Satanam, dubium mihi « esse nequit; sed sermo eius de illis est popularis et non « didacticus, et auctoritas eius non potest adduci ad demon- « strandas ideas, quae de illis praevaluere, licet cum reve- « rentia de eis locutus sit, sicut cum reverentia loquebatur « de omnibus rebus, quae iacebant extra scopum peculiaris « suae doctrinae, iuxta modum suo tempore receptum » [2]. Et ad calcem adducit auctoritatem J. Romanes, iuxta quem Christus noluit negare theoriam suo tempore sparsam de obsessionibus diabolicis, quia secus « He whould have been

[1] Pag. 82.
[2] Pag. 90.

« giving evidence of scientific knowledge or of scientific intui-
« tion beyond the culture of his time » [1]. Et haec habentur scientifice dicta, et non potius levissime, ex praeiudiciis antiscientificis aut saltem extrascientificis, tam violenter excogitata, ut nullius hominis nisi solius Christi hac methodo verba torquere liceat!

Unde inquisitionem absolvens, Barker Stevens tritum dilemma tibi opponit: « Iesus locutus est de daemonibus expel-
« lendis sive a se sive ab aliis; iam vero vel locutus est et
« egit iuxta factum, vel sciens praestitit pondus suae aucto-
« ritatis superstitioni, quam sciebat in nullo facto fundatam ». At reponit: « Non puto nos urgeri ad tale dilemma. Sit pos-
« sessio diabolica in se factum vel superstitio, auctoritas Iesu
« nequit stricte in neutrius opinionis favorem adduci ». Et adducto exemplo ex citatione psalmi: « Ipse enim David dicit
« in Spiritu Sancto », concludit: « Iesus simpliciter loque-
« batur sicut alii de psalmis et reliquis libris quibuscumque.
« Nihil cogitabat de eorum auctoribus. Neque aliquid am-
« plius fecit de natura, officiis, sive actionibus angelorum vel
« daemonum » [2].

Haec rursus levissime sunt prolata. Et sane 1) neganda paritas de citatione psalmi, licet haec citatio a Christo facta tam gravis sit, ut, nisi aliunde certo constet, psalmum hunc non habere David auctorem, ex his verbis Iesu illi Regi tribuendus sit. - 2) Doctrina autem de Angelis non est sicut quaestio de origine alicuius cantici. Est doctrina multum conferens ad totam oeconomiam revelationis. Quare, dicere, nihil ad missionem Iesu spectasse, ut de hac doctrina aliquid affirmaret, est prorsus gratuitum, ne dicam absurdum. - 3) Modus autem quo Christus de Angelis sive bonis sive malis locutus est, non sinit ut dicamus, eum sese traditioni tunc vigenti simpliciter accommodasse. Etenim, praeterquam quod in argumento tanti momenti esset agendi ratio omnino indigna Christo, verba Iesu non sunt dumtaxat alicuius traditionem receptam non respuentis, sed didactice eam confirmantis ope sententiarum et comparationum, quae doctrinam de Angelis non solum supponunt, sed inculcant, illustrant

[1] *Thoughts on Religion.* (1895) p. 193.
[2] Pag. 91.

et complent [1]. - 4) Imo disputatio Iesu cum Sadducaeis est huiusmodi, ut comparatio, qua Iesus in fine suae responsionis utitur, per simplicem accommodationem nullo prorsus modo explicari possit.

Adde, 5) opinionem Iudaeorum de Angelis fuisse e fontibus inspiratis et e factis miraculosis haustam; et 6) ipsa verba Christi fuisse per multa facta, quae in Evangeliis narrantur, corroborata et illustrata.

Concludendum est igitur modo omnino opposito. Quae Iesus de Angelis dixit, non possunt explicari tanquam mere accommodatitie prolata: esset enim vel indigna fictio, vel indignius imo mendacium. Quare vel dicendus est Iesus circa Angelologiam gravissime errasse, vel doctrina eius de Angelis sive bonis sive malis est accipienda. Atqui Iesum in tali doctrina errasse, est omnem illi divinam auctoritatem adimere. Ergo in Iesum credenti nullum dubium superesse potest de veritate verborum, quae de Angelis protulit.

Ratio autem cur huiusmodi scriptores tantopere sunt de deprimenda vi dogmatica Christi verborum solliciti, est manifesta. Quo magis enim hanc deprimunt, eo facilius se sperant, illaesa apparenti auctoritate Iesu, a dogmatum nexu liberandos. Sed, quaeso, haecce methodus estne vere scientifica, annon potius praeiudiciis antidogmaticis praeoccupata? Utinam saltem hi tales de Scripturis taceant, et ad alia se studia conferant, si tamen alibi scripta inveniant, quae tam inauditis criteriis « sine violentia » pro libitu detorquere sinantur! [2].

[1] Cf. sententias Iesu superius citatas.

[2] Lepide, sed optime Cl. Palmieri: « Costoro se avessero senno, e fossero sinceri, « non dovrebbero pigliar in mano i Vangeli, se non pel fine, se mai loro riesca, di « confutarli: ma volerli spiegare è proprio un volersi far compatire. Eh via, parlate « chiaro: dite, che non sapete che fare di questi libri, che non sono boccone pei vostri « denti; che non li potete capire, e lasciate a quelli, presso cui Dio li ha depositati, « la cura di studiarli e interpretarli » (Op. cit. p. 95, sq.). — Quid autem dicendum de scriptoribus nomine catholicis, qui ab hac methodo rationalistica nedum abhorreant, placita sua absconse aperteve derivant? Haec scribebamus, quando Sancta Sedes publici iuris fecit condemnationem quinque librorum Alfr. Loisy: « *La Religion d'Israël* », « *L'Evangile et l'Eglise* », « *Etudes évangéliques* », « *Autour d'un petit livre* », « *Le quatrième Evangile* ». Quum in praecedentibus paginis non semel scripta huius auctoris correpta sint, liceat ob oculos lectoris ponere verba gravissima, quibus Cardinalis SS. Domino Pio X a secretis, Eminent. Archiepiscopum Parisiensem praedictae censurae certiorem reddidit: « Emo e Rmo Sig. Mio Ossmo - Per ordine del

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELUS SIT COMPOSITUS EX MATERIA ET FORMA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus in articulo praecedenti, existere creaturas invisibiles, hominibus excellentiores, quae relate ad homines nomine spirituum decorantur. De vigore iam huius nominis penitius investigandum superest. Suntne ita Angeli spiritus, ut puri spiritus proprie vocari mereantur; an dumtaxat spiritus relative, quatenus humano quidem sensu percipi nequeunt, sed tamen materiae cuidam, licet tenuissimae alligantur? En ratio praesentis articuli.

2) Dubitationem aliqualem suppeditat non solum modus loquendi nonnullorum scriptorum antiquioris aetatis Christianae, sed et inspecta Angelorum natura. De scriptoribus illis in appendice dicemus. Hic rem intrinsece perpendimus.

3) Et sane Deus est Spiritus purus. Si ergo Angeli pariter modo absoluto hanc appellationem merentur, videntur collocari in eodem genere cum Deo; imo quum Deus, uti Spiritus purus, sit actus purus et ens simplicissimum, videntur et Angeli hanc participare perfectionem, quae solius Dei est.

4) Ad difficultates istas solvendas, quaedam principia praemittenda sunt. *a*) Non magis Deus est cum Angelis in eodem genere spiritus, quia Angeli spiritus puri dicuntur, quam est in genere entis, eo quod omnia creata praedicantur entia. - *b*) Inter composita ex materia et forma atque ens simplicis-

« Santo Padre devo far conoscere all' Eminenza Vostra le misure che Sua Santità « ha deciso di prendere rispetto alle opere del Rev. Abate Alfredo Loisy. Gli errori « gravissimi che rigurgitano in quei volumi riguardano principalmente : — *La Rivelazione primitiva,* — *L'Autenticità dei fatti e degli insegnamenti evangelici,* — *La Divinità e la Scienza di Cristo,* — *La Risurrezione,* — *La Divina Istituzione della Chiesa,* — *I Sacramenti.* Il Santo Padre profondamente addolorato e tristamente « preoccupato degli effetti disastrosi che producono, e possono produrre ancora, degli « scritti di tale natura, ha voluto sottometterli all'esame del Supremo Tribunale del « S. Uffizio. Questo tribunale, dopo matura riflessione e uno studio prolungato, ha « formalmente condannato le opere dell'Abate Loisy, con un decreto del 16 corr., « decreto che il Santo Padre ha pienamente approvato nell'udienza del giorno seguente 17 corr.... » (die 19 Dec. 1903). — De Loisy nuper optime scripserunt Illmus Instituti catholici Tolosani Rector Batiffol et P. Portalié (*Bulletin de littérature ecclésiastique.* Janv. 1904, p. 27, sqq; 62, sqq.).

simum datur medium: ens scilicet compositum quidem, at alia, spirituali compositione. Qualis compositio in Angelis praedicanda sit, praeter hic dicta penitius investigabitur in QQ. LIV et LIX. Impraesentiarum cum S. Thoma solliciti sumus de semovenda compositione ex materia et forma, quae constituit corpus proprie dictum.

5) Dico proprie dictum, nam si vocem « corpus » assumis in sensu improprio, pro substantia creata qualicumque, aut pro qualicumque composito, iam poterit et in Angelis praedicari aliqualis ratio corporeitatis. Sed hic modus loquendi remotandus est, utpote antiphilosophicus et nonnisi ad gignendas confusiones aptus.

Itaque sumendum corpus in presso sensu pro substantia subiecta quantitati, cuius partes sunt extra partes, dicendum est, Angelos non esse corporeos, ac proin non ex materia et forma composita.

6) Hic autem adverte, non sufficere ut probetur, Angelos nulla ratione posse a sensibus nostris percipi: potest enim dari materia tam tenuis atque subtilis, quae sit sensili nostrae perceptioni impervia. Quare ex ista imperceptibilitate Angelorum nondum stricte ad eorum puram spiritualitatem concluditur [1]. Altius est assurgendum.

7) Porro haec spiritualitas pura demonstratur *a*) ex *auctoritate* Scripturarum et Ecclesiae, quemadmodum in *Sed contra est* ostendetur. - *b*) Ex *ratione* pariter illustratur, idque directe et indirecte. α) *Indirecte* quidem, quia nulla ratio apparet, cur angelici spiritus materia quadam permiscerentur, quum proprium sit facultatis intellectivae, ut eius operatio sit immaterialis. Homo quidem componitur ex materia et forma, at non quia est intelligens, sed quia est animal intelligens.

β) Ab hac ratione indirecta nexus ad *directam* rationem arctissimus est. Arguendo scilicet ex spiritualitate iure concluditur ad spiritualitatem puram, nisi oppositum aliunde, ut pro homine, constet.

Adde iam considerationes omnes, quibus in praecedenti articulo ostendimus, existentiam Angelorum esse summe con-

[1] Hinc duplex modus loquendi quorumdam Patrum, qui ex una parte corporeitatem inferiorem ab Angelis removent, et ab altera tenuissimam materiam ipsis assignant.

venientem. Scilicet hae rationes inde vim suam derivant, quod Angeli sunt spiritus puri, et homo, uti compositus ex materia et forma, medium locum tenet inter Angelos et creaturam corporalem. Iam vero nisi Angeli sint exempti compositione ex materia et forma, hae rationes carent omni virtute. Ergo.

Caeterum fatendum est, hic agi de re, de qua ratio sola nequit stringens argumentum conficere. Si enim incapax est demonstrandi Angelorum existentiam, quomodo valeret ad probandum eorumdem puram spiritualitatem?[1]

Obiectiones ex Scripturis movere solitas tangemus in *Sed Contra est.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso procedit, ac si ex eo quod in compositis ex materia et forma materia consideratur ut genus et forma ut differentia, quidquid continetur sub genere, esset compositum ex materia et forma. Iam vero ista conclusio est falsa. Ratio enim ob quam genus sumitur ex materia et species ex forma, non est quia materia est materia et forma est forma, sed quia materia est determinatum et forma determinans. Iam vero determinatum et determinans possunt apprehendi in re non composita ex materia et forma, considerando in illa re non aliud et aliud, sed unum et idem iuxta duplicem respectum. Ita Angelus, quatenus apprehenditur minus determinate ut aliquid subsistens, est in genere substantiae; quatenus determinatius apprehenditur ut spiritus, est in specie angelica.

2. Obi. Confundit duplicem sensum valde diversum subiecti, secundum quod dicitur de materia et de principio intellectuali. Hoc tamen verum est, quod substantia omnino simplex neque formam intellectualem recipere potest. Unde in Deo τὸ intelligere est τὸ esse. In Angelo autem datur composito inter τὸ esse et τὸ intelligere; sed haec compositio non involvit compositionem ex materia et forma; involvit tamen

[1] Optime BECKER: « Die Vernunft kann im Voraus hierfür keinen strengen Beweis « beibringen, sondern nur die Möglichkeit zeigen und für die Wirklichkeit die Con- « gruenzgründe wiederholen, welche für die Existenz der Engel angeführt werden ». (Art. *Engel. Kichenlex. Hergenr.-Kaulen,* t. IV. col. 509).

exclusionem actus puri, et radicaliter reducitur ad compositionem ex *quo est* et *quod est* [1].

3. Obi. Iam solvitur ex praedictis. Recte procederet obiectio, si composita ex materia et forma non essent composita, nisi ob haec duo elementa. Sed hoc est falsum. Sunt etiam (praeter compositionem ex essentia et facultatibus, ex facultatibus et actibus) composita ex *quo est* et *quod est* [2]. Quare licet in Angelis non adsit compositio prima, adest tamen altera.

4. Obi. Solutio praecedentis obiectionis et istam solvit. Etenim compositio inter *quo est* et *quod est* ostendit quomodo in Angelis, etsi non habetur illa limitatio, quam materia per se infinita recipit a forma, quam et ipsa limitat; nihilominus datur limitatio τοῦ esse ad formam, quae tamen forma ad nullum subiectum contrahitur. Habemus ergo utrimque illimitationem et limitationem. In compositis ex materia et forma, illimitationem ex parte materiae nondum informatae, limitationem formae ad materiam et materiae per formam; in Angelis illimitationem a parte formae non receptae, limitationem a parte formae in semetipsa et τοῦ esse ad formam.

Sed Contra est. Angelos non esse compositos ex materia et forma, demonstrari potest ex Scripturis, ex auctoritate Ecclesiae, ex traditione Patrum et theologorum.

I. Ex *Scripturis* demonstratur indirecte et directe: 1) *Indirecte*, quia nusquam Angeli appellantur nominibus, quae hanc

[1] Hoc non dictum sit, quasi non posset negari realis distinctio inter *quo est* et *quod est,* quin ponatur actus purus; sed qui tenet hanc realem distinctionem inter esse et essentiam, iure ponit hanc distinctionem tanquam fundamentum compositionis, quae nequit ab ulla creatura abesse.

[2] De distinctione inter essentiam *(quod est)* et existentiam *(quo est)* cf. Cl. Gredt *(Elementa philosophiae Aristotelico-Thomisticae* I, *Ontologia* th. III, p. 177). — Cf. quae alibi de hac distinctione diximus, ubi de simplicitate Dei locuti sumus (T. I, *De Deo Uno* p. 197) et de unitate Christi (T. III, IV, *De Deo-Homine* p. 628, sq.). In hoc altero loco disserentes de varia acceptione, qua sumi potest formula *quo est* et *quod est,* affirmavimus quidem, usum huius formulae aliter et aliter in S. Thoma occurrere. At quotiescumque S. Thomas τὸ esse et substantiam ad invicem confert, τὸ *quo* est τὸ esse, seu τὸ existere; τὸ *quod* est substantia existens. Caeteroquin ad argumentum ibi discussum haec terminologia parum infert.

Et sane in Incarnationis mysterio, si naturam humanam considero tanquam veluti formam, per quam Verbum est homo, dicere possum, naturam humanam esse id *quo* Verbum *(quod)* est homo. Sed si in ipso Homine-Deo considero personae unitatem, et hanc repeto a τῷ esse Verbi, per quod natura humana Christi habet suam subsistentiam, tunc Verbi esse est id *quo est,* natura humana Verbi id *quod est.*

compositionem involvunt, nec describuntur modo, qui eam supposit.

2) *Directe, a*) quia vocantur spiritus per excellentiam: « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium « missi eorum, qui haereditatem capient salutis? » [1], et simpliciter dicuntur « invisibilia » [2]. - *b*) Unde forma sensibilis, quam induunt ut sese manifestent, non est forma propria, sed dumtaxat apparens: « Videbar quidem vobiscum man- « ducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab « hominibus videri non potest, utor ». Ita Angelus Raphaël ad Tobiam [3]. - Idem proclamant verba Christi ad discipulos de veritate redivivi sui corporis haesitantes; « Spiritus car- « nem et ossa non habet, sicut me videtis habere » [4]. - Et sane nisi Angelus creditus esset spiritus purus, non esset cur Sadducaei eos tam absolute negassent [5].

Obiiciuntur tamen nonnulla ex ipsis Scripturis.

a) Quomodo, si Angeli non sunt compositi ex materia et forma, potuerunt « filii Dei », id est, Angeli congredi cum filiabus hominum, uti narratur in cap. VI Geneseos? [6].

Resp. Qui nimis probat, nihil probat; nam ex hoc loco, de Angelis ad verbum intellecto, sequeretur non solum Angelos habere corpora, quibus vitali nexu coniunguntur, ac proin esse compositos ex materia et forma; sed esse eiusdem speciei nobiscum.

Unde aliter hic locus explicandus est. Filii Dei, scilicet, non sunt Angeli, sed filii Seth, seu Sethitae, qui se coniunxerunt cum filiabus Caïn. Fatendum tamen est, non paucos antiquos scriptores Christianos hoc de Angelis dictum intellexisse [7]. Imo a modernioribus non desunt, qui putent, hanc fabulam, de Angelis utique intelligendam, amanuensium errore in sacras paginas aliunde irrepsisse [8]. Sed de his alibi plura.

[1] Cf. loca superius citata Hebr. I, 14; Apoc. I, 4; Matth. VIII, 6; Luc. X, 20.

[2] Coloss. I, 16.

[3] Tob. XII, 19.

[4] Luc. XXIV, 39.

[5] Matth. XXII, 23; Act. XXIII, 5.

[6] Gen. VI, 4.

[7] V. gr. Tertullianus, Clemens Alex., Lactantius. — Cf. Scholz *(Die Ehe der Söhne Gottes mit den Töchtern der Menschen).*

[8] Cf. Ch. Robert (*Les fils de Dieu et les filles de l'homme - Revue biblique* 1895, p. 320). — Oppositum defendunt De Moor (*Etude exégétique sur le passage du livre*

b) Quomodo sunt Angeli exempti a compositione ex materia et forma, si corporalia in ipsos agunt, uti legitur de spiritu maligno qui obsidebat Saulem, et quem David citharam pulsando placabat? [1] necnon de daemoniis a viro et muliere extricandis ope assae particulae iecoris piscis, a Tobia, docente Angelo, in remedium adhibendae? [2].

Resp. Virtus, quae in utroque casu describitur, praeter naturae leges effectum produxisse censenda est. Nisi de Saulo dicas, obsessionem qua patiebatur, non fuisse stricti nominis, sonosque citharae temperasse humorem melancholicum, quo mediante daemon vexabat regem [3].

c) Quomodo possunt daemones infernali igne torqueri, nisi materia componantur et forma?

Resp. Eadem difficultas movetur de anima separata; unde penitiorem eius solutionem differemus ad tractatum de *Novissimis*. Impraesentiarum satis sit affirmare, virtutem ignis infernalis praeter solas naturae corporalis vires a vindice Deo stimulari.

d) Quomodo possunt esse Angeli exempti ab impressionibus sensuum, ac proin a compositione ex materia et forma, si mulieres debeant velare caput suum in ecclesia « propter « Angelos? » [4]. - Sane haec verba non possunt intelligi de angelis malis, quasi sint in carnalem concupiscentiam proni; neque de Angelis bonis, ne inducantur in tentationem. Ergo vel hoc loco angeli sunt ministri divinorum mysteriorum; vel, si sunt Angeli boni, ratio velaminis petenda est ex reverentia, quae ipsis debetur in loco sancto, utpote quem sua praesentia implent. Est veluti allusio ad haec verba: « In con« spectu Angelorum psallam tibi » [5].

II. Ex *auctoritate Ecclesiae* abunde spiritualitas Angelorum vindicatur, uti constat ex documentis in praecedenti articulo

de la Genèse VI, 1-14. — *Science catholique*, ian. 1896, p. 151, sq.); HUMMELAUER (*in Genes.* h. l. p. 211 sq.), etc., etc. — Cf. dicenda infra, ubi de casu diaboli.

[1] I REG. XVI, 23.

[2] TOB. VI, 8.

[3] Cf. BILLUART (l. c. art. 3, p. 361).

[4] I COR. XI, 10.

[5] Ps. CXXXII, 1. — Omitto obiectionem petitam ex verbis Christi: « erunt sicut « Angeli Dei » (MARC. XII, 25), nam contextus nimis manifesto demonstrat, homines hic non conferri Angelis, nisi quatenus in caelo « neque nubent, neque nubentur ».

allatis. Et sane verba Concilii Lateranensis IV eam expresse proclamant. Visibilia enim et invisibilia vocantur spiritualia et corporalia; humana natura dicitur media inter spiritualem, seu angelicam, et corporalem, seu mundanam; idque quia constituitur ex spiritu et corpore.

Quodsi Concilium Nicaenum II [1] adnumerat Angelos inter B. M. Virginem et alios Sanctos, utpote quorum omnium sicut et Christi Salvatoris imagines pie coluntur, non ideo hoc facit, quasi Angeli habeant formam corporalem; secus, quum in forma humana repraesententur, dicendum esset, Concilium eos adnumerasse hominibus, quod absurdum est nimis. Sed haec definitio procedit ordine dignitatis, et ratio huius repraesentationis desumitur ex forma humana, in qua Angeli hominibus apparuerunt. Caeterum ipsum Concilium vocat Angelos « incorporeos » [2].

Quum tamen nec Scriptura expresse proclamet, nec Ecclesia unquam directe intenderit definire puram spiritualitatem Angelorum, praesens doctrina nequit dici simpliciter de fide. Putat Suarezius [3] eam esse fidei proximam; cui sententiae subscribendum censemus.

III. *Traditio* Patrum de hoc argumento parumper obnubilata fuit, quemadmodum in proxima appendice fusius exponemus; sed iam a primaevis temporibus multi scriptores sacri spiritualitatem Angelorum saltem obvie confessi sunt. Sanctus Ignatius vocat Angelos « incorporeas naturas, ἀσωμάτους » [4]; quae vox a pluribus aliis adhibetur, sicuti a S. Gregorio Thaumaturgo [5], a Tito Bostrensi [6], a S. Athanasio [7], a S. Gregorio Nysseno [8], a S. Gregorio Nazianzeno [9], a S. Epiphanio [10] et a S. Chrysostomo [11]. Ex spiritualitate Angelorum

[1] Denzinger (op. cit. n. 243).
[2] Act. 4 (Mansi, *Coll. Conc.* t. xiii, c. 151). — Cf. addenda in Appendice.
[3] Op. cit., l. i, c. 6. — Cf. finem Appendicis proximae.
[4] *Epist. ad Trallian.* n. 9.
[5] *Hom. ad Theophan.* — De rigore huius vocis vide Appendicem.
[6] *Ctr. Manich.* l. i, n. 21.
[7] *De comm. essent. Patr., Fil. et Spir. S.*
[8] *Ctr. Eunom.* l. 12, et alibi pluries.
[9] Or. 34, et 44, etc.
[10] *Haeres.* 26, n. 13.
[11] *Homil. 29, in Gen.* n. 2.

S. Cyrillus Alexandrinus [1] et Theodoretus [2] refellunt eos, qui narrationem Geneseos VI intelligunt de commercio inter Angelos et mulieres. Eusebius Caesariensis ait, Angelos esse « incorporeas quasdam et intelligentes, ac divinas virtutes, « materiae expertes, et ab omni parte puros omnino spi- « ritus » [3]; et S. Ioannes Damascenus: « Angelus est sub- « stantia intelligens, perpetuo motu, necnon arbitrii libertate « praedita, corporis expers, Deo serviens, immortalitatem in « natura Dei munere consequens »; licet collatus cum Deo, possit dici crassus et materialis [4]. Quae traditio de incorporeitate Angelorum tantopere universalis evasit, ut Graeci simpliciter appellent Angelos ἀσωμάτους [5].

E Latinis Patribus S. Hieronymus [6], S. Leo Magnus [7], S. Fulgentius, S. Gregorius Magnus similibus expressionibus utuntur. Placet afferre verba S. Fulgentii, utpote discipuli S. Augustini, quem de puro Angelorum spiritualitate nonnihil dubitasse, mox ostendemus. Post enumeratos varios gradus creaturarum invisibilium et visibilium, adducto testimonio S. Pauli [8], distinguit spiritus « qui terrenis atque mortalibus « sunt inserti corporibus », animas scilicet humanas, et « illas... « quas terrenorum corporum nulla gravat lutulenta mate- « ries, id est, angelicos spiritus », quos « nullum cum corpo- « reis elementis (Deus) habere fecit naturale consortium » [9]. Et tamen alibi idem ipse Fulgentius ad doctrinam accedit eorum, qui Angelis tenuissimam quamdam materiam coniunctam tribuit [10]. Sed haec dubia paulatim evanuerunt in traditione theologica. Caute tamen ex Patribus est arguendum, uti ex proxima appendice abunde constabit.

In Corpore. Doctrina S. Doctoris in *Corpore* et in responsionibus hoc schemate graphice contrahitur.

[1] *In Ioann.* l. IV, c. 2.
[2] *Quaest.* XXIX *in Exod.*; cf. *Quaest.* XX *in Genes.*
[3] *Demonst. Evan.* l. IV, c. 1.
[4] *De fid. orth.* l. II, c. 3.
[5] Plures auctoritates vide apud SCHWETZ (op. cit., p. 416, sqq.).
[6] Epist. 124 ad Arit. n. 3.
[7] Epist. 15 ad Turib. c. 6.
[8] *Coloss.* I, 16.
[9] *De fide ad Petr.* c. III, n. 25, 29, sqq.
[10] *De Trin.* c. 9.

- **I. Angeli non sunt proprie compositi ex materia et forma:**
  - 1) id quidem erronee putaverunt aliqui:
    - *a*) materia - id in quo cum corporalibus conveniunt;
    - *b*) forma - id per quod a corporalibus differunt;
  - 2) sed repugnat in Angelis dari
    - *a*) vel communem materiam cum corporalibus:
      - α) tum eamdem partem (secus eadem res corporalis esset et spiritualis);
      - β) tum aliam partem (esse deberet substantia subiecta quantitati);
    - *b*) vel qualemcumque materiam: nam operatio Angelorum est mere spiritualis.
- **II. Aliqualiter tamen compositi dici possunt:**
  - 1) secundum nostrum modum intelligendi: (obi. 1 et 4)
    - *a*) indeterminatum (genus) - veluti materia (in corporibus infinita);
    - *b*) determinatum (species) - veluti forma (in spiritibus infinita inferius, finita superius).
  - 2) secundum potentiam et actum: (obi. 3)
    - *a*) quod est, seu natura, est potentia.
    - *b*) quo est, seu esse, est actus.

Subtilitas argumenti est in 2) *b*). Sententia: « Impossibile « est quod substantia intellectualis habeat qualemcumque « materiam », hoc modo est interpretanda: impossibile est quod substantia intellectualis perfecta habeat, in quantum talis, qualemcumque materiam sibi in ordine ad intellectualem vitam vitaliter coniunctam.

Et sane finge Angelos alligari materiae, non quidem lutulentae, sed superiori tenuissimae: haec unio erit vel vitalis vel non. Si hoc alterum, est unio vel in poenam, quia in deterius, vel superflua, utpote inutilis. Si prius, haec unio vitalis erit vel quoad vitalitatem intellectualem Angeli, vel quoad vitalitatem inferiorem, cui intellectualis connectitur ratione compositi. Prius est absurdum, quia offendit spiritualitatem operationis intellectualis; alterum supponit, Angelos non esse principia substantialia perfecta, et non esse nisi animalia facturae tenuioris.

Corollarium I. - Ex hoc articulo apparet superioritas principii intellectualis puri prae materia. Quam dignitatem si

melius perspexisset, scriptor quidam audacior quam doctior, haec absona nuper non scripsisset: « La pensée est une fonc- « tion de la seule matière animée et intellectualisée par son « union avec l'esprit » [1].

Corollarium II. - Ex dictis apparet, Angelos, etsi non ex materia et forma, tamen esse compositos; et quidem tripliciter: 1) ex *quo est* et *quod est,* 2) ex essentia et facultatibus; 3) ex facultatibus et actibus [2]. - Imo quarta compositio superaddi potest: ex natura et gratia [3].

Corollarium III. - Patet insuper ex dictis, in Angelis non dari naturam, sicut nec in Deo, si natura sumatur in sensu presso. « Cuius rei ratio est, ait T. Pesch, quod nec in Deo, « nec in Angelis motus sensibiles reperiuntur. Unde naturam « non habent, sed potius supra omnem naturam sunt: quam- « obrem etiam entia metaphysica nominari solent » [4].

Corollarium IV. - Patet praeterea ex dictis, Angelos esse incorruptibiles, ac proin immortales. Nam si iam anima humana, licet forma compositi, est in se incorruptibilis et immortalis, quia intellectualis, quanto magis hoc erit de Angelo substantia pura praedicandum? De quo infra sermo redibit.

Corollarium V. - Patet insuper quam falsa sint deliramenta Origenistarum, qui fingunt ex omnibus animabus puris ab exordio creatis, nonnisi unam in Dei amore constitisse, reliquas autem pro gradu infidelitatis detrusas esse in corpora, subtiliora scilicet, unde Angeli, media, unde homines, infima, unde daemones. Quos omnes, angelos, homines, daemones, transeundo per varia stadia, Christus redemit, usque ad liberationem omnium animarum a quovis corpore, et restitutionem in primaevum statum in fine saeculi perficiendam [5].

[1] Georgel (*La matière, sa déification, sa réhabilitation au point de vue intellectuel et aimant, ses destinées ultimes,* p. 352). Utinam non nisi circa materiam aberraret iste. Sed de Incarnatione, de Eucharistia, de gratia, de peccato originali etc., tam graviter falsa profert, ut mirum sit quomodo catholicus scriptor, quin et Sacerdos, parum dico, Vicarius Generalis, ad talia devenire potuerit. — Quare haec scripta S. Congr. Indicis iure optimo nuper proscripsit.

[2] Inde verius dicitur Angelus substantia pura quam simplex. — Cf. Albertum M.: « An Angelus sit simplex substantia? » (II Sent. A, art. 4).

[3] Hoc sensu accipi possunt verba S. Basili: « Neque enim caelorum virtutis suapte « natura sanctae sunt, alioquin nihil different a Spiritu Sancto » (*De Spir. S.* c. 16).

[4] *Philos. natur.* l. I, disp. v, scol. I, 308.

[5] Cf. canones dictos Conc. V contra Origenem.

Quaeres: - Quomodo concipienda est personalitas Angeli? Nam ratio individuationis, quae in nobis petitur a materia, in Angelo non datur. - *Resp.* Dubium hoc supponit, in homine nullum dari aliud principium individuationis, et in Angelo istud principium non adesse eminenter. Optime S. Thomas: « Personalitas est in Angelo, alio tamen modo quam in ho- « mine: quod patet, si tria quae sunt de ratione personae con- « siderentur, scilicet subsistere, ratiocinari et individuum « esse ». Quo posito, ostendit per partes quo modo haec tria perfectius habeantur in Angelo, quam in homine. Primum, quia Angelus subsistit in simplici et non in composito ex partibus; secundum, qua Angelus non eget discursu, sed habet lumen intellectuale purum nulla umbra permixtum; tertium, quia Angeli natura est determinata in seipsa, et non per determinationem recipientis. Et concludit: « Unde patet quod multo nobilior est personalitas in Angelo, quam in homine » [1].

Quodsi urgeas, quaerendo quomodo possit natura angelica determinari in seipsa, respondetur, hoc fieri per individuam existentiam individuae naturae, et per accidentia, - at spiritualis ordinis, - quae individuationem vitalem perficiunt [2]. Et sane in homine anima non solum habet a corpore unde individuetur; habet in seipsa mensuram entitatis corpori appropriatam, et per corpus completam in totum, quod est homo. Quare a fortiori haec individuationis perfectio Angelo in seipso competere debet.

APPENDIX I.

de haesitationibus scriptorum sacrorum circa puram spiritualitatem Angelorum [3].

Inter quaestiones quae decursu temporum magis magisque elucidatae sunt, non ultimum sane locum tenet haec nostra de spiritualitate perfecta Angelorum. Etenim, si a

[1] II Sent. dist. III, p. 1.

[2] Cf. *De Deo Uno* t. I, p. 194.

[3] Lege de hoc argumento PETAVIUM (op. cit. l. I, c. 3, 4); PALMIERI (op. cit., th. XVIII, pp. 153-178, ed. 1878); HEINRICH *(Dogmat. Theol.* t. V, § 284.), qui et existentiam Angelorum contra modernos rationalistas egregie vindicat (ibid. § 282).

primaevis saeculis haud dubia de eadem occurrunt testimonia, in oppositum coacervare textus, negotium est sane facillimum. In tres veluti partes dispesci possunt scriptores: alii obvie, imo clare proclamant spiritualitatem Angelorum, alii perfectam spiritualitatem aperte negant, alii modo dubio loquuntur, ita ut investigatio de hoc argumento iuxta hanc tripartitionem disponi posset. Alia prostat via chronologica, percurrendo scriptores ab antiquioribus usque ad aetatem mediam. Nos potius aliter rem considerabimus, quaerendo scilicet rationes sive philosophicas, sive theologicas, quae varios scriptores aut negantes aut haesitantes ad hanc negationem vel ad hoc dubium, aut saltem ad talem loquendi modum conduxerunt. Nam ab initio huius expositionis prae oculis habendum est, alium esse conceptum, aliam terminologiam, qua conceptus exprimitur. Iam vero sermo philosophicus Christianus non potuit sese non paulatim evolvere. Unde quando quaestio agitur de modo loquendi, eo benignius interpretandi sunt Patres, quo sunt antiquiores.

I. Igitur si *rationes philosophicas* perpendimus, quae scriptores sacros moverunt, sequentes praecipue assignandae videntur.

1) Considerant ex una parte Deum, et ex altera parte universum *creatum*, ita ut Deus sit spiritus, et omne extra Deum corpus [1]. Hoc sensu ait S. Hilarius: « Nihil est, quod non in « substantia sua et creatione corporeum sit: et omnium sive « in caelo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium ele- « menta formata sunt. Nam et animarum species, sive obti- « nentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream « tamen naturae suae substantiam sortiuntur; quia omne « quod creatum est, in aliquo sit necesse est » [2]. Nec aliter S. Ambrosius: « Nos nihil materialis compositionis immune « atque alienum putamus, praeter illam solam venerandae « Trinitatis substantiam, quae vere pura et simplex sincerae « impermixtaeque naturae est » [3]. Gravius Origenes censet, « solius Dei proprium esse, ut sine materiali substantia et « absque ulla corporeae adiectionis societate intelligatur sub-

[1] Hic modus loquendi etiam recurrit apud S. Bonaventuram.
[2] *In Matth.* can. 5.
[3] *De Abrah.* l. II, c. 8.

« sistere » [1]. Et tamen alibi de Angelorum substantia loquitur tanquam corporis experte [2].

2) Ideo autem omne creatum est corpus, quia *coarctatum,* secus esset Deo coimmensum. Audiatur Arnobius: « Omnia « quaecumque invisibilia et incorporea sunt, Deo soli, secun- « dum quod ab eo creata sunt, visibilia et corporea sunt.... - « Quidquid mensuram habet, corpus est, non humanis, sed « divinis oculis patens; immensus autem et incorporeus solus « Deus est. Omnes enim a Deo facti, initium habent » [3].

3) Corporei insuper censebantur Angeli, quia, iuxta doctrinam Stoicorum, sine aliqua materia *individuatio* cogitabatur ut impossibilis. Ipse Origenes, qui tamen alibi spiritualitatem Angelorum sat clare exprimit, haec habet: « Si « vero impossibile est hoc ullo modo affiirmari, id est, quod « vivere praeter corpus possit ulla alia natura praeter Pa- « trem, Filium et Spiritum Sanctum, necessitas consequentiae « ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem creatas « esse rationales creaturas, materialem vero substantiam opi- « nione quidem et intellectu solum separari ab eis,... sed « nunquam sine ipsa vel vixisse vel vivere; solius namque « Trinitatis incorporea vita recte putabitur » [4].

4) Corporei probantur Angeli, quia *circumscribuntur* loco. Ita diserte arguit Ioannes Thessalonicensis, cuius dialogum in Concilio Nicaeno II lectum meminimus: « Solus revera « Deus incorporeus, et incircumscriptus est. Intelligibiles vero « creaturae non penitus incorporeae sunt, et invisibiles, ut « Deus. Ideo in loco sunt, et circumscribuntur. Sicubi autem « incorporeos appellari Angelos invenias, aut daemones, aut « animas, idcirco sic appellantur, quod ex materialium quat- « tuor elementorum permixtione non constent: nec eiusmodi « sint corpora crassa et solida, qualia nobis circumfusa sunt. « Etenim, ut vere dicam, etsi respectu ad nos habito, invi- « sibiles sint, tamen a plerisque visi sunt, sensuque percepti « in specie propriorum corporum; visi, inquam, sunt ab iis, « quorum Deus oculos aperuit: ac cum loco circumscripti

[1] *De princ.* I, c. 6.
[2] *Ctr. Celsum.* l. VI.
[3] *Disp. cum Serapione.*
[4] *De princ.* l. II, c. 2. — Cf. locum superius citatum. Ibid. l. I, c. 6.

« sint, satis ostenditur, non eos omnino incorporeos esse, « perinde ut est Deus » [1].

Et eodem sensu ait Elias Gregorii Nazianzeni scholiastes: « solum Deum proprio vacare corpore, circumscriptos autem « esse Angelos, quoniam ne incorporei quidem proprie sunt, « etiamsi nostri respectu incorporei dicantur » [2]. At rectius longe Theodoretus: « Licet incorpoream fateamur, circum- « scriptam tamen eorum substantiam dicimus » [3].

5) Sunt igitur Angeli *relative* incorporei et corporei, secundum quod nobiscum vel cum Deo conferuntur: « Incor- « poreus et materialis (Angelus) dicitur quantum ad nos, nam « omne ad Deum collatum, qui solus incorporalis est, crassum « et materiale reperitur » [4]. Ita S. Damascenus. - Et S. Gregorius M.: « Sicut illorum spiritus comparatione quidem nostro- « rum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi et « incircumscripti spiritus, corpus » [5]. – Duplicem respectum S. Augustinus, de anima humana disputans, ita exprimit: « Si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quae « omnino incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima: « quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, « nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, « altitudine ita sistitur vel movetur, ut maiore sui parte maio- « rem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit « in parte, quam in toto, non est corpus anima » [6].

6) Quare Patres *gradus* concipiunt in corporeitate. Ita S. Cyrillus Alex., postquam dixit, Deum solum esse incircumscriptum, ac proin Angelos quoque habere corpora, addit « tametsi non huiusmodi qualia sunt nostra » [7]. Nostra enim terrestria, illa caelestia, uti Patres mox adducendi loqui solebant, iuxta verba S. Pauli [8].

Hoc discrimen frequenter illustrat S. Augustinus in his locis, in quibus Angelos describit compositos ex spiritu et

[1] Dial.

[2] Ad Orat. 1. n. 16. — Eodem modo Cassianus et Genadius. — Cf. Petavium (op. cit., l. I, c. 3, n. 12).

[3] *QQ. in Gen.* inter. 3.

[4] *De Fid.* l. II, c. 3.

[5] In *Moral.* l. II, c. 3.

[6] Ep. 28.

[7] *In Ioann.* l. IX.

[8] I Cor. XV.

corpore, tenuissimo quidem, at corpore. Ita loquitur: « Adhuc « habet vitam utique corpus nostrum; et tamen comparatum « corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum cor- « pora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc « habens animam » [1]. Inde loquens de daemonibus affixis aëri inferiori, et sermone facto de aëre superiori, haec habet: « In qua fortassis parte si fuerint ante transgressionem suam « trangressores Angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc « Archangelo, - nam nonnulli nostri non eos putant caelestes, « vel supercaelestes Angelos fuisse, - non mirum, si post pec- « catum in hanc sunt detrusi caliginem; ubi tamen et aër « sit, et humore tenui contexatur .... Si autem transgressores « illi, antequam transgrederentur, caelestia corpora gere- « bant; neque hoc mirum est, si conversa sunt ex poena in « aëream qualitatem, ut iam possint ab igne, id est ab ele- « mento naturae superioris aliquid pati » [2]. Et alibi agilitatem corporum angelicorum confert agilitati corporum caelestium [3].

Quodsi discrimen petitur inter corpus humanum et angelicum, non est solummodo in maiori minorive crassitudine, sed in modo quo homo vel Angelus se habet ad illud. Angelos enim dicit Augustinus « corpus suum, cui non subduntur, sed sub- « ditum regunt, in species quas velint accommodatas, atque « aptas actionibus suis mutare, atque vertere, secundum attri- « butam sibi a Creatore potentiam » [4]. Sed hanc doctrinam Hipponensis non ut certam exhibebat, imo ex textu mox afferendo diserte constat, eum de hac re mansisse ancipitem.

Huc referenda sunt testimonia scriptorum sacrorum, qui Angelos tenent esse compositos ex materia et forma, seu ex spiritu et corpore. Fulgentius hanc doctrinam aperte tradit, uti constat ex textu mox afferendo. Iuxta hanc opinionem de corporeitate duplicis gradus potuit Maximus Taurinensis, agens de originalis honestatis velo, quo vestiti nuditatis ruborem protoparentes ignorabant, hanc comparationem afferre: « Nam et sancti Angeli splendidissimo habitu con-

[1] In ps. LXXXV.
[2] *De Gen. ad litt.* l. III, c. 10.
[3] Serm. de divers. 102, c. 9.
[4] *De Trin.* l. II, c. 7.

« stituti, nunquid tunicis operiuntur et palliis? Sed quum sit « in illis nativitatis suae nuda substantia, vestiti videntur esse, « quod sancti sunt » [1].

Dubium, ne plus dicam, S. Augustini pervasit scholas. Rupertus Tuitensis ex Hipponensi doctrinam mutuatus, scribit: « Angeli ante transgressionem caelestia corpora gerebant, « lapsi in aëream qualitatem versi sunt » [2]. Ipse Bernardus haeret incertus: « De corpore horum (Angelorum) non modo « unde sint, sed an aliquando sint, haeret sententia aliquo- « rum. Unde si quis inter opinabilia id ponendum censuerit, « non contendo » [3]. Et alibi exposita utrimque sententia de corporeitate tenuiori Angelorum et de eorum pura spiritualitate, addit: « Videntur Patres de huiusmodi diversa sensisse, « nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, et ne- « scire me fateor. Sed et nostris profectibus non multum con- « ferre arbitror harum rerum notitiam » [4]. Magister Sententiarum dubium proponit his verbis: « Solet in quaestione « versari apud doctos, utrum Angeli omnes, boni scilicet ac « mali, corporei sint, id est, corpora habeant sibi unita »; et exposita doctrina quam, utique inquirendo, S. Augustinus exponit [5], de corporibus aëreis subtilioribus, quae pro daemonibus versa sint in aërea inferiora, unde ab igne pati possent; necnon alia inquisitione S. Augustini [6], utrum Angeli in propriis corporibus, utique transformatis, apparuerint, subtiliora corpora servantes, crassioribus ad hoc efformatis; haec dubia Lombardus « veluti nimis profunda atque « obscura » relinquit [7]. - Beatus Albertus, post relata verba S. Bernardi superius altero loco adducta, sapientissime ait: « Antiquitus opinati sunt Sancti diversa circa ista: sed modo « veritas magis discussa est; - et ideo nullo modo dubitandum est, quin Angeli spiritualis sint substantiae, et nulla « corpora naturaliter habent sibi unita » [8].

[1] Homil. de solemn. S. Michaëlis.
[2] *De victor. Verbi. Dei,* l. VII, c. 26.
[3] *De Consid.* l. V, c. 4.
[4] *In Cant. Cant.* serm. 5.
[5] *Sup. Genes. ad litt.* l. III, c. 10.
[6] *De Trin.* l. III, c. 1.
[7] II Sent. Dist. VIII.
[8] In II Sent. Dist. VIII, A, art. 1.

7) Si in praecedenti modo naturam Angelorum exhibendi, iam non potest salvari integritas eorumdem spiritualitatis, haec fortius negatur, negata ipsa superioritate Angelorum prae hominibus. Huc facit error Tertulliani, qui, licet alibi affirmet Angelos habere quidem corpus, sed subtilius corpore humano, « utpote naturas substantiae spiritualis », contra Marcionem disputans haec scribit: « Etsi Angelus qui seduxit, « sed liber et suae potestatis qui seductus est; sed imago « et similitudo Dei fortior Angelo; sed afflatus Dei genero- « sior spiritu materiali, quo Angeli constiterunt » [1].

De gemino errore S. Iustini mox dicemus.

II. Porro si philosophica dubia mentem scriptorum detinebant, ea praesertim aetate, qua terminologia Christianae philosophiae nondum erat bene firmata; dubia imo errores stimularunt insuper *rationes theologicae*, quas in duas classes distribuere placet: aliae enim sunt potius indolis exegeticae, aliae indolis dogmaticae.

A) *Exegeticae* interpretationes, quae in doctrinam de Angelorum spiritualitate influxerunt, sunt praesertim sequentes.

1) *Narratio Geneseos VI* de filiis Dei cum filiabus hominum congressis [2], non parum errorem fovit spiritualitati Angelorum oppositum. Iustinus eo usque processit, ut tenuerit Angelos bonos habuisse ab initio corpus, quo hominibus apparere et commisceri potuerint; et ex nefando cum mulieribus commercio, ortos esse daemones [3].

Alii non pauci, uti Tatianus, Athenagoras, Tertullianus, Methodius, Lactantius, imo ipsi S. Irenaeus et S. Ambrosius, de Angelis intellexerunt, quae in hoc Geneseos loco denarrantur [4]. S. Augustinus, qui aliam ipse dat huius loci interpretationem, superius allatam, haerens num de malis angelis id intelligi possit, quaerit: « utrum aliqui spiritus elemento

[1] *Ctr. Marc.* l. II, c. 8.

[2] Haec narratio de Angelis intellecta corroboratur per librum ps. Henoch.

[3] Apol. I, in cit.

[4] Cf. Petavium (op. cit. c. II, n. 1): Palmieri (loc. cit. p. 168, sq.); — imprimis e recentissimis Turmel, cum praecautione tamen legendum, quia non semel defectus scriptorum primaevae aetatis exaggerat (*Histoire de l'angélologie des temps apostoliques à la fin du Ve siècle. — Revue d'hist. et de littérat. religieuses.* — 1898, p. 295, sqq.).

« aëreo corporati, - nam hoc elementum etiam cum agitatur « flabello, sensu corporis tactuque sentitur, - possunt etiam « hanc pati libidinem » [1].

At, ubi Augustinus aliqualiter de malis angelis dubitavit, S. Chrysostomus recise exclamat: « Quanta dementia est, « putare incorporeas naturas corporibus esse copulatas! » [2]. Quod logice potest dici etiam ab illo, qui Angelos prae hominibus quidem, at non undequaque incorporeos tenet, quod patet ex dubio S. Augustini. Difficilius potest concipi, quod aliquis, agnoscens spiritualitatem puram Angelorum, de Angelis hanc narrationem intelligat. Res autem non est impossibilis. Erit quidem error. At non omne falsum consequens tollit praemissa, etsi connexa [3].

2) *Apparitiones ipsae* dubium nonnullis scriptoribus iniecerunt. Iam audivimus S. Basilium dicentem, Angelos apparuisse « in propriis corporibus ». Tertullianus pariter ait: « Etsi cor- « poris alicuius, sui tamen generis; in carnem autem huma- « nam transfigurabile ad tempus; ut videri et congredi cum « hominibus possent » [4]. In idem redit dubium modo allatum S. Augustini; necnon doctrina proxime afferenda S. Fulgentii.

3) Multum autem huic falsae imaginationi contulerunt verba Psalmistae: « Qui facis Angelos tuos spiritus, et mini- « stros tuos *ignem urentem* » [5]. Ex hoc loco doctrinam suam superius expositam haurit S. Basilius. Claudianus Mamertus expresse inde arguit: « Intelligere nos oportet, constare homi- « nem ex corporeo et incorporeo, utroque in melius refor- « mando: constare Angelum ex corpore et spiritu, praeci- « pua inter creaturas dignitate formato. Spiritus ille namque « est omni spiritu creato potentior: corpus illi de potissimo « omnium elemento sublimius; secundum illud propheticum,

[1] *De Civit. Dei*, l. XV, c. 23.

[2] Homil. 22 in Genes. n. 2 Eodem modo loquitur Caesarius. — Ante Chrysostomum Origenes hanc interpretationem depulerat. Sed alio ex fonte; quia scilicet putabat totum mundum visibilem in poenam peccati spirituum purorum a Deo esse creatum.

[3] Inde durior sonat conclusio quam (loc citato) Turmel fert ex hac interpretatione Patrum. Non recuso nexum obiectivum, imo subiectivum apud plerosque quita Gen. VI interpretati sunt; at necessitatem subiectivi nexus omnino admittere non possum in materia tam subtili et tam absconsa.

[4] *De carn. Chr.* c. 6.

[5] Ps. CIII, 4.

« ubi angelica substantia duplex sine dubitatione perhibetur, « quod dictum est: " qui facit Angelos suos spiritus, et mini- « stros suos ignem urentem ". Ignem vero non esse spiritum, « et spiritum perinde ignem non esse, manifestum est » [1]. Dubitat S. Augustinus: « graece dicitur ἄγγελος, quod nomen « latina declinatione angelus perhibetur, latina lingua nun- « cius interpretatur. Sed utrum eorum corpora consequenter « adiunxerit, dicendo: " et ministros tuos ignem ardentem ", « an quod charitate tanquam igne spirituali fervere debeant « ministri eius, ambiguum est » [2]. Parum aliter alium sensum spiritualem affirmans, in fine tamen pariter haerens, S. Gregorius Nazianzenus ait: « Spiritus vocantur et ignis: illud tan- « quam invisibilis natura; hoc tanquam purgandi vim habens. « Quandoquidem primariae substantiae eadem nomina tri- « buuntur. Sed sint sane illi incorporei, aut quam proxime « ad hoc accedentes » [3]. E contra S. Fulgentius, Claudiani sententiam urgens: « Plane ex duplici esse eos substantia adse- « runt magni et docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, quo « a Dei contemplatione nunquam recedunt; et ex corpore, « per quod ex tempore hominibus apparent: adprobantes hoc « ex illo loco Psalmi, ubi dicit: " Qui facit Angelos suos spi- « ritus, et ministros suos ignem urentem ". Corpus vero aethe- « reum, id est igneum, eos dicunt habere. Angelos vero « malos, id est daemones, corpus aëreum » [4]. Eodem versu psalmi utitur S. Ephrem: « Quid est homo, nonne terra et « aqua? Nonne pulvis tantum et cinis?... Quid sunt Angeli? « Nonne spiritus, nonne ignis? » [5]. Et tamen agnoscit, hunc ignem habere aliquid longe subtilius corporibus vulgo hoc nomine appellari solitis: « Angelos Deus fecit spiritus, fecit « et animas nostras spiritus. Verum animas nostras fecit in « corporibus; Angelos extra corpora » [6]. Hinc ignem in sensu mere spirituali explicans, Dionysius Areopagita dictus affir- « mat, significare formam igneam caelestium intelligentiarum « maximam cum Deo conformitatem: Sancti quidem theologi

[1] *De stat. anim.* l. 3.
[2] *De Civ. Dei,* l. xv, c. 23.
[3] R. 34 sub fine. — Idem dubium exprimit in Orat. 38. n. 8.
[4] *De Trin.*
[5] Homil. 4.
[6] Serm. *De nat. Dei min. scrut.*

« superessentialem et quae formari nequit essentiam in igne « saepe describunt, veluti qui multas quodammodo visibiles « divinae proprietatis imagines praeseferat » [1].

4) E *cibo Angelorum*, iuxta psalmi versum: « Panem An- « gelorum manducavit homo » [2], arguit S. Iustinus, ut Angelos corporibus praeditos demonstret [3]. Quam Angelorum comestionem Augustinus censet fuisse, « non quia indigebant, sed « quia volebant et poterant », ideoque « neque in phantasma- « tibus, sed veram » [4]; de qua doctrina infra disseremus.

5) Distinctio S. Pauli dicentis: « Et *corpora caelestia* et « *corpora terrena* » [5], saepius a Patribus adhibetur ad duplex genus corporum Angelorum et hominum illustrandum. Caesarius haec habet: « Incorporei quidem Angeli sunt se- « cundum nos, corpus vero secundum sese: quemadmodum « ventus, aut ignis, aut fumus, aut aër. Sunt enim tenuia et « immortalia corpora, ab nostra crassitudine secreta: quippe « corpora caelestia et corpora terrestria dicit sanctus Aposto- « lus » [6]. Et Cassianus eodem prorsus modo: « Licet enim » pronuntiemus, inquit, nonnullas esse spirituales naturas, ut « sunt Angeli, Archangeli, ceteraeque Virtutes, ipsa quoque « anima nostra, vel certe aër iste subtilis: tamen incorporeae « nullatenus aestimandae sunt. Habent enim secundum se « corpus, quo subsistunt: licet multo tenuius quam nos. Nam « sunt corpora secundum Apostoli sententiam [7] ita dicentis: « "Et corpora caelestia, et corpora terrestia" » [8]. Inde et S. Augustinus dixit: « Sed etiam cum fuerit tale corpus nostrum, « corpus iam caeleste et spirituale, corpus angelicum in socie- « tate Angelorum, nec sic dabit consilium animae » [9].

B) Praeter doctrinam de apparitionibus, quam iam inter rationes exegeticas assignavimus, rationes *theologicas* adhuc duas attulisse sufficiat.

[1] *Cael. hier.* c. 15.
[2] Ps. LXXVII, 25.
[3] *Dial. c. Tryph.*
[4] *De Civ. Dei*, l. XI, c. 22.
[5] I COR. XV, 40.
[6] Dial. I, interr. 48.
[7] I COR. XV.
[8] Collat. VII, c. 13.
[9] In ps. CXLV.

1) Alia desumitur ex tota *oeconomia Incarnationis*, quatenus Verbum corpus visibile assumpsit, ut sese ex propria natura invisibile, omni creaturae intellectuali spectabile exhiberet. Hanc rationem hoc modo evolvit Macarius: « Subtilem quemdam, ac profundum sermonem pro captu facultatis meae eloqui volo. Ideo vos prudenter auscultate. Corpus induit infinitus, et inaccessus, et infectus Deus, ob immensam, et superiorem cogitatione omni bonitatem suam: atque, ut ita dicam, extenuavit se ab inaccessa sua maiestate, ut cum aspectabilibus suis creaturis coniungi posset, ut puta Sanctorum animabus, et Angelorum, ut vitae Dei participes esse possint. Nam unumquodque pro sua natura corpus est, Angelus, anima, daemon; quoniam etsi subtilia sint, nihilominus in subsistentia, et figura, et imagine, secundum tenuitatem naturae suae, corpora sunt subtilia: quemadmodum subsistentia corpus istud crassum est » [1].

2) Altera desumitur ex *poenis daemonum,* quae scriptores in sequentem argumentationem adduxerunt: nisi daemones aliqualiter corporei essent, igni torqueri non possent [2]; sunt ergo aëri inferiori veluti corporibus inclusi [3]; quod si quaeritur, quomodo huc reduci potuerint, dicendum videtur, illos ante lapsum habuisse corpora subtiliora, saltem ex aëre superiori [4], si non caelestia [5]. Quare omnes Angeli aliqualiter corporei apparent: subtiliora corpora habent boni, crassiora mali. Quam theoriam, sub forma dubii, expressit S. Augustinus [6], a quo Lombardus eam cum ipso dubio mutuatus est [7].

[1] Homil. 4.

[2] Doctrinam de lapsu daemonum, imo de eorum natura, data opera evolvemus ubi de daemonibus ex professo agetur. Interim lege TURMEL (*Histoire de l'angélologie des temps apostoliques à la fin du Ve siècle. — Revue d'histoire et de littérature religieuse,* 1898. — p. 289, sqq.).

[3] Quatuor enim elementa fingebant antiqui hoc ordine decrescente: ignem, aërem (agentia duo), aquam, terram (patientia duo).

[4] « Superior pars aëris, propter puram tranquillitatem, caelo cui collimatur, « communi pace coniungitur, et ipso vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte si « fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo »..... (*S. Aug. — De Gen. ad litt.* l. III, c. 10, n. 14. — *P. L.* XXXIV, 285).

[5] « Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, caelestia corpora « gerebant »..... (Ibid. n. 15).

[6] Loc. cit.

[7] Loc. cit.

3) Alia ratio theologica, utique et Scripturae textibus suffulta, erat *conditio corporum gloriosorum,* ad instar corporum Angelorum. Etenim Deus, teste Origene « Spiritualis cor- « poris indumentis, vel angelos Dei, vel filios resurrectionis « exornat » [1]. - Ex verbis Christi arguens, S. Hieronymus ad Theodoram scribit: « Quando dicit... " erunt sicut Angeli « Dei in caelis ", non natura et substantia corporum tollitur, « sed gloriae magnitudo monstratur. Neque enim scriptum « est: erunt Angeli, ubi similitudo promittitur, veritas dene- « gatur. Erunt inquit, sicut Angeli, id est similes Angelorum... « angelico splendore decorati, sed tamen homines » [2]. Excessum scilicet Origenis de aequalitate conditionis depellit, sed ita ut vera corpora gloriosa Angelis tribuat. Eadem doctrina recurrit apud S. Augustinum [3].

Ex dictis apparet, magnam apud scriptores sacros, usque ad sat provectam aetatem, de Angelorum spiritualitate haberi oscitantiam et confusionem [4]. Cuius phaenomeni tres praecipuae assignari possunt rationes. 1) Agebatur adhuc de firmanda terminologia Christiana, maxime in his quae novam terminologiam propter celsitudinem altioris doctrinae requirebant. Inde apud Patres dubium, quousque creata, si cum Deo conferantur, possint praedicari eodem vocabulo, quod perfectionem significat, cuius plenitudo non invenitur nisi in solo Deo. Talis autem est spiritualitas. - 2) Patres non habebant nisi valde imperfectam cognitionem de natura physica rerum. Si enim simplicitatem aliquam et immortalitatem tribuebant corporibus caelestibus, quid mirum, si tam facile spiritibus caelestibus quaedam corpora tribuebant, licet non huius crassae corporeitatis, qualis sunt corpora nostra? Qui censendi modus apud unum alterumve stimulabatur per opinionem, quam de suis geniis habebant ethnici [5].

[1] *De princ.* l. II, c. 2.

[2] Ep. 75, 2.

[3] In ps. XLV, 10; — De QQ. LXXXIII. Qq. 9, 47; — *Retract.* I. 26.

[4] De Patribus qui clarius spiritualitatem Angelorum affirmaverint, lege - Petavium (op. cit., loc. cit. c. 3).

[5] Ita eos describit Hesiodus: « Hi quidem daemones facti sunt, Iovis magni con- « silio, - boni, terrestres, custodes mortalium hominum, - qui observant iusta et « prava opera, - aërem induti, passim euntes per terram, - opum largitores, atque « hoc praemium regale sortiti sunt ». (*Opera et dies* I).

3) Quum has in mente notiones minus praecisas haberent, - et sane ubi tam saepe, ne dicam constanter, haeret ipse Augustinus, quis dicere audebit, rem pro mente illius aetatis fuisse difficultatibus expertem?[1] - nonnullae locutiones aut facta in Scripturis occurrentes, dubia non parum nutriebant, et sententias minus adaequatas corroborabant.

Inde mirum non est, haec dubia usque ad stadium scholasticum theologiae perdurasse. At simul apparet, quam provide Concilium Lateranense IV haec omnia dubia tam nitide sustulerit, ut ab hoc tempore unanimis excreverit theologorum consensus de spiritualitate pura Angelorum, quin tamen haec doctrina possit dici de fide tenenda. Scopus enim huius Concilii non fuit definiendi hanc subtiliorem quaestionem, sed proclamandi contra Manichaeos, Deum esse auctorem universi, utriusque scilicet ordinis rerum, spiritualium et corporalium. Nihilominus modus quo Concilium declarationem edidit, proxime continet doctrinam de spiritualitate pura Angelorum. Putat inde Cl. Palmieri, per definitionem Lateranensem definitum quidem esse, Angelos non esse corporatos sicuti homines; at non esse definitum, utrum ita sint Angeli incorporei, ut nullis omnino, nec caelestibus seu aethereïs corporibus uniantur. Multi enim scriptores Concilio antiquiores simul tenuerunt et Angelos esse creaturas spirituales, incorporeas, et tamen subtilissimis corporibus altioris ordinis unitas. Dicendum est igitur, hanc alteram quaestionem non-

[1] Inde non tantam admirationem movere debet, quod etiam post Concilium Lateranense dubia non dimiserint de hac re theologi caeteroquin magni nominis, uti Caietanus, Eugubinus, Sixtus Senensis, Dominicus Bannez. — Caietanus in hunc locum *Summae* sentit cum S. Thomae, sed in epist. ad Ephes. c. 2, haec habet: « Crediderim ego daemones esse spiritus aëreos, et id consonare verae philosophiae « rationi, ut, quemadmodum invenitur vegetativum sine sensitivo, et sensitivum « sine secundum locum motivo, et intellectivum sine secundum locum motivo, ita » inveniatur secundum locum motivum sine sensitivo, quod est ponere huiusmodi « aëreos spiritus constantes ex intellectivo et secundum locum motivo. Et est sermo « de motu progressivo absque sensitivo. Verum appellatione aëris non intellego ele- « mentum aëris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex ac incor « ruptibile, natum moveri localiter ab anima ad omnes differentias positionis absque « pugnantia aliqua ex natura corporis... ut nullus labor interveniat in motu illo ». — Inter philosophos, non quidem catholicos, puram spiritualitatem Angelorum negant Leibnitzius, Wolfius, Kantius, quippe qui putant, sine corpore spiritum activum esse non posse. Ab hac sententia non sat recedit Kuhn, uti optime ostendit Glossner (op. cit.). Imo nec ipse Schell ab huiusmodi opinione sat videtur immunis (Op. cit.).

dum esse definitam; « Et re quidem vera, uti bene monet lau-
« datus scriptor, ratio theologorum illius aetatis, qui post
« Concilium immediate scripserunt, nos non sinit de hac re
« dubitare » [1].

Placet hanc appendicem claudere verbis, quibus Card. Mazzella thesim de hoc argumento formulat: « Etsi doctrina
« asserens Angelicam naturam esse pure spiritualem, atque
« cuiusvis corporis omnino expertem, ut non paucis theo-
« logis videtur, non sit expresse de fide definita; rite tamen
« inspecto communi Ecclesiae sensu, ac doctorum suffragio,
« tam certa est, ut absque erroris aut temeritatis nota in
« dubium vocari minime possit » [2].

Corollarium I. - Ob rationes in hac appendice allatas liquet non nimis facile arguendum esse ex Patribus qui Angelos vocant « incorporeos », aut simili voce utuntur. Potest enim vox illa non intendi nisi relative ad corpora crassiora, qualia sunt nostra. Unde apud eosdem scriptores non raro occurrit duplex loquendi modus. Conceptus enim entis creati pure spiritualis tam subtilis est, ut mirum non sit, vix apud primaevos scriptores eum reperiri diserte expressum. Puto tamen non carere quodam excessu verba, quibus Cl. Turmel hoc argumentum inducit: « Les Anges, tels que les Juifs les
« concevaient, étaient des êtres intelligents, pourvus de corps
« aériens. Pendant les cinq premiers siècles du christianisme
« cette idée se maintint sans contestation » [3].

Corollarium II. - Ex doctrina in hoc articulo exposita apparet, puram spiritualitatem Angelorum non esse veritatem quam ratio humana per se demonstrare possit. Possibilem esse spiritum purum, ratio evincit; tales autem esse Angelos, eatenus tantum probare valet, quatenus potest suaderi existentia substantiarum in summo gradu scalae entium creatorum [4]. Bene inde scribit Scheeben: « Durch die Vernunft
« allein kann natürlich die reine Geistigkeit der Engel nicht

[1] Op. cit., p. 175.

[2] Op. cit., prop. x.

[3] Loc. cit., p. 411. — Cf. Petavium (op. cit., loc. cit., c. 3).

[4] De scala creaturarum in sua relatione ad Angelos cf. Raym. de Sabunde. tit. 218.

« strenge bewiesen werden. Die Vernunft kann aber wohl « beweisen dass ein reiner Geist denkbar sei, und dass « die Engel, wenn sie die höchste denkbare Stufe auf der « Leiter der Wesen einnehmen, reine Geister sein müssen. « Die von einigen neueren Theologen geaüsserten Bedenken « gegen die Denkbarkeit eines rein geschaffenen Geistes [1] « beruhen auf einer falschen Auffassung des Geistes selbst, « als ob auch das Denken und Bewusstsein nur an einem ma- « teriellen Substrat zur Verwirklichung kommen könnten » [2].

APPENDIX II.

De mente S. Bonaventurae.

Placet penitius investigare mentem Seraphici Doctoris circa compositionem Angelorum ex materia et forma. Sensum enim improprium, quo S. Thomas ipse hanc compositionem in Angelis praedicari posse concessit, S. Bonaventura urget usque ad sensum verum, quatenus scilicet indentificari potest materia cum potentia et forma cum actu. En schema argumentationis S. Doctoris.

Angelus multipliciter compositus est:	1) in comparatione ad suum *principium:*		dependentia excludit simplicissimum absolutum; sed involvit compositionem, quia differt quo est et quid est;
	2) in comparatione ad suum *effectum:*		ex substantia et potentia;
	3) ut est *in genere:*	*a) metaphysice,*	ex actu et potentia;
		b) logice,	ex genere et differentia;
	4) ut est *in se:*	*a)* quantum ad esse *actuale,*	ex ente et esse;
		b) quantum ad esse *essentiale*	ex quo est et quod est;
		c) quantum ad esse *individuale,*	ex quod est, et quid est.

[1] Praeiudicia a modernis quibusdam scriptoribus contra possibilitatem purorum spirituum mota nervose confutat Glossner (op. cit., p. 263, sqq.).

[2] Op. cit., t. II, l. 3, § 136, n. 165).

Removet autem S. Bonaventura ab Angelis compositionem ex partibus quantitativis, ex partibus heterogeneis, et compositionem ex natura corporali et spirituali, qualis est in homine. Quibus compositionibus veris agnitis, et falsis remotis, quaerit S. Doctor de compositione ex materia et forma.

Ex quo iam patet, S. Bonaventuram distinguere inter haec duo: compositionem ex materia et forma, et compositionem ex natura corporali et spirituali. Ratio est, quia compositionem ex materia et forma identificat cum compositione ex diversis naturis, quae se habeant uti possibilis et actualis, ac proin redundant in compositionem ex materia et forma. En ipsa verba Seraphici: « Cum in Angelo sit ratio mutabilitatis, « non tantum ad non esse, sed secundum diversas proprietates; « sit iterum ratio possibilitatis; sit iterum ratio individuali- « tatis et limitationis; postremo ratio essentialis compositionis « secundum propriam naturam: non video causam, nec ratio- « nem, quomodo defendi potest, quin substantia Angeli sit « composita ex diversis naturis. Et essentia per se entis si « composita est ex diversis naturis, illae duae se habent per « modum actualis et possibilis, et ita materiae et formae. Et « ideo illa positio videtur verior esse, scilicet quod in Angelo « sit compositio ex materia et forma » [1]. Optime quidem, sed in hoc modo arguendi vox *natura* sumitur pro elementis naturae, et vox *materia* sumitur in sensu altiori minus stricto, ac solet sumi quando sermo est de compositione ex materia et forma.

Itaque nil mirum si S. Bonaventura, dilatando sensum formulae, affirmat huiusmodi compositionem esse vere in Angelis praedicandam; dum S. Thomas eam non admittit nisi improprie dictam.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELI SINT IN ALIQUO MAGNO NUMERO.

I. **De ipsa Quaestione.** -1) A duplici excessu in hac quaestione nobis cavendum est.

a) Aliqui, uti Rabbi Moses [2], intuentes spiritualitatem substantiae angelicae, atque existimantes numerum involvere

[1] II *Sent.* Dist. III, art. 1, q. 1.

[2] *More Nevoch.* l. II.

materiam, dixerunt, Angelos non esse in numero, utpote supra numerum. Sed haec est imaginatio falsa. Confundit enim numerum quantitativum cum numero trascendentali [1]. Si enim in SS. Trinitate datur verus numerus personarum, quare in Angelis numerus repugnaret? Numerus enim nihil addit numeratis nisi apprehensam rationem discreti et ordinem ad alia quibuscum numerantur. Quare, licet Angeli sint puri spiritus, « inest tamen, - ut Fulgentii verbis utar - naturalis « terminus, quo a se invicem discernuntur » [2].

b) Alii, in oppositum excessum abeuntes, ponunt numerum infinitum. Hinc propositio illa olim, teste Stephano Episcopo, Parisiis damnata: « Substantiae separatae sunt in actu infi- « nitae. Infinitas enim non est impossibilis nisi in rebus mate- « rialibus ». Quem errorem Gulielmus Parisiensis multiplici argumento confutat [3].

2) Quid igitur? *a*) Scriptura docet, Angelorum agmina esse immensa, uti constat ex textibus in *Sed contra est* afferendis. - *b*) Sed et ratio id suadet. Quum Angeli sint creaturae nobiliores, digniorem Deo aulam efformantes, condecens est ut ad splendorem universi augendum, et ad maiestatem summi regis exprimendam, innumerabili prope multitudine constent. - *c*) Adde harmoniam dogmatis. Nam α) si tot Angeli custodes hominibus deputantur, oportet ut permagnus sit eorum numerus; - β) pariter, si in caelesti urbe catervae Beatorum compensare debent ruinam daemonum, necesse est ut a saeculorum initio exercitus Angelorum fuerit numero summus; - δ) demum pietas libenter intuetur Angelorum choros per orbem sparsos ad eucharisticum Regem in omnibus tabernaculis, in omni sacro collaudandum et adorandum; quae amorosi cultus legatio supponit Angelorum numerum esse immensum.

3) Si iam agitur de hoc numero pressius determinando, sicuti tacet revelatio, - nam numeri in Scripturis allati non sunt nisi globales, - scriptores sacri abeunt in varias sen-

[1] Cf. quae de numero scripsimus in tract. *De Deo Trino* p. 310, sqq.

[2] *De fid. ad Petr.* c. 3. Sequentia verba: « quia nullus eorum in alio est », urgeri non debent. Nam licet divinae personae sint singulae in aliis, nihilominus realiter ab invicem distinguuntur, et ut distinctae numerantur.

[3] In I par. 2 *de Univ.* c. 63.

tentias, quarum praecipuas ordine gradationis decrescentis exhibere placet.

a) Aliqui scriptores problema declinantes potius quam solventes, affirmant numerum Angelorum exsuperare omnem numerum humanae menti pervium. Ita S. Cyrillus [1] Angelorum multitudinem vocat ἀναρίθμιον. Et Severianus Galab. affirmat, eos « omnem numerorum naturam excedere » [2]. Cui loquendi modo consonat auctor *Caelestis Hierarchiae*, ab Angelico in huius articuli *Corpore* allatus [3].

Ad hanc sententiam appropinquat Æneas Gazaeus, qui tam ingentem putat esse Angelorum multitudinem, « ut etsi « velit Deus ad decem annorum millia hominum propagare « vitam, non tamen aequales numero futuras putem homi- « num animas Angelorum daemonumque multitudini » [4]. Consentit et S. Chrysostomus: « Dena sunt millia myriadum « Angelorum supra, et decies centena millia Archangelorum: « item Throni et Dominationes et Principatus et Potestates: « et infiniti populi corpore carentium virtutum ac gentes « innumerabiles » [5].

b) Accedit mitior sententia, innixa parabolae hominis, qui relinquit nonaginta novem oves in montibus, ad unam ovem perditam requirendam [6]. En, aiunt, ex ipso divino eloquio, numerica proportio inter homines et Angelos est sicut unum ad nonaginta. « Ovis una homo intelligendus est; et « sub homine uno universitas sentienda est. Sed in unius « Adae errore omne hominum genus aberravit. Ergo nona- « ginta novem non errantes, multitudo Angelorum caele- « stium opinanda est; quibus in caelo est laetitia et cura « salutis humanae ». Ita S. Hilarius [7]. Et Ambrosius adhuc

[1] *Orat. pasch. 12 Angel.*

[2] *Orat. 4 de opif. mundi.*

[3] De controversia circa sensum huius testimonii lege PETAVIUM (Op. cit. *De Ang.* l. I, c. XV, n. 11, sq.).

[4] In Theophrasto.

[5] Homil. 2 *de Incompreh.* et addit: « et tamen has omnes virtutes tanta facili- « tate condidit, quantam sermo nullus assequi potest ». — Mixtam aliquam sententiam tenet auctor Commentarii in Apocalypsim, quod diu Ambrosii nomine celebratum est. Hic enim putat, numero comprehendi Angelos ad officia in mundum deputatos; at sine numero esse illos « qui in caelestibus cum Domino conversantur » (C. 17).

[6] MATTH. XVIII, 12; LUC. XXV, 4.

[7] *In Matth.* hoc loco.

pressius dicit: « Dives igitur Pastor, cuius omnes nos cente-« sima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelo-« rum, Dominationum, Thronorum, aliorumque innumera-« biles greges » [1]. Concordat S. Gregorius Nyssenus [2]. Quae comparatio si valet de numero hominum cum beatorum Angelorum collato, nihil efficit quoad numerum daemonum; nisi, de quo mox, dicatur homo ad hoc destinatus, ut sedes vacuas in caelo impleat. Sed quid tunc de numero hominum, qui salutem non assequuntur? - Hanc immensam superexcedentiam Angelorum prae hominibus Cyrillus Hierosol. non solum ex eadem parabola corroborat, sed et ex proportione loci quem occupat homo, eo quod « ex loci magnitudine inco-« larum multitudo aestimari solet: est autem universa terra « puncti instar in unius caeli medio » [3]. Quae sane comparatio, si urgeretur, longe maius discrimen involveret quam unius ad centum, nosque in mediam sententiam praecedentem immitteret.

c) Omissa sententia quae tenet proportionem unius ad decem, ob parabolam decem drachmarum [4], mitior quaedam sententia ponit aequalitatem inter bonorum numerum Angelorum et hominum, idque ex verbis Deuteronomii: « Con-« stituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum « Dei » [5]. Ita auctor Quaestionum ad Antiocum [6].

d) Ad hanc proportionem appropinquat sententia quae tenet, homines destinari ad sedes lapsorum Angelorum implendas, imo numero superandas. Quam sententiam exponunt S. Augustinus et S. Anselmus, at non ita ut non admittant superexcedentiam beatorum hominum super numerum Angelorum lapsorum. S. Augustinus dubitando loquitur. « Deus, « iuxta Hipponensem, tantum populum per gratiam suam « colligit, ut inde suppleat, et restauret partem quae lapsa

[1] *In Luc.* l. VII, c. 15.

[2] Libr. 11 *ctr. Eunom.*

[3] Catech. 13. — Immensum pariter discrimen numericum affirmat Titus Bostrensis, qui et inde dicit, Christum gregem hominum vocasse pusillum. (Comment. Luc. c. XII).

[4] Luc. XV. 8.

[5] Verba in hebraico sunt בְּנֵי יִשְׂרָאֵל; sed in versione graeca legebatur ἀγγέλων Θεοῦ.

[6] Q. 6. — Hoc opus passim prostat inter opera S. Athanasii.

« est Angelorum, ac sic illa dilecta et superna civitas non « fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis et « uberiore laetetur » [1]. - « Itaque superna illa Hierusalem « mater nostra, civitas Dei nulla civium suorum numerosi- « tate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse re- « gnabit » [2].

Addit tamen ignorari hunc « numerum sanctorum homi- « num aut immundorum daemonum ». At paulatim sparsa est opinio textui Apocalypseos innixa [3], tertiam partem Angelorum cecidisse. Sanctus Anselmus longam disputationem claudit affirmando, « plures homines electos futuros, quam « sint angeli mali » [4]; quia scilicet numerus sanctae civitatis non erat absolutus per solum numerum Angelorum ab exordio creatorum. Quare destinantur quidem homines ut vacuas sedes impleant, sed non solum illas. Etenim S. Anselmus sat probabile iuxta S. Gregorium [5] censet, tot futuros homines sanctos quot permanserunt Angeli boni. Quare existimat minorem partem Angelorum cecidisse. Porro si animadvertitur, scriptores sacros passim existimare, nonnisi longe minorem partem hominum consequi salutem [6], facile est videre, numerum Angelorum in hac sententia esse potius minorem quam hominum.

Et haec satis sint de hisce coniecturis; sunt enim, ut Anselmi verba adhibeam, « de illis rebus, de quibus diversa sen- « tiri possunt sine periculo » [7], imo, praeter ea quae docet fides, prope sine fructu.

[1] *De civit. Dei*, t. XXII, c. 1.

[2] *Enchirid.* 29.

[3] C. VIII, 12.

[4] *Cur Deus homo,* l. 1. c. 18, versus finem. — *P. L.* CLVIII, col. 389. *G*: — cf. col. 387, *BC*.

[5] En verba S. Doctoris: « Superna illa civitas ex Angelis et hominibus constat: « ad quam credimus tantos humani generis ascendere, quantos illis contigit Angelos « remansisse, secundum illud Deuteronomii: " Statuit terminos populorum iuxta « numerum Angelorum Dei " (Homil. 34 in Evang.). De utraque lectione " Ange- « lorum Dei " et " filiorum Israël " », fuse disserit S. Anselmus (Ibid. col. 387, sqq.). — Lombardus sententiae S. Gregorii simpliciter adhaeret: « Non ad numerum eorum « qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt homines ad beatitudinem admittun- « tur » (II Sent., Dist. IX). — Consentit et Gulielmus Parisiensis (In 2 par. sec. par. *de Univ.* c. 18).

[6] Petavius ait: « Neque enim tertia pars hominum aeternam vitam assequetur » (op. cit. l. c. n. 14). Quam sententium hic dumtaxat refero.

[7] Ibid. col. 385, *A*.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit numerum, qui est species quantitatis, cum numero transcendentali. Si valeret obiectio, non solum esset contra magnum, sed et contra omnem Angelorum numerum.

2. Obi. Confundit multitudinem ratione compositionis et multitudinem ratione individuorum.

3. Obi. Procedit ex falsa imaginatione, quasi substantiarum separatarum unica ratio esset earum effectus in corpora.

4. Obi. Ex simili vitio procedit quoad materiam.

Sed contra est. Abundant Scripturae testimonia, quae magnum numerum Angelorum proclamant. Praeter nomen « Domini exercituum », seu caelestium agminum, habes praesertim sequentia: « Apparuit (Dominus) de monte Pharan « et cum eo sanctorum millia » [1]. - « Currus Dei decem mil- « libus multiplex, millia laetantium » [2]. - « Numquid est nu- « merus millium eius? » [3]. - « Ecce mons plenus equorum, « et curruum igneorum in circuitu Elisei » [4]. - « Millia mil- « lium ministrabant ei, et decies millies centena millia assi- « stebant ei » [5]. - « Et subito facta est cum Angelo multitudo « militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria « in altissimis Deo » [6]. - « An non possum rogare Patrem, « et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelo- « rum? » [7]. - « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei « viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium Ange- « lorum frequentiam » [8]. - « Audivi vocem Angelorum mul- « torum in circuitu throni et animalium et seniorum, et erat « numerus eorum millia millium » [9].

De spirituum malorum numero habes: « Quid tibi nomen « est? - At ille dixit: Legio: quia intraverunt daemonia « multa in eum » [10].

[1] Deut. xxxiii, 2.
[2] Ps. lxvii, 18.
[3] Iob. xxv, 3.
[4] IV Reg. vi, 17.
[5] Dan. vii, 10.
[6] Luc. ii, 13, 14.
[7] Matth. xxvi, 53.
[8] Hebr. xii, 22.
[9] Apoc. v, 11.
[10] Luc. viii, 30.

Porro numerum cum Angelorum natura sive bonorum sive malorum non repugnare, constat ex verbis praecisis: « Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem qui astamus « ante Dominum » [1]. - « Apparuit primo Mariae Magdalene, « de qua eiecerat septem daemonia » [2].

Patrum doctrinam iam satis exposuimus.

In Corpore. Accipe argumentum schemate expressum.

- **A. Erraverunt de numero Angelorum**
  - I) Plato, ponens substantias separatas esse species rerum sensibilium: — repugnat, nam et ipsa materia est de hac ratione.
  - II) Aristoteles, restringens angelos ad numerum primorum motorum: — falsa hypothesis, primaria enim ratio Angelorum altior.
  - III) Rabbi Moyses utrumque concilians dicit: angeli
    - 1) in sensu proprio, — sicut ait Aristoteles, sunt primi motores;
    - 2) in sensu improprio,
      - *a*) homines, nuntii divini;
      - *b*) virtutes rerum naturalium;
      - (contra modum loquendi Scripturarum).
- **B. Vera sententia docet, summam esse substantiarum separatarum multitudinem:**
  - I) ita diserte *fides:*
    - 1) per Scripturas,
    - 2) per Ecclesiae traditionem.
  - II) ita et *ratio:*
    - 1) Spiritus excedunt corpora dignitate et finalitate;
    - 2) ergo decet ut ea excedant etiam multitudine.

Observa gradationem in *Corpore* expositam. *a*) Plato limitat substantias separatas ad numerum specierum rerum sensibilium; *b*) Aristoteles, hoc iure reiiciens, at nondum totum tenens, affirmat tot dari substantias separatas, quot sunt caelorum motus, ad quos ordinantur; *c*) Rabbi Moyses, adhuc conceptum amplificans, consentit cum Aristotele, sed addit Angelos improprie dictos. *d*) Veritas catholica adhuc longe amplior, ponit substantias separatas in maximo numero, quin ordinentur directe nec ad species, nec ad corporum motus, nec ad materiam.

[1] Tob. xii, 15.

[2] Marc. xvi, 9.

In ultima parte *Corporis* distingue inter argumentum ipsum, et modum quo S. Thomas, iuxta scientiam physicam sui temporis, argumentum evolvit.

Porro de ordine mirabili, qui in his agminibus caelestibus regnat, inferius dicemus, ubi de angelica hierarchia.

Conclude cum Card. Toleto, numerum Angelorum non sumi aliunde, quam ex divina sapientia disponente Angelorum ordines prout vult [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELI DIFFERANT SPECIE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Placet hanc virgultosam investigationem inducere verbis modestissimis magni Augustini: « Quod sint Angeli, firma fide credo; quod differant, non « dubito; *quomodo differant, ignoro* » [2]. « Esse itaque Sedes, « Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus appa- « ratibus firmissime credo, et differre inter se aliquid, indu- « bitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum » putas esse doctorem, quaenam ista sint et *quid inter se* « *differant*, *nescio*. Nec ea sane ignorantia periclitari me « puto ». Et alibi, posita eadem quaestione, ait: « *Quid inter se* « *distent*... dicant, qui possunt; si tamen possunt probare quod « dicunt; ego *me ista ignorare confiteor* » [3].

Quibus verbis libenter hanc disputationem et nos clauderemus, nisi quaestio esset saltem illustranda, ostendendo quid de ea Patres olim tradiderint, quid a Scholae tempore theologi opinentur. De Patribus dicemus in *Sed contra est;* heic statum quaestionis apud theologos exhibebimus, breviterque nostram de hoc argumento sententiam, si tamen sententiam, proferemus.

[1] *Enarr. in S. Thom.* hoc loco. Existimat ibidem praeclarus hic theologus, numerum Angelorum exsuperare numerum rerum corporalium. In quo contradicit Card. Caietano, qui censet individua omnia mundi simul excedere numerum Angelorum (hoc loco). — Nec tacenda hic S. Birgitta, quae in suis revelationibus affirmat, tam immensum esse Angelorum numerum, ut sufficeret ad decem Angelos custodes tribuendos singulis simul sumptis hominibus, qui per totum decursum saeculorum vixerunt, vivunt et vivent.

[2] *Ad Oros.* c. 11.

[3] *Enchirid.* c. 58.

2) Et quidem ab exordio certa et incerta sedulo sunt distinguenda. *a*) Duo certa sunt: α) non esse eiusdem speciei seu naturae spiritus Angelicos et animas humanas, uti Origenistae falso docebant; - β) in ipsis Angelis dari distinctiones, quarum ope non solum hypostases distinguuntur ab invicem, sed etiam agmina angelica in mirabilem hierarchiam distribuuntur. De qua hierarcha in Quaest. CVIII data opera sermo redibit.

b) Incerta autem sunt tria: distinctio, sine qua nequit angelica hierarchia concipi, estne talis, quae α) faciat omnes Angelos ab invicem distingui specie; - β) vel solum ordines, aut saltem hierarchias Angelis eiusdem speciei constantes; - γ) vel omnes relinquat eiusdem speciei, in qua non sint nisi totidem gradus?

3) Porro tot habentur de hac re sententiae, quot sunt possibiles. Specie differre omnes ab invicem Angelos, alii affirmant, alii negant, alii medium tenent. Qui autem affirmant, *a*) alii, cum Schola Thomistica passim, ita dicunt Angelos differre specie, ut negent eos aliter differre posse. *b*) Alii, mitius sentientes, affirmant quidem eos specie differre, non tamen negant Deum facere potuisse ut aliter ab invicem distinguerentur. - Qui negant omnes Angelos differre specie, *c*) alii admittunt differentiam specificam inter ordines aut saltem inter hierarchias; *d*) alii quamlibet distinctionem specificam recusant, quin tamen eam impossibilem affirment; *e*) alii demum opinantur, hanc distinctionem esse impossibilem. Unde qui tenent sententiam ultimam, toto caelo distant a patronis sententiae primae. Monemus autem, non esse semper facile dictu, utrum aliquis scriptor primam aut secundam quartam aut quintam sententiam teneat.

a) Prima sententia passim tribuitur S. Thomae; quo iure, investigabimus in *Corpore* textus. Hanc sententiam inter alios strenue defendunt Caietanus, Ioannes a S. Thoma, Billuart, Gonetus, et inter coaevos Card. Satolli [1]. Impossibilitatem tantopere propugnat Gonetus, ut alteram conclusionem ponat: « de potentia Dei absoluta, non posse Angelos intra « eamdem speciem multiplicari ». - *b*) Secundam sententiam

[1] In operibus citatis, hoc loco. — Adde Paquet (op. cit., hoc loco), et Glossner (op. cit., p. 268, sq.).

inter alios e Schola Thomistica tuentur Bannez, Ferrariensis [1], et Sylvius [2]; qui ultimus, postquam probabilem ostendit sententiam S. Thomae, hanc propositionem fulciendam aggreditur: « per absolutam Dei potentiam possent creari Angeli eius- « dem speciei, qui solo numero differrent »; et pro hac sententia vindicat, praeter ipsum Aquinatem, Ægidium Romanum, Capreolum, Dominicum Bannezium et Cumel. - In favorem huius sententiae multum solent urgere damnatum articulum 81 Parisiensem: « Si quis dixerit, Angelos non posse plu- « res numero sub una specie esse, quia immateriales sunt: « error » [3]. Unde Dionysius [4] dixit, quod, si S. Thomas viveret, post ipsum sententiam retractaret. - *c*) Tertiam sententiam propugnant, licet non eodem modo, Alexander Halensis [5], Gabriel Biel [6], Dionysius Carthusianus [7], etc.; eamque tuetur Tournely, cuius conclusiones hic afferre iuvat. « 1) Certa fide « non constat utrum omnes Angeli sint unius aut diversae

[1] Super hanc Quaest.: alter in hoc loco *Summae theol.*, alter in *Summ. ctr. Gent.*

[2] Op. cit., hoc. loco.

[3] Alia praepositio consimilis aeque damnata ponit principium cui haec positio innititur, scilicet, materiam esse principium multiplicationis formarum; et tertia propositio affirmat, Deum non posse creare plures spiritus puros eiusdem speciei. Censura diserte affirmabatur esse « contra fratrem Thomam ». Haec agebantur anno 1277. Ubi autem, anno 1323, « frater Thomas » Sanctorum albo est insertus, sodales ipsius Ordinis instantius rogarunt, ut illa damnatio tolleretur. Precibus annuit Universitas Parisiensis, declarans Sanctum Thomam nihil unquam docuisse fidei moribusque contrarium, propositionesque olim damnatas liberae deinceps discussioni relinquens. Conatus est de Rubeis demonstrare, has propositiones non fuisse olim contra Angelicum latas; sed oppositum victoriose ostendit Iourdain *(La philosophie de S. Thomas* II, a. 48, sq.). — Cf. de hoc argumento et Haureau *(Histoire de la philosophie scolastique* II, 96).

[4] D. III, q. 3.

[5] II. P. Q. XX, membr. 6, art. 1, 2. — Meritum Alexandri est, nitide sententiam suam expressisse, ubi praecedentes scriptores formulis minus praecisis utebantur. Hugo Victorinus dixerat: « Rationabile est illas quoque spirituales naturas.... non « indignas et in essentia et in forma differentias et gradus in ipso mox exordio cogni- « tionis suae accepisse » (*De Sacram.* I, v. 9). — Lombardus Hugonem quasi ad verbum transcribit, affirmationem urgendo; nam loco « rationabile est », dicit: « cre- « dendum est » (II Sent., Dist. III). — Cf. de vicissitudine historica huius quaestionis Turmel (*L'Angélologie depuis le faux Denys l'Aréopagite. — Revue d'hist. et de littérat. relig.* 1899, d. 419, sqq.). — Qua in elucubratione, sane erudita, rursus nonnulla occurrunt minus modeste dicta, uti, v. gr. quod p. 149 legitur: « Il serait inutile « de demander au pape Grégoire des indications sur le problème de la distinction « spécifique des anges. Grégoire est, en effet, un homme pratique pour qui le méta- « physique est un monde fermé ».

[6] Dist. III, q. 1.

[7] Di

« speciei - 2) Certum est, dari plures Angelorum species. - « 3) Certum esse videtur, possibile esse sub una specie dari « plures Angelos solo numero differentes. - 4) Probabilius est, « non omnes Angelos esse unius et eiusdem speciei. - 5) Pro- « babilius etiam est, non omnes Angelos differre specie, sed « plures esse eiusdem speciei et numero solo differentes » [1]. Negari nequit, hanc sententiam sat validum fulcimen accipere a doctrina theologica de hierarchia Angelorum, quatenus melius intelligitur, immensa Angelorum agmina distribui per tres hierarchias et novem ordines, si istae hierarchiae sive ordines sunt tot veluti genera proxima et species, quorum singuli Angeli constituunt veluti individua gradibus dumtaxat distincta. - *d*) Quarta sententia plures habet patronos, inter quos afferre sufficiat Albertum M., Gulielmum Parisiensem [2], S. Bonaventuram [3], Scotum, Durandum, Henricum Gandavensem [4]. De sententia S. Bonaventurae in apposita Appendice dicemus. His theologis adnumerandus est imprimis Card. Toletus, cuius conclusiones ita sonant: « 1) Plures An- « geli possunt esse sub una specie. - 2) Omnes Angeli sunt « eiusdem speciei, sicut omnes homines: eorum distinctio est « in perfectionibus non essentialibus, sicut etiam inter ho- « mines multi ordines et gradus reperiuntur. - 3) Probabilis « est sententia secunda (tertia nostra), aliquos specie differre: « omnium improbabilissima est opinio tertia, (scilicet prima « nostra S. Thomae) ».

Fateor, comparationem in secunda conclusione adductam non esse valde suasivam; imo prope nullam pro eo qui tenet, omnes animas humanas infundi corporibus quidditate aequales, et non accipere suas graduum differentias nisi a corpore, et ex connubio vitali cum corpore.

Princeps suum argumentum ad hanc secundam conclusionem demonstrandam Toletus desumit a modo loquendi Patrum: « In iis quae ratione non demonstrantur, sed libera

[1] *Praelect. theol.* l. II, *de Angelis,* q. II, art. 3.

[2] Hic audacter S. Thomam impugnat, conaturque demonstrare, doctrinam ipsius conducere ad intellectum impersonalem Averrois.

[3] S. Bonaventura passim huic sententiae adscribitur, licet sententiam praecedentem non excludat, uti in proxima Appendice ostendemus.

[4] Reverentiae causa Henricus non impugnat S. Thomam, sed Aristotelem, auctorem principii, cui Aquinas innitebatur.

« Dei voluntate, sed occulta quidem fiunt, standum est dictis « Doctorum sanctorum, quos credendum est non absque Dei « particulari illuminatione locutos: sed Angelorum distinctio, « a voluntate Dei pendet, quum nil repugnet esse speciei « unius: id ergo tenendum est, quod Sancti docent ». Et pergit ostendendo de hac re communiorem sanctorum Patrum doctrinam esse, quam ipse tuetur [1]. Non multum aliter Petavius: « Ii (Patres) in eam partem maiorem numero consentiunt, « ut eiusdem omnes esse speciei dicant Angelos, ac solis « dignitatis gradibus et qualitatibus differre invicem. Itaque « hoc potius amplectamur; si quidem in istis, quae adeo « semota sunt ab usu nostro ac sensibus, plus auctoritate, « quam ratione, quae vix ulla satis firma suppetit, moveri « consuevimus » [2].

e) Quintam sententiam, modeste quidem, defendit Cl. Palmieri: « Imo dubitari potest an sit possibilis inter eos haec « specierum differentia. Oporteret enim notas aliquas essen- « tiales in quibusdam reperiri, quae deessent aliis, sicut in

[1] Op. cit. hoc loco. — Alias rationes Toletus addit quinque, quas, ut minus dicam, non omnes probantes existimo. Quarta haec est: « Potuit redimere Angelos « per assumptionem naturae ipsorum, sicut homines; nec ullus id negare potest. Non « ergo est necesse specie differre: tunc enim oportebat naturam assumptam esse alte- « rius speciei; et ita non diceretur esse solutio debiti, sicut in homine, quum diversa « sit natura solventis a debitore ». Nonnihil sane in hac argumentatione deficere, ex alibi expositis liquet. Argumentum autem princeps Thomistarum doctus Cardinalis hoc modo confutat: « Si Angeli solo numero differre non possunt: esset quia non « habent materiam, per quam numeralis distinctio fit: sed id non est necessarium; « ergo non est ulla causa, cur id esse non possit. Discursus est notus; maior est « vera, quia nulla est alia ratio, nisi illa: sed minor probatur. Formae substan- « tiales differunt numero, et non per materiam; similiter formae accidentales; ergo « non per materiam fit multiplicatio. Ostendo antecedens. Fiat ex aëre aliqua pars « ignis, et rursus ex hoc igne aër. Dic mihi: forma aëris corrupti, et forma geniti « sunt eadem numero? Si dicis esse, ergo naturaliter corruptum reparatur idem « numero: si non eadem, sed numero diversa, quum una eademque sit materia « numero, ergo illae formae se ipsis numero differunt, non per materias distinctas. « Cur ergo non potest conservare Deus illas duas formas simul extra materiam, et « sic distinctae erunt se ipsis? Praeterea dic mihi: calor huius manus estne idem « numero cum calore heri corrupto eiusdem manus? Certum est non esse: non ergo « formae per materiam multiplicantur, quae una exsistente, plures possunt esse. « Denique, velis nolis, necesse est in tua opinione ad duo pervenias, quae se ipsis « numero differunt. Nam, responde, quare duae formae duorum ignium differunt? « dices: per distinctas materias. Rursus: quare materiae? dices: per duas quantitates. « Rursus: quare duae quantitates? necessario dices: se ipsis numero distinguuntur. « Habeo ergo intentum ».

[2] Op. cit., loc. cit., c. XIV, n. 7.

« homine est rationalitas, quae deest bruto. At in puris intel-
« ligentiis discrimen excogitari nequit, quam maioris et mi-
« noris vis in intelligendo, et consequenter in volendo et
« agendo. Verum hoc discrimen non infert diversas notas, sed
« solum diversos perfectionis gradus » [1]. Et Suarezius non suo sed aliorum nomine, quos in praecedenti sententia attulimus, hanc rationem ita evolvit: « Tertio argumentantur ali-
« qui philosophice, quia in tanta simplicitate, quanta est ange-
« lica natura, videtur impossibilis specierum multiplicatio,
« cum in attributis omnibus et potentiis, intellectu scilicet
« et voluntate et modo operandi conveniant. Et confirmatur,
« quia spiritualis substantia in duos gradus distincta est, ratio-
« nalem scilicet et intellectualem; sed spiritus seu anima
« rationalis non potest secundum speciem multiplicari; ergo
« nec spiritus intellectualis, seu angelica natura illius distinc-
« tionis capax est » [2].

Dubiam quaestionem relinquunt inter alios Card. Mazzella, qui, exemplum Augustini afferens, ait: « Nobis satius
« erit ignorantiam nostram hac in re confiteri » [3]. Chr. Pesch. allatis sententiis S. Thomae, Suarezii et Toleti, concludit: « Res est incerta, et tota fere quaestio est de modo loquendi
« circa ea, quae captum nostrum excedunt. Hoc unum cer-
« tum est, Angelos non ut homines eatenus unam speciem
« constituere, quatenus ab uno parente descendant » [4]. Inde bene monet Cl. Schell, non parvam in hac re confusionem parere, quod ad Angelos transferantur conceptus derivati a rebus quae multiplicantur per generationem [5].

[1] Op. cit., th. XXIV, 3.

[2] *De Ang.* l. I, c. 12. — En ipsius Suarezii conclusiones: « Dicendum est primo,
« potuisse a Deo creari Angelos specie differentes. — 2) Longe probabilius est, in gradu
« angelico inveniri plures spiritus specie et essentia substantialiter differentes ». Et adducta auctoritate S. Thomae, inclinat in admittendam magnam in Angelis specierum varietatem. Non autem dicit se non aliam in Angelis differentiam admittere quam specificam. Quare videtur Suarezius collocandus cum scriptoribus qui tertiam sententiam amplexi sunt.

[3] Op. cit., loc. cit.

[4] *Praelect. dogm.* t. III, tract. 1, sect. 5, art. 2. — Dubius quoque haeret Scheeben; at in sententiam mediam inclinari videtur. — (Op. cit., n. 229, 230).

[5] « Allerdings fällt im Geisterreich ein Kriterium der species weg, nämlich die
« geschlechtliche Fortpflanzung. Was auf die Dauer zeugungskräftig ist und was
« durch die Fortpflanzung dauernd erhalten wird, — so lange die Weltverhältnisse
« keine wesentliche Änderung erfahren, — das gehört zur Einheit und zum We-

5) Quinque praemissae sententiae possunt ad tres principaliores reduci: ad primam seu secundam, ad tertiam, et ad quartam seu quintam. Nam si factum consideratur, patroni secundae et quartae sententiae concordant cum patronis primae, et quintae. Imo, uti monuimus, interdum vix constat, utrum aliquis auctor non solum secundae aut quartae, sed an et primae aut quintae sit adscribendus. Nec mirum, quum de ipso Aquinate dubium inter ipsos Thomistas agitetur.

Quare quinque praedescriptas sententias ad tres illas deinceps reducemus, quae dicunt: 1) Angelos omnes differre specie (*a*, *b*); 2) Angelos differre speciebus et in eadem specie gradibus (*c*); 3) Angelos nullos differre specie, sed tantum gradibus (*d*, *e*).

6) Praemissis itaque variis sententiis, iam breviter ad easdem ponderandas accedamus.

Princeps argumentum Thomistarum, - liceat hoc nomine patronos huius sententiae appellare, - est idipsum quod S. Doctor in hoc *Corpore* evolvit: immunitas scilicet Angelorum a compositione ex materia et forma; unde, quum multiplicabilia individua non multiplicentur in eadem specie, nisi ratione materiae cui admiscentur, impossibile est, Angelos esse plures in eadem specie. - At vix apparet plena vis huius argumenti. Demonstrat utique Angelos non posse esse plures in eadem specie, sicuti entia composita ex materia et forma; sed non videtur probare omnimodam impossibilitatem ut sint

« sensbegriff der Art. Es giebt viele Verschiedenheiten inhaltlicher Beschaffenheit, « welche die Einheit der Art und des Artbegriffs nicht aufheben; man nennt sie indi- « viduelle Eigentümlichkeiten. Bei dem reinen Geiste kann es individuelle Eigen- « tümlichkeiten inhaltlicher Beschaffenheit nicht geben, welche nicht zugleich einen « Artunterschied bedeuten; denn es ist kein Grund vorhanden, zwischen individuel- « ler und specifischer Beschaffenheit einen Unterschied zu machen, wenn das Krite- « rium wegfällt, nach welchem die ersten den Geschlechtszusammenhang nicht stö- « ren, die anderen ihn bedingen. Nur ein subjektiver Gesichtspunkt ist denkbar, um « bei einer Menge von mehr oder minder verschiedenen Geistern, welche nicht von « einander abstammen, gewisse Unterschiede wesentlich oder specifisch, andere hin- « gegen unwesentlich oder individuell zu nennen: um nämlich in das Chaos der vielen « Einheiten, welches sich schwer übersehen lässt, eine gewisse Ordnung zu bringen. « Dieselbe lässt sich vergleichen mit der Klassifikation der ganzen Zahlen in Grup- « pen: alle Zahlen sind specifisch verschieden, weil jede Hinzufügung das Wesen « ändert. In diesem Sinne sind auch die Geister wesentlich verschieden, wenn zwi- « schen ihnen irgendwie ein Unterschied an Vollkommenheit, wäre er auch noch so « klein, obwaltet ». (*Kathol. Dogmatik*. t. II, p. 184, sq.).

in eadem specie plures. Nam composita, praeter modum quo multiplicantur, - per generationem scilicet, quae utique sine materia dari nequit, - sunt tamen quoque distincta quoad entitatem formae. Quidditas scilicet unius individui non est solum distincta a quidditate alterius ob materiam distinctam, sed et ob distinctam formam. Etenim τὸ *quo est* pervadit totum, formam non minus quam materiam, imo plus quam materiam, quia plus confert ad τὸ *quod est*. Et sane, ut exemplo utar, quidditas huius equi distincta a quidditate illius equi non solum provenit a distinctione materiae huius et illius, sed et a distincta utriusque forma.

Quod si iam verum est de his entibus, in quibus forma undequaque alligatur materiae; a fortiori verum erit de homine, utpote in quo, pereunte corpore, anima perdurat immortalis. Singulae animae, dum infunduntur, habent suam entitatem distinctam in seipsis, quia distinctae creantur, et non solum quia distinctis materiis infunduntur. De quibus animis a Deo creatis quaero, suntne omnes animae quantitate formali prorsus aequales, ita ut non distinguantur nisi numerica concretione, et proin anima Christi aut B. Virginis quoad quantitatem formalem nihil originaliter differre potuerit ab anima Iudae aut meretricis; - an dantur ibi gradus perfectionis, ita ut perfectior anima vel perfectiori corpori, vel sublimiori praedestinationi, adde pro Christo altitudini hypostaticae dignitatis, aptetur perfectior? - Si hoc prius est verum, id manifesto, imo plus valere debet de Angelis. Unde si ob istos perfectionis animarum intrinsecos gradus non specifice discernuntur homines: cur hi gradus involverent hanc distinctionem specificam in Angelis? - Si alterum est verum, tunc saltem sequitur, posse dari plures Angelos omnino aequales, qui non differant nisi quoad distinctionem numericam suppositorum.

Caeterum in Angelis, quid est genus, quid species, quid gradus individuans? Si negas gradus in eadem specie; cur non et species in eodem genere? Scilicet hae notiones desumptae sunt ex rebus, quae per generationem conservantur et multiplicantur. At in Angelis nihil huiusmodi. Nonne igitur sanius est praedicare dumtaxat in Angelis differentias seu gradus, reductibiles utique ad varios ordines seu

hierarchias iuxta mensuram suam, sed omittere quaestionem ultiorem, utrum sint in eadem specie, necne? Iam id animadvertit S. Anselmus haec scribens: « Homines sunt « eiusdem naturae et generis seu propagationis, quia unus ab « alio; at Angeli omnes sunt eiusdem naturae sicut homines, « sed non eiusdem generis, quum inter illos non sit gene- « ratio » [1].

Igitur eatenus possunt dici omnes Angeli esse specie diversi, quatenus gradus quibus distinguuntur, sunt totidem discrimina quae in essentiam redundant, et hoc sensu bene loquitur S. Thomas. Eatenus autem dici possunt non esse specie diversi, quatenus haec discrimina possunt considerari tanquam constituentia gradus, non autem novas specificas notas. Adde, modum, quo se habent Angeli ad invicem, non esse talem, qui utiliter per species designetur. Quare aliam libentius in hac quaestione terminologiam adhiberemus; quin tamen quoad rei medullam a sententia S. Thomae recedendum esse censeamus: dicendo simpliciter, in Angelis dari distinctionem hierarchiarum in eadem natura, ordinum in eadem hierarchia, et graduum in eodem ordine. Quae enim ad Angelos spectant, angelica terminologia melius exprimuntur quam humana.

Quod si velis insistere impossibilitati ut plures Angeli ab invicem differentes, non differant et specie, quia haec differentia non aliter derivari potest, quam a differenti virtute intellectiva, positiva et activa, radicata in differenti perfectione substantiali; cave, ne nimis cito conclusionem feras. Et quidem propter tria. 1) Primo, quia insuper demonstrare deberes, huiusmodi differentias non posse esse nisi specificas; quod non tam facile obtinebis, quum adversarii ex eodem ipso principio argumentum desumant ad specificas distinctiones excludendas, uti facit Palmieri. - 2) Secundo, quia urgendo nimis hoc argumentum, non modo unitatem specificam, sed et genericam Angelorum inficiaberis, ob ipsam simplicitatem principii intellectualis. - 3) Imo, - et hoc valde notandum, ubi de potentia absoluta Dei fit sermo, - possunt Angeli ab invicem differre ob diversos gradus donorum gratiae, cum eodem

[1] *Cur Deus homo,* l. II, c. 21.

omnino fundamento naturae. Iam vero diversi gradus gratiae non mutant speciem. Ergo possunt Angeli differre gradibus, quin differant specie. Iam vero, quum doctrina nobis de ordinibus Angelicis revelata ad ordinem gratiae certe pertineat, quo iure absolute negaretur, gratiarum gradus gratuito collatos hierarchice Angelos inter se ordinare? - Neque reponas, S. Thomam admittere discrimina naturalia uti diversorum gratiae graduum fundamenta. Non recuso; imo concordiam doctrinae laudo. Sed, si de potentia Dei fit sermo et de re impossibili, quis demonstrabit, non potuisse Deum Angelis conferre gratiae gradus, nisi praesuppositis congruis gradibus naturae? [1].

Quibus considerationibus praemissis, sententiam nostram hisce septem conclusionibus contrahere liceat.

1. **Concl.** - Non repugnat, plures Angelos esse natura prorsus aequales, et nonnisi supposititia entitate distinctos.

2. **Concl.** - Non repugnat, Angelos inter se non differre perfectionibus, nisi quoad varios gradus donorum supernaturalium.

3. **Concl.** - Probabilissimum est, in Angelis tantam adesse varietatem, ut neque duo Angeli dentur naturae dotibus et gratiae prorsus aequales.

4. **Concl.** - Arduum dictu est, utrum omnes gradus perfectionum in Angelis involvant differentiam specificam, quum acuto ingenio theologi ex eodem spiritualitatis purae fundamento ad necessitatem aut ad impossibilitatem specificae differentiae arguant.

5. **Concl.** - Satius videtur, ut de Angelis adhibeatur terminologia angelica, qualem revelatio et catholica traditio suppeditant, dicendo, in Angelis dari discrimina hierarchiarum, ordinum et graduum; omittendo genus et species, utpote a rebus compositis desumpta.

6. **Concl.** - Auctoritas Patrum in hoc argumento non videtur efficaciter adduci posse, quum eorum tempore, - uti ex mox dicendis in *Sed Ctr. est* apparebit, - quaestio nondum sit mota, qualem Scholastici postea investigarunt.

[1] Hanc possibilitatem non videtur satis attendisse Scheeben. Caeterum hic acutus theologus paucis verbis argumentum optime contrahit; concedens utrique sententiae fundamentum probabilitatis, ipseque potius mediam amplectens. — (Loc. cit.).

7. **Concl.** - Tres principaliores sententiae quae affirmant, 1) Angelos omnes differre specie, 2) dari in Angelis species, et plura individua in singulis speciebus, 3) Angelos non differre specie sed solummodo gradibus, sunt aeque catholicae habendae. Prima et tertia oppositae arguunt magis philosophice; media arguit insuper theologice, quatenus, et duplicem possibilitatem admittens et factum considerans, existimat, hoc modo melius componi doctrinam de Angelis in varios ordines distributos.

Et haec impraesentiarum satis sint. Plura addentur, ubi de Hierarchia angelica erit disserendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ex falso intellecto principio de differentia uti nobiliore prae genere. In quo principio distinguendum est. Est nobilior, quatenus indeterminatum determinat, concedo; quatenus determinans est nobilius determinato, subdistinguo: potest esse, concedo; debet, nego.

2. Obi: Confundit maius et minus ex intentione et remissione unius formae; et maius et minus ex formis diversorum graduum. Quare poterit quidem argui contra diversitatem formae; sed non ex solo « maius et minus ».

3. Obi. In hac obiectione S. Thomas non nisi indirecte paritatem solvit. Directe posset negari paritas, ex natura humana et angelica; unde adversario incumberet onus paritatem probandi; quam certe ex hac sola similitudine demonstrare non potest.

4. Obi. Est veluti instantia. S. Thomas retorquet argumentum ostendendo excellentiam muliplicationis per species prae multiplicatione per numerum.

Aliae obiectiones solent a patronis tertiae sententiae moveri, quas hic tangere omnes nimium foret. Una alterave sufficiat.

a) Affirmant, non esse conveniens Providentiae divinae, quod species quaedam pereat tota. Iam vero, si omnes Angeli differrent specie, tot periissent, quot Angeli ceciderunt. - Multipliciter huic obiectioni responderi potest. α) Principium non debet omnino concedi. Quando species id praestitit ad quod creata est, cur non posset perire tota? Nonne perierunt ex toto species quaedam animalium? - β) Quidquid valet

hoc effatum, non valet nisi de his, quae numero in eadem specie multiplicantur; quare ad Angelos applicatum nihil valet, si tales sint Angeli, qui solo numero in diverso gradu multiplicari nequeunt. - γ) Neque Angeli lapsi perierunt ex toto. Sibi utique totum amiserunt; non autem Deo, neque ordini universi.

b) Arctior est res publica, si in ea cives numero dumtaxat et gradu differant, non autem specie. - *Resp.* α) Modus cohaesionis rei publicae debet respondere indoli eorum, qui eam componunt. Unde si Angeli non possint ex sua intrinseca perfectione alio gradu differre quam specifico, nihil sane ex hoc principio obtineri potest. - β) Insuper quo magis differentia inter membra civitatis radicatur in personali intrinseca dignitate, eo pulchrior harmonia elucet. Et sane, quum homines sint omnes natura aequales, discrimina conditionum, sine quibus res publica constare nequit, minus exsurgit spontanea, quam si ex natura sua omnes homines essent iam inaequales, ac ita huic in civitate gradui, quem in bonum commune obtinebunt, praeordinati. - γ) Adde, in Angelis, licet iuxta doctrinam S. Thomae specie diversis, dari cohaesiones per hierarchias et ordines, quo membrorum discrimina in harmoniam totius angelicae civitatis conspirent.

Sed contra est. Operae pretium est penitius investigare, quid in hac quaestione nostra docuerint Patres. In tres classes Patres distribui possunt. 1) Alii ita loquuntur, ut specificas inter Angelos differentias praedicare videantur; 2) Alii potius stant in favorem tertiae sententiae, non admittentes nisi gradus in eadem natura. 3) Alii demum haerent, vel suam de hac re ignorantiam ingenue fatentur.

I. 1) Inter scriptores primae classis eminet S. Methodius. Origenem [1] dicentem, post resurrectionem non victuras esse nisi solas animas, inde redarguit, quod nec ita fierent angeli, ob diversitatem naturae: « Non animadvertit, eum, qui ex « nihilo mundum fabricavit et ordinavit, immortalium natu- « ram, non in Angelos administrosque tantum, sed etiam in « Principatus et Thronos et Potestates distribuisse. Aliud

[1] Origenem propugnasse unitatem specificam Angelorum, ex toto eius systemate liquet. Unde nil mirum, si Patres contra Origenem agentes, specificam distinctionem potius urgere videantur.

« enim est Principatuum genus; aliud Potestatum; eo quod « non unus ordo, nec unum veluti corpus, ac tribus immor- « talium, ac velut familia sit: sed genera et tribus et diffe- « rentiae sint. Ac neque Cherubim a natura sua desciscunt, « ut in Angelorum speciem transformentur; neque in aliorum « Angeli. Oportet enim illa hoc esse quod sunt, et quod facta « sunt » [1]. En S. Methodius propugnat sententiam, quam mediam diximus; nam si tenuisset in singulis ordinibus Angelos differre specie singulos, hoc non omisisset, quum inde responsio contra Originem maiorem longe vim accepisset.

2) Adducitur et S. Cyrillus Alex., qui, licet in gemino loco tertiam sententiam, tamen aliis in locis tam diserte proclamat in Angelis differentias essentiarum, ut non modo secundam, sed et primam sententiam tueri videatur. Idem enim qui scripsit: « Angelus ab altero Angelo nulla re differt, secun- « dum id quod sunt Angeli: nempe pro eo quod, quum sint « eiusdem omnes speciei, in unam naturam colligantur » [2]; et: « An non similis est natura Angelus Angelo, sicut homo « cuivis alteri homini? » [3] hic idem scripsit et haec: « Quid « solem adiuvat, quo minus creatura sit, quod longe astris « caeteris antecellit? Eadem vero ratio est etiam earum Vir- « tutum, quae in caelo sunt ratione praeditae; quibus com- « mune id quidem est quod creaturae sunt; ratio autem « essentiae uniuscuiusque diversa » [4]. Imo ipsam medullam quaestionis et discriminis rationem tangens, ait « in omni « rationali substantia cognitionem, quae inest pro cuiusque « generis ratione, differre, eique pro proportione respondere: « adeo ut alia credenda sit inesse Angelis, alia Archangelis, « tum hac ipsa maior in superioribus Virtutibus. Commen- « surata est igitur et hominis notitia, quae videlicet minor iis « est, quas diximus » [5]. En saltem sententia media, imo et in praecedenti testimonio doctrina sententiae primae; idque tam manifesto, ut priores duo textus ad normam istorum verborum intelligendi videantur.

[1] Apud Epiph. *Haeres.* 64.
[2] *In Ioann.* l. II.
[3] *Dial.* I *de Trin.*
[4] *Thesaur.* l. XV.
[5] Ibid. l. XXXI.

II. Iam ad scriptores secundae classis. 1) Praeter S. Maximum, qui plures angelicas οὐσίας, de quibus quaerit Dionysius, interpretatur de pluralitate suppositorum in eadem natura angelica [1], - 2) S. Athanasius (?) ait: « Essentia Angelo-« rum una est, sicut omnium hominum una est essentia; « ordines sunt novem, sicut multum potens in theologia Dio-« nysius tradidit » [2]. - 3) S. Basilius contra Eunomium disputans, haec habet: « Angeli omnes, ut appellationis unius, sic et « naturae omnino sunt eiusdem invicem: et tamen earum alii « gentibus praesunt, alii fidelium singulis comites assistunt. « Porro quanto gens universa uni homini praestat, tanto « utique maiorem esse necesse est dignitatem Angeli eius, « qui toti genti praesidet, quam illius cui unius tutela com-« mittitur ». Et concludit, ex gradu ordinis ac dignitatis non posse deduci naturam alteram: « ut in Angelis, alius est prin-« ceps, alius est subiectus, et tamen natura Angeli sunt omnes; « et in dignitate quidem est differentia, in natura vero com-« munio » [3]. - 4) S. Gregorius Nyssenus idem prorsus docet: « Non enim illa, quae a Paulo recensita sunt,... naturas ali-« quas inter se differentes significant ». Et negatis naturarum differentiis, tenet « varias functionum proprietates » [4]. Et pergit, vehementius idem contra Eunomium affirmando. Quae sane verba tertiam sententiam exprimunt. Et alibi affirmat, Angelos esse omnes unius οὐσίας [5]. - 5) S. Gregorius Nazianz. de Angelis dicit: « Cum ipso singuli iidem sunt, una natura, « una intellectio » [6]. - 6) Didymus ex aequalitate naturae hominum et etiam Angelorum desumit comparationem ad demonstrandum, tres SS. Trinitatis personas esse natura coaequales [7]. Qua comparatione utuntur pariter S. Maximus [8] et Theorianus [9]. - 7) Accedit S. Anselmus, qui ait: « Homi-« nes sunt eiusdem naturae et generis seu propagationis, quia

[1] In cap. 5 *Caelest. Hier.*
[2] *QQ. ad Antioch,* q. 4.
[3] *Ctr. Eunom,* l. III.
[4] *Ctr. Eunom,* l. VI.
[5] *De opif. hom.* c. 17.
[6] *Carm. de laud. virgin.*
[7] *De Spirit. S.* l. I. Inter opusc. Hier.
[8] *Dial. I de SS. Trinit.*
[9] *Legat. ad Armen.*

« unus est ab alio; et Angeli omnes sunt eiusdem naturae « sicut homines, sed non eiusdem generis, quum inter illos « non sit generatio » [1].

III. Dubium suum, aut imo suam doctam, quia prudentem, ignorantiam iam audivimus S. Augustinum modestissime confitentem. Huic adnumerari potest S. Damascenus, qui in uno loco dicit, « nescire nos utrum (Angeli) aequales sint « essentia, an ab invicem discrepent » [2]. Et re vera aliter et « aliter alibi loquitur. In uno loco, comparatione trita utens: « Angeli autem, inquit, et homines, suam quisque divisam et « distinctam habet hypostasim, etsi eiusdem naturae sint » [3]; dum in alio loco Angelum, daemonem et animam ait inter creaturas intellectuales esse singulas species infimas [4].

His omnibus textibus Patrum simul perpensis, sequentes conclusiones ferre liceat. 1) Negari vix potest, testimonia Patrum sine praeiudicio inspecta potius favere tertiae sententiae, quam vidimus esse S. Bonaventurae et Card. Toleti. Pleraque enim cum ea ad verbum concordant, et pauca testimonia, quae militant in oppositum, limites secundae sententiae non praetergrediuntur, nisi forte unus textus S. Cyrilli Alexandrini, qui tamen et ipse potest in tertia sententia explicari. - 2) Re nihilominus penitius inspecta, argumentum ex his testimoniis theologicum nonnisi caute confici potest; nam quaestio nondum erat hoc tempore circumscripta, sicuti postea fuit. – 3) Imo, etiamsi Patres unitatem specificam Angelorum fortius et clarius urgerent, nec inde posset apodictice concludi contra sententiam S. Thomae. Nam, quum nonnulli ex istis Patribus non habuerint nisi imperfectum conceptum spiritualitatis naturae angelicae, facilius poterant urgere unitatem naturae angelicae ad istar naturae humanae.

Caeterum nil mirum, si Patres dubitaverunt in re, de qua Scriptura nil certi suppeditat. Quidquid enim paginae sacrae testantur de hierarchia Angelica, non urget ad summum nisi sententiam mediam; differentia autem inter claritatem stel-

[1] *Cur Deus Homo,* l. II, c. 21.
[2] *De Fid. orth.* l. II.
[3] *De duab. volunt.*
[4] *De prim. instit.* c. 7.

larum [1], si de Angelis per accommodationem intelligatur, nondum demonstrat differentiam specificam, ac proin potest stare cum tertia sententia, sicuti cum sententia S. Thomae.

In Corpore. Doctrinam ab Angelico hic expositam habes sequenti schemate contractam.

- Angelos differre specie
  - 1) alii negant:
    - *a*) una species Angelorum et animarum: — omnino falsum;
    - *b*) una species Angelorum, distincta a specie animarum: — plures Angelos differre numero, non specie, est impossibile:
  - 2) alii affirmant:
    - *a*) non quidem singulos, sed variorum ordinum:
      - α) hoc supponit compositum ex materia et forma;
      - β) imo materiam corpoream;
    - *b*) non modo ordinum, sed et singulos: — verum.

Relicta prima sententia, quae Origenistarum est, vides alias tres sententias esse illas, quas et nos principaliter distinximus. Instantia quam S. Doctor animose urget in secunda parte argumenti supponit, (β) Angelos dici quidem compositos ex materia et forma, at simul incorporeos. Deme hoc alterum, et corruit instantiae vis. Iam vero quid mirum, quod ex absurda hypothesi sequatur absurdum?

Comparatio adducta ex albedine non convincit omnes theologos. Cl. Palmieri hanc depellens, ait: « aequivocationem esse « in exemplo allato albedinis; albedo enim separata, quae « est una, est albedo abstracte concepta, unusque est eius « conceptus obiectivus sicut una est definitio; atque ita quo- « que Angeleitas, ut ita dicam, una est; sed Angeli singuli « sunt res concretae, quae plures esse possunt eidem con- « ceptui respondentes. Et re quidem vera incredibile est, « Deum non posse creare alium Angelum, qui sit eiusdem « perfectionis in essentia ac S. Gabriel » [2]. Quod puto vere dictum. Et sane, ut arguit Sylvius [3], finge Deum destruere unum ex Angelis. Nonne posset alium creare eidem omnino

[1] I Cor. xv, 41.
[2] Op. cit., loc. cit.
[3] Op. cit., loc. cit.

similem? Iam vero si potest unum ita creare post alium, cur non et simul?

Praeter argumentum hic adductum, alibi S. Thomas alia affert ad eamdem doctrinam demonstrandam. Ita in secundo libro *Summae ctr. Gent.* profert quinque: 1) Substantiae separatae sunt quidditates subsistentes, quarum definitio speciem constituere debet. - 2) Quae sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam; differentia enim formarum facit differentiam specificam. - 3) Non est ratio cur plures sint Angeli unius speciei, quia in Angelis non est cur speciei conservationi per numerum consulatur. - 4) Plus confert perfectioni universi, si Angeli differant singuli specie, et non solum principio individuationis. - 5) In corporibus caelestibus non habetur nisi unum individuum unius speciei; ergo a fortiori id de substantiis separatis est admittendum [1].

Apparet, rationem ultimam nullius esse valoris; rationes tertiam et quartam non esse necessitatis, sed convenientiae. Vis ergo est in duabus primis rationibus. Primam vero non esse stringentem, nisi virtute secundae, manifestum est. Quare totum pendet a ratione secunda; quam ideo S. Thomas heic unice adducit.

Dubium autem moveri potest, utrum S. Doctor pluralitatem suppositorum angelicae naturae in eadem specie reiecerit tanquam omnino, etiam de potentia absoluta Dei, impossibilem, quippe quae intrinsecam implicationem involvit. Iam diximus, nec ipsos Thomistas de hoc convenire. Qui mitius Aquinatis mentem interpretantur, solent adducere textum sequentem: « Valde ruditer argumentantur ad osten-
« dendum quod Deus facere non possit quod sint multi intel-
« lectus eiusdem speciei, credentes hoc involvere contradic-
« tionem: dato enim quod non esset de natura intellectus quod
« multiplicaretur, non propter hoc oportet, quod intellectum
« multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet
« aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod
« tamen habet ex alia causa; sicut grave habet ex sua na-
« tura quod non sit sursum, tamen grave esse sursum, non
« includit contradictionem; sed grave esse sursum secundum

[1] *Summ. ctr. Gen.* l. II, c. 93. Summi quoque momenti in hac quaestione est opusc. XXIX *de Principio individuationis.*

« suam naturam, contradictionem includeret. Sic ergo intel-
« lectus, si naturaliter esset unum omnium, quia non haberet
« naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri
« multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset impli-
« catio contradictionis. Quod non tantum dicimus propter
« propositum, sed magis ne haec argumentandi forma ad
« alia extendatur » [1].

Verum est, quaestionem quam hic solvit S. Doctor, non agere de intellectu angelico, sed humano, contra eos qui humanas animas intellectuales multiplicari negabant. Modus autem, quo solvit obiectionem, demonstrat, S. Thomam duplicem gradum impossibilitatis intellexisse: alium prae natura rei determinatae, alium prae divina circa eam naturam potentia. Unde Sylvius ita concludit: « Patet eum (S. Th.)
« non loqui de intellectu prout modo est; sed generaliter
« prout consideraretur non habere causam suae multiplica-
« tionis. Cum ergo intellectus humanus, eo casu posito, eius-
« dem rationis esset (quod ad causam multiplicationis attinet)
« ac modo est angelicus; sicut censet non futurum tunc
« ullam contradictionis implicantiam, quominus intellectus
« humanus ex causa supernaturali multiplicaretur; ita existi-
« mandum est, eum sentire de intellectu Angelico, qui, etsi
« naturaliter non habeat causam suae multiplicationis, per
« causam tamen supernaturalem, Deum scilicet, possit mul-
« tiplicari » [2]. Alii Thomistae, uti Billuart [3], contradicunt negando extensionem argumenti ob defectum paritatis.

Lis forsan ita componi posset, dicendo S. Thomam non negasse omnino possibilitatem multiplicationis Angelorum omnino similium in eadem specie; sed tantum Angelorum ab invicem aliter differentium quam gradu specifico.

Liceat hanc disquisitionem claudere prudenti carmine Dantis Alligherii:

« *Vidi più di mille Angeli festanti,*
« *Ciascun distinto e di fulgor e d'arte* » [4].

[1] *Opusc.* XVI. — *De unitate intellectus contra Averroëm.*
[2] Op. cit., loc. cit.
[3] Op. cit., loc. cit.
[4] *Parad.* cant. XXXI, circa finem.

APPENDIX

De Mente S. Bonaventurae.

Ob insigne meritum Seraphici Doctoris placet penitius scrutari eius mentem de quaestione in hoc articulo exposita. Sciscitans S. Bonaventura, « an in Angelis sit mera discretio « personalis », ita respondet: « Dicendum quod hic fuit duplex « positio. Quidam enim dixerunt, quod in Angelis est discretio « personalis, sed nunquam pure: imo sunt ibi tot species, « quot individua: similiter dicunt in luminaribus mundi ». Est ipsa positio S. Thomae. Audi iudicium: « Sed, licet hoc « aliquam probabilitatem habeat in corporalibus », (caelestibus scilicet); « *non tamen videtur rationale* in spiritibus, ut « nullus communicet cum alio in natura spirituali et speci- « fica. Sicut enim innotescit per Scripturam, multi Angeli ad « idem officium ordinantur et communem videntur habere « operationem eamdem. Nobis etiam nec per Scripturam, « nec per dicta Sanctorum, nec per officia innotescit tanta « diversitas: ideo *non videtur nisi praesumptio* hoc dicere: « maxime cum non appareat in prompto aliqua ratio co- « gens ». Igitur sententiam quam primam diximus, S. Bonaventura reiicit utpote philosophice parum rationalem, et theologice praesumptuosam. Et concludit suam sententiam afferens: « Alia est positio *sobria* et *catholica,* quod in An- « gelis est ponere distinctionem quantum ad personalitatem « tantummodo, aut in omnibus » (est sententia tertia) « aut « in aliquibus » (est sententia secunda).

Ergo S. Bonaventura non ita absolute defendit sententiam tertiam, ut non et sententiae mediae probabilitatem concedat. Primam autem omnino reiicit.

Nec praetermittendus est modus, quo argumenta patronorum huius sententiae solvit. Principalem rationem paucis truncat. « Quod obiicitur, quod diversitas secundum nume- « rum venit ex diversitate materiae, *dicendum quod falsum* « *est;* sed multitudo per generationem venit ex divisione « materiae, quia generans dat generato partem suae substan- « tiae [1]. Diversitas autem Angelorum non est per multiplica-

[1] Quid veri huic responsioni nobis inesse videatur, ex superius dictis patet.

« tionem unius ab altero, sed omnium Angelorum diversitas « est a Deo ». - Negat insuper, homines non multiplicari nisi ad conservandam speciem: inde multiplicantur quidem successive, sed non simpliciter. Unde a fortiori ratio ex fine multiplicationis petita non potest valere pro Angelis. « Ratio « potissima multiplicationis in hominibus et in Angelis est « divinae potentiae et sapientiae et bonitatis declaratio et « collaudatio, quae manifestantur in multiplicatione, et glo- « riae beatorum amplificatione: quia amor charitatis exultat « in multiplicatione bonae societatis ». - Tria alia argumenta tangere placet, indolis magis theologicae. Unum est in favorem sententiae, quam ipse S. Bonaventura tenet. « Personalis « discretio est in Deo, Angelis et hominibus: et cum natura « divina sit angelicae propinquior quam humana, ergo et « discretio personalis. Sed in Deo sunt plures personae dif- « ferentes sola personalitate, similiter in hominibus. Ergo « videtur quod similiter in Angelis: ergo sunt ibi aliqui solo « numero differentes, aut omnes ». Hoc ultimum bene additur. Nam si argumentum est probans, hoc ultimum probat. Sed elegantius est quam fortius. Nam non eodem modo personae divinae et humanae differunt sola personalitate. In divinis est discretio in eadem numero natura, in humanis in eadem generice tantum. Argumentum supponit insuper, discretionem personalem esse perfectionem, si fiat sola personalitate. Quod utique verum est, si fiat in eodem numero natura; secus, esset demonstrandum. Quare hoc argumentum, quod S. Bonaventura concedit, virtute demonstrativa carere dicendum est.

E regione videamus, quomodo depellat duo alia argumenta in oppositum allata. Primum ita paucis contrahitur. Ubi sunt extrema, et medium possibile est. Atqui in Deo est pluralitas personarum in una natura; in homine et in Christo pluralitas naturarum in una persona; ergo decet ut in Angelis sint tot differentes naturae quot sunt personae. - Responderi potest huic argumento multipliciter, quia multipliciter deficit. 1) Medius est quidem Angelus inter Deum et hominem, sed non inter Deum et Christum. - 2) Longe aliter in Christo sunt plures naturae in una persona, et in aliis hominibus. Unde haec saltem falso iuxtaponuntur. - 3) Ad sum-

mum, argumentum demonstraret possibilitatem ut Angeli differant specie. - S. Bonaventura ex alia duplici ratione argumentum solvit. 1) Quia « Angelus non potest esse me- « dium, quia, quamvis in Angelo non sit tanta naturarum « diversitas, quanta in homine; nihilominus aliqua est ». Imo sufficiens, iuxta doctrinam praecedentem, ad quam ipse remittit, ut Angelus dicatur compositus ex materia et forma. Quam responsionem, utpote suffultam doctrina, quae forsan non satis dat purae spiritualitati naturae angelicae, neque heic omnino probare possum. - 2) Melior est altera: « Et « praeterea, quamvis non diversificetur in hominibus pluribus « humana natura, tamen multiplicatur in illis: et ideo non « est quaerere aliud medium ».

Alia obiectio huc spectat, ut, quum distinctio personalis pura non sit nisi ex origine, quod tum in Deo, tum in homine verificatur, et quum in Angelis processio originis repugnet, pariter in illis repugnet distinctio mere personalis. Solutio huius argumenti sane non ardua occasionem suppeditat Seraphico, ut describat discretionem illam personalem, quam putat in Angelis sufficere. « Ratio distinctionis personalis « (inter homines), quantum ad veritatem, venit ex principiis « constituentibus et particulantibus; quantum ad notitiam, « venit ex qualitatibus. Quorum utrumque est in Angelis repe- « rire secundum diversitatem: diversa enim habent principia « individuantia, et diversas proprietates innatas. Sicut enim « homines diversas habent facies, sic diversas habent mentes « et proprietates mentales: ita intelligendum est in Angelis « *suo modo* » [1]. Optime sane, sed quaestio semper redit, utrum iste *modus* angelicus non exigat differentiam non mere personalem, sed insuper specificam [2].

Undenam igitur inter S. Thomam et S. Bonaventuram tanta in hac quaestione oppositio? Sane quo magis S. Thomas ab Angelis compositionem excludit, eo magis tenetur nonnisi tales admittere differentias, quae naturam afficiunt. S. Bonaventura autem, qui non tam stricte simplicitatem naturae Angelicae urget, potest facilius in eadem specifica

[1] II *Sent.* Dist. III, p. 1, a. 2, q. 1.

[2] In hoc putamus esse vim sententiae Thomisticae, potius quam ex effato de materia uti unico principio distinctionis individualis in pluribus eiusdem speciei.

natura concipere differentias individuantes. Quare uterque est sibi constans.

Pergit autem Seraphicus in mente sua evolvenda, quaerens « an personalis proprietas in Angelis sit substantialis « an accidentalis » [1]. Duas sententias prius reiicit, antequam suam exponat. 1) Prima dicit, personalem discretionem esse proprietatem accidentalem: quod evidenter nimis parum ponit: « cum individua differant secundum substantiam, non « solum secundum accidens: et similiter de discretione per- « sonali intelligendum est ». - 2) Secunda dicit, personalem discretionem esse quidem proprietatem accidentalem, sed causatam non ab accidentibus, sed a substantia, sive a principiis substantialibus. Sed neque hoc ponit satis: « cum persona « dicat idem quod suppositum rationalis naturae, ut est in « genere substantiae, non videtur probabile quod personalis « discretio dicat proprietatem accidentalem solum ». - 3) « Et « ideo, ait S. Doctor, est tertius modus dicendi, quod discretio « personalis, etsi videatur dicere accidens, tamen principa- « liter dicit quid substantiale, et si aliquo modo importat acci- « dens, hoc est consequenter: illud tamen immediate habet « ortum a principiis substantialibus ». Et facta longa expositione huius sententiae per analysim discretionis et discretionis personalis, concludit: « Si quaeratur utrum personalis « discretio sit proprietas substantialis, vel accidentalis: si « substantialis proprietas dicatur, quia immediate sequitur « substantiam, sic dicendum est esse substantiale; si substan- « tiale dicatur, quia non exigit genus substantiae, dicendum « quod quodammodo sic, et quodammodo non. Similiter si « dicatur accidentalis proprietas, quia causatur accidentibus, « sic dicendum simpliciter quod non; si vero accidentalis quia « est in genere accidentis, sic potest dici quodammodo sic, « quodammodo non, secundum distinctionem primo factam ».

Manifestum est, - et ideo haec attulimus, - in sententia S. Bonaventurae de multiplicitate Angelorum eiusdem speciei, discretionem personalem plus habere de respectu accidentali, quam in sententia S. Thomae.

[1] Ibid. q.

ARTICULUS V.

UTRUM ANGELI SINT INCORRUPTIBILES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum incorruptibile seu immortale, - nam haec duo se habent ad invicem sicut causa ad effectum, - possit pluribus gradibus intelligi, oportet primo varios sensus vocis distinguere. Iam vero *a*) alia est incorruptibilitas *per essentiam,* quae soli Deo competere potest, quum solus Deus sit ens per se; alia *per participationem*, quae competit entibus, quae existunt per participationem, seu cuivis creaturae. - *b*) Haec autem subdistinguitur iuxta gradum huius participationis: alia enim est *ab intrinseco*, cuius radix est ipsa natura rei existentis, quae incorruptibilis praedicatur; alia *ab extrinseco,* quae provenit ab agente externo, operante circa rem praeter id ad quod eius natura ex sese valet. - *c*) Demum haec incorruptibilitas est alia *substantialis*, alia *accidentalis*. Substantialis est ea, quae praedicatur quoad substantiam; accidentalis, quae quoad accidentia.

2) His positis patet, Angelis competere incorruptibilitatem per participationem, ab intrinseco, substantialem. Licet enim Angelus non habeat a se, quod sit, ac semper sit; tamen habet ex natura sua ut semel existens, non desinat esse. Nam *a*) quum Angelus non sit compositus ex materia et forma, corruptibilitas autem rerum a materia profluat, Angelus ex sese corrumpi non potest. - *b*) Et sane Angeli natura est forma; forma autem est actus; actus autem per se dicit esse. - *c*) Quod ex operatione angelica diserte corroboratur. Nam indoles operationis sequitur indolem τοῦ esse. Iam vero intellectualis operatio est supra tempus; ergo et esse Angeli. Quod autem est supra tempus, tempore nequit corrumpi. Ergo Angelus est incorruptibilis.

Non ideo tamen quoad accidentia quoque Angeli dicendi sunt simpliciter incorruptibiles. Dantur enim in eis accidentia, quae iugiter adveniunt [1], et fluunt, tum in ordine naturae, tum in ordine gratiae, uti ex infra dicendis patebit. At in

[1] Cf. SCHEEBEN (op. cit., n. 173).

utroque ordine sunt et accidentia incorruptibilia, uti adhaesio bono sive malo, et lumen gloriae in Angelis bonis.

3) Quod si quaeras, utrum Angeli sint incorruptibiles natura an gratia, distingui potest, intuitu modi, quo scriptores sacri de Angelorum incorruptibilitate locuti sunt. - *a*) Quatenus Angeli sunt incorruptibiles ab intrinseco et non mere ab extrinseco, sunt incorruptibiles naturâ. - *b*) Quatenus tamen α) hanc naturam non habent a se, sed a bonitate Dei gratuito creantis; β) neque valent hanc sibi naturam conservare, nisi Deo conservante; et γ) non firmantur plenissime immobiles nisi per gratiam, dici potest, Angelos esse incorruptibiles gratiâ.

4) Adverte tamen, Angelos prae potentia Dei potius dicendos esse destructibiles quam corruptibiles. Quae enim composita sunt materia ex forma, corrupta materia, vere corrumpuntur; quae autem simpliciora sunt, quam ut huic decompositioni subiaceant, si pereant, destruuntur potius quam corrumpuntur.

Ad Textum. Obiectiones 1 et 3 non attendunt ad limitationem, quam Angelorum incorruptibilitas necessario habet prae Deo, ob rationes modo expositas.

Obiectio mota ex Platone non necessario solvenda est sicut eam solvit Angelicus; dubitare imo licet, utrum haec via sit efficacior.

Sed contra est. I. *Scripturae* insinuant nobis incorruptibilitatem Angelorum per verba Psalmistae: « Statuit ea in « aeternum, et in saeculum saeculi; praeceptum posuit et « non praeteribit » [1]. Nam inter creaturas quae praecedunt, primo loco eminent Angeli: « Laudate eum omnes Angeli « eius, laudate eum omnes Virtutes eius! » [2].

Et sane Angeli exhibentur tanquam immortales socii Sanctorum in gloria: « Illi qui digni habebuntur saeculo « illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent neque « ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt: aequa- « les enim Angelis sunt » [3]; necnon damnatorum in poena:

[1] Ps. CXLVIII, 6.
[2] Vers. 2.
[3] Luc. XX, 35, 36.

« Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et Angelis « eius » [1].

Nec obiiciatur dictum S. Pauli de Deo: « qui solus habet « immortalitatem » [2]. Hoc enim loco S. Paulus exaltat in Deo, quae habet Deus ex seipso. Sequentia enim verba sonant: « et lucem inhabitat inaccessibilem ». Ergone Apostolus arcet omnes Sanctos a consortio huius lucis beatificae? Absit. Sunt ergo et Angeli immortales; sed cum hoc discrimine, quod immortalitas Dei est illimitata et a se; immortalitas Angelorum participata, cum illa limitatione, quam secum fert omnis natura creata; quae, sicuti nequit esse undequaque simplex, ita neque undequaque incorruptibilis sive immortalis.

II. *Patres* in hac doctrina conveniunt [3]. 1) Affirmant passim Angelorum incorruptibilitatem et immortalitatem; ita tamen ut 2) discrimen ostendant inter modum, quo Angelus et quo Deus hac perfectione gaudet.

1) Sophronius Hierosol. proclamat: « Itaque intelligibilia « et invisibilia nullo pacto moriuntur, neque corrumpuntur « uti sensibilibus accidit, quae in fluxu posita et facile prae- « tereunt » [4]; et Dionysius: « Intellectuales substantiae vitam « habent indeficientem, ab universa corruptione, morte et « materia et generatione mundae existentes » [5]. - Et S. Maximus Martyr, arguens ex simplicitate, concludit: « Anima « quum sit simplex, neque ex differentibus constans partibus, « non est composita neque dissolubilis, ideoque corruptionis « erit expers et immortalis » [6]. Quod a fortiori de Angelis valet.

2) At nihilominus Patres, sententiae Paulinae innixi, magnum discrimen ostendunt inter hanc immortalitatem Angelorum et ipsius Dei. Quod discrimen ad sequentes rationes sive respectus reduci potest.

a) Angeli sunt *creati*. « Immortalis est Angelus, non natura, « sed gratia, ait Damascenus. Nam quiquid initium habuit,

[1] Matth. xxv, 41.
[2] I. Tim. vi, 16.
[3] Cf. Petavium (op. cit., loc. cit., c. 5).
[4] Epist. in act. Syn. VI, act. 6.
[5] *De div. nom.*, c. 4.
[6] Opusc. de *Anim.*

« et desinere suapte natura potest » [1]. Et S. Cyrillus Alexandrinus: « Etsi Angelus immortalis quaedam res est, propter « ita constitutam de eo Conditoris voluntatem et gratiam; « nihilominus quoniam existendi principium habet, posset « utique finem etiam sortiri. Naturales enim praerogativae « habentibus quidem validae sunt; non autem eorum opifici « Deo. Quemadmodum ignis urendi vim habet, sed non Deo: « et Angelus immortalis est quidem, sed non Deo » [2].

b) Sunt ergo immortales *per voluntatem Dei.* Inde Hilarius commentans praecitatum locum psalmi, ait: « Ut hoc quod « sint, id est, ut maneant in aeternum, non naturae suae esse « intelligant, sed praecepti eius sit, qui potens sit ex nihilo « substitutis, naturam aeternitatis afferre... quia in aeternum « manent, quibus aeternitatem virtus aeternitatis indulsit » [3]. Et auctor Quaestionum ad orthodoxos: « Solus habens immor- « talitatem dicitur Deus, quia non ex alterius voluntate hanc « habet, sicut omnes alii immortales, sed ex suapte essentia » [4].

c) Vicina consideratio, quam movet S. Augustinus: Angelus non est immortalis sicut Deus, quia *ex nihilo:* « Non « ob aliud res deficere, ait, vel posse deficere, nisi quod ex « nihilo factae sunt, ut quod in eis est, quod sunt, et manent,... « ad eius bonitatem omnipotentiamque pertineat, qui summe « est Conditor, qui potens est etiam ex nihilo non tantum « aliquid, sed etiam magnum aliquid facere » [5].

d) Quare *non a seipsis* immortalitatem possident. Unde Dionysius Angelos « et semper viventes, immortalesque dici « asserit, et rursus non immortales: eo quod a seipsis non « habent ut sint immortales et in aeternum vivant » [6].

[1] *De fid. orth.* l. II, c. 3; cf. l. I, c. 8.

[2] *Thesaur* l. XX. — Nec aliter S. EPIPHANIUS (Heres. 76).

[3] In Ps. 148.

[4] Q. 61. — Simile pulchre expressit Cicero nomine Platonis: « Haec vos, qui deo- « rum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego parens effectorque sum, quae « per me facta, non sunt dissoluta me invito, quamquam omne colligatum solvi po- « test. Sed haudquaquam boni est ratione vinctum velle dissolvere. Sed quoniam orti « estis, immortales vos quidem esse, et indissolubiles non potestis: neutiquam tamen « dissolvemini; nec vos ulla mortis fata periment; nec fraus violentior, quam con- « silium meum; quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, qui- « bus estis tum, cum gignebamini, colligati ». *(Liber de Univers.).*

[5] Epist. 56.

[6] *De Div. Nom.* c. 6.

e) Perfectam incorruptionem Angeli habere nequeunt, quia *sunt mutabiles et defectibiles*. « Ipsa mutabilitas, ait « Augustinus, non inconvenienter mortalis dicitur, secundum « quam et anima dicitur mori; non quia in corpus vel in « alteram quandam substantiam mutatur et vertitur; sed in « ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est, aut fuit, « secundum id quod destitit esse, quod erat, mortale de- « prehenditur » [1]. Idem his versibus exprimit Prosperus:

« *Nam quas, ut voluit, rerum sapientia fecit,*
« *Multis vita quidem est praestita perpetua.*
« *Sed quodcumque potest sese amplius aut minus esse,*
« *Quodam fine ipsi quod fuerat, moritur.*
« *Sic nihil aeternum, quod commutabile factum est;*
« *Quod cunctis superest, semper idem Deus est* » [2].

Huc faciunt et verba S. Ambrosii, in quibus forsan gratia adsignificatur in sensu supernaturalis adiutorii creaturae rationali divinitus concessi. « Nec Angelus immortalis est « naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est Creatoris. « Neque ad praeiudicium trahas quod non moritur Gabriel, « non moritur Raphaël, non moritur Uriel. Et in ipsis enim « naturae capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia discipli- « nae. Omnis enim rationalis creatura accidentia recipit, et « subiecta iudicio est. In accidentibus autem et poena iudicii « et corruptela est et profectus. Unde et Ecclesiasticus ait: « " Quoniam omne opus suum Deus adduxit in iudicium ". « Ergo corruptelae et mortis, etiamsi non moriatur aut peccet, « capax tamen est omnis creatura. Nec ex immortali natura « habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus ad « vitia non mutat. Alia ergo immortalitas quae donatur; alia « quae sine capacitate mutabilitatis est semper » [3].

f) Quum creaturae omnes sint *aliae a Deo*, ideo neque plenam Dei perfectionem attingere valent. Affirmat Gennadius, « nihil Deo in creaturis simile esse per substantiam; « nec cuiquam incorruptibilitatem aut immutabilitatem aut « incorporalitatem suae deesse naturae; sed esse omnes intel- « lectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles » [4].

[1] II *Trin.* c. 9.
[2] Epig. 3.
[3] L. II, *de Fide*, c. 2.
[4] Inter op. Hier.

g) Quodsi interdum Patres denegare videntur aeternitatem Angelorum, quin rationem specialem reddant, haec testimonia interpretanda sunt iuxta normas heic praemissas. Talia sunt verba Sophronii, qui, postquam verbis superius allatis Angelos dixit esse immortales, adiungit quasi immediate sequentia: « Neque tamen natura sunt immortalia « aut ad incorruptam substantiam transitum fecerunt: verum « gratiam iis indulsit, quae ab corruptela et interitu illa « vindicat. Sic hominum animae corruptionis expertes ma- « nent. Sic immortales perseverant Angeli; non quod natu- « ram revera incorruptam habeant, ut diximus, aut sub- « stantia proprie immortali constent; sed quod gratiam divi- « nitus sortiti sunt largitricem immortalitatis, et incorrupti- « bilitatis conciliatricem » [1].

Caeterum, quo minus nitide percipitur pura spiritualitas Angelorum, eo magis excrescit discrimen inter modum quo Deo et quo Angelis competit immortalitas sive incorruptibilitas; ita ut ipsa trita formula, Angelos non esse immortales naturâ sed gratiâ, possit iam derivari ab errore circa corpora aetheria, quibus Angeli naturaliter uniuntur.

In Corpore. Doctrina tum huius *Corporis* tum responsionum potest sequenti contrahi schemate:

I. **Proprie loquendo, Angeli sunt incorruptibiles:**	1) eorum substantia est forma subsistens, non forma in materia actuata; 2) eorum operatio est intelligere et velle, id est, mere spiritualis, libera a materia.
II. **Improprie tamen loquendo, possunt dici corruptibiles:**	1) quatenus immutabilitatem perfectam non habent a se, sed a gratia; 2) quatenus, quum sint contingentes, possent a Deo destrui, si ipse vellet (non ideo tamen sunt unice incorruptibiles, quia Deus eos in esse servat; sed quia hoc habent et a natura sua, ut in I. dictum est).

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Existere creaturas spirituales, hominibus superiores, nomine Angelos, ex Scripturis et Ecclesiae doctrina abundantissime constat; suadetur insuper validissime ratione,

[1] Ibid.

quum deceat omnino, ne in scala entium, quae a materia inerte ad Deum ascendit, gradus desint nobilissimi (a. 1).

2) Qui Angeli non sunt compositi ex materia et forma. Nam haec materia nec eadem posset esse cum rebus corporalibus, nec diversa; intellectio sane, quae est propria Angelorum operatio, nullam exigit materiam. Est tamen in Angelo compositio ex potentia et actu (a. 2).

3) Magno numero existere Angelos, tum probatur ex Scripturis, tum ratione suadetur, quum gradus angelici plus conferant pulchritudini universi quam gradus creaturarum inferiorum. Hic autem numerus non coarctatur ad numerum specierum rerum, nec ad numerum motuum caelestium; sed pendet ab universi harmonia liberrime a Deo statuta. Quae harmonia suadet saltem substantias immateriales multitudine excedere materiales (a. 3).

4) Utrum autem Angeli differant specie, magna inter catholicos controversia est. Misso Origenis errore de unitate specifica animarum et Angelorum, alii putant, Angelos non differre nisi gradibus; alii, ita dari in Angelis discrimina specifica, ut tamen singulae species multis constent individuis; alii demum censent, plures Angelos specie similes repugnare ob eorum puram spiritualitatem, quibus ultimis adstipulatur Aquinas (a. 4).

5) Incorruptibiles esse Angelos, incorruptibilitate participata, sub Deo conservante, patet ex eorum spiritualitate; ipsa enim forma, in suo esse subsistens, non potest amittere esse (a. 5) [1].

[1] Praeter scriptores in decursu nostrae tractationis allatos, lege de existentia et spiritualitate Angelorum solide disserentem Oswald (*Angelologie, das ist die Lehre von den guten und bösen Engeln im Sinne der katolischen Kirche.* — I. *Abschn.* pp. 1-37).

CAPUT II.

DE SUBSTANTIA ANGELORUM PER COMPARATIONEM AD CORPORALIA [1].

A) DE COMPARATIONE ANGELORUM AD IPSA CORPORA.

QUAESTIO LI.

Ordo Quaestionis. - Gradatio in discursu est manifesta. Duplicem errorum S. Thomas depellit: *a)* errorem, qui peccat per excessum, tribuendo Angelis corpora naturaliter unita (art. 1); *b)* errorem, qui peccat per defectum, negando Angelos assumere corpora (art. 2). - Dein investigat, utrum in his corporibus, non quidem naturaliter sibi unitis, at vere assumptis, Angeli exerceant opera vitae (art. 3). Brevius hanc Quaestionem absolvemus. Hucusque enim fusius exposita partim praesens argumentum iam praeoccuparunt.

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELI HABEANT CORPORA NATURALITER SIBI UNITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Angelos habere corpora naturaliter sibi unita, supponit, Angelos esse compositos ex materia et forma. Iam vero hic error in art. 2. Quaestionis praecedentis depulsus est. Quo igitur spectat haec nova investigatio? Nonne hic articulus otiosus est dicendus? Primo intuitu talis utique apparet. At res penitius inspecta aliter se manifestat. Etenim *a)* S. Thomas agens de habitudine Angelorum ad corpora, ob apparitiones in Scripturis denarratas, logice hoc primum excludere debebat. Insuper *b)* occasionem inde assumit ut philosophice illustret, quomodo Angelus possit esse sine corpore, quum tamen anima nostra corpori alligetur. *c)* Demum, licet omne ens cuius forma est unita corpori viventi, sit compositum ex materia et forma; posset

[1] **Ordo Capitis** patet ex tabella p. 444.

fingi spiritus materiae quidem admixtus, quin tamen corpus vitaliter informaret.

2) Angelos autem corpus habere naturaliter sibi unitum, sicut homines, licet alterius tenuitatis, posset quidem esse, si non essent spiritus puri; spiritus autem esse puros, ex Scripturis et ex Ecclesiae doctrina constat; ex ratione autem non potest nisi suaderi. At ratione omnino demonstrari potest, nullam esse necessitatem ut omnis forma intellectualis alligetur corpori uti materiae. Eatenus enim haec necessitas adesset, quatenus τὸ intelligere esset operatio quae formaliter per corpus exercetur. Iam vero id tantopere falsum est, ut in ipsa anima, licet corpori alligata, intellectio proprie dicta sit operatio solius animae.

3) Consequens est, Angelum non posse, proprie, vocari animal rationale; nam esse animal, habet homo unice ex connubio cum corpore. Improprie tamen potest, quatenus animal dicit ens vita praeditum. Quo sensu hanc locutionem adhibuit S. Gregorius [1]. Posset autem homo definiri « spiritus « incorporatus », dummodo in hac definitione vox « spiritus » sumatur in sensu latiori, scilicet pro principio intellectuali, et « incorporatio » intelligatur de coniunctione naturali vitali. Imo haec definitio esset nobilior quam trita definitio « animal rationale ». Et sane plus habet homo de Angelo quam de bruto. Unde potius esset ita definiendus, utpote genus cum Angelo communius habens quam cum bruto.

II. **Ad Textum.** - Duae primae obiectiones procedunt ex auctoritate, tertia ex ratione.

1) Quae obiiciuntur ex auctoritate, possunt quidem alia ad sensum veritatis trahi, sicut expressio illa Gregorii M., quae est impropria; alia autem testimonia sunt concedenda uti dicta ex opinione falsa, aut saltem minus clara. Huiusmodi puto esse verba Origenis et imo S. Augustini, quae S. Thomas hic sibi obiicit. - De sententia S. Bernardi in apposita appendice dicemus.

2) Obiectio ex ratione petita depellitur efficaciter ope distinctionis inter perfectionem simpliciter et secundum quid.

[1] Evang. Epiph. (10 in Evang.).

Si τὸ *vivificare* est perfectio simpliciter, quo perfectius est ens, eo magis oportet ut sit vivificans. Iam vero τὸ vivificare potest sumi dupliciter: effective et formaliter. Effective vivificare, aut saltem vivificare posse, est perfectio simpliciter; non autem vivificare formaliter. Etenim, etsi perfectio est vis illa vivificans; involvit tamen imperfectionem naturae compositae, seu ut dicit S. Thomas, « substantiae, quae est pars « alicuius naturae, et non habentis in se integram naturam « speciei ».

Sed contra est. Huc, - praeter testimonia iam in art. 2. Quaest. praeced. allata [1], facit sententia Christi: « Spiritus « carnem et ossa non habet » [2]. - Symbolum Concilii Lateranensis IV, vocans Angelos simpliciter creaturam « spiri- « tualem », declaravit, eos non habere corpora sibi naturaliter unita.

Opponi solet, - praeter obiectiones ibidem superius adductas, – auctoritas Concilii Nicaeni II, utpote in quo probata sit doctrina Ioannis Episcopi Thessalonicensis, qui, ad usum depingendi Angelos vindicandum, haec dixit: « licet intelli- « gentes eos noscat catholica Ecclesia, tamen non illa noscit « ut omnino incorporales et invisibiles, at subtiles corpore « et aëreos et igneos, secundum id quod scriptum est: " Qui « facis Angelos etc. " »; quam suam sententiam fulciebat auctoritate Basilii, Athanasii, Methodii; etc. Sed Tarasius Patriarcha Constantin., cuius verba Patres Synodi probavere dicentes: « Etiam Domine », reassumendo orationem Ioannis, duas rationes ab eo allatas adduxit: scilicet quia « circum- « scripti sunt, et sub forma humana apparuerunt hominibus »; corpora autem aërea seu ignea eos habere, non dixit; et Concilium in act. 4 professum est: « se honorare imagines Christi, « Mariae Virginis, Sanctorum etiam et incorporalium Ange- « lorum, ut homines enim iustis apparuerunt ». Putat proin Cl. Palmieri, Tarasium non reassumpsisse doctrinam Ioannis de tenuiori corporeitate Angelorum, quia eam non probabat [3].

[1] Caute tamen arguendum est ex voce *spiritus,* quippe quae multiplici acceptione adhibetur; imo non semel a Patribus est adducta ad aëream, sublimissimam materiam significandam, cui Angeli admiscentur.

[2] Luc. xxiv.

[3] Op. cit. p. 173, sq.

Res tamen dubia est, quum ratio desumpta ex circumscriptione Angelorum in mente Ioannis involveret corporeitatem quamdam, licet supra crassa haec corpora nostra. Quidquid sit, auctoritas Patrum Concilii ipsam doctrinam de legitimis imaginibus Angelorum, non autem per se rationes omnes allatas ad has imagines uti legitimas defendendas, suprema sua auctoritate sancivisse dicenda est.

Porro in vindicanda traditione Patrum a duplici est excessu cavendum: *a*) ne urgeatur consensus in oppositum, quod, uti in art. 2 praecitato monebamus, Turmel accidissse dicendum est; *b*) ne locutiones in oppositum debilitentur nimis, quod puto accidisse Cl. Paquet, ubi ait: « Traditio licet « exhibeat quosdam antiquiores corpora Angelis tribuentes, « disertissime tamen propositae conclusioni favet » [1]. Equidem censeo, parumper aliter esse loquendum. Affirmant utique scriptores sacri, Angelos prae hominibus carere corporibus; at non ita conveniunt in denegando Angelis corpora quaedam tenuissima. (Cf. dicta superius, et dicenda in articulis sequentibus).

Dubitasse S. Augustinum de hoc argumento, iam vidimus. Censent aliqui, magnum Doctorem hoc deposuisse dubium, ubi retractavit modum, quo semel Angelos animas sanctas vocavit: « quas habere animas, nusquam me legisse in divinis « eloquiis canonicisque recolo » [2]. Sed haec rectificatio nequit eo usque extendi. Agnovit scilicet Augustinus, Scripturas aliter loqui de Angelis et de animabus humanis; agnovit, Angelos non esse unitos corporibus eiusdem crassitudinis ac sunt corpora nostra. Utrum autem omni corpore liberi existant, dubitavit; imo, si omnia eius scripta de hac re perpendantur, adiecta doctrina de daemonibus in aërea corpora detrusis [3], dicendum est, S. Augustinum in sententiam potius inclinasse, quae Angelis subtilissimam quidem, at tamen, si cum Dei spiritualitate conferatur, materiam tribuit corporalem, cui vitali nexu coniunguntur.

[1] Op. cit. hoc loco, p. 83.

[2] Retract. l. II.

[3] Haec detrusio potest quidem stare cum pura spiritualitate Angelorum, si concipiatur uti locatio poenalis; tanquam mutatio subtiliorum corporum in inferiora, nequaquam.

In Corpore. En schema huius argumenti.

Angeli non habent corpora sibi naturaliter unita, nam	1) anima humana, etsi intellectualis substantia, corpori naturaliter unitur, non quidem per se, uti intellectualis, sed per accidens, uti imperfecta in ordine intellectuali; 2) convenit per consequens, in hoc ordine dari substantias perfectas, a naturali corporis connubio prorsus liberas.

Ex modo quo S. Thomas hic arguit, vides rursus, nihil absurdi haberi in dubiis, quae mentem quorumdam scriptorum antiquioris christianae aetatis tenebant. Est enim quaestio convenientiae et facti, non autem possibilitatis.

Intimus autem nexus, qui existit inter hunc articulum et articulum secundum praecedentis Quaestionis, explicat quomodo ex Angelici commentatoribus alii, uti Billuart et Ioannes a S. Thoma, utrumque articulum simul absolvant; alii, uti Card. Satolli, priori articulo; alii, uti Sylvius, huic alteri magis insistant.

Quousque Angeli, licet incorporales, possint dici systemate quodam facultatum dotati, quibus veluti organis utantur, ad agendum in exteriora sibi et ad accipiendum ab exterioribus, magis patebit infra [1].

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli rursus apparet distantia inter spiritum et corpus. Recte S. Alphonsus: « Animae proprium est, habere mentem et concipere cogitationes; quapropter, sicut anima sive spiritus non potest esse « materia...., sic materia nequit esse spiritus » [2].

[1] Interim unum moneo, non esse omnino reciprocum modum, quo Angeli in corpora, et quo corpora in Angelos agere valent. Quod puto non satis attendisse Cl. Schell, quando dicit: « Si actio mundi corporalis in Angelos est impossibilis, quomodo possibilis erit actio spirituum purorum in mundum corporalem? » (Op. cit., p. 175). Caeterum hic auctor magno passim acumine de Angelis disserit.

[2] *Tract. de Fidei veritate* c. 5, § 1, iuxta egregiam versionem. P. Aloys. Walter C. SS. R. *(S. Alphonsi M. de Ligorio Eccl. doct. opera dogmatica,* t. I, - Romae Cuggiani, 1903). — Illustratio adducta ex verbis Christi redivivi (Luc. XXIV, 39) caute intelligenda est. Non enim huc spectabant Christi verba, ut diceret, spiritus non posse materiam esse; nec animam posse palpabile corpus habere, nisi quia est corpus.

Quaeres. - Quid censendum est de argumento, cuius ope Richardus Victorinus, post Hugonem [1], purae spiritualitatis Angelorum defensor, suam sententiam fulcire conabatur? Arguens scilicet ex facto illius hominis, de quo expulsus est daemon nomine legio, et facta computatione numeri ad legionem componendam requisiti, concludit ad impossibilitatem ut tot corpora tam exiguo spatio fuerint contenta. - Habet quidem argumentum unde ingeniosum appelletur. Stringens autem omnino esse nequit. Etenim quum angelica corpora ab omnibus admitterentur tenuissimae omnino naturae, quis determinabit spatium nostrae quantitatis corporeae, quo minore angelicum corpus contineri non possit? Quare existimo nimis facile de hoc argumento Turmel scripsisse: « Il (Richard) démontra sans peine qu'il est absolument impossible au corps d'un homme de loger des hôtes si nombreux, dès qu'on les suppose pourvus de corps, même les plus subtils qu'on puisse imaginer. Pour trouver place dans un espace aussi restreint, ces milliers de corps devraient se compénétrer » [2]. Caeterum quomodo demonstrabitur, hanc daemonum legionem intelligendam esse in stricto sensu numeri militum, quibus Romanae legiones constare solebant?

APPENDIX

de Mente S. Bernardi.

Tam saepe in favorem oppositae doctrinae citatur sententia S. Bernardi deprompta ex Serm. 5 super Cantica, ut utile visum sit, mentem Doctoris Melliflui data opera paucis exhibere.

In eo est totus ut discrimen ostendat inter quatuor gradus spirituum. En prima inductoria verba: « Quatuor spirituum genera nota sunt vobis: pecoris, noster, angelicus, et qui condidit istos ». Porro id magnum discrimen est inter Deum et spiritus reliquos, quod reliqui aliqualiter corpore sunt indigentes, Deus autem nullomodo. « Non est ex omnibus cui *sive propter se*, *sive propter alium*, *sive propter*

[1] *De Sacram.* I, v, 1, 8.
[2] Op. cit. loc. cit. p. 235.

« *utrumque* necessarium corpus non sit, *corporisve similitudo*, « excepto dumtaxat illo, cui omnis tam corporalis, quam spi- « ritualis creatura merito confitetur et dicit: " Deus meus es « tu, quoniam bonorum meorum non eges " » [1]. In qua sententia valde notanda sunt verba, quae italicis, uti aiunt, litteris distinximus.

Mitto modum, quo S. Bernardus ostendit, corpore indigere spiritum bruti et nostrum.

Ad Angelos ita transit: « Iam quod et supercaelestes spi- « ritus opus corporibus habeant, illa maxime certos nos faciat « vera et vera divina sententia: " Nonne omnes, ait, admi- « nistratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos, « qui haereditatem capiunt salutis? " [2]. Quonam ergo modo « implent ministerium suum absque corpore, praesertim apud « viventes in corpore? Denique non est discurrere, nec de « loco ad locum transire, nisi corporum, quod frequentes « Angelos facere tam indubitata quam nota probat auctori- « tas [3]. Hinc est, quod et visi sunt patribus, et ad eos intra- « verunt, et manducaverunt et pedes laverunt. Ita inferior « superiorque spiritus propriis corporibus egent, sed tamen « quibus iuvent, non etiam iuventur ».

Quae ultima verba ostendunt, cur ab exordio S. Bernardus dixerit: « sive propter alium ». Angeli scilicet, iuxta S. Doctorem, non indigent corporibus sibi, quibus « iuventur »; sed aliis, « quibus iuvent ».

Quod autem corporibus non indigeant sibi, illustrat sequentibus verbis: « Supercaelestis spiritus absque adiutorio cor- « poris, et absque intuitu harum, quae per corpus sentiuntur, « sola profecto suae vicinitate ac vivacitate naturae sufficit « apprehendere summa et intima penetrare. An non hoc « Apostolus intellexit, qui, cum diceret: " Invisibilia Dei per « ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur ", adiecit proti- « nus: " a creatura mundi? " [4]. Nimirum quoniam a creatura « caeli, non ita ». Et rationem addit his verbis: « Quo enim « is, involutus carne et terrae incola spiritus, ex considera-

[1] Ps. xv, 2.
[2] Hebr. i, 14.
[3] Quanti momenti sint haec verba ad motum Angelorum vindicandum, patet.
[4] Rom. i, 20.

« tione sensibilium proficiens, gradatim quodam modo pau-
« latimque nititur pervenire; eo ille caelestium habitator
« ingenita subtilitate ac sublimitate sua in omni velocitate
« facilitateque pertingit; nullo utique sensus corporei admini-
« culo fultus, nullo corporei membri adiutus officio, nullo
« corporeae cuiuscumque rei informatus intuitu ». Et analysi facta rationum, ob quas Angelus expers est indigentia corporis, optime addit: « Nec brutus ergo, nec angelicus spiritus
« ad ea capessenda quae beatam spiritualem faciunt crea-
« turam, suis ullo modo corporibus adiuvantur: ille quidem
« pro innata stoliditate non capiens; ille vero pro excel-
« lentioris gloriae praerogativa non indigens ». Et paucis interiectis ad ostendendum, quantopere brutum et humana anima corpore indigeant, his verbis concludit: « Itaque cum
« absque corporis adminiculo nec bestialis spiritus servi-
« lis conditionis solvere debitum, *nec spiritualis caelestis-*
« *que creatura implere ministerium pietatis*, nec rationalis
« anima tam proximo, quam etiam sibi sufficiat consulere
« ad salutem, liquet, omnem creatum spiritum *sive ut iuvet*,
« sive ut iuvetur simul et iuvet, corporeo prorsus indigere
« solatio ».

Ex quibus patet, quo sensu Bernardus intendat, angelicos spiritus corporeo solatio indigere.

Restat quaestio de modo, quo Angeli hisce corporibus, si minus sibi, saltem aliis in ministerium necessariis uniantur. « Caeterum, ait, angelica corpora, utrumnam ipsis spiritibus
« naturalia sint, sicut hominibus sua, et sint animalia sicut
« homines, inmortalia tamen, quod nondum sunt homines;
« porro ipsa corpora mutent et versent in forma et specie
« qua volunt, quando apparere volunt, densantes et solidan-
« tes ea quantum volunt, cum tamen in sui veritate prae sub-
« tilitate naturae atque substantiae suae impalpabilia sint, et
« nostris omnino inattingibilia visibus; an vero simplici spiri-
« tuali substantia subsistentes, corpora cum opus est, sumant,
« rursumque expleto opere ponant in eamdem, de qua sumpta
« sunt, materiam dissolvenda: nolo ut a me requiratis. Vi-
« dentur Patres de huiusmodi diversa sensisse; nec mihi
« perspicuum est, unde alterutrum doceam, et *nescire me*
« *fateor;* sed et vestris profectibus non multum conferre

« arbitror harum rerum notitiam » [1]. At, si de hoc Bernardus dubitat, e contra uti certum affirmat, Angelos non posse sine mediante quodam corpore, non solum agere in animas nostras, sed neque inter se colloqui: « Nec ipsi Angeli ita se « alterutrum capiunt ». Haec est praerogativa solius Dei; qui potest quidem ad agendum in nos creaturarum uti ministerio, sed et pro libitu immediate in nos agere valet.

Patet igitur, S. Bernardum non ita affirmasse Angelos indigere corporibus, quasi eis sibi indigerent; at simul hanc necessitatem eo facilius admisisse, quo magis erat dubius circa puram spiritualitatem Angelorum, et quo magis censebat, Angelos non posse, nec inter se, absque quodam corporali adminiculo conversari.

Sed haec dubia S. Doctoris sequentes ecce articulos inducunt.

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELI ASSUMANT CORPORA.

De ipsa Quaestione. - 1) Excessum depulimus eorum, qui Angelos corporibus naturaliter uniri autumant. Oppositus iam excessus removendus est eorum, qui censent, neque vere Angelos assumere corpora; sed quaecumque de huiusmodi apparitionibus narrantur, de visione imaginaria esse intelligenda. Iam vero hac in re tria nobis investiganda sunt: factum, ratio facti et modus facti.

2) *Factum* constat ex Scripturis. Etenim, uti ex multis apparitionibus superius allatis liquet, Angeli visibili forma induti ita apparuerunt, ut pluribus simul cernerentur; unde hae apparitiones tamquam verae et obiectivae narrantur. Quod, ut alia taceam, ex historia Tobiae et ex descriptione Angelorum sepulchrum Christi redivivi custodientium, satis constat. Quare optime dicit S. Augustinus: « Apparuisse hominibus « Angelos in talibus corporibus ut non solum videri, verum « etiam tangi possent, verissima Scriptura testatur » [2].

[1] Idem dubium moverat S. Augustinus (*De Trin.* l. III, c. 8). — Cf. dicenda in art. seq.

[2] *De Civit. Dei*, l. XV, c. 23; cf. ibid. XVI, 29; *de Trinit.* III, 10, 11.

3) *Ratio* facti non est quaerenda in indigentia Angeli, quasi in corpora agere non posset, nisi corpus assumeret. Hoc esse falsissimum, facile demonstratur. Etenim, quum Angelus non sit naturaliter unitus corpori, non potest assumere corpus, nisi immediate agendo in hoc corpus, seu in elementa unde id sibi efformet. Iam vero si hoc potest, pariter sine assumpto corpore in alia corpora agere potest [1].

Aliunde igitur est ratio petenda; eaque praesertim triplex: tum *a*) ut per visibile cum hominibus commercium ostendatur illa beata societas, quae Angelos et homines coniungit ad invicem; tum *b*) ut praeludatur futurae Incarnationi Verbi; ac proin ipsum Verbum incarnatum praefiguretur, (quae tamen praefiguratio Verbi non tam exclusive apprehendenda est, quasi Angeli nec Patrem nec Spiritum Sanctum repraesentare possent; de quo sat fuse disseruimus, ubi de theophaniis Vet. Testamenti agebamus); - tum *c*) ut invisibilia per signa visibilia repraesententur, ad significandam plenam futuram hominis instaurationem [2].

4) *Modus* facti duo continet: modum *unionis* Angeli cum corpore assumpto, et modum *productionis* eiusdem corporis.

a) Modus *unionis* spiritus cum corpore multiplex haberi potest. Minimus gradus est unio ad modum motoris; quae unio, v. gr., Angelorum cum stellis, in systemate scholastico, non est vera stellarum assumptio, ac proin non satis dicit. E regione nimis dicunt tum unio hypostatica, uti in Verbo incarnato, tum unio formalis, uti in anima humana unita corpori, tum unio assimilationis, uti in cibo assumpto. - Est scilicet unio *repraesentativa,* quatenus Angelus non solum assumptum corpus movet, sed revera per id repraesentatur, sicut passim res invisibiles per creaturas sensibiles illustrantur. Optime S. Thomas: « Assumit Angelus corpus, non ut suae « naturae uniat, sicut homo assumit cibum; nec ut uniat suae « personae, sicut Filius Dei assumpsit naturam humanam; « sed ad suam repraesentationem, illo modo quo intelligi- « bilia per sensibilia repraesentari possunt. Tunc ergo An- « gelus assumere corpus dicitur, quando corpus aliquod

[1] Cf. dicenda infra de sententia Vasquezii quoad formalem rationem praesentiae Angelorum in loco.

[2] Cf. Card. Toletum (hoc loco).

« hoc modo format, quod ad repraesentationem suam est « aptum » [1].

b) In modo *productionis* distinguenda est *materia* unde Angeli haec assumpta corpora producunt, et *virtus* per quam hanc materiam in corpora pro libitu conflant.

α) *Materiam* S. Thomas existimat esse aërem, utpote maxime flexibilem et condensabilem; quem scilicet Angeli ita condensant, figurant et colorant, ut et aspectum exhibeat, quem cupiant, et palpabilem materiam praestet [2]. - β) *Virtus* autem per quam id Angeli efficiunt, utrum ipsis connaturalis sit, an divino opere roborata, disputatur inter theologos. Dicit quidem S. Thomas in hoc articulo (resp. ad 2m), Angelos hoc efficere « divina virtute »; sed plerique Thomistae existimant, haec verba non ita esse intelligenda, ac si ad efformanda haec sibi corpora deesset Angelis virtus naturalis. Et sane, uti fuse ostendit Sylvius, non apparet ratio, cur haec virtus Angelis deesset. Quare ipse Aquinas alibi scribit: « Spiritus separatus potest per voluntatem coniungi « corpori, non sicut forma, sed sicut motor instrumento. « Unde virtute naturae suae potest assumere et deponere « corpus illud quando vult » [3]. Eatenus igitur S. Doctor in hoc loco dicit, hoc fieri « divina virtute », quatenus formatio haec non fit secundum proprietates et activitates corporum ita efformatorum, et quatenus Angeli haec sibi corpora conflantes, divinae sese voluntati conformant, iuxta ea quae repraesentare iubentur. Quod tunc maxime dicendum est, quando Angeli, uti in primo Corollario dicetur, assumunt corpora ad ipsam divinitatem vel unam alteramve personam SS. Trinitatis repraesentandam. Hinc, ut in Quaestione adnexa illustrabimus, discrimen inter potestatem, qua, in ordine ad assumenda corpora, gaudent Angeli et daemones.

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1.* Non attendit ad assumptionis finem.

Obi. 2. Discurrit imperfecte circa modum unionis.

Obi. 3. Imperfecte arguit circa modum productionis.

[1] Quaest. 6 *de Potent.*, art. 7, ad 1.

[2] Cf. addenda in resp. ad 3m.

[3] II Sent. dist. VIII, art. 2, ad 2.

Sed contra est. Tam trita est apud Patres doctrina de Angelis vere et non tantum per visionem imaginariam apparentibus, ut Concilium Nicaenum II ex istis apparitionibus simpliciter argumentum sumat ad Angelorum cultum ope imaginum legitimandum.

Dubia autem occurrunt apud Patres circa modum, quo Angeli corpora sibi efformant; quae dubia non semel radicem habent in dubio de pura spiritualitate Angelorum, ut in secundo Corollario dicetur.

Ex dictis autem de ratione, qua Angeli corporibus uniuntur, vides, quantopere erraverit Tertullianus existimans, has assumptiones terminari, ut in Incarnatione, ad unionem hypostaticam [1].

In Corpore. Doctrina hic et in responsionibus contenta schemate sequenti graphice exhibetur.

De assumptione corporum ab Angelis quaeritur

- I. *factum:*
  1) aliqui contendunt, esse meram imaginationem in mente videntium;
  2) sed quando multi describuntur aliquid videre, oportet admittere aliquid reale externum;
  3) iam vero non possunt esse corpora naturalia; sunt ergo corpora assumpta.
- II. *ratio* facti:
  1) ad ministerium divinum;
  2) ad ostendendam societatem cum hominibus;
  3) in Veteri Test. ad praeludendum Incarnationi.
- III. *modus* facti:
  1) corpora non uniuntur assumenti uti formae;
  2) neque solum uti motori ad modum mobilis;
  3) sed uti motori per corpus repraesentato;
  4) et quidem ope aëris in speciem et colorem corporis condensati.

Resp. ad 3.m Praeter solutionem hic a S. Thoma propositam, placet adducere modum ingeniosum, quem suggerit Cl. Palmieri. Quum enim Angelus praesens esse possit in loco resistentiam opponendo obiectis, quae sunt extra hunc

[1] *De Carn. Chr.*

locum, potest ita Angelus in loco praesens hanc virtutem resistentiae exercere, ut emittat ex hoc loco illos radios, qui figuram et colorem exhibeant illius corporis, quod uti sui repraesentativum elegit [1].

Caeterum de hoc argumento iuvat audire modestissima verba S. Augustini: « Mihi omnino utile est ut meminerim « virium mearum, fratresque admoneam, ut et ipsi memine- « rint suarum, nec ultra quam tutum est, humana progre- « diatur infirmitas. Quemadmodum enim haec faciant Angeli, « vel potius, quemadmodum Deus haec faciat per Angelos « suos.... nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis « enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut « tam certus hic loquar ad omnia quae requiri de his rebus « possunt, quam si essem Angelus, aut Propheta, aut Apo- « stolus » [2].

[1] En ipsa verba Cl. theologi: « Non negamus, posse apparere visibilem spiritum « mediante corpore, quod sibi affingit. Si enim movere potest materiam, potest quo- « que movere ex. gr. aërem vel aetherem, ipsumque condensare in figuram corporis « visibilis et resistentis. Atque sic solet communiter explicari apparitio Angelorum. « Verum censemus, posse spiritum purum visibilem se facere citra ministerium ali- « cuius corporis umbratilis libere assumpti. Scilicet ex dictis constat, posse spiritum « resistere in spatio extenso: supponatur ergo, spiritum occupare exacte spatium « illud, quod proprium est corporis humani, ibique resistere et agere in aetherem « et aërem circumstantem. Cum resistat, potest a se repellere radios lucis et ad « oculos alterius dirigere non secus ac corpus; cum possit movere corpora, potest « profecto aetheri luminoso eum imprimere motum, qui organum visivum attingens « par sit excitandae determinatae visioni, puta faciei vel corporis humani; ad quem « effectum obtinendum sufficit, ut ille idem motus imprimatur undis aethereis, quem « ipsae a facie hominis procedentes concipiunt. Cum repellantur istae undae æthe- « reae a spiritu resistente, visio ab eis determinata terminabitur ad illud, a quo « procedunt, et cum eae exhibeant extensum aliquod ad modum corporis humani, « illud apparebit sub forma corporis humani visibilis. Praeterea cum spiritus resistat, « resistere etiam potest tactui et sensationem eam gignere, quam tangentes alia ex- « tensa experimur. Ergone videbitur et tangetur spiritus? Respondeo, quod spiritus « ut talis non evadit obiectum sensus, quemadmodum nec obiectum sensuum est « natura corporea. Obiectum enim sensuum est extensum resistens, h. e. reale phae- « nomenon extensionis resistentis: perinde vero est illis, sive substantia, quae spa- « tium occupat et resistit, sit extensa formaliter vel virtualiter, sit materialis vel « spiritualis, haec enim non sensus sed intellectus attingit. Est enim intellectus, qui « cognoscit id, quod a sensu attingitur, esse substantiam corpoream; sensus autem « per se non refert nisi obiectivum phaenomenon extensionis et resistentiae, sive « esse aliquid extra extensum et resistens, idemque referre potest sive spatium oc- « cupet et resistat corpus sive spiritus » (*Pneumatol.* thes. III, demonst. 3. part.).

[2] *De Trin.* c. 10. — Nonne idem monet Apostolus: « Non plus sapere quam « oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem? » (Rom. XII, 3).

Resp. ad 2.m Quod S. Thomas hic ait de « divina virtute » qua Angeli corpora sibi efformant, illustrari potest per verba S. Augustini affirmantis Angelos id praestare « secundum « attributam sibi a Creatore potentiam » [1].

Corollarium I. - Ex his quae modo diximus de assumptionis ratione seu fine, intelligitur quomodo eamdem interdum apparitionem Scriptura possit vocare simul Angeli et Dei [2]. Ita in Genesi [3] legimus, Dominum in valle Mambre apparuisse Abrahae, quem tamen S. Paulus affirmat suscepisse Angelos [4]. Angelum secum loquentem Agar appellat Deum [5]. Pariter Angelus de caelo Abraham ab inmolando filio cohibens, mox loquitur ut Deus [6]. Dominus apparere narratur Moysi in rubo ardenti [7], et nihilominus S. Stephanus Angelum ei apparuisse dicit [8]. Hinc illa theoria de *Angelo Domini,* quam alibi data opera fusius expressimus [9].

Corollarium II. - Ex doctrina huius articuli patet, quid censendum sit de dubio S. Augustini circa modum, quo Angeli assumunt corpora, in quibus appareant. « Fateor, ita ille, exce« dere vires intentionis meae, utrum Angeli manente sui cor« poris qualitate per hanc ocultius operantes, assumant ex « inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coapta« tum, quasi aliquam vestem, mutent et vertant in quaslibet « species corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in « verum vinum conversa est a Domino: an ipsa propria cor« pora sua transforment in quod voluerint, accommodate ad « id quod agunt » [10]. Hoc dubium procedit a dubio de pura spiritualitate Angelorum. Imo si hunc solum Augustini locum haberemus, dicendum esset simpliciter, Hipponensem Angelos existimasse tenuissimo corpori vitaliter coniunctos.

[1] *De Trin.* l. II, c. 7.

[2] Cf. Sylvium plura exempla afferentem (hoc loco).

[3] GEN. XVIII, 2.

[4] HEBR. XIII.

[5] GEN. XVI.

[6] GEN. XXII, 11, 16.

[7] EXOD. III, 2.

[8] ACT. VII, 30.

[9] In tract. *de Deo trino,* ubi de Theophaniis (loc. cit.). — Cf. de *Jehova-Angelo* HEINRICH (op. cit., § 282); KATHOLIK *(Beiträge zur Lösung der Maleach-Jehova-Frage.* 1862, II, p. 149).

[10] *De Trin.*, l. III, c. 1, n. 5. — *P. L.* XLII, 870.

At in mente ita sentientis supererat dubium; melius autem longe solvendum iuxta primum membrum disiunctionis, quam iuxta alterum.

Nam ad conformandam ex elementis corporeis corporeae apparitionis figuram sufficit vis agens in haec elementa in eodem ordine corporeitatis; at transformatio corporis angelici in apparentias sensibiles atque palpabiles, exigit saltum ab ordine superiori in ordinem inferiorem; qui saltus eo difficilius intelligitur, quo maior concipitur distantia inter corpus angelicum et corpora sensibus humanis apprehensibilia.

Quaeres I. - Quid censendum est de potestate daemonum circa corpora, in quibus apparere cupiunt? Estne eadem, quae Angelorum? - Daemones quoque in forma sensibili apparuisse, manifestum est [1]. Sed multum interest inter eorum virtutem et virtutem Angelorum. Daemones enim, quum non nisi in finem malum ad decipiendos homines atque perdendos appareant, nihil possunt nisi permittente Deo. Quare virtus eorum naturalis circa assumenda corpora multum coarctatur, quum multa facere vellent, quae Deus non sinit ut faciant. Nunquam autem virtus eorum ita per divinam virtutem corroboratur et gubernatur, uti in Angelis contingit; quia, dum apparent, non repraesentant Deum, nec apparent nomine Dei ad implendum munus sibi a Deo commissum.

Nihilominus vis radicalis naturae in daemonibus remansisse dicenda est, sicut et natura ipsa. Imo, si hanc unice vim perpendimus, non repugnat ut dicamus, daemonem e superiori hierarchia delapsum maiori pollere radicali virtute naturali, quam spiritum bonum de ultimo ordine Angelorum.

Quaeres II. - Potestne Deus asssumere corpora in quibus appareat, ad modum quo Angeli corpora assumunt? - *Resp.* Distingue possibilitatem a facto; et insuper distingue assumptionem immediatam ab assumptione mediata.

1) Si possibilitas quaeritur, affirmandum est. Etenim nulla omnino prostat ratio, ob quam Deus non posset assumere corpora nisi hypostatice, vel ut motor. Repugnat quidem ut sibi corpus coniungat formaliter, aut per assimilationem; at

[1] Cf. S. Aug. (*de Civit. Dei*, l. xv, c. 23).

repraesentative, nullo modo. Imo dicendum est, - ut his dumtaxat exemplis utar, - Spiritum Sanctum columbam in baptismate Christi, et linguas igneas in die Pentecostes tali modo assumpsisse: scilicet non solum haec corpora, qualicumque modo formata, movendo, sed repraesentative adhibendo.

2) Utrum autem haec assumptio mediata fuerit, an immediata, alia quaestio est, de qua dubium admittere licet. Sed et hic distinguendae sunt medietas operationis et medietas repraesentationis. Sunt quidem apparitiones Ant. Test., in quibus haec medietas per ministerium Angelorum admittenda est, quum simul Angeli et Deus apparuisse dicantur. Sed non adest cogens ratio ut haec medietas uti necessaria praedicetur. Putant tamen non pauci Theologi, ducibus Augustino [1] et Aquinate [2], Deum semper ad has manifestationes uti Angelorum ministerio; ad maiorem scilicet sibi reservandam, utpote altiorem, maiestatem.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELI IN CORPORIBUS ASSUMPTIS OPERA VITAE EXERCEANT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio huius quaesiti tam directe fluit ex praecedentibus, ut ad instar corollarii brevissime possit absolvi. Vidimus enim, Angelos assumere quidem corpora realiter, non mere imaginarie, ita tamen ut non vitali ipsis vinculo uniantur. Ergo, sicuti haec assumpta corpora non vitaliter animant, ita neque in eis opera vitae exercent.

2) Hic autem distinguendum est inter opera vitae: alia enim sunt huiusmodi, ut, deficiente principio vitali, possint adhuc per vim inferiorem, motricem produci; alia vero huiusmodi, ut, deficiente hoc principio, non amplius possint produci, nisi apparenter.

3) Ergo Angeli per corpora assumpta loqui possunt et ambulare, quia ad sonos per se efformandos et ad corpus movendum de loco in locum sufficit vis motrix. Non autem

[1] *De Trin.* l. II, c. 6; l. III, c. ult.; l. IV, c. ult.

[2] Cf. superius Q. XLIII, art. 7.

per corpora assumpta possunt nec vere comedere, nec generare. Unde comestio quae in Scripturis de Angelis narratur, explicanda est iuxta verba Archangeli Raphaëlis ad familiam Tobiae: « *Videbar* quidem manducare et bibere » [1]. Quod autem de filiis Dei in Genesi narratur, debet, uti iam diximus, de filiis Seth, non de Angelis intelligi [2].

4) Nec inde assumptum corpus ab Angelis est mendacium, neque frusta sunt illa membra, quibus Angelus non vitaliter utitur. Nam corpus assumitur ut Angelum repraesentet. Iam vero ad veritatem et ad finem huius repraesentationis sufficit vera configuratio; non autem requiruntur vitalis unio et usus [3].

II. **Ad Textum.** - Obiectiones 1 et 2 procedunt ex veritate et utilitate. Arguunt ex toto.

Reliquae obiectiones procedunt per analysim, idque ex auctoritate Scripturae. Ita autem disponuntur, ut primae duae cum distinctione solvantur, quatenus Angeli loquuntur quidem et ambulant, at non uti vitale principium corporis, in quo loquuntur et quod movent. Reliquae autem duae de comestione et de generatione solvuntur simpliciter negando. Ratio autem in *Corpore* doctrinae exponitur.

Sed contra est. Huc spectant verba Archangeli ad Tobiam. Etenim si in vera apparitione non fuit nisi apparens comestio, ratio est, quia assumptio fuit quidem vera, sed nonnisi repraesentativa.

Vide textum S. Augustini in resp. ad quintum.

In Corpore. Integram huius articuli doctrinam hoc tene Schemate expressam.

[1] Tob. xii, 19. — Fortius est argumentum iuxta verbum « Videbar », quam iuxta interpretationem Augustini: « Videbatis me manducare ». Sed et haec, si penitius scrutetur, ad idem conducit. Cf. Corollarium I.

[2] Lege Heinrich (op. cit., § 284, p. 581 sqq.) de « Nephilim » fuse disputantem. — Advertendum est tamen, posse quidem filios Dei, de quibus narratur in Genesi VI, intelligi de angelis, utique malis, quin inde iure concludatur, spiritus in corporibus assumptis exercere opera vitae. Per fraudem enim aliunde desumpto generationis elemento ita potest uti daemon, ac si ipse generationis opus vitaliter exerceret. Cf. dicenda in propositione V ad Quaestionem LIV.

[3] Connexa est cum praesenti doctrina quaestio de modo, quo daemones ab igne patiuntur. Sed hanc quaestionem ad locum alium differimus investigandam.

- **In corporibus assumptis Angeli**
  - I. possunt exercere *opera communia* animatis et inanimatis, uti
    - 1) loqui:
      - *a*) non quidem actu propriae locutionis humanae;
      - *b*) sed producendo mechanice sonos loquelae.
    - 2) ambulare:
      - *a*) non quidem ut motores coniuncti, sed ut motores inexistentes;
      - *b*) unde et moventur cum corporibus assumptis; et quidem aliter ac in caelestibus; - quod de Deo movente non valet, utpote immenso.
  - II. *non* autem opera *propriae vitae*, v. gr.
    - 1) comedere:
      - *a*) non solum ex defectu assimilationis, - quae non requiritur ad veram comestionem, uti patet in Christo redivivo;
      - *b*) sed ex defectu unionis naturalis cum corpore;
      - *c*) quare comestio Angelorum non fuit nisi apparens, - citra mendacium, propter assumptionis figurationem.
    - 2) generare:
      - *a*) repugnat proprie (confut. falsa interpr. Gen. VI);
      - *b*) non autem improprie, per fraudem (inde proles nata nonnisi putative daemonis).

Resp. ad 1.m Symbolica ratio corporis, quod assumunt Angeli, in multis est manifesta. Exprimunt pedes et manus virtutem movendi et agendi; pectus, domicilium omnium virtutum, ac imprimis amoris castissimi; caput in caelum creatum insinuat divinae essentiae iugem contemplationem; oculi cognitionem significant; aures, promptitudinem audiendi divina iussa et fidelium preces; nares figurant vim discretivam inter bonum et malum; os et lingua repraesentant facultatem enunciandi et explicandi oracula et voluntates Dei. Alae insuper Angelis adduntur ad caelestem agilitatem exprimendam. Apparent autem in blanda iuventute ad connotandam integram floridamque beatitudinem [1].

Corollarium I. - Ex dictis in hoc articulo vides, quid censendum sit de sequentibus verbis S. Augustini. « Quod (scil. « comedere) Angeli quoque visibiliter et tractabiliter appa-

[1] Cf. Dionysium (*De Cael. Hier.* cap. ult.),

« rentes, non quia indigebant, sed quia volebant *et poterant*, « ut hominibus congruerent, sui ministerii quadam humani- « tate, fecerunt. Neque enim in phantasmatibus Angelos edisse, « credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt: « quamvis utrum Angeli essent, ignorantibus consimili nobis « indigentia vesci viderentur. Unde est quod ait Angelus in « libro Tobiae: Videbatis me manducare, sed visu vestro vi- « debatis: id est, necessitate reficiendi corporis sicut vos faci- « tis, me cibum sumere putabatis » [1].

Si per verba « *et poterant* » Augustinus intendit asserere, Angelos vitali actu vere in assumpto corpore manducare potuisse, dicendum est, Hipponensem cum Aquinate in re nostra non convenire.

Et sane disiunctio haec non est adaequata: aut non in corporibus veris, id est, in phantasmatibus comedere Angelos, aut vere comedere. Datur enim medium, et in hoc medio est veritas: in corpore vere assumpto comedere apparenter. Caeterum, si Augustinus dubitavit de pura spiritualitate Angelorum, et de modo quo corporaliter apparuerint, quatenus forsan sua corpora tenuissima potuerint reddere visibilia et palpabilia, quid mirum, si facilius putaverit, Angelos in his corporibus vere manducare potuisse? [2]. Fatendum tamen est, verba S. Augustini in hoc loco non esse tantopere explicita, ut dicamus, inter Hipponensem et Aquinatem verum in ista quaestione haberi dissidium.

Corollarium II. - Ex comparatione hic facta inter comestionem Angelorum apparentem et veram Christi redivivi, vides, non esse de essentia verae comestionis ut terminus ad quem sit vera assimilatio, cum superflui emissione; sed ut modus assumptionis sit vitalis, ope scilicet formalis principii corpus proprium vivificantis.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum Angeli superius demonstrati sint expertes compositione ex materia et forma, repugnat eos habere corpora

[1] *De Civ. Dei*, l. XI, c. 22.

[2] Idem modus loquendi apud alios Patres reperitur, uti superius diximus. (Quaest. praec. art. 2).

sibi vitaliter coniuncta. Et sane sunt in superiori gradu naturae intellectualis; homo vero corpus habet, non quia est intelligens, sed quia intelligens animal (art. 1).

2) Nihilominus, uti aperte docent Scripturae et Patrum traditio, Angeli vere et non solum phantastice seu imaginarie assumunt corpora; non quasi illa sibi hypostatice uniendo, aut assimilando, nec quasi formae materiam; nec tamen simpliciter uti motores, sed uti motores per corpora ad officia sibi commissa repraesentati (art. 2).

3) Haec vero assumpta corpora quum non formaliter vivificent, non possunt in eis exercere vere opera vitae, ut sunt comedere et generare; aliqua tamen opera exercere possunt, illa scilicet ad quae, deficiente principio vitali, sufficit virtus motrix, uti loqui et ambulare (art. 2).

b) - DE COMPARATIONE ANGELORUM AD LOCA.

QUAESTIO LII.

Ordo Quaestionis est manifestus. 1) Primo quaeritur de habitudine Angeli ad locum simpliciter (art. 1). - 2) Dein quaeritur de hac habitudine ad plura loca simul (art. 2). - 3) Tandem de habitudine plurium Angelorum ad unum locum simul. - Tres articulos simul considerabimus, primo problema investigantes, dein textum S. Thomae exponentes.

I. - De ipsa Quaestione.

1) Angelos specialem quamdam posse habitudinem habere ad corpora, patet ex doctrina modo exposita. Qui enim secus possent sibi corpora assumere, et qua ratione in his corporibus vere apparere dicerentur?

2) Quaestio igitur hic solvenda est duplex: *a*) utrum habitudo ad locum sit ita Angelo necessaria, ut non possit non esse in aliquo loco; *b*) quaenam sit formalis ratio contactus Angeli ad locum, in quo esse dicitur. Utraque sane quaestio subtilitate non caret.

3) Ab initio duo extrema semovenda sunt. Non potest omnino respectus Angelorum ad locum assimilari respectui Dei ad locum. Deus est spiritus immensus, Angelus vero limitatus; - Deus est agens universalis, Angelus vero particularis. Quare nequit Angelo tribui ubiquitas sicut et Deo. Ad summum ei potest tribui aliqualis ubiquitas successiva, quatenus nullus est locus, in quo non possit successive suam limitatam praesentiam exercere.

Deus igitur est in omni loco indefinitive, sustentative, operative; Angelus in loco determinato quem eligit, definitive et operative. Ad summum praesentia sustentativa ei concedi potest, - neque plena, solius enim Creatoris et Conservatoris est, - in corporibus quae sibi formavit et formata continet.

4) Pariter nequit ex opposito conferri habitudo Angeli ad locum cum habitudine corporum ad locum. Corpora praesentia sunt in loco circumscriptive, per contactum quantitatis; Angeli vero, utpote spirituales, praesentes sunt definitive [1], quatenus sunt ibi, et, dum sunt ibi, non sunt alibi; idque non per contactum quantitatis, sed virtutis.

5) Neque sunt praesentes omnino ad modum quo anima est praesens in corpore; nam, licet conveniat in hoc utraque praesentia, quod non est circumscriptiva, tamen longe magis praesentia animae in corpore est definitiva, insuper est formaliter vitalis.

6) Hucusque passim conveniunt scriptores, at iam in varia abeunt, ubi agitur de determinanda magis habitudine spiritus angelici ad loca corporea. Nec mira videri debet haec sententiarum diversitas, quum hic tangamus quaestionem subtilissimam de habitudine spiritus ad spatium, et de modo quo contactus obtinetur inter duplicem ordinem spiritualem et corporalem.

Antequam praecipuas sententias sive Patrum, sive theologorum afferamus, nostrasque conclusiones formulemus, pla-

[1] Praesentia corporis Christi sub speciebus sacramentalibus est quidem incircumscriptiva, quia non est per contactum corporeae quantitatis, non tamen est definitiva, nisi modo negativo, quatenus singulas species ut tales non excedit; non autem modo exclusivo, quia sub aliis quoque speciebus eodem tempore corpus Christi existit et semper sub pluribus existere potest.

cet quaedam philosophica penitius praemittere tum de variis generibus praesentiae in loco, tum de variis modis quibus haberi potest applicatio praesentiae, necnon contactus virtutis, qui est ex istis modis praecipuus ad argumentum spectans, demum de variis respectibus τοῦ *ubi*.

a) Praesentia in loco quadruplex distinguitur, iuxta sequens schema [1].

- Praesentia in loco est:
  - 1) immensa per ubiquitatem (ita solus Deus);
  - 2) circumscriptiva, id est:
    - *a*) quantitativa,
    - *b*) situalis,
    - *c*) passiva (contenta),
    - } ita sola corpora;
  - 3) definitiva (ita soli spiritus et anima):
    - *a*) substantialis, si per ipsam substantiam;
    - *b*) causalis, quae tres habet gradus:
      - α) ordinata,
      - β) approximativa,
      - δ) operativa,
  - 4) sacramentalis: ita solus Christus in altaris mysterio.

Certum est, praesentiam Angelorum non esse nisi tertiae rationis; utrum autem substantialiter, an causaliter, et quo sensu, investigabimus.

b) Applicatio autem, sine qua praesentia haberi nequit, dividitur et subdividitur iuxta hoc alterum schema [2]:

- Applicatio haberi potest
  - 1) secundum formam (anima in corpore);
  - 2) secundum determinatum situm (punctum in linea);
  - 3) secundum contactum:
    - *a*) proprie, per ultima simul (ita corpora):
    - *b*) metaphorice, per virtutem (ita spiritus).

Applicatio Angelorum ad locum est haec ultima 3) *b*).

[1] Cf. Billuart et Card. Satolli (op. cit. hoc loco).

[2] Cf. S. Th. I. Sent. Dist. XXXVII, Q. 3, art. 1.

c) Porro iste contactus virtutis sedulo distinguendus est [1].

- Contactus virtutis
  - 1) dans modum, non esse (ita Angeli in loco);
  - 2) dans esse,
    - *a*) non suum (ita Deus est praesens rebus);
    - *b*) esse suum;
      - α) formaliter (anima in corpore);
      - β) hypostatice (Verbum in Christo).

d) Demum oportet caute distinguere varios respectus τοῦ *ubi*, iuxta tres gradus entium: iuxta corpora, spiritus, et Deum. Fas sit dicere, triplex dari *ubi:* 1) *ubi locale*, quod corporeis rebus convenit; 2) *ubi spirituale,* vel *intellectuale,* quod Angelis; 3) *ubi transcendentale*, quod Deo. Hoc ultimum est simplicissima immensitas, quatenus in Deo consideratur independenter a quavis habitudine ad creaturas. - *Ubi* spirituale seu intellectuale, est proprium Angelorum (et animarum separatarum), et considerari potest independenter ab existentia rerum corporearum, sive spatii realis mensurabilis [2]. - *Ubi locale* proprie dictum ibi incipit realiter, ubi incipiunt existere entia corporea, composita ex materia et forma.

Porro quemadmodum Deus, in se habitans, et implens, si ita loqui liceat, τὸ *ubi* transcendentale, seu sinum Trinitatis, potest, imo positis creaturis utriusque ordinis, debet implere creata per applicationem suae praesentiae ad τὸ *ubi* spirituale Angelorum et ad τὸ *ubi* locale corporum, quin tamen ullo modo amittat nec amittere possit suum *ubi* transcendentale; ita quoque Angeli possunt sese applicare ad τὸ *ubi* locale, quin tamen abdicent suum proprium *ubi* intellectuale; debent autem se ad hoc applicare, quotiescumque in corporeis creaturis vel per corporeas creaturas sensibilem volunt virtutem exercere.

Talis igitur est ista habitudo inter triplicem gradum τοῦ *ubi,* ut a maiori gradu detur descensus per applicationem ad gradum inferiorem; non autem a gradu inferiori ascensus

[1] Cf. S. Th. (ibid.).

[2] Istud *ubi* nihil aliud est quam mensura entitativa Angeli sub respectu quantitatis virtutis, quatenus est limitatus in se et distinctus ab alio quovis Angelo.

ad gradum superiorem, nisi per miraculum, uti ex parte habetur in praesentia eucharistica corporis Christi; qui praesentiae modus, quoad modum spiritualem ascendit ad τὸ *ubi* spirituale, quoad muliplicationem praesentiae, imo quoad ubiquitatem potentialem participat aliquid de τῷ *ubi* transcendentali omnipraesentiae divinae.

Hisce considerationibus de triplici gradu praesentiae divinae, spiritualis, corporalis, si addideris quinque distinctiones aliunde notissimas inter spatium reale et imaginarium (non confundendum utique cum *ubi* intellectuali), inter locum continuum et non continuum seu discretum, inter locum intrinsecum et extrinsecum [1], inter locum materialem et formalem, inter locum adaequatum et inadaequatum, habes principia e quibus mox conclusiones nostras eruemus.

Iam ad doctrinam Patrum exhibendam gressum moveamus.

I. - Exhibetur doctrina Patrum [2].

Doctrina Patrum in hoc argumento inde magis attendenda est, quod de puro Angelorum spiritualitate nonnihil aliquos dubitasse vidimus. Porro haec doctrina ad sequentia capita reduci potest.

1) Contra Theodorum Mopsuestenum et Theodoretum, qui Angelos loco alligabant, et proin negabant possibilitatem ut ante locum, in quo essent, crearentur, Patres affirmant, Angelos non esse eo modo sicut corporalia entia circumscriptos. Ita diserte Philoponus [3].

2) Sunt igitur Angeli supra locum. Belle Gregorius Nyssenus: « Nemo adeo puerili est, ait, ingenio, qui in natura intel-
« ligente et incorporea differentiam loci reperiri existimet.
« Loci enim positio propria est corporum. Quod autem na-
« tura est intelligens, et materia caret, longe ab omni notione
« loci est, ut omnes confitentur » [4]. Nec minus expresse Neme-

[1] Quum Angelus sit per se supra locum, et in loco proprie dicto non sit nisi aequivoce, dici potest, omnem locum proprie dictum esse Angelo extrinsecum. Nihilominus in hoc ipso loco, quem occupat, datur respectus loci intrinseci et extrinseci.

[2] Cf. de hoc argumento PETAVIUM (op. cit. loc. cit. c. 13).

[3] *De Opif.* l. I, 16.

[4] *Ctr. Eunom.* l. I.

sius: « Quae sunt intelligibilia, cum a corporibus minime « prohibeantur, sed per totum corpus meantia et transeun- « tia et pervadentia sint, non possunt a corporeo contineri. « Ut enim intelligibilia sunt, sic intelligibilibus in locis insunt: « nimirum vel in seipsis, vel in superioribus intelligibili- « bus » [1]. Optime S. Damascenus duplicem locum distinguit: unum corporeum, qui proprius est corporum; « alterum « νοητὸν, intelligibilem, ubi intelligitur, et est intelligibilis, « expersque corporis natura: in quod adest, et agit, nec more « corporum ambitur; sed intelligibiliter. Non enim habet figu- « ram, ut tanquam corpus contineatur ». At, ne inde concludatur ad Angelorum infinitatem, addit: « Caeterum Deus, ut « qui materia caret, neque circumscribitur, in loco non est. « Nam ipse sibi locus est, implens omnia, etc. » [2]. Quo ex principio recentior scriptor Graecus. nomine Psellus, quaerens « num res incorporea sit in loco », hanc auream doctrinam deducit: « Contraria sunt invicem corpus et incorporeum. « Quare corpus est in loco, incorporeum non est in loco. Si « enim contrarium contrario convenit, etiam contrario inerit « contrarium. Exempli causa, si corpus, quod est contrarium « incorporeo, consentaneum est esse in loco, incorporeo con- « sentaneum erit non esse in loco. Quae enim vere incor- « porea sunt, loco omni praestantiora sunt; neque localiter « adsunt corporibus, sed habitudine iis adsunt » [3].

3) Sunt tamen aliqualiter circumscripta, quatenus sunt finita, ac proin non habent illam ubiquitatem, quae solius Dei est. Unde sunt etiam aliqualiter in loco: « Non enim, « inquit Nyssenus, fieri potest, ut quae creatione producta « sunt, aut fiunt, non omnino in loco, vel in tempore habeant « ut existant. Sola nullius egens, et aeterna, ac res omnes « complexa natura, neque in loco est, neque in tempore » [4]. Hoc sensu quoque intelligendus est S. Gregorius Magnus: « In hoc est nunc natura angelica a naturae nostrae condi- « tione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et caeci- « tatis ignorantia coarctamur. Angelorum vero spiritus loco

[1] *De nat. hom.* c. 3.
[2] *De fid.* l. 1.
[3] *Quaest. phys.* 9, 84.
[4] Ibid.

« quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiae longe « super nos incomparabiliter dilatantur.... Et mittuntur igitur « et assistunt, quia per hoc, quod circumscripti sunt, exeunt » [1].

4) Quare, quum ubiquitas sit privilegium Dei, Angeli ita sunt in aliquo loco, ut non sint simul in aliis locis. Audiatur S. Basilius: « Caeterarum porro virtutum singulae certo cir- « cumscriptae loco esse creduntur. Etenim Angelus ille, qui « Cornelio adstitit [2], non erat eodem tempore apud Philip- « pum; neque qui ex altari Zachariam alloquebatur [3], eodem « tempore propriam in caelo stationem obibat. At Spiritus « Sanctus simul et in Abacuc operatus, et in Daniele apud « Babylonem creditur » [4]. Non inde tamen argui potest, Angelos esse simpliciter in loco. Nam affirmat, « locum praeci- « pue esse corporis ». Quod ex anima humana illustrat: « Ani- « mam vero ex consequenti, ac velut accessionis instar esse « in loco propter habitudinem ad corpus, cum ex naturae « suae proprietate loco minime circumscribatur » [5].

5) Quare rursus quando Angeli dicuntur ita esse in loco, ut non esse simul in alio loco praedicentur, hoc nequit intelligi quatenus huic loco, in quo esse dicuntur, ad modum corporum insint. Id rursus bene exprimit Nemesius: « Quod « ita concipitur, in urbe Alexandrina esse, vel omnino hic, « locus est. At in loco nullo modo est, sed in habitudine. « Ostendimus enim non posse comprehendi loco. Cum ergo « in habitudine quadam fuerit intelligibilis res ad locum, vel « rem aliquam, quae sit in loco, per abusionem ibi illam esse « dicimus, propter actionem, quam illic efficit; adeo ut pro « habitudine et actione locum usurpemus » [6].

6) Quod si ratio huius praesentiae quaeritur, dicendum est, Angelos se reddere praesentes in loco per suam virtutem ἐνέργειαν. Haec est ipsissima doctrina Philoponi contra Mopsuestenum disputantis [7], et Nemesii in textu modo allato. Quam doctrinam Scholastici postea amplexi sunt.

[1] *Moral.* l. II.
[2] Luc. x.
[3] Luc. I.
[4] *De Spir. S.*
[5] Homil. 30 de Parad.
[6] Op. cit. 17.
[7] Loc. cit.

Quae omnia hucusque exposita verbis sequentibus Damascenus comprehendit: « Circumscripti sunt (Angeli), quoniam « cum in caelo sunt, non sunt in terra; cum in terram a « Deo mittuntur, non manent in caelo.... Cum autem intel- « ligentiae sint, etiam intelligibilibus in locis sunt, non cor- « porum more circumscripti. Non enim ut corpora secundum « naturam figurantur; neque triplici dimensione constant: « sed eo ipso sunt in loco, quod intelligibiliter praesentes « sint, et agant ubicumque esse iussi sunt, nec possint eodem « momento simul hic esse, et illic, et agere » [1].

II. - Praecipuae sententiae theologorum recensentur.

Ne in immensum haec nostra expositio excurrat, praecipuas sententias tum scholasticorum, tum moderniorum theologorum exponemus. Quid de eisdem censeamus, satis apparebit, ubi conclusiones nostras exponemus.

1) Praeter philosophos illos Arabes, qui Angelis non nisi mediatam in corpora actionem tribuunt, ac proin veram praesentiam in loco negant [2], occurrit nobis primo *Durandus* [3]. Hic utique « non asserendo, sed inquirendo », existimavit Angelos, utpote spirituales, esse ubique, praesentia quidem ordinis; fieri autem praesentes in hoc loco potius quam in illo, per operationem virtutis. De qua sententia Suarezius ait: « Sine dubio est plus quam temeraria, et com- « muniter erronea iudicatur » [4]. Non recuso iudicium. Illud autem in Durando probo, quod duplicem in Angelis veluti ubicationem proclamarit, alteram supra locum, quam utique exaggerat, alteram in loco, quam nimis debilitat.

Relicto excessu Durandi, theologi qui admittunt Angelum non esse ubique, non conveniunt de ratione qua praesens constituitur hic potius quam illic.

[1] Op. cit. l. II. c. 3.

[2] Hanc opinionem S. Thomas depellit in prima parte *Corporis* art. 1, q. III, Dist. XXXVII libr. I Sent., ubi hoc iudicium de eadem fert: « Haec autem opinio hae- « retica est, quia secundum fidem nostram ponimus, Angelos immediate circa nos « operari ».

[3] In I. Sent., Dist. XXXVII, 2 part., q. 1, n. 26.

[4] *De Ang.* l. IV, c. 1, n. 9, sq.

2) Alii, inter quos solet imprimis numerari *Scotus* [1], putant, sufficientem rationem inveniri in ipsa substantia Angelorum, quae, sicuti finita est et non immensa, ita per seipsam est hic et non illic [2].

Sed optime defectum huius sententiae detegit S. Thomas: « Procedit ex aequivocatione finis. Cum enim dicitur essentia « Angeli finita, accipitur finis pro fine essentiae et virtutis, « secundum quod etiam definitio terminus dicitur, et non pro « fine dimensionis. Locus autem dicitur finiens vel finitus se- « cundum terminos quantitatis: finis autem secundum utram- « que acceptionem nullam commensurationem aut propor- « tionem habet. Unde non oportet, quod est finitum in essentia, « ad terminos loci finiatur » [3].

Caeterum haec sententia non videtur sufficienter distinguere inter τὸ *ubi* intrinsecum et τὸ *ubi* extrinsecum Angeli. Concedimus dictum de τῷ *ubi* intrinseco, non autem de altero, quod in praesenti investigatione prae oculis habemus.

3) Si huic sententiae elementum aliquod, tenuissimum quidem, sed tamen elementum adiungitur, habetur sententia, quae *Suarezii* [4] dici solet. Adiungunt enim substantiae Angelicae modum quemdam, qui determinet respectum ad locum in quo esse dicitur. Ipse Suarez, qui praecedentem positionem insufficientem iudicat, suam sententiam his verbis exponit: « Dicimus Angelum esse in loco per solam praesentiam sub- « stantiae suae, indistantis a corpore, in quo esse dicitur, ac « proinde denominationem hanc essendi in loco ex parte « Angeli solum dicere intrinsecum modum praesentiae, seu « *ubi*, quod supra explicuimus [5]; connotare autem coëxisten- « tiam corporis in eodem situ seu spatio, in quo Angelus « praesens existit ». Cl. Palmieri, quam amplectitur sententiam [6], his verbis describit: « Alii e contrario considerantes

[1] Haec enim sententia passim tribuitur Scoto (II Dist. 2 q. 6). Non autem conveniunt omnes de propria mente Scoti. — Cf. SUAREZIUM (loc. cit. c. 2).

[2] Huic sententiae non pauci auctores adscribi solent, uti Richardus et Hugo Victorini, Molina et Valentia; ipseque S. Bonaventura, de quo in fine sequentis Quaestionis data opera agemus.

[3] I Sent. Dist. XXXVII, d. 3. art. 1, in Corp.

[4] Op. cit., loc. cit. c. 7.

[5] Loc. cit., cap. 2.

[6] Difficile dictu est, utrum Cl. Palmieri cum Scoto an cum Suarezio conveniat; nam utrumque allegat, necnon Becanum et Derkennis, tanquam id propugnantes.

« locum intrinsecum proprium eum esse in quo aliquis est, « eumque sufficere ut vere quis sit in loco, docuerunt, An- « gelos non per operationem, sed per suam substantiam com- « paratam cum aliqua parte spatii constitui formaliter in « loco, ibique esse posse citra ullam operationem » [1].

Duas autem rationes affert ad hanc suam sententiam illustrandam, quae tamen rationes sunt potius negativae, quatenus impugnant sententiam, quae praesentiam Angelorum in loco repetit ab aliqua Angelorum activitate in eodem loco vel relate ad hunc locum. Prima ratio consistit in depellenda comparatione inde petita, quod, sicuti corpora praesentia constituuntur per contactum quantitatis, ita spiritus per contactum virtutis. Negat Palmieri primum membrum comparationis. Sed etiamsi haec negatio esset legitima, non inde valeret negatio consequentis. Nam corpora comparantur ad locum uti in eodem ordine, Angeli autem uti supra locum. - Altera ratio desumitur ex hoc quod praesentiam praesupponit actio, non autem constituit. Sed, uti videbimus infra, hoc rursus valere potest, nec semper valere debet, ubi in eodem sunt ordine res locata et locus; secus vero non. Existimat eruditus et acutus theologus hanc suam sententiam iam expressisse his verbis Damascenum: « intelligentiae eo ipso « sunt in loco, quod intelligibiliter praesentes sunt et agunt » [2]. Sed, uti vidimus, non eo praecise fine haec a Damasceno proferuntur, quem intendit laudatus auctor; unde argumentum ex verbis istis deductum urgeri nequit.

Existimen igitur, hanc sententiam, quatenus distinguitur a praecedente, - quam distinctionem proponit quidem Cardinalis Mazzella [3], omittit vero Palmieri [4], – non satis dicere, ita ut vel incidat in sententiam praecedentem, vel inducat in unam ex sententiis sequentibus.

Aliquid igitur, praeter substantiam, - quam utique praesentem esse concedimus, imo remotam seu mediatam eiusdem

quod et ipse tuetur. Qui sane omnes in hoc conveniunt quod praesentiam Angelorum in loco non repetunt ab applicatione virtutis, sed ab habitudine substantiae.

[1] Op. cit. th. XIX, n. 5.

[2] Loc. cit.

[3] Op. cit. n. 327, 330.

[4] Ibid.

praesentiae rationem agnoscimus [1], - ponendum est uti id, per quod Angelus in loco praesens constituatur. Quid autem erit illud, supra hanc relationem a Suarezio inductam? Est Angelica virtus. Haec autem virtus aliter et aliter intelligi potest, ita ut quatuor aliae sententiae exsurgant.

4) Prima est opinio *Vasquezii* [2] contendentis, Angelum constitui in loco extrinseco per realem seu physicam unionem ad corpus. Sed haec sententia, licet manifestior, adhuc insufficienter rem explicat. Etenim determinandum superat, qualis unio hic intelligatur, et per quid haec unio constituatur. Placet utique in hac sententia distinctio inter τὸ *ubi* proprium, spirituale, in quo Angelus semper est, et τὸ *ubi* improprium, locale, in quod se constituit. Sed, uti dicebamus modo, formula est adhuc deficiens. Sane quotiescumque Angeli corpora assumunt, in quibus repraesententur et agant, aliquid obtinetur ad hunc conceptum magis appropinquans. Sed quid in aliis casibus? Caeterum, nec in illo haec formula plane sufficiens est habenda.

Penitius igitur investigemus virtutem, quae est formalis ratio praesentiae Angelorum. Iam vero in hac virtute tres possumus distinguere gradus, iuxta tres gradus praesentiae quos in praenotaminibus distinximus: ordinis, approximationis, operationis [3]. Hinc tres sequentes sententiae, secundum quod petitur praesentia Angeli ab eius virtute simpliciter, vel ab applicatione huius virtutis, vel ab eiusdem operatione.

5) Primam sententiam docet Toletus, qui, postquam alias duas inverso ordine confutare conatus est, suam ipsius his verbis exprimit. « Angelus per suam solam virtutem est in « loco tamquam per rationem existendi, adeo quod nec in « maiori nec in minori loco possit esse, quam sit eius virtus « operativa » [4]. At in hac sententia non satis apparet, quid sit

[1] Quod negabat Hervaeus.

[2] Disp. 188, p. 1, cap. ult. Subscribit huic sententiae Alarcon. — Lege fusam huius sententiae confutationem apud Suarezium (op. cit. l. IV, c. 6), et Gonetum (*Clyp. theol. thom.*, t. III, disp. IV, art. 1, § 3).

[3] Cf. in primo schemate 3) *b*) α), β), γ).

[4] Hoc loco concl. 5. Primo S. Thomae doctrinam ita exposuit: « 1) Angeli sunt « in loco per applicationem suae virtutis operativae; dicuntur autem aequivoce esse in « loco, non sicut corpora. — 2) Angeli quum non sint per quantitatem in loco, non « commensurantur loco, nec illi coëxtenduntur, nec in eo situm habent, ut pars sur- « sum, pars deorsum dicatur: imo nec loco dicuntur contineri, sed potius continere

ista virtus, nisi simul dicatur, quid in loco producat, ut per eam Angelus praesentem in loco se sistat.

Dicamus igitur simpliciter cum S. Thoma, Angelum se sistere praesentem in loco per contactum suae virtutis. Sed haec sententia duplici modo a sequacibus Aquinatis intelligitur et explicatur.

6) Alii, timentes maxime ab effato, prius est esse quam operari, timentes etiam a necessitate ut Angeli semper operentur in loco, ne ibi esse non possint, mitius S. Thomae mentem interpretantur. Dicunt enim, non requiri operationem virtualiter transeuntem, ut Angelus in loco per virtutis contactum seu per applicationem virtutis praesens sit; sed sufficere, aiunt, hanc ipsam operationem, per quam Angelus se praesentem sistit, seu qua facit hunc sibi locum. Ita Nazarius, Sylvius, Bannez, Gotti, etc. « Ex mente S. Doctoris « esse dicimus, ait Sylvius, quod ratio veluti formalis secun- « dum quam Angelus est in loco, non sit operatio proprie « dicta, quodque non requiratur ulla talis operatio ad hoc « ut in loco aliquo existat: sed satis sit, quod virtutem suam « operativam (eo modo quo ipsi convenire potest) applicet « ad aliquem locum; sive quod eum locum sua virtute im- « mediate contingat, sitque idcirco in proxima potentia ad « illic operandum ». Aliis verbis dicunt, sufficere illam praesentiam quam superius vocavimus *approximationis*, non requiri praesentiam *operationis*.

7) Alii, uti Capreolus [1], Contenson, Billuart, Gonet, etc. requirunt ipsam operationem, quatenus haec virtus approximationis non sufficere videtur, quum nulla ratio adesse possit, cur Angelus in loco esse velit, nisi ut operetur, et haec operatio directe sufficiat ad praesentiam constituendam.

« ipsum; sicut anima dicitur continere potius corpus, quam contineri ab ipso, quia « ipsum movet et agitat ». — Dein quinque suas conclusiones ita exprimit: 1) « An- « gelus non est praesens toti mundo secundum substantiam, sed certo et determinato « loco ». (Contra Durandum). — 2) « Angelus non est in loco per suam substantiam, « tanquam per rationem agendi » (Contra Scotum). — 3) « Angeli non sunt in loco « secundum operationem » (Contra Capreolum). — 4) « Angelus non est in loco per « virtutis suae applicationem ». Et addit: « Haec est contra Caietanum, et puto « etiam contra S. Thomam ». Et sane, si minus tertia, haec saltem quarta doctrinam Aquinatis impugnat.

[1] Capreolus tamen a quibusdam citatur uti propugnator sententiae mitioris (Cf. Billuart).

Media inde quaedam sententia docet, ad praesentiam incompletam sufficere virtutis applicationem, ad completam autem requiri operationem. Ita Caietanus, cui de more adhaeret Card. Satolli, nisi dicatur sententiam hanc ultimam potius amplecti [1].

Huic sententiae parumper mitigatae subscribere quoque videntur Salmanticenses, quorum verba ita sonant: « Dicen-« dum est.... rationem formalem in *actu primo* proximam et « immediatam essendi in loco connaturali, seu proxime et « immediate fundantem ubicationem in praedicto loco, esse « *quantitatem virtutis* Angelicam, id est, *virtutem* eius pro-« xime et immediate *operativam;* rationem vero proximam « *in actu secundo,* seu actuale exercitium praedictae rationis « formalis in actu primo consideratae, esse *contractum* quan-« titatis virtutis, id est, actualem *operationem*, virtualiter « saltem transeuntem in locum; ac proin *integram* rationem « formalem, actu exercentem suum munus fundandi prae-« dictam ubicationem, esse *quantitatem virtutis angelicae* « *contingentem contactu virtuali,* seu per suam operationem « virtualiter saltem transeuntem, ipsum locum » [2].

Quid ergo? Equidem existimo, contra hanc ultimam sententiam non valere argumentum ab adversariis opponi solitum: prius scilicet aliquem esse praesentem, quam operari. Ad rem S. Thomas: « Nihil prohibet aliquid esse prius simpli-« citer, quod non est prius quantum ad hoc: sicut corpus « subiectum est prius superficie, sed non quantum ad hoc quod « est colorari; et similiter prius simpliciter est corpus, quam « tactus; tamen ipsum est in loco per tactum dimensivae « quantitatis: similiter Angelus per tactum virtutis » [3]. Caeterum ipse S. Thomas monet nos, ne nimis distinguamus inter applicationem virtutis et eiusdem virtutis operationem, quum haec ipsa applicatio sine aliqua operatione produci nequeat. Et sane, si virtutis applicatio non est aliqua virtutis exercitatio, cur non statur potius sententiae Vasquezii, aut simili? Audiatur rursus Angelicus velut duas de sua mente sententias ipse componens: « Si quis vult virtutis contactum operatio-

[1] Op. cit. Disp. VIII, lect. II, c. III, n. 4.

[2] Tom. II, Pars poster. Tract. VII *De Ang.* Dist. II, dub. 3, § 1.

[3] Quodl. q. I, a. 4, a, 1.

« nem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus « virtutis; dicatur quod Angelus est in loco per operationem; « ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, « sed quaecumque unitio, qua sua virtute se corpori unit « praesidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo »[1].

Puto proin non magnum discrimen esse inter sententias 6m et 7m. Si tamen urgeretur discrimen, distinguendo inter applicationem radicalem virtutis et exercitium eiusdem virtutis applicatae, tunc puto hunc textum ultimum S. Thomae potius explicandum esse in favorem sententiae ultimae, et huic esse adhaerendum, quia haec sententia magis urget distantiam inter τὸ *ubi* proprium spirituale et τὸ *ubi* aequivocum locale Angelorum.

Doctrinam hanc S. Thomae de Angelorum praesentia in loco per applicationem virtutis constituta, aliis praecitatis sententiis longe praeferendam ducimus; et a fusiori discussione argumentorum vel obiectionum, quae hinc inde moventur, abstinentes, concludimus nostra facientes haec verba Heinrich: « Wir glauben dass die Lehre des H. Thomas wohl « geeignet ist, den so schwierigen Gegenstand unserem Ver- « ständnisse näher zu bringen, und dass die dagegen erho- « benen Einwände nicht unauflöslich sind »[2].

Discrimen autem inter varias sententias apparet in corollario quoad possibilitatem ut Angelus sit in pluribus simul locis. Qui adhaerent sententiae S. Thomae, admittunt, Angelum posse esse simil in pluribus locis inadaequatis, quia in pluribus simul operari potest. Ita Sylvius statuit: « Videtur « fieri posse naturaliter, quod unus Angelus sit simul in duo- « bus vel etiam pluribus locis ab invicem separatis, modo « omnia simul sumpta non excedant quantitatem loci adae- « quati, sed contineantur intra sphaeram activitatis, seu intra « latitudinem loci respondentis eius virtuti »[3]. Et Billuart asserit, « Angelum posse esse simul in pluribus locis ina- « daequatis etiam distantibus intra sphaeram suae activitatis, « non existendo in medio, v. gr. in quatuor angulis unius « aulae, non existendo in medio; quia potest operari in qua-

[1] Ibid.
[2] Op. cit. pag. 613.
[3] Hoc loco art. 2, concl. 5.

« tuor angulis, non operando in medio »[1]. Qui autem praesentiam Angeli in loco magis identificant cum praesenti substantia Angeli, non admittunt, posse Angelum operari in pluribus locis distantibus, nisi sit quoque praesens in medio per modum continui.

Idem valet de possibilitate ut plures Angeli sint in eodem loco. Quo magis enim praesentia Angeli petitur ab eius operatione, eo facilius concipitur, plures Angelos esse in eodem loco inadaequato, si virtute naturali, imo adaequato, si supernaturali virtute, utpote in eodem loco operantes[2].

Et haec de praecipuis sententiis Theologorum impraesentiarum satis sint. De S. Bonaventura dicemus post expositam Quaestionem sequentem. Claudamus igitur hanc expositionem nostras de hoc argumento conclusiones breviter afferendo.

III. - Conclusiones nostrae feruntur.

Concl. I. - *Angeli, utpote spiritus puri, sunt naturaliter, per se, supra locum proprie dictum.* Haec conclusio nulla amplius illustratione, nec probatione indiget.

Concl. II. - *Angeli, etsi supra locum proprie dictum, non ideo sunt ubique, nisi in potentia, idque successive.* Haec conclusio est contra Durandum, qui ex eo quod Angeli non sint per se praesentes in loco, concludit eos esse ubique. Haec autem conclusio non valet; nisi illud ubique intelligatur in potentia et successive; quatenus scilicet Angelus potest sese reddere successive ubique praesentem, nisi impediatur a Deo vel ab alio Angelo potentiore.

Concl. III. - *Angelus non debet esse praesens in ullo loco proprie dicto, nisi ibi praesens fieri a Deo iubeatur.* Haec conclusio fluit ex praecedentibus. Si enim Angelus est ex sese supra locum, cur in aliquo loco proprie dicto esse deberet? Optime S. Thomas: « Hoc non reputo inconveniens, « quod Angelus sine loco possit esse, et non in loco, quando « nullam operationem circa locum habet, nec est inconve- « niens ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur. Sed

[1] Op. cit. Diss. II, art. 2.

[2] Lege v. gr. conclusiones Sylvii et Billuart.

« hoc tamen est non imaginabile, quia imaginatio continuum « non transcendit » [1].

Concl. IV. - *Angelus sese reddit praesentem in loco per contactum virtutis.* Qui contactus etsi habere videtur veluti geminum gradum: radicalem, quo producitur praesens, evolutum quo praesens operatur; tamen melius consideratur simpliciter constitui per operationem, sumendo operationem in sensu latiori, uti supra ex S. Doctore audivimus.

Concl. V. - *Angelus, pro liberae voluntatis exercitio, potest se constituere praesentem in loco minori vel maiori; modo locus non excedat virtutem perfectioni essentiali cuiusvis Angeli respondentem.* Haec rursus conclusio ita fluit ex praecedentibus, ut vix illustratione indigeat.

Concl. VI. - *Eo maiorem locum Angelus per contactum virtutis occupare potest, quo minorem virtutem in eo exercere intendit.* Haec conclusio est consequens proportionis in praecedentibus conclusionibus positae.

Concl. VII. - *Non repugnat, unum Angelum tantae esse virtutis, ut praesentia sua implere possit omne spatium, non quidem possibile seu imaginarium, sed reale.* Etenim quum ex una parte Deus possit creare Angelum semper maioris perfectionis, et ex altera parte non possit producere Angelum perfectionis infinitae, fieri potest ut detur Angelus, qui possit implere spatium reale, quod finitum est; non autem possibile seu imaginarium, quod est infinitum. Quousque autem pateat virtus supremi Angelorum, non humanae mentis est determinare.

Concl. VIII. - *Angelus eundem locum materialem occupare potest ut unum, vel ut plura formaliter.* Ut unum occupat locum, ac per modum continui, si unam vult virtutem seu operationem, vel plures per modum unius exercere; secus vero eum occupat per modum discreti, qui aequivalet formaliter pluribus locis.

Concl. IX. - *Non repugnat, Angelum esse praesentem in pluribus locis inadaequatis ab invicem distantibus, quin praesens sit in loco medio* [2], *dummodo summa horum locorum non excedat locum adaequatum.* Si naturalis praesentia Angeli

[1] I. Sent. Dist. XXXVII, q. III, art. 1 ad 4m.

[2] Cf. GONET, (op. cit. aut hoc loco, art. 3, n. CXVII).

esset in loco, Angelus non posset exerere suam virtutem in pluribus locis discretis et disiunctis, nisi praesens esset etiam in loco intermedio per modum unius. Quum autem Angelus sit supra locum, et se sistat praesentem in loco per applicationem virtutis, nulla ratio sufficiens adduci potest, cur non possit simul agere ac proin esse praesens in pluribus locis. Quae loca utrum se tangant, an distantia sint ab invicem, nihil refert. Haec multiplex praesentia eatenus solum repugnat, quatenus excedit virtutem Angeli. Qui excessus duplici ratione haberi potest: vel quia in uno loco Angelus totam suam virtutem applicare vult, vel quia summa virtutum in singulis locis applicanda excedit virtutem limitatam Angeli. Ex hac conclusione vides, non tam absolute uti extra dubium affirmandum esse, Angelos non posse in caelis esse, dum ministeria exercent in terris. Et sane verba Christi: « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in « caelis est » [1], nonne potius indicant, custodes illos parvulorum simul posse huic incumbere custodiae, et faciem Patris intueri in caelis?

Concl. X. - *Non repugnat ut supernaturaliter Angelus existat simul in locis adaequatis, aut in locis inadaequatis, quorum summa exsuperet locum adaequatum.* Ratio est manifesta. Ad oppositum contendendum oporteret ostendere, cur Deus non possit augere virtutem, qua Angelus operando praesentem se sistit in loca [2].

Concl. XI. - *Possunt plures Angeli naturaliter esse simul in eodem loco, non solum materiali, sed et formali, modo sint singulis inadaequati.* De loco materiali, nulla difficultas. Maior est de loco formali. Qui, utique, si adaequatus est, repugnat ut, - nisi fiat per supernaturalem aliquem interventum Dei, - plures Angeli eumdem locum occupent, quia repugnat plures causas totales eidem effectui concurrere, nisi sint instrumentales [3]. Si autem est inadaequatus, nulla amplius repugnantia adest, quum nullus Angelus sit effectus causa totalis.

Concl. XII. - *Praeter locum quem sibi Angelus per virtutis contactum libere eligit, aut cui se ad mandatum divi-*

[1] Matth. xviii, 10.
[2] Cf. Gonet, Op. cit. hoc loco, n. cxv.
[3] Cf. S. Thom. (III. Q. lxxxii, a. 2, ad 2m).

num explendum voluntarie applicat, potest Angelus in poenam a Deo passive loco alligari, aut a fortioribus Angelis in eo detineri. Inde locus tormentorum, cui alligantur daemones. Inde illud dictum in Apocalypsi: « Solve quatuor « Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate » [1]; et in libro Tobiae: « Tunc Raphaël Angelus apprehendit dae- « monium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti » [2]. Sed de hoc fusius infra.

Quot ex his conclusionibus non eodem saltem modo exprimi possint in sententia, quae passim audit Scoti aut Suarezii, manifestum est.

Et haec pro scopo nostro satis sint [3]. Iam ipsam litteram S. Thomae breviter exponamus.

II. - Ad textum S. Thomae.

Ad Art. I. - « *Utrum Angelus sit in loco* ».

Obiectiones procedunt ex loco proprie dicto, in quo locatum est iuxta indolem ipsius loci: quae praesentia est circumscriptiva, situalis et passiva. Angeli autem praesentia in loco non est nisi definitiva (neque hoc exclusive omnino), supra situm, et activa, id est, uti continentis et non uti contenti.

Sed contra est. Modus quo Scripturae de Angelorum praesentia loquuntur, demonstrat Angelos, licet spiritus, revera in loco esse dicendos, ubi sese manifestant et agunt. Praeter testimonia modo adducta ex libris Tobiae et Apocalypseos, et superius allata ad demonstrandam Angelorum existentiam, haec pauca hic sufficiant. Apparens Angelus Zachariae describitur « stans a dextris altaris incensi » [4]. De Angelis Christum natum cantu celebrantibus dicitur: « discesserunt ab eis An- « geli in caelum » [5]. Passim tales exhibentur, quorum locus

[1] Apoc. ix, 14.

[2] Tob. viii, 3.

[3] Qui plura quaerit, omniaque argumenta hinc inde allata cupit aequa statera perpendere, legat, v. gr. longiores tractationes ex una parte Suarezii, ex altera Goneti, Ioannis a S. Thoma (op. cit. hoc loco), Salmanticensium, Salisburgensium (t. ix Meinr. Stumpffegger, *De Ang.* disp. ii, art. 2), etc.

[4] Luc. i, 11.

[5] Luc. ii, 15.

proprius est caelum: « De illo die sive hora nemo scit, neque « Angeli in caelo "[1]. Unde Angeli apparent "de caelo "[2], « descendentes »[3].

Quoad spiritus malos habemus testimonia de obsessionibus daemonum, quae utique locale aliquid involvunt. Et sane quomodo ex Maria illa eiici potuissent septem demonia, nisi fuissent in ea?[4]. Malorum autem spirituum locus proprius est infernus. Etenim « Deus Angelis peccantibus non pepercit, « sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cru- « ciandos »[5]. Sinuntur tamen obsidere homines; unde circumvolitant uti « rectores tenebrarum horarum[6]; circueunt tan- « quam leo rugiens, quaerens quem devoret »[7].

Hanc doctrinam Ecclesia confirmat. De Angelis bonis orat: « Angeli tui sancti habitent in ea (domo), qui nos in pace « custodiant »[8]. Malos autem spiritus exorcismis, et orationibus arcet: « Omnes insidias inimici... longe repelle »[9]: « Exorcizo te, omnis spiritus immunde,... ut discedas ab hoc « plasmate Dei, etc. »[10].

In Corpore. Doctrina S. Thomae hoc schemate contrahitur:

Angelis convenit esse in loco,	1) *non uti corpora* sunt, id est:	*a*) per contactum quantitatis dimensivae, *b*) commensurative, *c*) per situm in continuo, *d*) in loco contenta.
	2) sed *uti decet spiritus,* id est:	*a*) per applicationem virtutis, *b*) uti locum aliquo modo continentes, *c*) aliqualiter sicuti anima humana est in corpore.

Collige ex hac doctrina, Angelum posse quidem esse in loco per applicationem virtutis, at posse esse in nullo loco. Quare, uti S. Thomas asserit, « esse in loco ut in loco; non

[1] Marc. xiii, 32.
[2] Luc. xxii, 43; Matth. xxviii, 2.
[3] Ibid.
[4] Marc. xvi, 9.
[5] II Petr. ii, 4.
[6] Ephes. vi, 12.
[7] I Petr. v, 8.
[8] Ant. Completorii.
[9] Ibid.
[10] In caerem. Baptismi.

« convenit Angelo nisi per accidens, inquantum scilicet cor-
« pus assumptum, vel corpus, cui per applicationem applica-
« tur, in loco est » [1].

Commendanda quam maxime, quae S. Thomas habet in *Corpore* huius articuli, ex quo haec verba desumpsimus. Prima confutat eos, qui Angelos nonnisi mediate contendunt agere in res sensibiles; dein repellit positionem, quae passim Scoto tribuitur; tertio demum loco propriam doctrinam ponit et vindicat.

Quaeres. Nonne doctrina, quam S. Thomas in initio huius *Corporis* depellit, est ipsissima quam propugnat S. Bernardus? « Illud scitote, ait, nullum creatorum spirituum
« per se nostris mentibus applicari; ut videlicet nullo me-
« diante, nostri sive corporis instrumento ita nobis immi-
« sceatur et infundatur, quo eius participatione docti sive
« doctiores, vel boni sive meliores efficiamur » [2]. Ita Doctor Mellifluus.

Resp. Excedit utique S. Bernardus in hac affirmatione. Doctrina tamen eius non est illa generalis, quam in initio corripit Aquinas. Sed Bernardus non admittens Angeli spiritum posse nec alterum Angelum nec animam nostram compenetrare, hoc modo putavit de Angelorum actionibus in animas nostras opinandum [3].

Ad Art. II. - « *Utrum Angelus possit esse in pluribus locis simul* ».

Obiectiones omnes inde procedunt, quod non attenditur distinctio inter locum materialem et locum formalem. Licet enim locus materialis pluribus partibus separabilibus constet, tamen si formaliter consideratur, se habet ad modum unius.

Sed contra est. Suadetur doctrina huius articuli per illa testimonia Scripturae, quae exhibent Angelos superne illabentes, et rursus, expleto ministerio, in caelestia sese secreta recipientes. Nisi haec omnia testimonia ita intelligas metaphorice, ut ex eisdem valide arguere iam non amplius liceat.

[1] II Sent. dist. XXXVII, q. 3, art. 1, ad 2m.
[2] In Cant. serm. 5.
[3] Cf. complenda in articulo tertio.

In Corpore. En schema doctrinae.

Angelus praesens est

- 1) *non ubique:* id enim proprium Deo, cui universum est ad modum unius;
- 2) *nec in pluribus locis:* virtus enim eius, per quam praesens fit, est unum limitatum, quod exigit unum, cui applicetur;
- 3) sed *in uno loco:*
  - *a)* non quidem circumscriptive, sicuti corpora;
  - *b)* non in loco punctuali, sed altiori modo, id est, definitive, in loco maiori vel minori pro libitu vel virtute;
  - *c)* unitas autem huius loci non mensuratur a continuo materiali, sed ab unitate applicationis per virtutem.

In loco recens allato S. Thomas, antequam sententiam suam exponit, duas alias depellit: 1) sententiam quae tenet simpliciter, Angelos posse in pluribus esse locis; 2) Angelos non esse posse nisi in loco indivisibili; quam opinionem S. Thomas hic quoque confutandam aggreditur.

Vis argumentationis in isto *Corpore* est in hoc, quod locus in quo operatur Angelus, comparatur ad virtutem eius operativam uti aliquid unum. Imo nisi sit aliquid unum, quod virtutem Angeli veluti totam exposcat, haec ipsa unitas nondum quaestionem solvit. Quare, ad normam optimorum Thomistarum, doctrinam Aquinatis credimus nonnihil dilatandam, vel saltem caute explicandam.

Ad Art. III. - « *Utrum plures Angeli possint simul esse in eodem loco* ».

Adverte gradationem in obiectionibus. Prima procedit per oppositionem ad corpora; secunda per argumentum a fortiori ex simultaneitate corporis et animae in homine; tertia pariter ex simultaneitate animae et spiritus in obsessione. Inanitas autem harum obiectionum est manifesta.

Sed contra est. Perpende vim huius argumenti. Non affertur haec comparatio a S. Thoma, quasi esset undequaque iusta; sed quia bene tangit rationem ob quam naturaliter

repugnet, duos Angelos esse simul in eodem loco: quia repugnat, duas dari causas completas eiusdem effectus.

In alio loco superius allato [1] S. Thomas, praeter hoc idem argumentum, invertit in *Sed contra est* comparationem primae obiectionis: quatenus, sicut duo corpora non circumscribuntur uno eodemque loco, ita nec duo Angeli in uno loco definiuntur.

Posset hic opponi obsessio multiplex in eodem homine. Nonne saltem in homine illo, quem invaserat daemonum legio, plures spiritus dicendi sunt fuisse in eodem loco? Sed praesentia plurium spirituum in uno corpore variis modis explicari potest, quin dicantur esse plures in eodem formaliter loco singulis adaequato. Nam ibi est vis.

Placet complere doctrinam Patrum superius expositam adducendo hic Tertullianum, qui de praesentia plurium spirituum simul haec scribit: « Quod si quis, ut Plato, non putat « duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego « illi non modo duas animas congestas ostendissem, sicut « et corpora in foetibus; verum et alia multa cum anima con- « serta, daemones scilicet; nec unius ut in Socrate ipso; « verum et septenarii spiritus, ut in Magdalena; et legio- « narii spiritus, ut in Geraseno: quo facilius anima cum anima « conseretur ex societate substantiae, quam spiritus nequam « ex diversitate naturae » [2]. Et pariter S. Gregorius Nazianzenus possibilitatem admittit, ut plura « intelligibilia et incor- « porea » sint simul [3].

Huic doctrinae primo intuitu apposita e regione videntur, quae habent alii scriptores, uti Didymus [4], Paschasius [5], necnon ipsi Bernardus [6] et Rupertus [7], qui omnes solius Dei privilegium dicunt esse, ut sese intima penetratione coniungat rebus. « Sed, - ut bene monet Petavius, - illi non tam de ea « penetratione et infusione, quae per loci coniunctionem fit, « intelligendi sunt, quam de efficientia et instinctu, quo per

[1] Loc. cit. art. 3.
[2] *Lib. de Anima,* c. 25.
[3] Orat. 41.
[4] *Lib. de Spir. S.* l. I, c. 15.
[5] *De Spir. S.* l. II, c. 1.
[6] Serm. 5 in Cant.
[7] *De vol. Dei,* c. 16.

« sese, nullaque re interiecta Deus agit ac movet, quod An-
« geli nequeunt » [1]. Ita sane intelligenda puto verba S. Bernardi: « Per se (Deus solus) infunditur, per se innotescit; « purus capitur a puris ». Sed in hoc ipso loco, cuius et superius partem attulimus, S. Doctor ostendit, se non apprehendere Angelos ut spiritus puros, quum loquatur de eorum corporum instrumento. Pariter hoc modo intelligi possunt verba Ruperti: « Proinde cum quis diabolico plenus dicitur « spiritu, non hoc existimandum est, quod substantiam huma-
« nae animae substantia diabolici spiritus ingressa sit », (hac intima scilicet penetratione, quae solius Dei est), « sed quod « in occultas corporis cavernas irrepserit, animamque in « suis sedibus deprehensam tartaris diverberet flagellis, inter-
« ficiat venenis, inflammet incendiis ». Quomodo autem spiritus nequam possit in occultas illas corporis cavernas irrepere, quin aliqualiter [2] ibi sit ubi est anima, ipsa quippe has occultas cavernas vitaliter implens, prorsus non video, nisi Rupertus intendat illam Deo reservare penetrationem rerum intimam, quae substantiae medullam non solum attingit, sed et iugiter servat ac movet.

In Corpore. En argumenti schema:

Plures Angelos simul esse in eodem loco, repugnat:

1) non propter continuum loci, in quo sunt;

2) sed quia sunt in loco

a) non per modum corporum, (qui modus sinit simul inesse alium spiritum);

b) nec proprie per modum quo anima implet corpus, (qui modus non impedit obsessionem daemonis);

c) sed per modum continentis perfecti, quod in ordine suo repugnat non esse unum, (quare nulla paritas cum pluribus unam navem trahentibus).

Perpende vim argumenti. Ut valeat ratio hic a S. Thoma allata, oportet ut singuli Angeli sint causa plena opera-

[1] Op. cit., l. I, c. 13, n. 15..

[2] Dico aliqualiter, nam cum Thomistis passim existimo, Angelum non posse esse in essentia alterius Angeli, nec in ipsa essentia animae humanae ut in loco. De quo quaestionis aspectu lege, v. gr. Salmanticenses fuse disputantes (loc. cit., dub. x).

tionis secundum eumdem modum consideratae. Quare, si Deus iniungeret pluribus Angelis ut simul, uti partiales causae, aliquid agerent ad quod unus sufficere posset, aut ut singuli varios effectus producerent, quos tamen producere omnes posset unus, v. gr., ut unus obsideret intellectum, alius voluntatem, tertius inferiores appetitus, sane in hoc casu argumentum virtute stringente careret.

Quaeres. I. - Quid Angeli agant in caelo, ut ibi speciali modo esse dicantur tanquam in loco, si Angelus non est in loco nisi per contactum virtutis?

Haec quaestio solet moveri ab illis, qui cum Suarezio rationem formalem praesentiae Angeli in loco non repetunt ab eius operatione, sed potius a relatione eius substantiae ad locum. Sed in sententia S. Thomae haec difficultas vario modo solvi potest.

Sane *a*) caelum Angelorum est ubi Deum intuentur. - Insuper *b*) demonstrari deberet, hoc caelum, quod dicitur esse Angelorum locus, esse formatum spatio dimensivo, ita ut in eo sint corpora, in quae Angelus agat, ut se sistat praesentem. Nam per caelum intelligi potest complexus τοῦ *ubi* intellectualis, quod Angeli occupant, quale sane fuisset unice, si, existentibus angelicis ordinibus, nulla prorsus corporea condita fuissent. - Demum *c*) quid prohibet, Angelos in caelo, si spatio dimensivo constet, agere in locum quem occupant, per productionem caelestis cuiusdam splendoris?

Modeste et bene Ferrariensis: « Non oportet sollicitari, « qua operatione (Angelus) agat in caelum empyreum, aut « in aliquem alium locum, in quo dicitur esse, quia non nobis « plene cognita est natura Angelorum, neque caeli empyrei « natura; ita nec nobis notae sunt omnes operationes, qui- « bus potest aliquid in caelo empyreo et in corporibus ope- « rari » [1].

Quaeres II. - Quid saltem daemones agunt in inferni flammas, in quibus ut in loco suo Deus eos alligavit?

Resp. Alius locus naturalis, alius locus coactus. Unde in loco coacto conceptus invertitur. In loco naturali contactus

[1] In *Summ. ctr. Gent.* l. III, c. 68.

inter Angelum et locum est per actionem Angeli continentis, et passionem loci contenti; at in loco coacto contactus inter daemonem et locum est per actionem loci ut continentis et passionem daemonis ut contenti. Etenim, uti optime dicit Caietanus [1], Angeli naturaliter constituuntur in loco per operationem, daemones autem per passionem potius quam per actionem. Sed, uti diximus, de hoc quaestionis aspectu alibi fusius disputabimus, ubi de poenis daemonum erit agendum.

Brevissimam synopsim huius Quaestionis cum synopsi Quaestionis sequentis coniungemus.

c) - DE MOTU LOCALI ANGELORUM.

QUAESTIO LIII.

Ordo Quaestionis valde logicus est. 1) Primo quaeritur de ipso motu Angelorum, utrum detur (art. 1). - 2) Secundo investigatur penitius iste motus, *a*) quoad medium (art. 2), *b*) quoad durationem (art. 3), seu consideratur iste motus in sua relatione ad spatium et ad tempus. Brevius hanc Quaestionem tractabimus, quum argumentum de loco et spatio, necnon de motu in sua relatione ad utrumque ad philosophicas potius disputationes pertineat [2].

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELUS POSSIT MOVERI LOCALITER.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duo in hoc articulo quaerenda sunt: *a*) utrum Angeli localiter moveantur, et *b*) quotuplici motu moveri possint. Utraque quaestio varios exhibet adspectus, de quibus singulis haec pauca sint.

[1] Hoc loco ad art. 3. — Cf. et Salmanticenses (Op. cit., dub, 4) et Stumpffegger (op. cit. Disp. II, art. 2, §. 3. Corollarium).

[2] De loco et spatio subtilissime discurrit Cl. De San, in supralaudato opere de *Cosmologia;* nec omittendus sane D. Schmid, qui in opere cui titulus: *Quaestiones selectae ex Theologia dogmatica,* per totam Quaestionem II disserit *de relatione spiritus angelici ad locum et spatium* (p. 28 - p. 145).

A) *De ipso motu.* 1) Quum moveri sit transire de potentia ad actum, Angelum moveri, patet ex hoc ipso quod non sit actus purus. Unde sicut solus Deus est immobilis, ita omnis creatura iuxta naturae suae indolem est mobilis.

2) Motus autem Angeli triplex distingui potest: *a*) motus vitalis, qui habetur in omni actu cogitationis et volitionis, praeter illos, qui firmantur in obiectum necessario immobile; - *b*) motus praesentialis spiritualis, qui consistit in actione Angelorum ad invicem, ut viciniores sint vel remotiores, secundum actiones quas ad invicem ponunt; qui motus respondet τῷ ubi angelico, de quo in praecedenti quaestione locuti sumus; - *c*) *motus localis,* qui nihil aliud est, nisi mutatio Angeli circa modum quo est in loco, quatenus mutat locum, in quo nunc et nunc esse consideratur. De isto ultimo motu locali hic proprie sermo est.

3) Iam vero hic motus tria supponit: *a*) Angelos non esse ubique; *b*) Angelos esse in loco; *c*) Angelos posse modo in uno loco, modo in altero esse. Quod tertium ut detur, supponit duo praecedentia. Quare nihil mirum, si Durandus, qui negat primum, et Hervaeus, qui negat secundum, ambo negent Angelos localiter moveri. Qui autem duo prima tenent, et tertium saltem ex hypothesi accipiunt, motum localem in Angelis negare non possunt. Modus autem, quo hunc motum explicant, pendet a modo quo ipsam Angelorum in loco praesentiam illustrant.

4) Quo magis scilicet praesentia Angelorum in loco elevatur super modum, quo corpora in loco proprie esse dicuntur, eo magis pariter motus localis Angelorum elevatur super motum localem corporum. Hinc S. Thomas diserte proclamat, Angelorum motum localem non esse nisi aequivocum, sicuti et ipsam in loco praesentiam.

5) Rursus quo magis restringitur necessitas praesentiae Angelorum in loco, quatenus in nullo loco esse possunt, si velint, - nisi coacto loco in poenam alligentur, - eo magis investigandus est in Angelis non solum motus de loco in locum, sed de loco in non locum, et de non loco in locum.

6) Sint igitur de hac parte argumenti sequentes conclusiones. *a*) Motus Angeli de loco in locum, nulla interposita requie, est motus localis, aequivoce tamen eo gradu, quo

aequivoca est ipsa eius praesentia in loco. - *b)* Motus Angeli de loco in non locum, vel de non loco in locum, est quidem motus, sed non est localis, quum ad motum localem requiratur, ut tum terminus a quo, tum terminus ad quem sint in loco. Et sane si Angelus in instanti deserit vel occupat locum, res est manifesta: motus localis abest. Si autem Angelus non deserit vel non occupat in instanti spatium loci, in quo erat, vel in quod se praesentem constituit: habebitur quidem aliquid motum involvens quoad terminum ad quem vel quoad terminum a quo, non autem quoad utrumque. Iam vero ut verus motus localis habeantur, requiritur tum ut uterque terminus sit in loco, tum ut terminus a quo deseratur et cedat termino ad quem. Et haec de primo aspectu quaestionis satis.

B) *De speciebus* motus localis Angelorum superest investigandum. Duae heic distinctiones praemittendae sunt.

1) Alius est motus per se, alius per accidens. Motus per se habetur, quando directe res ipsa mota movetur; motus habetur per accidens, quando aliquid movetur ad motum alterius. Ita in Sacramento altaris Christus movetur per accidens, quando moventur species sub quarum velo praesens est.

2) Rursus alius est motus continuus, alius discretus. Continuus est, quando corpus successive et non simul deserit terminum a quo et occupat terminum ad quem; discretus autem, quando in instanti simul deseritur terminus a quo et occupatur terminus ad quem. Manifestum est, localem motum corporum non esse nisi continuum; quod de motu locali Angelorum pariter esset dicendum, si motus localis praedicaretur de eis univoce et non aequivoce.

3) Iam vero Angelis competere utrumque motum per se et per accidens, manifestum est. Moventur enim per se, quando agunt in loco corporeo modo hoc, modo illo, applicando modo hic, modo illic virtutem per quam sese praesentes in loco sistunt. Moventur autem per accidens, quando moventur cum subiecto in quo sunt, quin agant ipsi directe ut subiectum moveatur. Ita in obsessionibus, quando movetur obsessus, movetur et obsidens, si tamen in obsesso se movente maneat. Quod si obsidens ipse directe movet obsessum, - uti leguntur daemones fecisse de porcis illis, quos egerunt in stagnum praefocandos, - tunc iam moveri censendus est

per se. Quare motus Angeli Tobiae comitis erat motus non solum per accidens, sed per se.

4) Pariter dicendum est, Angelos moveri posse motu continuo et motu discreto; continuo, si non in instanti relinquunt totum simul locum in quo erant, et in instanti totum simul locum alium occupant, sed successive. Et tamen hac in re non conveniunt theologi. Sunt enim qui motum continuum, sunt qui discretum negent.

5) Continuo motu Angelos moveri posse, negant Gregorius, Vallesius et Hervaeus [1]. Sed vix apparet ratio, ob quam iste motus negetur. Nam tum terminus a quo, tum terminus ad quem possunt dimensivam habere quantitatem, quam Angelus successive deserere et occupare possit.

Res illustratur facillime in casu, quo terminus ad quem est attiguus termino a quo. Pone, v. gr., Angelum esse praesentem in aula, et velle praesentia sua implere aulam vicinam. Cur teneretur in instanti deserere totam aulam in qua erat, et in instanti occupare totam aulam quam occupare intendit? Ratio sane non apparet.

Opponunt nihilominus, in motu angelico unum deesse ex tribus elementis, quae Aristoteles requirit ad hoc ut motus continuus haberi possit [2], scilicet divisibilitatem spatii, continuationem temporis, et divisibilitatem mobilis. Adsunt prius et secundum, aiunt; sed tertium deest: Angelus enim est indivisibilis. Sed haec videtur confusio. Divisibilitas mobilis non requiritur in se, sed quoad locum quod occupat. Iam vero, licet Angelus sit indivisibilis in se, potest tamen occupare spatium divisibile, ac potest a spatio divisibili occupato ad aliud spatium divisibile occupandum ita se tempore continuo transferre, ut successive alia spatia intermedia occupet. Et tunc in Angeli motu nihil ex elementis ad motum continuum requisitis deesse dicendum est. Puto proin, non satis affirmare Cl. Palmieri, quando dicit, Angelum posse moveri motu continuo, « continuitate tamen se tenente ex « parte spatii et durationis, non ex parte se moventis » [3].

[1] Cf. Gonetum (Op. cit. Disp. v, art. 2, §. 1), qui de toto hoc argumento lucide disputat.

[2] *Phys.* vi, cap. 4 et 10.

[3] Op. cit. th. xix, n. 7.

Nam et habetur etiam in se movente, non quatenus est indivisibilis in se, sed quatenus praesentem se constituit in loco divisibili.

Ad hoc autem ut motus Angeli sit continuus, requiritur, ut nec terminus a quo, nec terminus ad quem sint punctum indivisibile; nec Angelus in indivisibili puncto medio veluti quiescat; si tamen punctum indivisibile possit esse locus.

Ex dictis iam patet, quam connexae sint quaestiones de motu continuo et de necessitate transitus per loca media. Quare si, v. gr., inter dissita loca, quae Angelus successive occupare vult, est quidam locus intermedius sibi impenetrabilis, quia est locus adaequatus alterius Angeli, poterit quidem Angelus a termino a quo ad hunc locum pervenire motu continuo, non autem a termino a quo ad terminum ad quem, nisi motu discreto. De quo motu superest dicendum.

6) Possibilitatem motus discreti negant inter alios Scotus et Molina. Equidem fateor, me non videre, qua ratione haec possibilitas possit solide negari. Et sane, potestne Angelus in instanti deserere locum, quem occupat? Utique. Potestne occupare in instanti locum, cui se applicare intendit? Iterum prorsus. Cur igitur non posset se movere motu discreto? Quid enim his duobus elementis addit motus discretus, nisi quamdam unitatem, quae per hoc solum obtinetur, quod inter desertionem termini a quo et occupationem termini ad quem Angelus non quiescat?

Obiiciunt quidem, Angelum non moveri nec in A, quia in ultimo instanti, quo est in termino a quo, adhuc quiescit; nec in B, quia in primo instanti, quo est in termino ad quem, iam rursus quiescit. Sed motus non est considerandus secundum modum, quo Angelus se habet in utroque termino seiunctim, sed quo se habet ad utrumque simul. Movetur enim, quia modo erat in A et modo est in B, quin inter utrumque quieverit. « Et ideo, ait egregie S. Thomas, nec in A, nec in B « movetur, licet A et B sint partes eius (motus discreti); sed « successio horum, quod est esse in A et esse in B, motus eius « vocatur » [1].

[1] I Sent. Dist. XXXVII, q. 4. art. 1 ad 3.

Dicamus ergo, Angelum moveri posse motu discreto. Et sane quaenam est ratio cur corpora hoc motu gaudere nequeunt, nisi quia habent quantitatem dimensivam, ob quam nequeunt se movere nisi successive? Angelus autem potest quidem virtutem applicare spatio dimensivo, at per hunc contactum nihil de sua propria indivisibilitate amittit. Quatenus ergo est praesens in loco divisibili, potest se movere motu continuo; quatenus autem, licet praesens in loco divisibili, manet in se indivisibilis, potest se movere motu discreto.

Qui proin motus discretus haberi quoque potest a termino a quo indivisibili ad terminum ad quem indivisibilem, - in quantum indivisibile potest haberi uti locus; - nec refert, utrum, discreto utique motu, media quaedam tangantur. Unde iuxta illa tria differt a motu continuo.

7) Ex quo rursus vides, nexum inter quaestionem de motu Angeli discreto, et de possibilitate ut Angelus de loco in locum se moveat, quin transeat per medium. Nec mirum si theologi, qui praesentiam Angeli in loco minus concipiunt uti existentis per se supra locum, minus facile concedant possibilitatem motus discreti sine pertranseundis mediis.

8) Quodsi confers ad invicem utrumque motum continuum et discretum, negari nequit, caeteris paribus, motum discretum magis respondere spiritualitati Angeli; unde inferre licet, Angelum, nisi adsit ratio, - uti manifesta adest in motu cum corpore assumpto, - non solum moveri posse motu discreto, sed hunc motum potius ei convenire, utpote magis supra locum existenti.

Sequentes conclusiones dicta hucusque comprehendunt.

Concl. I. - Sicut esse in loco, ita moveri localiter Angelo competit, non quidem univoce, sed aequivoce.

Concl. II. - Ut Angelus moveatur localiter, non sufficit applicatio virtutis de non loco in locum, nec de loco in non locum, sed oportet ut sit de loco in locum.

Concl. III. - Angelus moveri localiter potest per se et per accidens, iuxta id ratione cuius moveri localiter dicitur.

Concl. IV. - Angeli motus localis id habet peculiare, quod possit esse continuus vel discretus.

Concl. V. - Quando Angelus movetur per acccidens, aut in corpore assumpto semper visibili, movetur motu continuo,

quum corpus, quod movet localiter, aut ratione cuius ipse localiter movetur, non possit moveri motu discreto.

Concl. VI. - Motus discretus altior est motu continuo, ac proin ad motum Angeli naturalem magis appropinquat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* inde petitur, quod Angelus est impartibilis. Sed acute reponit S. Thomas, hanc obiectionem dupliciter peccare. 1) Primo quidem quia gratis invertit propositionem. Ex eo enim quod indivisibile secundum quantitatem non potest occupare nisi locum indivisibilem, nullatenus sequitur, indivisibile per essentiam non posse se applicare per virtutem ad locum divisibilem per quantitatem. Quod habetur, quotiescumque Angelus movetur motu continuo. - 2) Arguit ex motu continuo, non ex motu discreto. Unde etiamsi difficultas petita ex indivisibilitate Angeli valeret ad demonstrandum, Angelum non posse moveri motu continuo, non inde sequeretur, eum non moveri posse motu discreto. Demonstrat autem S. Thomas, nec de motu continuo difficultatem valere, quia, licet Angelus sit indivibilis in se, non est tamen indivisibilis secundum locum, quem occupat.

2. Obi. Confundit motum Angeli cum motu corporum; Angelus autem movetur per applicationem virtutis, ac proin uti existens in actu.

3. Obi. Non attendit dicta superius de fine ob quem Angeli sunt in loco. Motus autem localis Angelorum eiusdem rationis est ac eorum praesentia in loco. Praesentes sunt et moventur, non uti indigentes, sed uti adiuvantes.

Sed contra est. Angelos moveri, demonstratur abunde ex Scripturis et ex doctrina Patrum.

I. Scriptura describit pluries Angelos accedentes ad homines, ambulantesque cum eis, uti in historia Abrahae, Loth et Tobiae. Inde passim dicuntur discedere, accedere, descendere. - Sed et motus ipsi describuntur: « Tollens se Ange-« lus Dei, qui praecedebat castra Israël, abiit post eos, et « cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post ter-« gum, stetit intra castra Ægyptiorum et castra Israël » [1]. Nec

[1] Exod. xiv, 19, 20.

certe sine locali motu Angelus transtulit Habacuc in Babylonem [1]; nec sine motu Angelus ille implevit, quod iubebatur ab altero: « Curre, loquere ad puerum istum » [2].

Cautius quidem arguendum est ex hoc, quod Angeli dicantur missi: « Missus est Angelus Gabriel etc. » [3], quia missio per se potest concipi sine motu locali, id est, de loco in locum. Sed si executio huius missionis perpenditur, sine motu locali Angelus ad Virginem sane non accessit; sicut nec sine motu locali « Angelus Domini descendit de caelo, et accedens re- « volvit lapidem et sedebat super eum » [4]. - Idem dicatur de verbis Archangeli Raphaëlis: « Tempus est ut revertar ad « eum, qui misit me » [5]. Videntur minus stringentia: nam, « cum hoc dixisset, ab aspectu eorum oblatus est, et ultra « eum videre non potuerunt »; evanuit enim potius quam locali motu proficisci visus est. Sed quum terminum, ad quem pergebat, ipse Angelus indicavit, valide et ex hoc loco, collato cum aliis, argui potest.

Locali porro motu moveri spiritus malos, habemus ex locis iam supra citatis. Adde verba Satanae: « Circuivi ter- « ram et perambulavi eam » [6]; necnon daemonum illorum, « qui rogabant Christum, ne mitterentur in abyssum » [7]. Adde e parabola de forti armato verba: « Cum immundus spiritus « exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens « requiem; et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam « unde exivi » [8]; et haec alia verba Christi: « Videbam Sa- « tanam sicut fulgur de caelo cadentem » [9].

II. *Patres* autem hanc Scripturarum doctrinam tam luculenter evolvunt, ut sufficiat, post iam allata loca, revocare

[1] Dan. xiv.
[2] Zach. ii, 4.
[3] Luc. i, 26.
[4] Matth. xxviii, 2.
[5] Tob. xii, 20.
[6] Iob. ii, 2.
[7] Luc. viii, 31.
[8] Luc. xi, 24.
[9] Luc. x, 18. Placet de hoc loco afferre, quae habet Honorius Augustodunensis, qui de praesentia naturali Angelorum supra locum altissime sentit. Sciscitatus enim de diabolo: « cum sit illocalis, utpote incorporeus, unde et quomodo cecidit? » ita respondet: « Sicut aliquis in luce solis stans, si subito visum amitteret, diceretur « in tenebras cecidisse, cum locum non mutaverit; praesertim cum in nullo fuerit ». *(Lib. de praedest. et lib. arbitr.)*. — *P. L.* t. clxxii, col. 1203.

verba S. Bernardi: « Non est discurrere, nec de loco ad lo-« cum transire, nisi corporum: quod frequenter et Angelos « facere, tam indubitata, quam nota probat auctoritas » [1]. S. Augustinum motus localis Angelorum intendisse putamus, quando ait: « Etiamsi immortalitas Angelorum non transit « in tempore, nec praeterita est, quasi iam non sit, nec futura, « quasi nondum sit, tamen eorum motus, quibus tempora « peraguntur, ex futuro in praeteritum transeunt » [2]. Motum pariter supponunt haec verba Tertulliani: « Omnis spiritus « ales: hoc est Angeli et daemones. Igitur momento ubique « sunt ». Nec motum excludunt verba sequentia: « Totus « orbis illis locus unus est » [3]. Non enim haec dicit ea mente, qua postea Durandus ubiquitatem Angelorum propugnavit, ac proin motum exclusit. Sed Tertullianus affirmat, totum orbem esse Angelis veluti unum locum, quatenus nullus locus est ab eorum activitate exclusus.

In Corpore. En schema argumenti.

Angelus potest moveri localiter, sed aliter quam corpus:

- I) corpus enim movetur necessario motu continuo:
  - 1) nam in loco continetur uti commensuratum;
  - 2) unde movetur
    - *a*) ut in potentia;
    - *b*) ut imperfectum.
- II) Angelus autem
  - 1) moveri motu continuo *non debet*, quia movetur
    - *a*) ut continens locum,
    - *b*) per applicationem actus sive virtutis,
    - *c*) uti perfectus;
  - 2) *potest* tamen, si ab uno ad alium locum continuum suam virtutem applicare velit.

Resp. ad 2m. Observa hic rursum nexum inter praesentiam in loco et motum localem. Eatenus enim localis motus est actus imperfecti, quatenus vere localis praesentia est contenti et non continentis. Angelus autem, qui praesens est ad modum continentis, movetur ad modum perfecti.

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELUS TRANSEAT PER MEDIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam in praecedenti articulo praeoccupavimus nexum, qui interest inter duplicem Angeli

[1] Serm. 5, in Cant.
[2] *De Civ. Dei,* l. XII, c. 15.
[3] *Apolog.* c. 22.

motum continuum et discretum, et necessitatem ut Angelus transeat necne per medium. Scilicet theologi, qui admittunt in Angelis motum discretum, admittunt et passim, Angelos moveri posse de loco in locum, quin per medium transire debeant. Oppositum autem tenent, qui in Angelo non admittunt nisi motum continuum. Ita Toletus scribit: « Impossibile est, quod Angelus sua virtute transeat de extremo « ad extremum, quin transeat per medium. Angelus non movetur discrete, sed continue » [1]. Cum Toleto sentiunt Scotus, Suarez, Molina, Valentia.

2) Placet iudicium afferre, quod de hac sententia tulit ipse Vasquez : « Recentiores illos de rebus spiritualibus fere in « omnibus instar rerum corporalium philosophari; illisque « necessarium esse sensibilia relinquere, et altiorem modum « spiritualia contemplandi investigare » [2]. Et sane, si Angelus esset in loco proprio, non videretur quomodo aliter moveretur quam continue, et transeundo per medium. At si, uti vidimus, non est in loco nisi aequivoce, non video stringentem rationem ad impossibilitatem motus discreti, nec ad necessitatem transitus per medii vindicandam.

3) Cave tamen, ne, in adstruenda possibilitate ut Angelus discreto motu de loco in locum se moveat, quin transeat per medium, comparationibus inadaequatis, veluti argumentis utaris. Ita *a*) ex hoc quod nova praesentia corporis Christi sub speciebus sacramentalibus non exigat, ut Christus de caelo per omnia media transeat, nihil valide concluditur. Christus enim per hanc novam praesentiam nullum locum relinquit. Imo explicatio sacramentalis prodigii per adductionem non est solutio probabilior.

Nec *b*) valet comparatio facta cum operatione mentis nostrae, quatenus cogitatione nos transferre possumus de loco in locum, puta de Hispania in Cubanam insulam, quin per medium Oceanum transire cogamur. Est enim hic motus idealis, non realis, sicut motus localis, de quo quaerimus.

4) Nec praecedentis modo articuli, sed et Quaestionis praecedentis doctrina praesentem doctrinam fulcit. Et sane qui praesentiam Angeli in loco nimis repetunt a praesentia

[1] Hoc loco. Concl. 2 et 3.
[2] Disput. 196, cap. 3.

substantiae Angeli in loco, difficilius intelligunt motum Angeli de loco in locum non pertransito medio. Hinc Becanus, S. Thomae thesim oppugnans, suam sententiam fulcit verbis: « et probatur, quia non potest intelligi quomodo An« gelus naturaliter possit hinc (Moguntia) pervenire Romam, « non transeundo per loca intermedia » [1]. De quibus verbis optime Cl. Palmieri: « Quae probatio nescio an sit ad aliquem « persuadendum; illud enim ponit quod probandum est, et « quod adversarii negant, qui imo aiunt, id facillime intelligi. « Verum advertendum est, loqui Becanum secundum sen« tentiam affirmantem, quod Angelus sit in loco per suam « ipsam substantiam independenter ab operatione: qua sen« tentia posita, difficilius utique intelligitur, quomodo existens « tantum Romae possit hinc transire Mediolanum, quin prius « existat in spatio interiecto » [2].

5) Ipse autem Palmieri, sibi utique pro solito acumine constans, non admittit possibilitatem ut Angelus movens se localiter de loco in locum, non pertranseat media. Putat enim « quod haec translatio sui ab uno loco ad alium non « perstansito medio aequivaleat replicationi sui in pluribus « locis, qui effectus soli infinitae virtuti tribuendus est » [3]. Sed pace tanti scriptoris dixerim, modus quo hanc rationem evolvit, non mihi videtur exemptus a defectu, quem modo Vasquezium audivimus in hac quaestione patronis oppositae sententiae tribuentem. Et sane, qui praesentiam Angeli in loco concipit uti aequivocam, et productam per applicationem virtutis, non loquetur de Angelo « existente tantum « Romae ».

Putamus proin in hoc argumento subscribendum esse doctrinae S. Thomae, et duo esse concedenda simpliciter: 1) Angelum, si movetur motu continuo, non posse non transire de loco in locum, nisi per medium sive per media; 2) Angelum, si movetur motu discreto, ita non debere per media transire, ut neque per cuncta transire possit. Quare, ut claudamus per considerationem initialem, totum hic pendet ab hoc, utrum Angelus possit moveri motu discreto, necne.

[1] *De Ang.* c. 1, q. 5.
[2] Op. cit. loc. cit. n. 7.
[3] Ibid. Cf. et *Pneumat.*

II. **Ad Textum.** - Obiectiones procedunt duae praeviae contra transitum per medium, tertia contra motum sine hoc transitu. Omnes deficiunt, quia ob exclusionem excedunt. et ex infirmis rationibus arguunt.

1. Obi. Dupliciter peccat. *a*) Falso supponit, Angeli locum aequalem esse puncto indivisibili; - *b*) falso concludit ab hoc puncto mobili contra transitum per medium. Transitus per medium non pendet ab hoc, utrum mobile sit punctum indivisibile vel mobile divisibile, sed ab hoc, utrum motus sit continuus, necne.

2. Obi. Confundit motum localem et motum mentalem.

Sed Contra est (seu *Obi. 3*). Recte procedit quoad motum continuum, in quo utique requiritur transitus per medium, et in quo « mutatum esse » non est pars motus, sed terminus. Non autem procedit recte quoad motum discretum, qui praecise in hoc consistit, quod « mutatum esse » sit pars motus, sicut unitas est pars numeri. In hoc enim motu proceditur per saltus, sicuti in numero per unitates.

In Corpore. En schema huius subtilioris argumenti.

- Angelus, quum gaudeat facultate utriusque motus,
  - 1) si movetur motu *continuo*, per medium transeat oportet, hoc enim est de essentia talis motus.
  - 2) si movetur motu *non continuo*, non pertransit medium, nam
    - 1) in motu locali datur infinita magnitudinis divisibilitas per infinita puncta, sicuti in tempore quovis infinita nunc;
    - 2) iam vero haec infinita media non possunt superari, nisi
      - *a*) per motum continuum (moveri prius, mutatum esse posterius);
      - *b*) per motum non continuum, sine transitu per media (mutatum esse, pars motus, uti unitas numeri).

ARTICULUS III.

UTRUM MOTUS ANGELI SIT IN INSTANTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Superest ut relationem utriusque motus Angelici, continui scilicet et discreti, quem in praecedenti articulo consideravimus ad spatium, perpendamus ad tempus.

Quaestio igitur est duplex: *a*) de motu Angelico continuo, *b*) de motu discreto, utrum sit in tempore, an in instanti. - De utraque quaestione pauca.

2) Motum Angeli continuum posse in instanti fieri, existimant non pauci theologi, uti Scotus, Henricus, Gabriel, Gregorius, Molina, Becanus. Sed hoc non omnes tuentur eodem modo.

Henricus putat, hoc verum esse simpliciter. - Scotus id restringit ad ultimum *ubi* aequale, ad quod Angelus pervenit. - Gabriel id restringit ad instantaneum modum, quo Angelus potest se extendere ad totum locum aequalem, cuius non occupabat nisi partem. - Molina id restringit ad sphaeram proximam loco, quem occupat Angelus.

3) Pariter iidem passim, - nisi motum discretum excludant, - putant, hunc motum fieri posse in instanti. Et sane id cum maiori specie ostendi potest, quum praecise iste motus, utpote non per media, instantaneitatem quamdam secum ferre videatur.

4) Sed S. Thomas, quem plerique Thomistae sequuntur, docet, Angeli motum, sive continuum, sive discretum, fieri non posse in instanti, quum involvat necessario successionem saltem duplicis *nunc,* quae successio in instanti compleri nequit, quia in hac hypothesi duo *nunc* non essent amplius nisi unum.

Quum igitur fieri non possit in instanti, - repugnat enim, idem ipsum instans significare praesentiam in termino a quo et ad quem, - oportet ut localis motus Angeli fiat in aliquo tempore; scilicet in tempore continuo, si est continuus, discreto, si est discretus.

5) Duratio autem huius temporis pendet a voluntate et a virtute Angeli. Mensura vero huius durationis plus vel minus desumitur a tempore angelico vel a tempore nostro, iuxta indolem ipsius motus. Scilicet motus per accidens continuus mensuratur simpliciter tempore rerum sensibilium, seu nostro; motus continuus per se, mensuratur utroque tempore veluti aequaliter; motus autem discretus non mensuratur directe nisi tempore angelico, indirecte autem potest mensurari etiam tempore nostro.

6) Etsi motus localis Angeli nequit esse in instanti, potest

tamen compleri per instans, ita ut nonnisi unum instans intersit inter ultimum instans praesentiae in termino a quo et primum instans praesentiae in termino ad quem.

7) Motus autem Angeli de loco in non locum, vel de non loco in locum, compleri potest in instanti, quia ipsum ultimum instans praesentiae in loco fit primum instans praesentiae in non loco, et ultimum instans praesentiae in non loco fit primum praesentiae in loco. Sed iste motus, uti vidimus, non est proprie motus localis; quare est extra praesentem quaestionem stricto sensu intellectam.

Haec instantaneitas motus de loco in non locum illustrari potest variis exemplis desumptis sive ex ordine naturae, sive ex ordine fidei; uti sunt successio lucis post tenebras, vel tenebrarum post lucem; successio formarum in transmutatione substantiali, et in transsubstantiatione conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. Quae utique exempla Toletus adducit ad infirmandam rationem a S. Thoma adductam contra possibilitatem motus angelici in instanti [1]. Sed perperam, quum paritas desit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Multipliciter deficit. *a*) Arguit unice ex motu continuo, quum tamen Angelus habeat et motum discretum; - *b*) arguit quasi motus in tempore semper minori conduceret ad motum in instanti, quod falsum est: a motu in tempore non datur pervenire ad motum in instanti, quae hic duo motus sunt diversi ordinis; - *c*) arguit ac si maior velocitas motus angelici penderet unice a maiori virtute Angeli, quum pendeat imprimis ab eius voluntate.

Obi. 2. Confundit motum cum termino motus. - Adverte tamen falso asseri, illuminationem obiecti proximi et longinqui fieri omnino in instanti. Est quidem impercipibilis successio; at quaedam tenuissima habetur. Quare sub hoc respectu neganda est obiectio, quia negatur hypothesis absolutae instantaneitatis illuminationis obiectorum ad invicem.

[1] « Ratio qua S. Thomas probat moveri non posse Angelum in instanti, nihil « concludit; immo procedit ex falsis ». (Hoc loco, concl. 1). Ipse tamen Toletus concludit: « Movetur Angelus igitur in tempore aut citius, aut tardius, pro suo arbitrio, « necessario tamen semper in tempore aliquo ». (Ibid. concl. 4).

Obi. 3. Rursus tripliciter peccat. *a*) Non attendit ad motum discretum; - *b*) non considerat, locum quem Angelus occupat esse divisibilem, licet Angelus in se sit indivisibilis; - *c*) non advertit, tempus praecise exinde sequi, quod habeatur saltem successio duplicis « nunc », sive prioris et posterioris. Prius quidem erit ultimum « nunc » quietis in uno loco, sed illud ipsum non poterit esse primum praesentiae in altero.

Sed contra est. In favorem possibilitatis motus Angelici in instanti, adduci solent haec verba S. Augustini: « Certe « ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus » [1]. Sed per haec verba S. Doctor nihil aliud affirmat nisi summam agilitatem [2], qua animae beatae poterunt se movere quocumque voluerint, cum ipsis corporibus gloriosis.

In Corpore. En schema huius elegantissimae argumentationis.

- **Motus Angeli**
  - **I. iuxta quosdam est in instanti:**
    - 1) id probare conantur, quia
      - *a*) non datur instans medium;
      - *b*) ultimum instans termini a quo est ipsum primum termini ad quem.
    - 2) sed erronee, nam
      - *a*) esto, in quiete non dari nunc et prius;
      - *b*) esto, in motu continuo nihil dari inter ultimum instans motus et terminum ad quem;
      - *c*) at certe in motu quovis nequit esse idem instans, quo movens quiescere desinit, et quo terminum attingit.
  - **II. sed dicendus est esse in tempore,** id est:
    - 1) si motus continuus, in tempore continuo:
      - *a*) cum tempore intermedio;
      - *b*) cum proportionalitate
        - α) ad magnitudinem loci,
        - β) ad virtutem se moventis.
    - 2) si motus non sit continuus, in tempore non continuo
      - *a*) sine tempore intermedio;
      - *b*) in uno instanti totus in uno loco; in altero totus in altero.
    - 3) utrumque autem tempus, sive continuum, sive non continuum, distinguendum est a tempore, quod est mensura motus caelestis.

[1] *De Civit. Dei,* l. XXII, cap. ult.

[2] Verba modo allata Tertulliani « momento ubique sunt », possunt pariter intelligi de maxima velocitate. Si tamen intenditur motus de non loco in locum, et in instanti compleri potest.

Adverte, tales esse rationes, quae contra tempus in motu continuo moventur, ut, si valerent, non demonstrarent modo possibilitatem motus continui in instanti, sed et necessitatem huius motus in instanti. Non remaneret ergo in corporeis, quae in tempore moveri cernimus, nisi motus discretus; imo motus discretus ad tam infinita puncta extendendus non amplius potest expleri, quia infinita ut singula non possunt transiri. Quare ex istis falsis consequentiis apparet, problema motus rerum corporalium non posse solvi, nisi ope continuitatis motus per tempus continuum. In Angelis vero habetur insuper motus discretus, qui poni potest sine illis consequentiis, quae impossibilitatem involvunt in motu rerum corporalium, quia motus discretus Angelorum abstrahit a transitu per media, et nullam successionem involvit nisi prioris et posterioris.

Corollarium. - Ex dictis in utraque quaestione de loco et de motu Angelorum collige, quo sensu sequentes propositiones olim Parisiis ab episcopo Stephano damnatae sint: « Quod « substantiae separatae sunt alicubi per operationem et non « possunt moveri ab extremo ad extremum, nisi quia pos- « sunt velle operari aut in medio aut in extremis: error, si « intelligatur sine operatione substantiam non esse in loco, « nec transire de loco in locum ». - « Item quod intelligentia, « Angelus vel anima separata, nusquam est ». - « Quod An- « gelus in eodem instanti potest esse in diversis locis; ubique, « si vult esse ubique ». Urgeret nimis has propositiones. qui putaret, per eas directe corripi doctrinam S. Thomae, et non excessum, cui postea Durandus nomen dedit [2].

Brevissima utriusque Quaestionis Synopsis.

I. Angeli, utpote spiritus puri, sunt supra locum corporalem; possunt tamen esse in loco aequivoce, non circumscriptive, sed definitive, per applicationem virtutis non contentae, sed continentis, scilicet in loco maiori vel minori, pro sua voluntate et virtute (art. 1).

[1] Cf. Denifle et Chatelain, *Chartul. univ. Paris.* I, 543, 560.

[2] Etiam directe per has propositiones doctrinam S. Thomae impugnari, mirum nulli esset scienti, quam parum iste Stephanus fuerit thomisticae disciplinae addictus.

Repugnat proin Angelos esse simul in pluribus locis adaequatis, non autem in pluribus locis inadaequatis, adaequatum locum non excedentibus (art. 2).

Naturaliter nequeunt plures Angeli esse in eodem loco uti sibi adaequato, quia repugnat unum effectum habere plures causas plenas (art. 3).

II. Sicuti aequivoce possunt esse in loco, ita et aequivoce possunt Angeli moveri motu locali, eoque duplici, continuo vel discreto (art. 1).

Quodsi moventur motu continuo, oportet ut transeant de loco in locum per media; si autem moventur motu discreto, non oportet ut transeant per media loca inter terminum a quo et terminum ad quem (art. 2).

Hic autem motus, sive continuus, sive discretus, quantumcumque velox fingatur, nequit compleri in instanti; sed aliquali, etsi tenuissimo tempore indiget, continuo scilicet vel discreto, pro indole ipsius motus continui vel discreti (art. 3).

APPENDIX

De mente S. Bonaventurae.

Quum in quaestione de locali praesentia et motu Angelorum soleant theologi opponere ad invicem doctrinam S. Thomae et S. Bonaventurae, operae pretium duximus, mentem Seraphici Doctoris enucleatius exhibere. In quonam cum Aquinate conveniat, in quonam ab eo discrepet, prudens lector facile ipse discernet.

I. Negare nequit, S. Bonaventuram minus quam S. Thomam urgere conditionem, qua Angeli sunt proprie supra locum.

1) Quaerens, « utrum Angeli sint in loco corporeo », post longiorem discursum concludit: « Sic patet ratio duplex, « quare data est corpori potestas locandi spiritum, et spiri- « tum contineri a corpore. Hoc enim exigebat ordo universi « tum propter limitationem spiritus creati, tum quia in solo « corpore distinctio est secundum *hic* et *ibi* ». Audi quomodo ipse Seraphicus utramque rationem explicet. Primam his verbis fulcit: « Si enim (Angeli) non haberent aliquid conti-

« nens, non esset eorum existentia ordinata ad invicem, nec « haberet ordinem unus ad alterum; hoc autem non decet « universum nec summum opificem ». Concedimus ordinem inter Angelos perfectissimum. Sed non admittimus, Deum hunc ordinem Angelorum obtinere non potuisse, quin corpora Angelos continerent. Igiturne creatura inferior dat superiori creaturae perfectionem ordinis? Quid, si Deus nulla corporea creasset? Num ideo ordo Angelorum detrimentum accepisset? Verum est, S. Bonaventuram hoc presse dixisse de loco in genere. Sed modus, quo in sequentibus urget locum corporalem, magis mentem eius determinat. Et sane duas rationes S. Doctor affert, ob quas Angeli contineantur loco corporali. Una est « limitatio ipsius spiritus »; spiritus enim habet simplicitatem, ratione cuius est *hic et nunc,* sed non habet virtutem continentiae. Corpus autem non habet simplicitatem, sed habet continentiae virtutem. « Alia ratio est « quia in solo corpore est distinctio *hic et ibi* ». - Putamus, in tota hac argumentatione S. Bonaventuram non satis distinxisse duplicem continentiae et ubicationis ordinem, spiritualem et corporalem. Unde nimis considerat Angelum, uti qui in loco continetur, dum S. Thomas eum semper considerat, uti qui locum continet.

Admittit nihilominus S. Bonaventura in Angelo respectum ad triplicem loci ordinem: superiorem, suum, et inferiorem. « Angelus habet locum spiritualem conservantem, scilicet « Dei virtutem; locum mensurantem sive circumscribentem, « propriae substantiae et virtutis limitationem sive clausio- « nem; locum vero continentem, non tantum spiritualem, sed « etiam corporalem » [1]. Posset proin Angelus exire spatium caeli empyrei, quatenus non indiget corpore; at non potest, quatenus in loco corporali locatur ad servandum bonum universi [2]. Locatur autem in corpore non circumscriptive, sed definitive [3].

[1] II Sent. Dist. II, p. 2, art. 2, q. 1, in corp.

[2] Ibid. ad 3m. — Conf. q. 4, in corp.

[3] I Sent. dist. XXXVII, p. 2, art. 2, q. 1, in corp. — Nimis facile videntur ex hoc loco editores operum S. Bonaventurae concludere ad consonantiam doctrinae Seraphici et Angelici. Quae quidem consonantia in hoc puncto adest usque ad quemdam gradum; non autem plena. Expressius enim longe S. Thomas affirmat, Angelos, uti supra locum, esse posse in nullo loco.

2) Hanc autem in loco corporali praesentiam, utpote magis continentiae, S. Bonaventura magis concipit per praesentem substantiam, minus autem per operationem. Ex quo sequitur, duplici modo Angelum operari, immediate et mediate: immediate ubi est, mediate ubi virtus eius attingit per effectum operationis immediatae [1].

Exercenda virtus est nihilominus ratio, quae movet Angelum ut se sistat in loco praesentem. « Angelus enim vo-« lens aliquid operari in terra, indiget transire ad terram, « quia non potest esse simul in caelo et in terra propter hoc « quod habet virtutem finitam » [2].

3) Ex isto modo concipiendi praesentiam in loco sequitur, Angelum non esse simul et semel nisi in uno loco: « Cum « Angelus habeat esse *individuatum,* habet *hic et nunc;* quia « vero habet esse *limitatum* et virtutem limitatam, habet « esse in uno hic, sive in uno loco tantum. Quoniam ergo « tam individuatio quam limitatio naturaliter et inseparabi-« liter inest Angelo, hinc est, quod Angelum simul et semel « oportet esse tantum in uno loco » [3].

4) Hic locus nequit esse punctum impartibile, quum tale punctum locale non existat [4]: Neque dici potest, Angelum ob suam spiritualitatem non esse nec in toto, nec in parte loci partibilis. Dicendum est ergo, Angelum esse in toto et in partibus simul per modum unius praesentiae, ita ut aliqualiter, sicut Deus est ubique, Angelus sit in determinato loco [5].

Non est ergo dari locus, in quo minori non possit esse Angelus, quia talis locis dari nequit; est tamen dari locus in quo maiori Angelus esse non possit. « Sicut enim Angelus « habet substantiam et virtutem finitam, sic locus eius arc-« tatus est et limitatus est » [6].

5) Quaerens autem S. Doctor, utrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco, reiicit sententiam eorum, qui possibilitatem admittunt ob spiritualitatem praesentiae Angeli,

[1] II Sent. Dist. II, p. 2, a. 2, q. 2, ad 2m.
[2] I Sent. Dist. XXXVII, p. 2, a. 2, q, 1 ad 3m.
[3] Cf. et I Sent. Dist. XXXVII, p. 2, art. 2, q. ad 5m.
[4] II Sent. Dist. II, p. 2, a. 2, q. 2 in corp.
[5] Ibid. q. 3, in corp.
[6] Ibid. resp. ad 2m, et 3m.

et eorum, qui eam recusant propter singularitatem principii informantis. Ipse autem quaesitum solvit ex ratione ob quam dixit, Angelos loco corporali contineri. Continentur enim non propter indigentiam Angeli, nec propter indigentiam loci, sed propter ordinem universi. Inspecta igitur natura Angeli et loci, « nihil prohiberet plures spiritus simul esse. « Sed ordo universi non patitur, quod Angelus in eodem « loco primo simul sit cum Angelo » [1].

II. De motu locali Angelorum Seraphicus disserit iuxta hanc suam doctrinam de eorum praesentia in loco.

1) Et primo quidem proportionis legem sternit: eatenus scilicet Angelos posse moveri localiter, quatenus et esse in loco. « Moveri per locum uno modo est per circumscriptio- « nem ferri de loco in locum, et sic est tantum corporum; « alio modo moveri est minus proprie secundum definitionem « transire, et sic est spirituum ». Unde et concludit: « Pro- « prie ergo per circumscriptionem non movetur Angelus, « nisi corpore assumpto; minus proprie per definitionem mo- « vetur Angelus etiam sine corpore » [2].

2) Motum hunc S. Bonaventura admittit tum per accidens, tum per se, iuxta praedictam distinctionem motuum: « Ad « illud ergo quod quaeritur, utrum per se, aut per accidens; « dicendum, secundum praedictam distinctionem de motu, « quod secundum primum motum non movetur spirituale « nisi per accidens, alio moto. Sicut enim nauta, mota navi, « movetur, sic spiritus, moto corpore, in quo est. Quantum « ad secundum motum, sicut Angelus per se ipsum et sine « corpore definitur loco, ita per se ipsum transfertur, ita « quod non alio movente, nec per alium motum » [3].

Vidimus supra rationem, ob quam motus Angeli in corpore assumpto, quod a se productum ipse movet, dum in eo movetur, non debet mere considerari uti motus per accidens, sed principalius uti motus per se.

3) Sat fuse S. Bonaventura discurrit de necessitate ut Angelus per medium moveatur. Primo depellit sententiam

[1] Ibid. q. 4, in corp.
[2] I Sent. Dist. XXXVII, p. 2, a. 2, q. 1.
[3] Ibid. resp. ad 2m.

quae tenet, motum Angeli, ob simplicitatem spiritus, non transire per media. Nec admittit sententiam quae docet, Angelum pro libitu posse moveri per medium vel sine medio. Quae est ipsa positio S. Thomae. Adducit in favorem huius sententiae comparationem desumptam ex motu nostrae cogitationis, quae potest Parisiis transire Romam, quin percurrat regiones interiacentes. Ad quod bene Seraphicus: « Quidquid « sit de positione, exemplum non est conveniens ».

Ipse vero adhaeret sententiae dicenti, Angelum non moveri nisi per medium; attamen modeste hanc sententiam affirmat: « Et quoniam illud est intelligibile aliquo modo, « quod feratur per medium, et ratio concordat et auctoritas; « ideo videtur rationabiliter illud esse dicendum. Sed illud « membrum, quod dicit, quod possit sine medio, arbitror « reiiciendum, non quia asseram esse falsum, sed quia non « est auctoritas in promptu, quae hoc dicat, et ratio non « cogit, immo non capit. Possibile tamen est, quod Deus ali- « quid dederit substantiis illis spiritualibus, quod carnales « intellectus non capiunt. - Concedendae igitur sunt rationes « probantes, quod Angelus moveatur per medium » [1].

Motum hunc continuum per medium S. Bonaventura existimat in instanti seu subito dari non posse. Opinionem oppositam his verbis exponit et reiicit: « Quidam enim dixerunt, quod « quia Angelus est simplex, et spatium compositum, quod « tam Angelus quam eius virtus est spatio improportionabi- « lis; et ideo virtus eius omnino vincit supra spatium, adeo « quod subito et motu improportionabili spatium pertransit, et « est huiusmodi motus supra naturam. - Sed quoniam difficile « videtur intelligere, quod pertranseat medium, quin sit in « pluribus partibus medii; et ponere, quod subito moveatur « et sit in pluribus partibus medii: est ponere in illo motu, quod « sit in pluribus locis simul; et hoc omnino absurdum est di- « cere de Angelo, sicut dicunt Sancti et philosophi, et doctores « catholici in hoc concordant: ideo dicendum est, quod Ange- « lus non moveatur per medium motu subito, sed successivo » [2].

Vides, Seraphicum hanc positionem depellere iuxta illum motum, quem in praecedentibus admisit, scilicet per me-

[1] Ibid. q. 2 in corp.
[1] Ibid. q. 3 in corp.

dium; qui motus, uti diximus, manifestius involvit successionem temporis.

Mentem autem suam iam directius illustrans, rationem huius successionis reperit, non quidem in medii resistentia, nec in partibilitate mobilis, sed in distantia spatii et in finitate virtutis. Placet hanc expositionem ex integro adducere: « Notandum, quod in motu, qui successivus est successione « perfecta, est successio ex quadruplici causa: prima est « medii distantia, secunda medii resistentia, tertia est parti- « bilitas mobilis, quarta est finitas virtutis, eo quod finitae « virtutis proprie est movere in tempore, maxime per medium. « Concedendum est igitur, quod motus Angeli per medium « non est perfecta successione successivus, quia deficit ibi « resistentia spatii et partibilitas mobilis; est tamen succes- « sivus ratione distantiae spatii, in qua non potest esse simul « per totam, et finitatis virtutis moventis, quae non excedit « medium improportionabiliter, ideo nec facit motum impro- « portionalem medio omnino » [1].

Tria liceat de hac doctrina monere. *a*) Angelus in se quidem impartibilis est; ad motum autem continuum sufficit partibilitas spatii, quod motu continuo occupat. *b*) Finitas virtutis potest esse ratio motus successivi continui; minus autem haec ratio valet de motu discreto. Imo nec in motu continuo videtur urgenda. Nam Angelus potest in instanti occupare locum sibi adaequatum, et in instanti eumdem relinquere. Ergo non videtur cur non posset eadem virtute per medium transire in instanti, nisi hoc aliunde repugnaret. *c*) Ipsa demum distantia spatii facit quidem motum successivum longiorem et breviorem iuxta ipsam distantiam; non autem sufficit per se, ut successionem in motu exigat.

Restat igitur ut ultima ratio, ob quam motus non potest esse instantaneus, petatur ex ipsa indole motus localis, sive sit continuus, sive discretus.

Ex dictis in hac appendice apparet, circa hanc geminam quaestionem inter utrumque Doctorem Angelicum et Seraphicum, sat multum interesse. Prioris autem doctrinam tum altiorem, tum pleniorem existimo.

[1] Ibid.

QUAESTIUNCULAE CONNEXAE.

Operae pretium est duobus saltem quaesitis breviter respondere, quae, inter alia, a theologis scholasticis circa motionem Angelorum agitari solent.

I. Quaestiuncula. - *Possuntne Angeli seipsos movere efficienter, non quidem per accidens tantum, sed per se?* - Negat Capreolus, vi axiomatis philosophici: « Omne quod movetur, « ab alio movetur », quod axioma non de corporalibus modo, sed et de spiritualibus vult esse verum. Sed passim admittitur, et rectius, Angelos efficienter seipsos movere posse, nec solum per accidens.

Et sane id suadent tum Scripturae, tum ratio. Etenim spiritus ita passim describuntur se moventes, ut non solum id relate ad corporalia et per accidens de eis affirmetur; v. gr. de spiritu illo nequam perambulante terram, de diabolo circueunte uti leone in praedam anhelante. Nec apparet ratio solida ut Angelo haec potestas denegetur. Axioma in oppositum allatum sat servatur, si ad corporalia limitetur. Ad spiritualia enim non debet extendi, nisi sit ratio cogens, quae in casu abest. Nam, ut bene monet Suarez, « potest eadem « potentia esse in actu primo ad agendum per virtutem emi- « nentialem, et in potentia formali et receptiva secundi actus, « ut patet in voluntate, quae simul est activa et receptiva « sui actus. Idem ergo inveniri poterit in motu locali » [1]. Insuper si Angelus potest movere seipsum quoad *ubi* spirituale sibi proprium, cur non posset quoad *ubi* locale?

II. Quaestiuncula. - *Quaenam est facultas per quam Angelus se movet?* Quaeritur scilicet, ut verbis Sylvii utar, « utrum in Angelis praeter intellectum et voluntatum, non « sit aliqua potentia motiva, realiter ab illis potentiis di- « stincta » [2].

[1] Op. cit. l. IV, cap. 23.
[2] Op. cit. Quaest. LV, art. 5.

In diversa abeunt theologi. Caietanus, Suarez, Conimbricenses, Tanerus aliique censent, potentiam motricem Angelorum esse ab eorum intellectu et voluntate distinctam. « Mihi « videtur probabilius, ita Suarez, hanc potentiam nec intel- « lectum, nec voluntatem esse. Qui intellectus non habet « actum internum, quo talem motum possit efficere, quia « solum cognoscit aut iudicat, nec habet locutionem aut im- « perium circa seipsum ab his actibus distinctum.... Per co- « gnitionem autem seu iudicium non potest efficere motum, « sed necessaria est voluntas. At vero nec ipsa voluntas « potest esse potentia immediate eliciens motum, sed tantum « imperans: et ideo necessaria est specialis potentia, quae sit « proximum principium efficiens motus » [1].

Arguunt etiam ex paritate, quatenus, si in Deo, ut docet S. Thomas [2], potentia executiva distinguitur ratione ab intellectu et a voluntate, oportet ut in Angelis distinguatur realiter. - Adducunt in favorem huius sententiae ipsum Aquinatem, qui pluries loquitur de virtute per quam immediate Angeli operantur circa res materiales [3].

2) Opposita sententia praecipuos patronos habet Durandum, Gulielmum, Bannesium, Vasquez, Sylvium [4], etc., cum ipso S. Thoma, qui, ubi explicite sciscitatur de viribus, quae Angelis tribuendae sunt, duas tantum agnoscit, intellectum et voluntatem. Accipe quasdam Aquinatis sententias. « De « viribus animae non possunt Angelis competere nisi intel- « lectus et voluntas » [5]. « In Angelis non est alia vis quam « intellectiva et voluntas, quae ad intellectum consequitur » [6]. Et adhuc manifestius: « In Angelo aut daemone, si incorporei « ponantur, non est alia potentia neque operatio, nisi intel- « lectus et voluntas. Unde Dionysius dicit, quod intellec- « tuales sunt omnes eorum substantiae, virtutes et opera- « tiones » [7]. Et diserte affirmat: « Non est inconveniens quod

[1] Op. cit. loc. cit. c. 24.

[2] I Q. XXV, a. 1 ad 4.

[3] *De Pot.* VI, art. 3 ad 2; IX, art. 10 ad 2.

[4] Patroni huius sententiae passim alteri sententiae solidam quoque probabilitatem concedunt; quam et nos ultro agnoscimus.

[5] Q. LIV, art. 5.

[6] I Q. LXXIX, art. 1, ad 3.

[7] *De divin. nom.* c. 4.

« Angeli aliqua corpora solo imperio voluntatis moveant, « motu dumtaxat locali » [1].

Ubi ergo S. Thomas distinguit inter intellectum, voluntatem et virtutem, distinctio rationis intelligenda videtur, ne S. Doctor sibi contradicat.

Nec valet comparatio ex divinis perfectionibus adducta. Licet enim quae in nobis distinguuntur re, in Deo nonnisi ratione possint esse distincta; non ideo e converso quidquid in Deo distinguitur ratione, in creaturis debet distingui et re.

Dicamus igitur, potentiam motricem in Angelis non esse potentiam realiter distinctam ab intellectu et voluntate, quatenus habet ab intellectu iudicium practicum, a voluntate imperium efficax. Est proin huius virtutis applicatio actus formaliter immanens, efficaciter transiens, quatenus procedit immediate a facultate, cuius actus sunt immanentes, attingit autem efficaciter terminum externum.

[1] Q. XVI, *De malo,* art. 1 ad 16; cfr. ad 15.

MEMBRUM II.

DE COGNITIONE ANGELORUM.

Hoc Membrum, uti ex tabella tractatui praeposita patet [1], quadruplici constat Capite. In primo investigatur ipsa Angelorum cognoscitiva *virtus;* in secundo inquiritur de *medio* per quod haec virtus sese exercet; in tertio considerantur angelicae cognitionis *obiecta,* sive immaterialia, sive materialia; in quarto demum examinatur eiusdem cognitionis *modus*. Gradatio huius partitionis est manifesta.

Totam huius Membri tractationem ita disponemus, ut in prima parte uniuscuiusque Quaestionis de ipso argumento liberius discurramus, dein ex ordine textum articulorum compendiose illustremus.

CAPUT I.

DE VIRTUTE COGNOSCITIVA ANGELORUM.

QUAESTIO LIV.

Ordo Quaestionis disponitur per gradationem descendentem, quae duplici modo distingui potest: *a*) secundum excessum vel defectum, *b*) secundum intelligere et virtutem intellectivam. Secundum primum modum prima pars continet tres gradus, qui in Angelis nimiam perfectionem supponunt, unde excludenda sunt, quia facerent Angelos veluti deos; - altera pars continet duos gradus, qui non satis magnam perfectionem in Angelis ponunt, nimis eos ad hominum naturam deprimendo; unde et ipsi excludendi sunt. Veritas proin erit in medio. - Secundum alterum modum, prima pars continet duos gradus; et altera pars tres, quorum primus, in quantum excedit, pertinet ad duos praecedentes.

[1] Pag. 444.

Sequens tabella utramque partitionem simul exhibet.

Quoad τὸ cognoscere Angelorum quaeritur:	I. de *ipso intelligere*, utrum sit:	1) Angelorum substantia (a. 1); 2) esse (a. 2).	(excedit).
	II. de ipsa *virtute* cognoscitiva, utrum sit:	1) eorum substantia (a. 3); 2) distincta in intellectum agentem et possibilem (a. 4); (3) simplex vel multiplex (a. 5).	(deficit).

I. De ipsa Quaestione.

Quum principia philosophica, quibus doctrine huius articuli innititur, fusius iam exposita sint, ubi de Dei simplicitate agebamus [1], argumentum huius Quaestionis his quinque propositionibus breviter contrahemus.

Praemittimus, Angelum esse facultate intelligendi dotatum; quod directe fluit ex eius spiritualitate, uti fuse exposuimus alibi, quaerendo de fundamento ipsius scientiae divinae [2].

Prop. I. *Intelligere Angeli non est eius substantia.*

Intelligere est actus facultatis intellectivae. Illius igitur intelligere est ipsa substantia, qui est actus purus. Iam vero talis perfectio sicuti Deo necessario tribuenda est, utpote enti infinito, perfectissimo, enti a se; ita quoque ubi habetur, secum trahit summum perfectionis gradum.

Etenim si intelligere Angeli esset eius substantia, esset intelligere subsistens, imo τὸ intelligere simpliciter; nam ibi incipit limitatio, ubi incipit compositio; ibi incipit compositio, ubi datur admixtio potentiae et actus. Iam vero τὸ intelligere absolutum non potest esse nisi ens unum; sicut non potest esse nisi unum ens infinitum. Quare haec positio tolleret non solum hierarchiam Angelorum, quae maxime in virtute intellectiva consistit, sed ipsum Angelorum numerum. Nec mirum: Angelus, cuius intelligere esset eius substantia, esset simpliciter Deus.

[1] *De Deo Uno.* Q. III.
[2] Ibid. Q. XIV, art. 1.

Egregie hanc doctrinam ita exponit S. Augustinus: « Propter hoc natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, « quod vel possit amittere: vel aliud sit habens, aliud quod « habet: sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut « aër lucem sive fervorem, aut anima sapientiam: nihil enim « horum est id, quod habet. Nam neque vas liquor est, nec « corpus color, nec aër lux sive fervor, nec anima sapientia « est » [1]. Quod et de sapientia angelica pari titulo valet.

Distinguuntur proin in Angelo intelligere et substantia intelligentis, idque non solum ratione, sed et realiter. Nam, ubi optime ait card. Toletus, « in his in quibus intelligere a « substantia distinguitur, intelligere est actus elicitus a sub« stantia, ut causa efficiens: at impossibile est, quod causa « efficiens vera sit idem realiter cum suo effectu: ergo nec « intelligere cum substantia, a qua producitur » [2].

Adde argumentum sane stringens pro eo, qui realem distinctionem admittit inter essentiam et esse cuiusvis creaturae. Plus differt operatio ab essentia, quam esse ab essentia; atqui esse Angeli realiter distinguitur ab eius essentia; ergo a fortiori intelligere eius realiter distinguitur ab eius essentia.

Prop. II. - *Intelligere Angeli non est eius esse.*

Negata identitate inter intelligere Angeli et eius substantiam, superest quaerendum, utrum idem esse possit cum eius esse. Etenim, quum in Angelo, utpote creatura, distinguatur essentia et existentia seu esse, sumendo substantiam in sensu essentiae, posset τὸ intelligere non esse ipsa substantia, quatenus identificatur cum esse. Et sane intelligere est actus; esse autem confertur ad substantiam sicut actus ad potentiam.

Sed haec istantia facile depellitur. Intelligere potest quidem dici actus facultatis uti potentiae; non autem eo modo sicut esse se habet ad substantiam.

Et sane, uti optime incedit S. Thomas, actus Angeli nequit esse eius esse: non *a*) actus transiens, quia tendit extra

[1] *De Civit. Dei,* l. XI, c. 10.

[2] Hoc loco. — Toletus de hac parte doctrinae haec more suo vivaci scribit: « Et « hanc, iudicio meo, non probat sufficienter, quidquid velit Caietanus, qui multa verba « inutiliter consumit ». Sed, uti ex analysi textus apparebit, consequentia de distinctione reali inter intelligere et substantiam Angeli ex argumento fundamentali S. Thomae necessario fluit.

agentem et proin nequit identificari cum esse agentis; - non *b*) actus immanens, ut intelligere et velle, quia, si esset alicuius intellectionis limitatae vel volitionis limitatae ad hoc vel illud, iam excluderet facultatem ad omne verum et bonum; si esset omnis intellectionis et volitionis, quum haec habeant infinitatem, sequeretur esse infinitum. Iam vero esse omnis rei debet commensurari speciei eiusdem rei; ac per consequens esse substantiae finitae nequit esse infinitum. Dicendum igitur, τὸ intelligere Angeli non posse esse ipsum esse Angeli.

Ad hanc demonstrationem parum refert, utrum realiter distinguantur essentia et existentia, an solum ratione. Sufficit ut utrimque realis distinctio demonstretur inter substantiam et intelligere, ac inter esse et intelligere [1]. Qui autem non admittit realem distinctionem inter substantiam seu essentiam, et esse seu existentiam, non hoc ordine duas quaestiones movere potest; nisi, quod absonum est, inter substantiam Angeli et eius intelligere non admittat distinctionem realem. Qua reali distinctione admissa, repugnat τὸ intelligere Angeli esse eius esse. Qui autem utrimque realem distinctionem admittit inter substantiam et esse, et inter substantiam et intelligere, debet insuper demonstrare, realem distinctionem inter intelligere et esse. Hoc ordine, duce Aquinate, incedimus.

Ex dictis rursus apparet, intelligere et esse non posse identificari nisi in eo, in quo ipsa substantia est infinita, et in quo per consequens ipsum esse est ipsa substantia.

Conclusio huius geminae propositionis est, distingui realiter ex una parte substantiam et intelligere Angeli, ex altera parte intelligere Angeli et eius esse; ac proin ab invicem realiter distingui tria haec: Angeli substantiam, esse et intelligere. Quid iam de intellectu, seu de cognoscitiva facultate? En argumentum propositionum sequentium.

Prop. III. - *Potentia intellectiva Angeli non est eius essentia.*

Instantiae processus est manifestus.

Esto, intelligere Angeli non esse eius substantiam. Potestne saltem admitti, potentiam intellectivam Angeli esse

[1] Lege quae contra hunc quoque articulum S. Thomae scribit Toletus, qui non videtur nervum argumentationis plene assecutus.

eius essentiam? Admissa scilicet distinctione inter potentiam et eius exercitium, potestne ipsa potentia identificari cum essentia seu substantia, a qua exercitium potentiae probavimus esse realiter distinctum?

Sed neque hoc teneri potest.

Ratio est manifesta, et, ut ita dicam, mathematica. Intelligere enim se habet ad potentiam intellectivam sicut actus ad potentiam. Iam vero esse habet se pariter ad substantiam sicut actus ad potentiam. Si ergo potentia intellectiva Angeli est substantia Angeli, oportet ut intelligere Angeli sit esse eius. Atqui in propositione praecedenti vidimus, intelligere Angeli distingui ab eius esse; ergo potentia intellectiva Angeli et esse eius distinguntur. Quae rursus distinctio realis sit oportet, sicuti realis est distinctio inter esse et intelligere.

Supponit quidem haec demonstrationis via distinctionem realem inter essentiam et existentiam, seu inter substantiam et esse [1]. Sed et negata hac reali distinctione, argumentum solide confici potest hoc pacto. In Deo identificatur potestas cum substantia, quia in Deo nulla datur compositio, et Deus est actus purus. Unde Deus nullo medio operatur, sed sua ipsa substantia. Haec autem est divinae simplicitatis praerogativa exclusiva. Unde in omni natura creata principium agendi fundamentale mediatum est natura seu substantia, proximum autem est substantia. « Mihi semper persuasum « habui », ait Suarez arguens contra Durandum [2], - qui distinctionem inter substantiam et potentiam admittit quidem in anima humana, utpote corporis actu, recusat vero in Angelo, utpote spiritu puro, - « mihi semper persuasum habui, neces- « sitatem huius potentiae a substantia distinctae oriri ex limi- « tatione substantiae creatae, et ideo in omni spiritu creato, « quantuncumque perfecto, illam distinctionem ponimus » [3]. Recte et Sylvius: « Solius Dei est operari sine instrumentis,

[1] Vi eiusdem distinctionis S. Th. inferius demonstrat, in homine intellectum esse aliquam potentiam animae. Et concludit: « In solo autem Deo idem est intelligere, « quod suum esse; unde in solo Deo intellectus est eius essentia: in omnibus autem « aliis creaturis intellectualibus intellectus est quaedam potentia intelligentis ». (Q. LXXIX, art. 1 in corp. — Cf. Q. XIV, art. 4 in corp.).

[2] Idem quoque passim dicitur docere Scotus.

[3] Op. cit. l. II, c. 1.

« id est, immediate per suam essentiam; reliqua vero omnia « operantur mediantibus potentiis, vel aliis qualitatibus, aut « aliis etiam instrumentis » [1]. Nec dissentit Toletus, licet heic argumentationem S. Thomae uti insufficientem impugnet [2].

Consentit S. Anselmus [3], quando brevissime dicit, voluntatem et voluntatis conversionem non esse substantias. Nam idipsum de intellectu et de intellectionibus per correlationem existimasse dicendus est [4]. Imo alibi directe idem affirmat: « Est ratio in anima, qua, sicut suo instrumento, utitur « ad ratiocinandum, et voluntas qua utitur ad volendum » [5].

Conclusio igitur sit, in Angelis ita dari compositionem inter substantiam et esse, inter intellectum et intelligere, ut realiter haec quatuor sint distincta; aut, si quis vellet recusare realem distinctionem inter concretam substantiam Angeli et eius esse, ut nihilominus realiter distinguantur substantia, intellectus et intelligere, iuxta doctrinam Dionysii, qui distinguit in Angelis substantiam, virtutem (in casu potentiam intellectivam) et operationem (intelligere) [6].

Quaeres. - Estne haec realis distinctio ita intelligenda, ut in Angelis non solum de facto, sed et necessario adesse dicatur, quatenus repugnet, tam perfectam a Deo condi creaturam, in qua haec distinctio non sit nisi rationis?

Resp. Nisi haec distinctio fluat ex analysi creatae naturae etiam nobilissimae, non est ratio cur in Angelis absolute praedicetur, quum nesciamus, ubinam sistat perfectio supremi Seraphim. Et re quidem vera fundamentum huius distinctionis petitur a singulari perfectione Dei, cuius est unice hac distinctione carere. Quare dicendum, nullam creaturam non solum existentem, sed nec possibilem hac distinctione esse expertem.

Aliter autem se habet res de distinctionibus, quae nobis considerandae supersunt; hae enim non petuntur mere ex conditione naturae finitae, sed ex gradu inferiori in ordine

[1] Op. cit. hoc loco.

[2] Op. cit. hoc loco.

[3] Patrum doctrinam de hoc argumento exponemus in *Sed contra est* art. tertii textus S. Thomae.

[4] *De casu diab.* c. 8.

[5] *Lib. de concord.* c. 21.

[6] *De cael. hierarch.* c. 2.

naturae intellectualis. Quare sicuti negandae erant perfectiones hucusque consideratae, quia ponunt nimis; ita recusandae sunt imperfectiones sequentes, quia non ponunt satis.

Prop. IV. - *In Angelo non distinguitur intellectus agens et possibilis.*

Aliquid huic propositioni praemittendum est, scilicet Angelum esse superiorem homini in genere intellectualitatis [1]. Quod facillime demonstratur. Etenim quum fundamentum intellectualitatis sit immaterialitas, oportet ut mensura immaterialitatis ponat mensuram intellectualitatis. Iam vero Angelus plus habet de immaterialitate quam homo, quia est spiritus purus, homo autem compositus ex anima et corpore. Ergo oportet ut Angelus sit superior anima humana in genere intellectualitatis, ac proin ut intellectus angelicus praestet intellectui humano. Iam vero nobilitas intellectus petitur ab eius simplicitate. Ergo dabitur saltem una distinctio seu compositio, quae convenit intellectui humano et quae repugnat intellectui angelico; imo forte non una dabitur. Quaenam autem erit haec distinctio vel erunt hae distinctiones, nisi quae praecise inde procedunt, quod anima humana est corporis forma?

Iam vero prima distinctio seu compositio, quae heic sese offert nobis, est intellectus agentis et possibilis.

Intellectus in nobis est illa mirabilis virtus, per quam obiecta nobis externa et in se plerumque materialia transeunt in spiritualem nostram apprehensionem. Si anima nostra esset spiritus purus ita alligatus corpori, ut tamen suam haberet vitam spiritualem independentem, intellectus noster posset ex una parte esse semper in actu, quatenus anima nostra est spiritus purus, ex altera parte recipiens ab obiectis materialibus, quatenus alligatur corpori. Adesset proin iam ratio ponendi in intellectu aliquem respectum facultatis cognoscitivae quoad illa obiecta abstrahenda: quae ratio est fundamentum intellectus agentis. Sed in nobis est amplius. Intellectus noster est facultas animae, quae non est spiritus purus, sed forma compositi. Unde et ipsa virtus intellectiva minus

[1] Cf. addenda in *Sed contra est* articuli quarti.

habet de vitalitate permanente, quam habet in spiritu puro; transit enim de potentia in actum; nec datur in praesenti statu ullum obiectum, quod in actu semper intelligat. Adest proin in homine duplex ratio cur ponantur intellectus possibilis et intellectus agens; prior, quia non est semper in actu circa propria obiecta; altera, quia agit circa obiecta materialia, ut per abstractionem illa elevet ad ordinem intellectibilitatis [1].

Angelicus ergo intellectus caret hac distinctione propter duo: quia 1) est semper in actu, et 2) fertur primo circa obiecta intelligibilia actu. Prima ratio petitur a parte intelligentis, altera a parte obiecti intellecti.

Hic autem sedulo adverte, intellectum possibilem et intellectum agentem, non sibi in eodem ordine plene respondere, quasi unus per alterum compleatur. Si ita esset, melius vocarentur actus et agens. At non eatenus dumtaxat intellectus dicitur possibilis, quatenus per agens educitur in actum; nec dicitur agens, quatenus stimulat possibilem. Sed possibilis dicitur imprimis, quatenus non est semper in actu; et agens, quatenus agit circa obiecta materialia abstrahendo phantasmata.

Haec si melius attendisset card. Toletus [2], in hac doctrina, allegato Scoto [3], minus impugnasset Aquinatem. Non igitur negatur, intellectum Angelicum quoad multa se habere in potentia, quatenus non semper omnia apprehendit, et nova iugiter cognoscere potest; quae scilicet intellectualiter agendo iugiter intellectu apprehendit. Et sane nonnisi Dei intelligere est actus purus, expers omni compositione potentiae et actus. Sed iste respectus ad potentiam et ad actus non est praecise id, quod intenditur per intellectum possibilem et agentem, qui in homine praedicatur. Quare, licet in Angelo sit compositio potentiae et actus in intellectu, tamen in eo non est, nisi aequivoce, ille duplex intellectus, qui in nobis dicitur possibilis et agens. — Cf. mox complenda in art. 2, Q. LVI.

[1] De utroque hoc aspectu humani intellectus fusius disseremus in prima parte sequentis tractatus *de Homine*.

[2] Hoc loco.

[3] II Sent. dist. III, art. 2, q. 4.

Prop. V. - *In Angelis non est nisi cognitio intellectiva* [1].

Nexus inter hanc propositionem et praecedentem arctissimus est. Petitur enim a penitiori investigatione partis inferioris humani compositi, illius nimirum, ob quam inducitur ipse intellectus agens, phantasmata a rebus materialibus abstrahens. Quomodo enim intellectus humanus ea abstrahere posset, nisi prius homo ea aliqualiter cognosceret? Quomodo autem cognosceret, ea cognitione singulari, materiali, quae est substratum abstractionis intellectualis, nisi haberet virtutes quasdam cognoscitivas, quae materialia ut talia apprehendunt, et corporali organismo veluti inseruntur? Tales sunt visus in oculo, auditus in aure, olfactus in naribus, gustus in palato, tactus per totum corpus sparsus. Quibus sane adminiculis cognoscitivis Angelus caret, non quidem ob imperfectionem aut penuriam; sed ob perfectionem altiorem, quae inferiorem indigentiam excludit. Quare quidquid perfectionis in hisce mediis continetur, Angelus eminenter possidet modo simpliciori et altiori, spirituali scilicet, qui magis appropinquat ad modum, quo haec omnia cognoscit Deus.

Nulla igitur in Angelo datur cognoscitiva virtus nisi intellectiva; quae tamen, quatenus constans est in apprehensione servanda, poterit et memoria vocari; dummodo ab ista facultate excludatur quidquid habet in nobis a phantasmatibus, quae collecta veluti in armamentario organico servat.

Consequens huius propositionis est, in Angelis repugnare illos affectus, qui a perceptionibus sensualibus derivantur. Hinc dicit S. Angustinus: « Illiciuntur daemones ad inhabi-« tandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, « delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia « cibis, sed ut spiritus signis » [2]. Et brevissime auctor ignotus: « Angelorum idioma est, quod affectibus passionum ca-« rent » [3]. Repugnat proin ut non solum Angeli boni, sed et

[1] Evidenter haec exclusio intelligenda est in sensu composito de intellectiva cognitione. Quare nihil facit ad rem, quod praeter cognitionem intellectivam sit in Angelo volitio et motio per imperium et potentiam executivam. Dubium proin, quod hic movet Caietanus, longe petitum videtur. De quo Toletus: « Ipse suis distinctio-« nibus conatur respondere: sed profecto miror in re tam manifesta ipsum caecu-« tire ». Verius forsan quam amoenius dictum! Sed quis expectabit Toletum cum Caietano leniter agentem?

[2] *De Civit. Dei*, l. XXI, c. 46.

[3] Auct. trac. *De definit.* tit.: *Quid dicitur idioma*, (int. op. S. Athanas.).

mali, concupiscentia allecti cum filiabus hominum impie sese coniunxerint. Fraudulenter quidem, malis utendo praestigiis, id efficere potuerint; unde putant Delrio, Cordanus et Caietanus, tali modo de Angelis malis intelligi posse monstruosum illud connubium, quod ortum dedit Nephilim. Sed, quidquid sit de ista longissime petita explicatione [1], sane daemones haec agendo fraudulenter, non cupiditates illas passi sunt, quibus non cedunt nisi animae sensili cognitioni subiectae.

II. - Ad textum S. Thomae.

Art. I. - « *Utrum intelligere Angeli sit eius substantia* ».

1. Obi. Procedit a male percepta activitate intellectus agentis.

2. Obi. Falso supponit eodem modo se habere vivere ad vitam, quo esse ad essentiam. Quod falsissimum est.

3. Obi. Supponit τὸ intelligere esse medium inter facultatem et obiectum apprehensum. Quod est erroneum.

Sed contra est. Argumentum articuli tertii legem proportionis hic allatam complet, conferendo ad invicem non modo substantiam, esse et intelligere, sed substantiam, esse, intellectum et intelligere. Huc maxime facit textus S. Augustini superius in prima propositione allatus.

In Corpore. En doctrinam huius *Corporis* et totius articuli schemate expressam.

Angeli essentiam (sive substantiam) **esse ipsum intelligere,**

1. *proprie loquendo repugnat:*
   - *a)* solus actus purus, qui est Deus, est suum operari, quia nulla admixtus potentia;
   - *b)* non potest dari nisi unum intelligere subsistens, unde Angelus non posset distingui nec a Deo, nec ab alio Angelo;
   - *c)* nec possent dari plures intelligendi gradus in τῷ intelligere participato.

2. *improprie* tamen *aliqualiter potest concedi:*
   - *a)* quatenus in Angelo non datur distinctio inter intellectum agentem et possibilem (obi. 1);
   - *b)* quatenus interdum sumitur intelligere pro intellectione, et vita pro essentia (obi. 2).

[1] Praeter alia, num probabile est, daemones, dum haec agerent, vocatos esse filios Dei? Imo nec ista fraus per se explicaret mirandam staturam horum gigantum.

Art. II. - « *An intelligere Angeli sit eius esse* ».

1. Obi. Confundit duplicem sensum τοῦ vivere, quod sumitur vel pro ipso esse viventis, vel pro operatione vitae.

2. Obi. Procedit ac si, sub ratione formae, eodem modo se haberet substantia ad esse et ad operari; quod falsum est. Nam esse coarctatur ad substantiam, non autem intelligere. Ad summum ex ista obiectione demonstrari posset, in Angelo τὸ intelligere idem esse re cum suo esse. Quod posset concedi, nisi obstaret id ipsum, quod in proximo articulo demonstrabitur, intellectum scilicet Angeli non esse eius substantiam.

Caeterum non facile concedenda est lex proportionis in maiori posita. Eadem enim res potest esse causa duplicis effectus ab invicem realiter distincti.

Sed contra est. Esse et intelligere in ente finito conveniunt in hoc, quod sunt actus; sed non in hoc, quod sunt motus; imo ex hoc ostenditur discrimen inter utrumque, et tangitur radix distinctionis inter essentiam et facultatem.

In Corpore. En schema argumenti huius *Corporis:*

Nec Angeli nec ullius creaturae actio est esse:	1. *non* actio *transiens:*	ponitur enim extra esse agentis.	
	2. *neque* actio *immanens* (sentire, intelligere, velle), habet enim ex se:	*a)* infinitatem simpliciter (ad omne verum, bonum):	solum esse Dei est infinitum; esse vero creaturae determinatum.
		b) secundum quid (ad omne sensibile);	

Art. III. - « *Utrum potentia intellectiva Angeli sit eius* « *essentia* ».

1. Obi. Arguit exaggerando ex nomine « intellectus » et « mentis », quod Angelis datur; cuius ratio sufficiens habetur in pura spiritualitate cognitionis angelicae, etiamsi realiter distinguantur in Angelo substantia et potentia intellectiva.

2. Obi. Est cavillatio de rigore formae simplicis. Forma plene simplex est actus purus, qui utique subiectum esse nequit. Forma autem in qua est compositio potentiae et actus, - cuius compositionis primum argumentum est ipsa distinctio inter substantiam et esse, - potest esse subiectum accidentium.

Quae tamen accidentia debent respondere indoli subiecti. Etenim quae petuntur a materia uti individuante, repugnant in puro spiritu; quae autem repetuntur a specie, quam perficiunt, in puro spiritu creato adsunt. Tale accidens est in Angelo potentia intellectiva.

3. Obi. Confundit duplicem potentiam omnino diversam: potentiam ad esse substantiale, quae est materia prima, et potentiam ad esse accidentale, quae est in potentia operativa. Caeterum paritas datur, quatenus, sicut materia prima est sua potentia, ita quoque facultas intellectiva est sua potentia.

Sed contra est. Iuxta doctrinam huius articuli habes in Angelo non solum tria distincta, sed et quatuor: substantiam et esse, potentiam intellectivam et intelligere, quae sub gemino respectu respondent potentiae et actui. Quare rursus vides, in ente perfecto, actu puro, in quo substantia est esse, necessario potentiam esse substantiam, et operationem esse ipsum esse, et omnia unum actum purum.

Doctrina huius articuli probatur per sententias Patrum. Discurrens de identitate inter Trinitatem et Deum quatenus Trinitas est Deus, Augustinus per oppositionem adducit exemplum e composito humano; ubi haec habet: « Detracto etiam « corpore, si sola anima cogitetur, aliquid eius est mens, tan« quam caput eius, vel oculus, vel facies (sed non haec ut « corpora cogitanda sunt): non igitur anima, sed quod excellit « in anima mens vocatur » [1]. — Unde et S. Leo Magnus neminem dicit esse sapientiam [2].

In Corpore. En schema huius argumenti.

Nec in Angelo nec in ulla creatura potentia operativa est sua essentia: nam	1) quemadmodum eius esse se habet ad eius essentiam, sicuti actus ad potentiam; ita operatio eius ad facultatem operativam; 2) atqui operatio Angeli distincta est ab eius esse; ergo et facultas operativa ab eius substantia.

[1] *De Trin.* l. XV, c. 7. — *P. L.* XLII, col. 1065. — Eodem modo loquitur Damascenus (*De Fid.* II, c. 3).

[2] Epist. 15 (al. 93) *ad Turib.*

Responsio ad secundum ita contrahi potest:

Ens simplex
- 1) ex toto, cuius essentia est esse, nequit esse subiectum accidentis;
- 2) ita ut essentia eius non sit esse,
  - *a*) potest esse subiectum accidentis, a parte formae, determinantis speciem;
  - *b*) non autem a parte materiae, determinantis individuum.

Art. IV. - « *Utrum in Angelo sit intellectus agens et possibilis* ».

1. Obi. Procedit ex axiomate philosophico, quod inductum est a generabilibus et corruptibilibus.

2. Obi. Utrimque peccat: tum *a*) quoad intellectum agentem, cuius illuminatio per abstractionem respicit obiectum, non alium cognoscentem; *b*) tum quoad intellectum possibilem, qui evocatur de potentia in actum, non solum quoad nova cognoscenda ordinis superioris, sed transeundo simpliciter de non cognitione in cognitionem quoad obiectum proprium.

Adest quidem aliqualis similitudo, praesertim quoad hoc alterum; sed ubi agitur de terminologia recepta et per usum determinata, non est aequivocandum in nominibus. Res ipsa expressa per nomina est maxime attendenda; nomina autem sunt explicanda et in sensu accepto servanda, ne confusio idearum gignatur, et in sermone scientifico regnet anarchia.

Sed contra est. Huc adduci possunt textus Scripturae et Patrum, in quibus Angeli simpliciter dicuntur « spiritus », « νόες ». Quam appellationem illustrans Pachimeres ait: « Divinas virtutes appellat (Dionysius) νόας, propter oppositionem cum sensu, qui nobis viventibus inest » [1]. Unde post Deum Angeli primum locum tenent. « Angeli, ait Damascenus, secunda sunt intellectualia lumina ex primo et carenti principio lumine illuminationem suscipientia » [2]. Et Gregorius Nazianzenus eos vocat « splendores secundos primi splendoris administros, spiritusque intelligentes » [3]. Quod et implicite ex controversia cum Gnosticis apparet. Nam quum isti Angelos veluti per emanationem medios inter

[1] In c. I. *Caelest. hierarch.* — Cf. Maximum (ibid.).

[2] Op. cit. l. II, c. 3. — Hic locus valet etiam ad illustrandum modum quo Angeli a Verbo recipiunt medium per quod intelligunt.

[3] Orat. XLV, n. V. — *P. G.* t. XXXVI, col. 629.

Deum et visibilem mundum exhiberent, ipsiusque mundi auctores, Patres affirmant quidem, Angelos esse meras creaturas, quibus creandi facultas per se competere nequit; at agnoscunt eorum prae hominibus excellentiam. « Angelus, « ait Theodoretus, nec sicut Graecorum poëtae et philosophi « Deos facimus,.... neque ut haereticorum fabulae statuunt, « creationis auctores eos definimus » [1]. « Excellentiorem, ait « Fulgentius, ac primam in creaturis artem reperimus ratio- « nalem Angelorum naturam » [2].

Iam vero in quonam consisteret haec indubitata excellentia Angelorum in ordine entium intelligentium, si intellectus eorum participaret imperfectiones, quae in nobis oriuntur ex connubio animae cum corpore? Oportet igitur ut Angeli, utpote spiritus puri, facultate gaudeant intellectiva perfectiori, id est, simpliciori.

Haec autem maior simplicitas, uti vidimus, maxime consistit in hoc, quod in intellectu angelico non detur illa geminatio inter intellectum possibilem et agentem. Nam haec geminatio fundamentum habet princeps in cognitione per phantasmata a rebus externis abstrahenda.

Adverte autem heic elegantem comparationem Aquinatis. Sicuti in sensibili obiecto videndo tria habentur: color obiecti, lumen et visus; ita in cognitione nostra habentur obiectum cognoscendum, intellectus agens et intellectus possibilis.

In Corpore. En schema doctrinae.

In Angelis intellectus agens et intellectus possibilis	1) *proprie loquendo,* scilicet univoce ut in nobis, *non dantur:*	*a)* non intellectus possibilis (quo homo intelligens in potentia fit intelligens actu): nam semper intelligunt actu; *b)* non intellectus agens (quo in homine intelligibilia in potentia fiunt intelligibilia actu): nam immaterialia primario et per se intelligunt.
	2) *improprie* tamen, seu aequivoce, inveniri possunt: (obi. 2).	*a)* intellectus possibilis, scilicet in Angelo inferiore, qui de supernaturalibus a superiore illuminatur; *b)* intellectus agens, scilicet in Angelo superiore inferiorem illuminante.

[1] *Haeret. fab.* l. v, c. 7.
[2] *De Trin.* c. 8.

Utrum detur, praeter hic dicta sub n. 2), alia ratio admittendi in intellectu angelico aliquid, quod similitudinem habeat cum nostro intellectu possibili et agente, in sequentibus Quaestionibus apparebit.

Ad Art. V. - « *Utrum in Angelo sit sola intellectiva cognitio* ».

Obiectiones procedunt vel ex opinione falsa puram spiritualitatem Angelorum negante; vel ex modo figurativo, improprio loquendi, quatenus, quae nos per veram vel falsam phantasmatum apprehensionem sentimus, experimur, memoria tenemus, somniamus, Angelis tribuuntur quantum ad cognitionum certitudinem *(1. Obi.)*, collationem *(2. Obi.)*, fidelitatem *(3. Obi.)*, imo, in angelis malis, quoad falsam aestimationem practicam boni *(4. Obi.)*.

Sed contra est. Huc pariter faciunt testimonia, imprimis sententia Pachimeris, in articulo praecedenti allata.

In Corpore. Tota doctrina hoc schemate comprehenditur.

- Virtutem cognoscitivam Angeli
  - I. *proprie loquendo* non habent *nisi unam intellectum*: (corpus)
    - 1) in homine quidem duplicis generis sunt animae vires:
      - *a)* pure spirituales, quae sine corporis organo exercentur;
      - *b)* mixtae, quae per organa exercentur corporea;
    - 2) in Angelis autem corpore exemptis non adsunt nisi pure spirituales (alias admittere, esset consequens erroris circa eorum spiritualitatem).
  - II. *improprie* tamen loquendo possunt praeter intellectum in Angelis admitti (obiectiones)
    - 1) sensus, ad significandam propriam et certam cognitionem;
    - 2) experientia,
      - *a)* non quidem in quantum acquiritur per singularia sensu cognita,
      - *b)* sed in quantum oritur ex similitudine singularium cognitorum;
    - 3) memoria,
      - *a)* non quidem in quantum est pars animae sensitivae,
      - *b)* sed in quantum residet in mente per singularium cognitionem;
    - 4) phantasia proterva in daemonibus,
      - *a)* non quidem in quantum dicit productum phantasmatum,
      - *b)* sed in quantum dicit falsam aestimationem de vero bono.

A brevissima huius Quaestionis Synopsi abstinemus, quum singuli articuli, arcto intervallo contracti, uno veluti mentis ictu facile comprehendantur.

CAPUT II.

DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICAE.

QUAESTIO LV.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

Quaeritur, utrum Angeli cognoscant
- 1) per substantiam, an per speciem (a. 1).
- 2) et si per species:
  - *a*) utrum per species connaturales, an per species a rebus acceptas (a. 2);
  - *b*) et si per species connaturales, utrum omnes per easdem, an, iuxta gradus, per plus minusve universales (a. 3).

I. - De ipsa Quaestione.

1) Iam agendum de medio per quod Angeli cognoscunt. De quo medio aliquid in altera parte praecedentis Quaestionis praeoccupatum est; quatenus ibi exclusa sunt media illa, per quae nos, ex anima et corpore compositi, cognitionem nobis ope sensuum efformamus. Cognitio scilicet angelica, sensili perceptione destituta, quia nobilior quam ut phantasmata a sensibilibus externis sibi abstrahere debeat, instructa sit oportet mediis ordinis omnino spiritualis. Iam vero nullum huiusmodi medium excogitari potest, nisi ipsa essentia Dei immediate percepta, propria substantia directe cognita, species connaturales, species a rebus acceptae. De quibus singulis per totidem propositiones brevis sit discursus.

Prop. I. - *Angeli non cognoscunt naturaliter omnia per substantiam Dei.*

Deus omnia intuetur in sua essentia. Qui ergo essentiam Dei intuetur, nequit in ea non omnia cognoscere eo gradu cognitionis, quo ipsam Dei essentiam attingit. Quare Angelos beatos et animas sanctas hoc medio cuncta intueri, praeter dubium est. Sed, uti in tractatu de Deo fuse ostendimus et

rursus breviter ostendetur in art. 3. Quaestionis sequentis, haec visio divinae essentiae exsuperat vires creati intellectus, qui ad hanc visionem illustrari debet supernaturali robore, quod theologi lumen gloriae vocant. Restat igitur ut Angelis aliud naturale medium assignetur, in quo vel per quod omnia cognoscant.

Prop. II. - *Angeli non cognoscunt omnia per suam substantiam.*

Angeli cognoscunt directe substantiam suam, sine ope infusae speciei. Nulla enim ratio adduci posset ob quam Angelus, purus spiritus, non posset immediate applicare vim suae facultatis intellectivae in propriam substantiam verbum mentis producentem. Nam haec substantia per se et maxime intelligibilis est et facultati intellectivae maxime praesens [1]. Quod in art. 1. Quaestionis sequentis data opera exponetur.

Sed non ideo Angelus in sua cognita substantia cognoscit omnia. Hoc enim est proprium Dei, entis perfectissimi, omne ens eminenter atque causaliter continentis. Substantia autem Angeli non continet perfecte nisi propriam substantiam. Quare in substantia sua potest quidem Angelus per similitudinem genericam seu specificam cognoscere substantiam aliorum Angelorum; per relationem eminentiae, substantias rerum inferioris ordinis; per relationem effectionis ac imaginis, ipsam essentiam et perfectiones Dei. Sed cognitione propria et perfecta Angelus haec omnia in sua substantia cognoscere nequit.

Porro quum Angelus ad omnia cognoscenda ex natura sua utpote ad omne verum ordinetur, oportet ut, praeter suam substantiam, aliquo alio cognitionis medio instruatur.

Prop. III. - *Angeli possunt cognoscere alia a se, saltem in ordine speculativo, qui essentias rerum complectitur, per species non a rebus acceptas, sed sibi infusas, eoque universaliores quo ipsi sunt perfectiores.*

Cautius hanc tertiam propositionem formulamus, quam passim a Thomistis fieri solet, propter rationes quas decursus nostrae tractationis sat superque manifestabit.

[1] Lege optimum discursum Billuart de hoc argumento.

In admittendis speciebus a Deo Angelis infusis passim theologi conveniunt cum S. Thoma, S. Bonaventura, Scoto, Richardo, etc. Nec dissentit Toletus, qui tamen cum Scoto dubium movet de harum specierum indole, quatenus, si hae species in repraesentatione multarum rerum consistunt, non apparet ratio, cur in ipsa substantia Angeli non plus cognosci possit quam in aliis speciebus. « Ego quidem, ait, cum ipso « S. Thoma convenio; non enim Angeli cognoscunt alia a « se distincta cognitione et propria, nisi per species; convenio « etiam in maiori discursus; sed in illo principio posito non « convenio » (scilicet species requiri quia Angeli essentia, utpote determinatae speciei et generis, non potest esse ratio cognoscendi omnia); « nec puto species esse similitudines « rerum, sed signa determinantia potentiam ad cognitio- « nem rei » [1].

At neque hanc mitigatam sententiam admittunt alii. Ita e recentioribus Cl. Palmieri reiicit doctrinam de speciebus a Deo infusis, quia, uti ait, « idealismum induceret in Angelis ». Ipse aliam prorsus explicationem suggerit, recurrendo ad aliquam initialem motionem Dei. « Nimirum in ipsa creatione « movit Deus efficacia sua intellectum Angeli ad apprehen- « sionem intuitivam tum substantiae ipsius Angeli, tum cae- « terarum rerum existentium, sive corporalium sive spiritua- « lium. Haec ab initio existens determinatio satis fuit ad « informandam eam cognitionem Angeli, quae est ei natu- « ralis ». Et pergit illustrando, quomodo « his obiectis prae- « sentibus positis » et intellectis, Angelus ope huius illustrationis initialis, quae semper perseverat, omnia in temporis successione singularia cognoscat [2]. Bene quidem; sed quomodo intelligenda est ista motio divina? [3] Quodnam fuit in Angeli intellectu principium vi cuius haec intellectio per motionem divinam inducta est? [4] Quaenam sunt « ista obiecta « praesentia posita », si ponatur, Angelos fuisse creatos ante

[1] Hoc loco.

[2] Op. cit. th. xx, n. 2.

[3] Si nulla est alia quam illa generalis motio divina ad quemvis actum creatae facultatis excitandum, non recusari potest, sed nec urgeri, quum nihil speciale habeat.

[4] Sane, si ipsa natura intellectus Angelici hoc habet ut praesente obiecto ad cognitionem excitetur, nulla amplius specialis motio divina ponenda videtur in intellectum Angeli agens; sed solum ad obiecta praesentia constituenda.

existentiam mundi visibilis? Insuper estne omnino verum, in istis speciebus infusis habere periculum idealismi? Sane adesset, si ab alio infunderentur quam ab ipso Deo, et si tales essent, quae unicam Angelorum cognitionem constituerent. Sed istarum specierum auctor idem ipse Deus est, qui dedit et Angelis substantiam spiritualem et lucem innatam facultatis intellectivae; et vi huius facultatis per species completae Angelus ad singularia descendit, non minori certitudine obiectiva quam nos a singularibus recipimus; si tamen istae species infusae possint ad singularium cognitionem conducere. Nam in hoc est difficultas, uti inferius melius patebit.

Eodem prope modo Cl. Schell [1] impugnat theoriam scholasticam de speciebus infusis, quarum ope Angeli cognitionem sibi omnium rerum obtinent. Ait enim per hanc theoriam Angelos constitui veluti tot universa intellectualia, inter quae

[1] « Wie ist es überhaupt möglich, einen reinen Geist, der nicht schöpferische « Ursache und Erkenntnis der Dinge ausser ihm ist, mit diesen übrigen Kreaturen « in ursächlichen Zusammenhang zu bringen? Man nimmt an, der Geist könne keine « Einwirkung von einem Körper erfahren, ausser wenn er mit ihm eine Wesenseinheit « bildet, wie dies in dem einzigen Falle statthat, wo wir das Wechselverhältnis von « Geist und Körper beobachten können, beim Menschen. Allein gesetzt, dieser Satz « sei wahr und eine Einwirkung der Körperwelt auf die Engel unmöglich, wie ist « denn eine Einwirkung der reinen Geister auf die Körperwelt möglich? Durch « Denken und Wollen nicht; durch welche Kraft denn? Wie ist ferner eine Einwir- « kung des einen Geistes auf andere Geister möglich? Geist bedeutet ein Wesen, « welches die beiden Kräfte zu immanenter Thätigkeit besitzt und mit seiner Thä- « tigkeit in sich selber bleibt. Allein wie bemächtigt sich seine immanente Thätig- « keit des Wahren und Guten, welches nicht aus ihm selber erkennbar ist? Reiner « Geist ist ein Wesen, der nur auf eine fertige immanente Erkenntnis und Willens- « vollkommenheit angelegt ist, nicht aber auf ursächlichen Zusammenhang mit den « Dingen, um durch dieses Wechselverhältnis zur Vollkommenheit der Erkenntnis « zu gelangen. Denken und Wollen des reinen endlichen Geistes im abstrakten Sinne « gelangen nur zur Erkenntnis und Willensbethätigung hinsichtlich seiner selbst « und seines Seinsgrundes, Gottes. Wie soll er etwas von anderen Kreaturen wissen « können? Die thomistische Lehre nimmt an, Gott gebe den Engeln mit ihrer Erschaf- « fung eine Ideenwelt mit, welche in grösserer oder geringerer Einfachheit der Real- « welt entspreche und nach prästabilierter Harmonie zur aktuellen Erkenntnis werde, « sobald und soweit ihr Gegenstand wirklich wird. Gott dient hier als Deus ex « machina, indem er zwischen den Abgrund der Beziehungslosigkeit tritt, welcher « den reinen Geist von allen anderen Geschöpfen trennt. Dies genügt, um die Schwäche « dieser Engellehre darzuthun, welche sie zu einsamen beziehungslosen Monaden « macht. Allein wie kommen diese Geister zu einer transeunten Thätigkeit, welche « zur Anregung für andere Geister dient, oder die Zustände der Körperwelt verän- « dert? Auch hier muss Gott als Deus ex machina zur Herstellung des Zusammen- « hanges dienen, den die Hypostasierung der Begriffsabstrakta unmöglich gemacht « hat » (Op. cit. p. 175).

et mundum realem ipsis externum non datur modus commercii intellectualis. Dei enim scientia singularia quaeque attingit, quia est causalis; Angeli autem scientia hac ratione destituitur. Ergo nisi aliud cognitionis medium inducatur, aut saltem alius usus eiusdem medii superaddatur, angelica scientia nequit communicare cum rebus ab Angelo distinctis.

Equidem puto, multum in hisce assertis contineri veritatis, nisi thomistica dicta doctrina hac in re discrete exponatur, imo nonnihil compleatur.

Ut mentem nostram ratione et via evolvamus, iuvat ab exordio revocare distinctionem, quam in scientia divina superius exposuimus. Alia scilicet Dei scientia simplicis intelligentiae, alia scientia visionis. Aliquid huiusmodi induci potest, ubi de scientia angelica fit discursus. Et sane, hoc interest inter cognitionem angelicam et humanam, quod, dum nostra originem sumit a rebus externis, ac proin incipit a scientia visionis, cognitio angelica incipit a scientia simplicis intelligentiae, nisi excipias ipsam Angeli immediate intellectam essentiam.

Et sane uterque intellectionis processus multum differt, noster et angelicus. Quod sequentes considerationes breviter illustrant.

Quum Angeli per propriam essentiam ad omnia intelligenda cognitione propria moveri nequeant, possunt per aliud medium cognitiones accipere, id est, per rationes rerum cognoscendarum; quae rationes per similitudinem seu *speciem* obtinentur. Quum autem species illa deferatur ad exemplar, et omnia in sua propria existentia sint creata ad exemplar in Verbo Dei existens, sequitur, speciem immediate ab ipso Verbo exemplari acceptam et speciem immediate ab exemplato creato receptam duplex esse medium cognitionis.

Hoc interest inter utrumque, *a*) quod species immediate a Verba accepta antecedit saltem logice rem in sua propria existentia, sicuti Verbum ipsum quod est in principio; species vero immediate recepta a re creata supponit istam et sequitur.

b) Insuper species immediate accepta a Verbo, quo propius ad illud accedit, eo universalior est; dum species imme-

diate ab obiecto creato accepta, quo propius rem attingit, eo est particularior.

Conveniunt inter se, quod species immediate a re corporea accepta tunc solum intelligibilis est, quando universalis per abstractionem facta est, sicuti species superiores universalem rationem habent. Ad propriam enim intellectualem cognitionem requiritur utraque ratio, universalis et determinata: universalis, quatenus verum abstrahit ab hoc et a nunc; determinata, quatenus conducit ad hoc et hoc intelligendum.

Quum igitur duplex sit genus cognitionis per species, Deus ad harmonicum universi ordinem voluit facere duo genera spirituum intellectualium, quorum alterum uteretur speciebus a se infusis, alterum speciebus a rebus acceptis, illud excellentius, illud inferius.

Imo quum species a rebus corporeis immittantur per principia individuantia, quae materialia sunt, debuit spiritus inferiores dotare organis, quibus perciperent materialia, uniendo illos corporibus tanquam eorumdem formas. Unde non solum spiritibus prioris generis inferiores sunt; sed propter compositi unionem a perfecta ratione spiritus deficiunt.

Ex his omnibus concluditur, genus Angelorum per hoc praeeminere, quod medium cognitionis a Verbo immediate participent, et creata non prius per species ab illis acceptas, sed per species a Deo infusas cognoscant. Neque ideo imperfectiorem cognitionem habent, imo perfectius omnia, etiam materialia, percipiunt, quia magis eorum cognitio accedit ad Verbi cognitionem in Patre.

Imo ex hac maiori approximatione ad Verbum manifestum est, tum *a*) Angelorum superiorum perfectionem maiorem in hoc maxime consistere debere, quod magis ad simplicitatem divinae cognitionis accedunt, ac proin per pauciores et universaliores species omnia intelligere possunt; tum *b*) cognitionem rerum per species eo esse excellentiorem, quo per universaliores species intelliguntur. Quae proportionis lex habet suum fundamentum in ipso Deo, qui in sua simplicissima essentia videt omnia.

Hucusque dicta sunt inconcussa, si unice quaestio sit de cognitione angelica, quam diximus simplicis intelligentiae. Non autem amplius videntur tam firma, ubi quaeritur insuper

de scientia visionis; hoc est, non modo de cognitione principiorum, essentiarum, et ita porro; sed de cognitione singularium, in quantum sunt haec et illa, hic et illic.

In Deo, uti vidimus, scientia simplicis intelligentiae fit visionis per nexum causalitatis [1]; Deus enim causando videt res extra ipsum existentes [2]. Sed in Angelis iste causalis nexus deest. Unde quo magis urgetur indoles causalis scientiae divinae, eo minus videtur in tuto posita scientia rerum singularium, quas Angeli intuendo species sibi infusas acquirere possunt. Quam subtiliorem investigationem remittimus ad Quaestionem sequentem; spectat enim iam proprius ad angelicae cognitionis obiectum.

Unum in fine monemus: cognitionem, quam in Angelo diximus esse simplicis intelligentiae, non ita esse intelligendam, quasi nihil acciperet a divina scientia visionis. Nam ipsa Angeli essentia est huius visionis terminus. Sed immediate et primario per istas species obtinetur in angelica cognitione respectus scientiae simplicis intelligentiae, licet in Deo quoad multa respondeat respectui scientiae visionis.

Interim, pro illa saltem cognitione valeat propositio nostra: praeter essentiam suam, in qua omnia nequit propria cognitione intueri, Angelum habere infusas sibi rationes sive species rerum, quas intuendo eo plura et perfectius cognoscit, quo istae rationes seu species sunt universaliores ac proin pauciores.

Quot autem huiusmodi species in supremo Seraphim sint admittendae, quis unquam determinare poterit? Imo quis demonstrabit quousque iste intellectus, omnium creatorum supremus, non possit in visa sua essentia sat eminenter omnia sibi inferiora conspicere, ut aliarum specierum indigentia quasi nulla sibi supersit?

Quousque autem istae infusae rationes rerum in Angelis necessario sint admittendae, investigandum superest.

[1] Hunc nexum pertingere usque ad ipsas res singulares inclusive, est manifestum, secus nec existere possent, nec in existentia conservari. Cf. dicta de hoc argumento in tractatu *De Deo Uno,* maxime in art. 11, Quaest. XIV (T, II, p. 76).

[2] Cf. S. Thom.: « Secundum ordinem causae, universales rerum rationes sunt in « Verbo Dei » (Q. LVI, art. 3 ad 1^{m}); « Secundum quod causat, sic et cognoscit, quia « scientia eius est causa rei » (Q. LVII, art. 2. in Corp.; Cf. Q. XIV. art. 8).

Quaeres. I. - Species illae infusae rerum, suntne ita Angelis connaturales, ut ab ipsa Angelorum essentia veluti promanent, an potius liberaliter a Deo ipsis infundantur?

In duas partes abeunt Thomistae. Alii, cum Capreolo, Caietano, Bannes, Contensono, respondent affirmative; alii, cum Ferrarensi, Salmanticensibus, Cumel, Puteano, Ioanne a S. Thoma, et Goneto, - quorum sententiam probabiliorem existimant Sylvius et Billuart, - respondent modo negativo. Et sane ipse S. Thomas huic potius sententiae subscribere videtur, quando ait: « Si Deus instituisset facere plures An-« gelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligi-« biles mentibus angelicis impressisset » [1].

Equidem existimem, non tam facile esse ut huic quaesito plene respondeatur. Sane id censendum est veluti requisitum promanare ex essentia alicuius rei, sine quo essentia huius rei esset frustra, aut non sat bene esset. Repugnat enim, Deum res condere in se inordinatas. Eatenus igitur species infusae Angelis rigorose connaturales esse dicendae sunt, quatenus sine illis Angelus frustra, aut non sat bene esset quod est.

Fingamus igitur Angelum a Deo creatum, sine ulla specie infusa, non habentem scilicet nisi substantiam suam spiritualem cum facultate eidem proportionata. Fingamus insuper istum Angelum existere solum, praeter Deum. Habereturne ratio cogens ut isti Angelo infunderentur species? Iste Angelus sine speciebus cognosceret seipsum, et in seipso indirecte Deum, tanquam causam et exemplar in effectu et exemplato. Quo maioris perfectionis esset, eo plures veritates in sua ipsius essentia cognosceret. Iste Angelus sine speciebus sibi infusis iam habere videretur quidquid rigorose exigere posset, ut non solum non esset frustra, sed ut etiam in ordine suo id haberet, quod natura eius stricte exigit.

Finge iam plures alios Deum condere Angelos: oriturne ex ista angelicorum agminum creatione necessitas ut illi Angelo Deus species infundat? Sane quum isti Angeli non creati sint, ut unusquisque sibi unice vivat, oportet ut se invicem cognoscere possint, et commercio intellectuali inter se frui. Estne igitur ad hoc necessarium ut Deus Angelis infundat species? Aliis verbis, suntne Angeli incapaces ut se

[1] Q. LVI, art. 1 ad 4.

invicem cognoscant et inter se intellectuali commercio iungantur, quin species sibi infusas a Deo acceperint? Equidem nullam cogentem rationem video ad hoc affirmandum; et in argumentis huiusmodi, ubi agitur de entibus superioribus nobis, caute procedendum est in talibus affirmationibus. Quis enim determinabit feracitatem intellectus Angelici circa semetipsum operantis, et facilitatem commercii angelicorum spirituum ad invicem? Insuper, quum Angeli sint creaturae finitae, ac proin mobiles, perfectibiles, quodnam inconveniens habetur in hoc, quod Angeli ab invicem accipiant? Aliter quidem et aliter in invicem agent, secundum quod sunt superiores vel inferiores: superiores inferioribus per illuminationem communicant, quae ad perfectionem suam maiorem pertinent; de quibus inferiores vix habent quod superioribus manifestent; at de his quae pertinent ad suam personalitatem, ut talem, necnon ad suam vitalitatem intellectualem, vix minus inferiores superioribus quam superiores inferioribus habent communicanda [1].

Adde iam, Angelos ita a Creatore destinari ad visionem beatificam, ut in ipsa divinae essentiae luce omnia sine speciebus cognoscant iuxta propriae perfectionis gradum; et concludendum videtur, infusas Angelis species non fuisse Angelis necessarias, in hypothesi de universo ad creaturas spirituales limitato.

Quid iam de creatione mundi corporalis et mixti? Fertne haec secum necessitatem ut Angelis species infundantur, veluti rigorose ab Angelorum essentia manantes? Sane, modo dictum de creatura angelica sola considerata, hic valet de creatura corporali et mixta. Repugnat enim, mundum Angelorum esse ita independentem a mundo corporali et mixto, ut hunc ignoret, nec quidquam ei conferat. Id enim non sinit sapientiae lex altissima: unitas et ordinatio universi. Eatenus enim creatio mundi corporalis et mixti exigit species infundi Angelis, per quas hunc mundum cognoscere valeant et in eum agere, quatenus sine illis speciebus id nullatenus possent.

[1] Plura de hoc aspectu argumenti dicemus in prop. 2, Quaestionis sequentis, necnon infra, ubi de illuminatione et locutione Angelorum ad invicem erit investigandum (Qq. CVI, CVII).

Iam vero si consideretur, Angelos ab initio conditos esse, divinaeque visioni destinatos ab initio obtinendae, et si perpendatur, hanc visionem suppeditare medium perfectissimum, in quo mundus totus cognoscatur; sequitur, hanc solam visionem sufficere ad ea, quae Angelis necessaria sunt ad cognoscendum mundum corporalem et mixtum, quin ad species infusas sit recurrendum. Nec obiicias, daemones ab hac visione decidisse. Etiamsi consequens huius lapsus esset, daemones mundum corporalem ignorare, nihil absolute inconveniens inde sequeretur, quum non repugnet parte suae perfectionis frustrari illos, qui per culpam propriam finem sibi divinitus destinatum amisere.

Sed, seclusa hac visione divina, quae ad ordinem supernaturalem pertinet, quid dicendum?

Qui tenet, Angelos non posse cognoscere singularia corporalia et mixta accipiendo ab eis, aut agendo in ea, coguntur affirmare necessitatem, ut Deus ipse species infundat, per quas possint res corporales et mixtas cognoscere. Quae necessitas radicatur quidem in Angeli natura, quatenus Angelus, ut bene sit in universo, debet cognoscere posse, quae constituunt universum. At quatenus est cognitio de illis essentiis seu speciebus, quarum ope - in hac utique sententia - singularia cognoscuntur, si perpenditur, Deum potuisse alias essentias vel species creare, aliaque in eisdem individua, sane istae infusae species non debent dici necessariae, sed libere a Deo infusae. Ad summum dici posset, has species esse necessarias consequenter ad actum liberum Dei universum ordinantis, non autem antecedenter ad istam ordinationem.

Quaeres. II. - Esto, Angelos cognoscere alia a se, per species sibi infusas, non per species a rebus desumptas. Estne hoc ita intellligendum, ut speciebus istis non indigeant, an etiam ut huiusmodi species a rebus accipere non possint? - S. Thomas in articulo secundo huius Quaestionis utrumque affirmat; et sane plerique Thomistae huic sententiae subscribunt. Non desunt tamen qui haereant. Ut unum afferam, en quae scribit Billuart: « Nulla videtur implicantia quod « Deus tribuat intellectui Angeli vim similem nostro intel- « lectui agenti, qui phantasmata in hominis phantasia exi-

« stentia expurget, et species ex illis intelligibiles abstrahat ». Sed de hoc dicemus fusius, ubi de singularium cognitione angelica inquiremus. Ibi etiam investigabimus, utrum haec Angelorum cognitio abstrahat ab obiectorum distantia, necne.

II. - Ad Textum S. Thomae.

Art. I. - « *Utrum Angeli cognoscant omnia per suam sub-* « *stantiam* ».

1. Obi. Confundit modum cognitionis cum cognitionis medio.

2. Obi. Procedit ex falsa intellectione allati axiomatis. In Angelis idem est intellectus et id quod intelligitur, quatenus in intellectionis actu intellectum coniungitur cum intellectu. Utrum autem medium huius intellectionis sit Angeli substantia, an species, remanet investigandum. Erit substantia in Angelo intelligente seipsum. Utrum pro omnibus rebus intellectis hoc praestare possit Angeli substantia, sive intellectus substantiam propriam intelligens, en quaestio, quam allatum effatum per se solvere nequit.

3. Obi. Haec obiectio longe melior est; imo valet ad demonstrandum, essentiam intellectam Angeli suppeditare aliqualem omnium rerum intellectionem, inferiorum sibi per relationem eminentiae, superiorum per modum participationis. Sed non sufficit ad demonstrandum quomodo suppeditet omnium rerum cognitionem propriam.

Sed contra est. Textus hic allatus valet quidem ad illustrandum quomodo Angeli propriam essentiarum intellectionem accipiant per species sibi infusas, non autem quomodo per has species omnes res existentes, ut tales, cognoscere possint.

In Corpore. En hoc argumentum schemate contractum:

Quum id quo intellectus intelligit, sit veluti forma eius,
- 1) quemadmodum in compositis ex materia et forma, nulla est forma quae actuet plenam universalem potentiam materiae;
- 2) ita in Angelis
  - quum *a*) intellectus sit potentia ad omne verum, et
  - *b*) substantia angelica non contineat omne ens (nisi modo imperfecto),
  - *c*) requiruntur insuper quaedam formae, seu species, quibus Angelus omnia intelligere possit.

Art. II. - « *Utrum Angeli intelligant per species a rebus « acceptas* ».

Obi. 1. - Procedit ex imperfecto dilemmate. Etenim inter haec duo: similitudinem causam rei, et similitudinem causatam a re, datur medium: similitudo illius, quod est causa rei. Quousque autem ista similitudo illius, in quantum est causa rei, possit sufficere ad attingenda singularia causata, mox penitius inquiremus.

Obi. 2. Imperfecte incedit. Si valeret haec obiectio demonstraret, etiam Angelos comedere posse, quia potentiores sunt homine, qui hoc potest. Sane si abstractio per phantasma supponit necessario compositum ex anima et corpore, Angelus, utpote spiritus purus, ita abstrahere nequit. S. Thomas reponit dupliciter: *a*) Angelus nequit ita abstrahere, quia est spiritus purus. - *b*) Etiamsi posset, non faceret, quia habet species infusas. De utraque huius responsionis parte sermo inferius redibit.

Obi. 3. - Est veluti instantia, tum relate ad tertium membrum adiunctum dilemmati obi. primae, tum quoad secundam responsionem datam obi. secundae. S. Thomas concedit simpliciter minorem; at negat consequens. Quo iure, mox investigabimus.

In Corpore. Solet hic adduci auctoritas S. Augustini. Et sane hic magnus Doctor in libro *de Genesi ad litteram* sublimia habet de modo quo Angeli per participatam lucem Verbi cognoscunt res antequam sint in ipsis rebus. Tres enim gradus processionis lucis divinae distinguit Augustinus. Primus est in ipso sinu Trinitatis: est processus Luminis de Lumine; processus generationis, non effectionis. Secundus est productio lucis angelicae: « Fiat lux, et facta est lux »; processus non generationis, sed effectionis, at intellectualis. Tertius est ipsa creatio rerum in suis distinctionibus. « Quapropter, ita ille, lucis conditio prius est in Verbo Dei « secundum rationem, qua condita est, hoc est in coaeterna « Patris Sapientia; ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam, qua condita est: illic non facta, sed genita; « hic vero facta, quia ex informitate formata: et ideo dixit « Deus: " Fiat lux, et facta est lux "; ut quod ibi erat in « Verbo, hic esset in opere. Conditio vero caeli prius erat

« in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam; deinde facta « est in creatura spirituali, hoc est, in cognitione Angelo- « rum secundum creatam in illis sapientiam; deinde caelum « factum est, ut esset etiam ipsa caeli creatura in genere « proprio » [1]. Qua ex interpretatione Augustini, ab exegesi huius loci Geneseos veluti orta, nondum sequitur, utrum illa lux angelica anterior ipsis rebus in se existentibus sit ratio generalis rerum per species universaliores, an ipsa insuper singularium cognitio.

Imo qui potuisset Augustinus negare in Angelis cognitionem etiam a rebus acceptam, quippe qui de pura spiritualitate Angelorum dubitabat? Audiantur haec verba sequentia: « Neque enim sicut pecora, *solo* sensu corporis, vident An- « geli haec sensibilia; sed, *si quo sensu tali utuntur,* agno- « scunt ea *potius,* quae *melius* noverunt interius in ipso Dei « Verbo, a quo illuminantur, ut sapienter vivant » [2].

Sane tota Augustini doctrina de cognitione vespertina et matutina Angelorum eo tendit, ut duplex in Angelis ponatur cognitionis medium: creatura et illuminatio Verbi.

Imo, si penitius mens Augustini investigatur, ratio huius illuminationis petenda est, non a speciebus Angelis ab origine infusis, sed a contemplatione divinae essentiae. « Quem- « admodum ergo ratio, qua creatura conditur, prior est in « Verbo Dei, quam ipsa creatura, quae conditur; sic et eius- « dem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, *quae* « *peccato tenebrata non est,* ac deinde ipsa conditio crea- « turae ». Cur excluderentur angeli mali, si Augustinus intelligeret lucem per species infusas, quasi naturae angelicae necessario addendas, ne alia a se cognoscere non possent? Nam Thomistae passim tenent has species in mente Angelorum ante lapsum infusas, nec per lapsum a daemonibus amissas. Pergit Augustinus: « Neque enim sicut nos ad perci- « piendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei, « per ea quae facta sunt, intellecta conspicerent [3], qui ex quo « creati sunt, *ipsa Verbi aeternitate sancta et pia contempla-* « *tione* perfruuntur, atque inde ista despicientes, secundum

[1] *De Gen. ad litt.* l. II, c. 8, n. 16. — *P. L.* XXXIV, 269.
[2] Ibid. n. 17.
[3] ROM. I, 20.

« id quod intus vident, vel recte facta approbant, vel pec-
« cata improbant » [1]. Eatenus ergo Angeli omnia cognoscunt in luce Dei, quatenus a Deo ipso illustrantur. « Neque enim « intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset ». Quae cognitio antecedit ipsas res: « Prius Deus ostendebat, « quod erat deinceps creaturus » [2].

Ex dictis apparet, S. Augustinum admittere quidem in Angelis bonis illam cognitionem rerum per lucem sibi a luce divina participatam; at per hanc lucem intelligit ipsam lucem visionis beatificae, non autem species malis aeque et bonis Angelis connaturaliter infusas. Neque negat Augustinus, Angelos singularia insuper cognoscere intuendo ipsas res. Ergo sine solido fundamento in praesenti quaestione ad Augustini autoritatem provocant quotquot sententiae S. Thomae adhaerent.

A fortiori non debent haberi tanquam demonstrativa in hoc argumento verba prophetae Ezechielis ad regem Tyri, et per hunc symbolice ad angelum lapsum: « Tu signacu-
« lum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore...
« Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae... » [3]. Nam etiamsi haec essent diserte de angelo lapso dicta, adhuc quaestio remanet de ratione [4] huius signaculi et de modo huius perfectionis. Quod eo magis est verum, quod, licet ex his verbis possent demonstrari in Angelis infusae ab initio species non solum universales, sed etiam tales in quibus singularia cognoscere potuerint, adhuc integra remaneret quaestio, utrum Angeli, praeter has species, singularia in ipsis rebus cognoscere possint. Nam unum et idem pluribus modis cognosci posse, patet ex hoc, quod Deus singula creata cognoscit tripliciter: ut possibilia in sua scientia simplicis intelligentiae, ut realia in suis decretis, et in sua scientia causali ipsum terminum inclusive attingente.

At in hoc ultimo non conveniunt theologi; imo non desunt qui, cum S. Bonaventura, hanc veluti duplicationem reiiciant.

[1] Ibid. col. 269, sq.

[2] Ibid. n. 18, col. 270.

[3] Cap. XXVIII, 12, 15.

[4] Mirôr inde, tot theologos, uti e recentissimis Cl. Paquet (hoc loco), ex hisce verbis simpliciter arguere, ac si essent plane demonstrativa.

In Corpore. Doctrina S. Th. hoc schemate contrahi potest.

- **Angelos non intelligere per species a rebus acceptas,** probatur
  - I. ex *ordine* substantiarum spiritualium:
    - 1) sicuti in corporalibus
      - *a*) ordo inferior non totaliter perficitur per formam,
      - *b*) superior vero habet formam perfectam;
    - 2) ita in substantiis spiritualibus
      - *a*) gradus inferior, qui est homo, non habet potentiam intellectivam in se perfectam,
      - *b*) gradum autem superiorem habere talem formam, decet.
  - II. ex *modo essendi* substantiarum spiritualium:
    - 1) animae, utpote formae corporum, perficiuntur per influxum a corporibus acceptum, ne haec frustra sint (cf. obi. 2.);
    - 2) puri spiritus, corporibus expertes, perficiantur oportet immediate et per influxum spiritus supremi (cf. obi. 1.).

Duae partes argumenti S. Thomae respondent duplici quaestioni: utrum homines intelligant per species a rebus acceptas, quia corporibus uniuntur; an potius e contra ideo corporibus uniantur, ut ita intelligant.

Prima pars argumenti, ex ordine universi petita, secundum nexum statuit; altera, ex facto unionis petita, ad primum nexum recurrit. Neque ideo est circulatio, sed una pars est demonstratio a priori, altera a posteriori.

De utraque parte huius argumenti Card. Toletus sat audacter scribit: « Neutra ratio convincit; idque bene sciebat « S. Thomas ».

Equidem fateor, me in hoc argumento non invenire vim probantem, sed ad summum suasivam. Dico ad summum: nam, quum argumentatio procedat ex lege harmoniae gradationis, quae debet esse inter entia spiritualia sicuti est in corporalibus; quaenam virtus, quaeso, ex hoc fonte remanet argumento, si quae affertur gradatio de rebus corporalibus, nonnisi falsae hypothesi scientificae innitatur? Theoria enim scholastica de plena informatione, ac proin de incorruptibilitate corporum caelestium non est nisi fictio sine reali fundamento. Quare deficit prior pars argumenti.

Maiorem sane virtutem habet pars altera, petita a diversa constitutione hominis et Angeli. At nescio, utrum et hic adsit plenus demonstrativus rigor. Equidem ex hoc, quod homo compositus est ex anima et corpore, concluditur iure, homi-

nem per sensus a rebus accipere, ne corpus sit frustra. Imo ex eo quod Angeli sunt spiritus puri, iure concluditur, Angelos quoad ipsum cognitionis modum ab homine differre. At quaestio remanet, utrum haec differentia tanta esse debeat, ut Angelus non solum non debeat, sed neque possit quoad cognitionem accipere a rebus, aut saltem se applicare rebus. Et sane distinguendum esset inter res spirituales et res corporales. Sed haec omnia magis elucidabuntur in Quaestione sequenti.

Ad Art. III. - « *Utrum superiores Angeli intelligant per species magis universales, quam inferiores* ».

Obiectiones procedunt, secunda a perfectione, quatenus cognitio per universalius est minus perfecta; prima et tertia ab impossibilitate, quatenus universale dari non potest, nisi per abstractionem a particularibus, nec in universali potest proprie cognosci particulare, singulare.

Obi. 1. Falso incedit, ac si non detur universale ante res existens, idque dupliciter, ordine causae in Deo, et ordine naturae in Angelis.

Obi. 2. Confundit universale ex parte rei cognitae, cum universali ex parte medii; prius est imperfectius cognitione speciali; aliud vero non, imo est perfectius.

Obi. 3. Confundit propriam rationem adaequatam, cum propria ratione excellentiae, quae, quo est excellentior, plurium ratio esse potest; unde sola et una essentia Dei continet in se rationem propriam omnium rerum.

Adverte sedulo, hanc obiectionem ita procedere, ut, si valeret, non solum demonstraret falsitatem theseos, sed in cognitione Angelorum non admitteret rationes plus minusve universales rerum, nisi ad cognitionem speculativam essentiarum, non autem ad cognitionem singularium. Haec obiectio, sub isto ultimo respectu, potior est habenda. Recurret ponderanda eius virtus, ubi de angelica cognitione singularium disputabimus [1].

In Corpore. Auctoritates hic allatae quousque in praesenti argumento valeant, caute distinguendum est, ne, quae

[1] Interim lege Billuart de hoc articulo iuxta Thomistarum mentem pulchre disputantem. In oppositum iuxta Scotum arguentem consule inter alios Card. Toletum.

directe de speculativis formis dicuntur, ad singularium cognitionem nimis facile extendantur.

In Corpore. En schema doctrinae huius articuli.

- Superiores Angelos per species magis universales cognoscere,
  - I. *probatur* ex ipsa *approximatione* ad Deum:
    - *a*) Deus omnia cognoscit per unum, per propriam scilicet essentiam, quae universalissime cuncta continet;
    - *b*) quare quo propinquius ens Deo, eo per pauciora et universaliora cognoscit.
  - II. *suadetur* ex *experientia* ipsius humani intellectus:
    - *a*) quo maiori quis gaudet virtute intellectiva, eo plura per universaliora intelligit;
    - *b*) quo minori, eo magis ad singularia descendere indiget.
  - III. *illustratur* per ipsam *analysim* huius maioris universalitatis:
    - 1) est universale (obi. 2)
      - *a*) non ex parte rei cognitae (v. gr. genus),
      - *b*) sed ex parte medii cognitionis;
    - 2) est universale (obi. 1)
      - *a*) non a rebus accipiens (sicuti nostra abstractio),
      - *b*) sed ante res existens:
        - α) non quidem ordine causae,
        - β) sed ordine naturae.
    - 3) est universalium (obi. 3).
      - *a*) non ratio adaequata (quae non est nisi una unius);
      - *b*) sed ratio excellens, quae, quo magis excellit, eo plurium rationem continet.

Comparatio in fine Corporis a S. Thoma adducta valet quidem de cognitione speculativa principiorum et conclusionum seu veritatum in eisdem contentarum; non autem de cognitione singularium realiter existentium. Iam vero ibi est difficultas seu vis. Inde enim a doctrina S. Thomae recedit in hoc Scotus, qui negat per huiusmodi species universaliores Angelorum intellectui infusas proprie cognosci posse singularia concrete existentia.

Brevissimam Synopsim et heic omittimus ob rationem in fine praecedentis Quaestionis allatam.

CAPUT III.

DE OBIECTO COGNITIONIS ANGELICAE.

Quum res cognoscendae distinguantur in res immateriales et materiales, hoc ordine investigatio procedat oportet.

A) DE COGNITIONE ANGELORUM A PARTE RERUM IMMATERIALIUM.

QUAESTIO LVI.

Res immateriales hic maxime considerantur quoad substantias, iuxta hoc schema:

Quaeritur, utrum Angelus cognoscat
- 1) Angelum:
  - *a)* seipsum (a. 1),
  - *b)* alium (a. 2);
- 2) Deum, et quidem per sua naturalia (a. 3).

De quo triplici obiecto per totidem propositiones agemus breviter, quum in praecedentis Quaestionis analysi iam nonnulla ad praesens argumentum spectantia praeoccupata sint.

Prop. I. - *Angelus cognoscit se, et quidem per suam essentiam, sine aliqua specie distincta.*

Prima pars huius propositionis, Angelum scilicet cognoscere seipsum, a nemine in dubium vocatur, qui admittit substantiam angelicam spiritualem ac proin intellectivam. Et sane, anima nostra seipsam aliqualiter cognoscit; ergo a fortiori seipsum Angelus. Insuper quid monstruosius esset spiritu intellectuali alia cognoscente, seipso excluso? Nec ulla fingi posset intellectualis facultas, quae circa propriam substantiam nihil valeret. Ergo Angelus cognoscit seipsum.

Sed superest investigandus modus, quo Angelus seipsum cognoscit.

Hic autem quatuor modi possibiles sunt, ut Angelus seipsum cognoscat: 1) in essentia divina, 2) per habitum infusum, 3) per speciem congenitam, 4) per propriam essentiam sine specie.

1) Primum non debet excludi, sed, uti iam diximus, et in tertia conclusione magis illustrabitur, iste modus superat cognitionem naturalem, de qua hic investigamus.

2) Secundum modum tenet Henricus [1]. Motus enim per hoc, quod universale in ordine cognitionis praecedit singulare, putat, Angelum se primo cognoscere in universaliori habitu sibi infuso. Sed in tuenda sententia quarta videbimus, nullum ibi inesse inconveniens, quod Angelus in sua singulari essentia cognoscat semetipsum.

3) Marsilius [2] putat, saltem requiri infusam speciem, ut Angelus seipsum cognoscat. Sane haec species non repugnat; sed non est ponenda, nisi ipsa essentia non id praestare possit, quod species praestare solet. Iam vero non apparet ratio cur Angeli essentia, utpote spiritualis et semper intus praesens, id praestare non posset.

4) Vera igitur sententia, quam simul propugnant S. Thomas et Scotus, docet, Angelum immediate in sua essentia intelligere seipsum. Et sane ut negaretur, Angelum seipsum immediate per propriam essentiam cognoscere, deberet constare talis cognitionis impossibilitas. Iam vero haec impossibilitas ostendi nequit. Imo possibilitas illustrari potest ex ipso modo, quo Deus seipsum immediate intuetur.

Nec obiiciatur essentiae angelicae particularitas. Nam haec non obest cognitioni, nisi in his, in quibus haec particularitas seu singularitas procedit a materia. Et sane quid magis singulare quam ipsa essentia Dei?

Nec obiiciatur motus, qui admiscetur cognitioni intellectuali, quatenus repugnat aliquem moveri a seipso. Nam intellectus Angelicus est semper in actu quoad intellectionem suipsius; nec repugnaret, Angeli facultatem intellectivam moveri ab Angeli substantia intelligenda.

Nec obiiciatur demum Angeli substantialitas. Indifferens enim est ad intellectionem, quod forma, per quam intellectus intelligit, sit inhaerens vel subsistens. Inhaerens utique est species; at subsistens est Angeli natura; sicuti subsistens est essentia divina, quam Deus immediate intuetur.

[1] *Quodlib.* v, q. 14.
[2] II, q. VII, art. 1.

Conclude ex his, magnam esse perfectionem Angeli quod seipsum immediate intelligat, et in hac perfectione consistere in Angelo imaginem Dei excellentiorem quam in homine. Multum tamen differt haec cognitio immediata, quam habet Angelus suipsius, a cognitione Dei de seipso. In Deo enim haec cognitio est ipsa subsistens aeterna essentia Deo, quia in Deo re sunt unum essentia, intellectus et intelligere. In Angelo est actus, immanens quidem, at tum ab intellectu, tum ab essentia realiter distinctus. Angelus enim seipsum intelligit per verbum mentis, quod intellectus immediate circa essentiam operando efformat ac veluti dicit. Nec videtur ipsa Angeli essentia vices huius verbi mentalis gerere posse. « Quicumque intelligit, ait S. Thomas, ex hoc ipso quod in- « telligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei « intellectae, ex vi intellectiva proveniens, et ex eius notitia « procedens » [1].

Prop. II. - *Angeli se cognoscunt ad invicem.*

Veritas huius propositionis manifesta est a priori. Quid enim monstruosius esset agminibus istis caelestibus, quorum singuli spiritus nonnisi seipsos cognoscerent, non alios?

Illustrandum est autem factum, et investigandus modus.

1) Factum aperte ex Scripturis constat. Isaias audivit Seraphim clamantes alterum ad alterum [2]. Apud Zachariam unus Angelus dicit ad alterum: « Loquere ad puerum istum » [3]. In Apocalypsi Angelus unus describitur loquens quatuor Angelis [4]. Imo quotiescumque plures Angeli unum ministerium complent, v. gr., apparentes Abrahamo in valle Mambre, concinentes Christo nato, servientes Iesu in deserto, sedentes ad sepulchrum Salvatoris redivivi, descendentes ad discipulos dum Christus triumphator caelos penetraret, etc., toties implicite probantur Angeli se cognoscere ad invicem.

Quae cognitio pari ratione tribuenda est daemonibus, uti patet ex verbis parabolae: « Cum immundus spiritus exie-

[1] Q. XXVII, art. 1. — Lege Sylvium hoc loco. — Cf. *Summ. ctr. Gentes*. l. IV, c. 11: « Licet intentio intellectualis sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio « intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere et esse ».

[2] Is. VI, 3.

[3] ZACH. II, 4.

[4] APOC. VII, 2.

« rit, etc., assumit septem alios spiritus nequiores se, et « ingressi habitant ibi » [1]. Unde et alibi una voce rogabant, ne in abyssum mitterentur [2]; et pluries apparent unum opus simul complentes, et inter se contra salutem hominem conspirantes.

2) Quaeritur autem de modo, quo Angeli se cognoscunt ad invicem.

Sufficit quidem ad hanc cognitionem visio beatifica. Sed haec solutio spectat ad ordinem gratiae, et non potest extendi ad daemones.

Propria natura, quam, uti in propositione praecedenti vidimus, Angelus immediate intuetur, suppeditat quidam per se fundamentum similitudinis, ut alios quoque Angelos in semetipso cognoscat. Ad propriam autem aliorum singularium cognitionem, eo minus sufficit, quo magis urgetur inter singulos Angelos distinctio specifica. Nec potest ullo modo admitti sententia, quae tenet, Angelos se cognoscere alius alium, ut effectum vel causam, secundum quod est superior vel inferior. Angelorum enim causa non est nisi Deus.

Passim cum Thomistis docent theologi, Angelos cognoscere alios a se per species sibi a Deo infusas. Quid de hac sententia nobis videatur, iam ex praehabitis patet. Sane potest Deus infundere singulis Angelis species sufficientes, per quas cognoscant tot naturas angelicas cum suis gradibus, vel tot species angelicas, quot sunt re vera Angeli existentes. Sed quaestio superest duplex: *a*) utrum haec specierum infusio sit sufficiens ad cognitionem singularium Angelorum; ita ut, v. gr., per has species Archangelus Raphaël, non solum cognoscat determinatas naturas angelicas, quae respondeant perfectioni Archangelorum Michaëlis et Gabrielis, sed cognoscat insuper hos singulares Archangelos Michaëlem et Gabrielem, uti sunt hic et ille in sua singulari realitate. Hanc quaestionem iuxta promissa investigabimus in art. 2. Quaestionis sequentis.

b) Nec satis. Dato et non concesso, quod haec infusa species sufficiat ad singularem cognitionem suppeditandam, superest quaestio, utrum Angelus non possit acquirere cognitio-

[1] Luc. xi, 26.
[2] Ibid. viii, 3.

nem aliorum Angelorum nisi per has sibi species divinitus infusas. Fateor, me nullam videre rationem sufficientem ad hoc excludendum. Et sane, - quod inferius data opera exponetur, - Angeli utuntur inter se commercio locutionis et illuminationis. Cur primum et fundamentale huius commercii argumentum non posset esse manifestatio propriae hypostaseos angelicae? Quam manifestationem perfecte acciperet superior ab inferiore, imperfecte autem inferior a superiore, unusquisque iuxta harmoniam proprii gradus. Actio scilicet Angelorum ad invicem nihil habet quod angelicam spiritualem aut dignitatem offendat. Sunt quidem spiritus, at limitati; sunt quidem semper in actu, at non actus purus; immanenter quidem agunt dum intelligunt et volunt, seu amant, at non ita est urgenda haec immanentia, quasi nihil agere possent in ea, quae sunt externa sibi. Secus, quomodo inter se gauderent commercio intellectuali, quomodo possent se localiter movere, applicando suam virtutem rebus corporalibus sibi externis? [1].

Propter has rationes non video, cur Angeli non possent manifestare semetipsos aliis Angelis; ita ut unus Angelus cognoscat alium, non quia infusam sibi a Deo habet huius

[1] Placet hic rursus afferre verba Cl. SCHELL: « Folglich ist die geistige Vollkommenheit, welche im actus secundus des Erkenntnis-und Willensvermögens besteht, « das Ergebnis des Zusammenwirkens von Geist und Wahrheit, von subjektiver « Fähigkeit und objektiver Thatsächlichkeit — sei sie geistig oder körperlich. Die « Wesensbeschaffenheit, deren der geschaffene und bedingte Geist bedarf, um mit « der Welt des Erkennbaren und Begehrbaren in Zusammenhang zu kommen, und « kraft dieser Wechselbeziehung zur Vollkommenheit des Ganzen beizutragen, sowie « die eigene Vollkommenheit zu erreichen, ist unter jenes unsichtbaren Leiblichkeit « zu verstehen, welche den Engeln zugeschrieben wird. Sie bedeutet nichts anderes « als: die Engel seien nicht Wesen für sich, sondern dem Zusammenhang des einen « Weltalls angehörig, auf diesen Zusammenhang angewiesen; jedoch nicht wie der « Mensch und die Körper um ihres Wesensbestandes willen, sondern nur zur Ent- « wicklung ihrer Lebensthätigkeit und Kraftvollkommenheit. Nicht bloss die Engel « sind von Bedeutung für die Gesamtwelt und ihr Zielgut, sondern auch der Weltzu- « sammenhang für die Engel und ihr Geistleben. Hingegen sind sie die relativ selb- « ständigsten Geschöpfe; sie sind von grösserer Bedeutung für die niedere Welt, « als diese für sie; — obgleich wir nicht viel über die Abhängigkeit der materiellen « Weltgestaltung und Weltentwicklung von ihnen wissen. Die Geistigkeit der Engel « ist eine reine, insofern sie in keinen Prozess der Wesensgestaltung hineingezogen « ist; sie ist jedoch keine absolute, weil sie auf den ursächlichen Zusammenhang « mit den übrigen Geschöpfen um ihrer eigenen Erkenntnis-und Willensvollkom- « menheit willen angewiesen ist, und nicht erhaben ist über die Kategorie des Rau- « mes, noch der Zeit ». (Op. cit. p. 177).

Angeli speciem, sed quia alius alium intellectuali commercio invicem intuetur, perfectius quidem et imperfectius, iuxta quem unusquisque in angelica hierarchia gradum occupat.

Ad hoc commercium explicandam nullatenus requiritur ut unus Angelus substantialiter illabatur alteri; sed satis est ut applicando ad invicem suam intellectualem virtutem, sicuti cognoscibiles sunt in se, ita per acquisitas species iuxta gradum uniuscuiusque cognoscentis ab aliis cognoscantur.

Ex dictis patet, quid censeamus de argumento in hac quaestione afferri solito, quod Sylvius ita exponit: « Si autem « de modo huius cognitionis » (qua scilicet Angelus cognoscit alium) « quaeritur, cum S. Thoma [1], plerique respondent quod « alius alium non cognoscit per essentiam suam, neque per « essentiam alterius, sed per speciem a Deo impressam. Non « primo modo, quia substantia cognoscentis non est omnino » similis alteri; non secundo modo, quia essentia eius qui » cognoscitur, non est secundum se unita alteri, nec potest « ei secundum se illabi » [2]. Et pergit illustrando tertium. In secunda parte secundi membri argumentum non videtur nobis esse omnino stringens.

Et sane ipse Sylvius verbis immediate praecedentibus fundamentum sententiae nostrae suppeditat: « Omnis potentia « potest attingere obiectum sibi proportionatum: sed omnis « Angelus est obiectum proportionatum respectu intellectus « alterius, cum sit immaterialis et naturalem universi per- « fectionem spectet, ideoque sit res eiusdem ordinis in ratione « intelligibilium ». Et re quidem vera, si Angelus nequit cognoscere alterum, nisi Deus ei infundat speciem alterius, nonne valde infirmatur hoc principium: « omnis Angelus est « obiectum proportionatum respectu intellectus alterius? ».

Si autem penitius investigatur modus, quo haec mutua cognitio vicissim accepta sit intelligenda, non censeo probabilem sententiam Vasquezii, qui putat, alium Angelum cognoscere alium sine concursu obiecti, nec per ipsum obiectum, nec per speciem; neque placet sententia Ockam, Bassolis etc., qui existimant, Angelum unum cognoscere alium per essentiam Angeli intellecti. Sed censeo, cum Scoto, sim-

[1] Hoc loco et *Ctr. gent.* l. II, c. 98; *De verit.* q. 8, art. 7.

[2] Hoc loco.

pliciter dicendum esse, unum Angelum cognoscere alium per speciem, qua reddit sibi alium intellectualiter praesentem.

Nec videtur magnam habere virtutem difficultas, quam per dilemma opponit, inter alios, in hac quaestione sententiae S. Thomae addictissimus Suarez [1]. Ait enim illas species sui in aliis Angelos producere debere vel naturali quadam necessitate, vel libere; unde pergit ostendendo inconveniens utriusque membri [2]. Sed si Deus ita ordinavit Angelos ut se alii alios directe cognoscerent, repugnat ut per huiusmodi dilemma talis possibilitas destruatur. Neque simpliciter verum est, Angelum habere maius dominium in suam essentiam quam in suos actus. Caeterum, quum Angeli a Deo conditi sint ordinatissimi, quaenam ratio induci posset ad negandum in eis optimam voluntatem, qua sese manifestarent ad invicem, si talis fuerit Dei de ipsis intentio; imo independenter ab huiusmodi intentione divina, ex ordinatione insita unius ad alterum, quae ipsis esse debet connaturalis. Quare ostendatur directe, si fieri potest, impossibilitas huius mutui commercii; at non impugnetur hoc commercium per similes rationes indirectas, quae non habent nisi valorem apparentem.

Hinc S. Bonaventura simpliciter concedit possibilitatem huius commercii angelici, cuius fructus sit manifestatio sui ipsius [3]; licet ipse medium quamdam sententiam teneat, quam in prop. II Q. LVI exponemus.

Et haec satis sint de hac quaestione sat absconsa, in qua censeo prudentius esse, ut non facile Angelis derogetur facultas se invicem per mutuum intellectuale commercium cognoscendi.

Quid influat haec doctrina in modum considerandi in Angelis intellectum agentem et possibilem, ibidem ostendemus.

[1] Thomistas nominare, qui in praesenti argumento Aquinatem sequuntur, supervacaneum est: a Ferrariensi et Caietano ad nostra usque tempora numerosam catervam efformant.

[2] Op. cit. l. II, c. 5.

[3] En verba S. Doctoris: « Est tertia positio, quod Angelus omnia cognoscit per « species innatas, *non quia non possit recipere species;* — tunc enim si Deus crea- « ret aliquid novum in specie, necesse esset Angelum ignorare; quod si falsum est, « potest recipere. — Et ideo haec non est ratio.... » *(II Sent. Dist. III,* p. 2, a. 2, q. 1 in corp.) Videbimus mox, quomodo S. Thomas depellat rationem hic a S. Bonaventura allatam.

Prop. III. - *Angeli per sua naturalia, suam imprimis naturam intuendo, possunt Deum aliqualiter cognoscere uti causam in effectibus et exemplar in exemplatis, non autem ipsam Dei essentiam videre.*

Post ea quae hucusque dicta sunt, et quae in tractatu *De Deo Uno* fuse ostendimus, disputantes de modo, quo Deus a creatura intellectuali cognoscitur [1], hanc propositionem tertiam paucis contrahere licet. Vidimus ibi, tantam esse divinae essentiae supereminentiam, ut non solum nulli creaturae existenti, sed neque possibili visio huius essentiae sit dicenda naturalis. Pertinet quippe ad ordinem gratiae; imo est huius ordinis supremus apex atque triumphus.

Remanet igitur ut Angelo per sua naturalia concedatur Dei cognitio inferioris ordinis. Hic autem dantur plures gradus, tum quoad certitudinis claritatem, tum quoad medii perfectionem.

1) Quoad claritatem certitudinis *a*) primus gradus, incipiendo ab inferiori, est cognitio, quae possit quidem a mente bene ordinata acquiri, at non habeat tantum splendorem, qui non possit recusari. Talis est nostra naturalis de Deo cognitio, quemadmodum fuse alibi ostendimus, nec est heic iterandum.

b) Superior gradus est cognitio, quae propter nimiam certitudinem cogat assensum. Talis est cognitio, quam de Deo habent Angeli. Nulla enim nec mentis debilitate, nec voluntatis passione, nec inferiori appetitu impediebantur, quominus ab ipso initio suae existentiae cognoscerent Deum; imo nec lapsus, nec irreparabilis a beatitudine deiectio, hanc certitudinem in intellectu daemonum obnubilare potuerunt. Nihil enim fingeretur absurdius daemone per lapsum atheo facto. « Tu credis, ait S. Iacobus, quoniam unus est Deus: bene « facis: et daemones credunt et contremiscunt » [2].

2) Ratio autem indelebilis certitudinis, qua Angeli Deum agnoscunt, petitur, praeter conditionem eorumdem naturae, a perfectiori medio quo eum attingunt. *a*) Homo non intuetur Deum in propria anima, quippe quam nec directe cognoscit. Unde oportet ut ab effectibus ad causam, ab exemplato ad exemplar discursus ope assurgat; in quo ascensu impeditur

[1] Q. XII, praesertim art. 1.
[2] IAC. II, 19.

a concupiscentia sensuum, depravatione cordis, a tarditate mentis, a fascinatione nugacitatis; ita ut, si in operibus agnoscat Opificem, de ipso adhuc Opifice multipliciter possit errare.

b) Non ita intellectus angelicus. Angelus enim immediate propriam substantiam intuens, in hac substantia agnoscit rationem effectionis et imaginis; unde in Deum assurgit summam causam, summumque exemplar. Quam agnitionem corroborant simul et illustrant, quotquot infusas species superne accepit, vel quidquid, - iuxta doctrinam superius expositam et mox magis illustrandam, - acquirit per mutuum angelicum commercium et per applicationem suae virtutis intellectualis et volitivae ad res a Deo in universo conditas.

Quo magis urgetur cognitionis elementum per propriam Angeli activitatem acquisitum, eo magis, quantum ad hoc, angelica cognitio participat rationem specularem nostrae cognitionis de Deo. At etiam cognitio, quam de Deo Angelus habet intuendo propriam suam substantiam, specularis dicenda est, quatenus ipsam essentiam suam Angelus agnoscit veluti speculum, in quo propter rationem similitudinis intuetur irradiationem splendoris Dei.

II. - Ad Textum S. Thomae.

Ad Art. I. - « *Utrum Angelus cognoscat seipsum* ».

1. Obi. Procedit a falsa versione sententiae Dionysii.

2. Obi. Erronee arguit, ac si simpliciter verum esset, nullum singulare esse intelligibile; quod inde iam ostenditur falsum, quod Deus intelligit seipsum. Eatenus scilicet τὸ singulare obest intelligibilitati, quatenus in rebus corporeis provenit a materia, quae, ut talis, non est intelligibilis.

3. Obi. Dupliciter peccat: *a*) arguit ac si, quoad propriae essentiae intellectionem, Angelus non esset semper in actu; *b*) confundit motum operationis intellectualis cum motu rerum corporalium.

Sed contra est. En verba S. Augustini: « Non primo cognovit rationalis creatura formationem suam ac deinde « formata est; sed in ipsa sua conformatione cognovit, hoc

« est illustratione veritatis, ad quam conversa formata est » [1]. Quae verba iam continent doctrinam art. tertii. Augustinus ad intelligendas per hanc lucem angelicas omnes virtutes, inde, inter alia, movetur quod textus sacer de hac prima creatione non habet illam repetitionem, quae postea occurrit. Quae repetitio heic non requiritur, imo quasi repugnaret, quia Angeli simul, dum creantur, lucent, seipsos intelligendo; non lucent antequam sint, quasi intelligendo se futuros.

In Corpore. En schema doctrinae hic expositae.

Angelus cognoscit seipsum per suam formam:

1) ad actum cognitionis, utpote immanentem, requiritur ut obiectum sit actu praesens facultati cognoscitivae;
2) quod autem fiat praesens per speciem, non requiritur, nisi quatenus facultas cognoscitiva indiget excitari de potentia in actum;
3) nec interest, ut cognitio habeatur, utrum sit forma inhaerens an subsistens;
4) ergo Angelus (quum ex una parte facultas eius cognoscitiva sit in actu, ex altera parte forma eius, ut subsistens, sit cognoscibilis actu), cognitionem sui ipsius obtinet per propriam formam.

Ad Art. II. - « *Utrum unus Angelus alium cognoscat* ».

1. Obi. S. Thomas difficultatem depellit recurrendo ad differentiam, quam inter Angelos urget usque ad specificam. At valetne ista solutio quoad id genericum, in quo Angeli conveniunt? Multum hic insudare solent interpretes Aristotelis et Aquinatis, uti, v. gr., ex Caietano in hoc loco patet [2].

Solutio difficultatis mihi magis placet, si dicatur, axioma « recipiens debet denudari a natura recepti », non servare veritatem in rebus spiritualibus [3]. Et sane modus quo S. Thomas difficultatem exponit, procedit a naturis rerum sensibilium.

[1] *De Gen. ad litt.* l. II, c. 8, n. 16. — *P. L.* XXXIV, 269.

[2] Putat Caietanus, axioma valere de obiecto, quod potest cognosci, sed non cognoscere; non autem de obiecto, quod simul potest cognoscere et cognosci, uti est natura Angeli. At quo spectet haec distinctio, fateor me non intelligere.

[3] Toletus, qui solutionem suggerit diversam a solutione Caietani, concludit: « Si « ista non placent, dicerem, quod illa maxima non habet in universum verum; nec « hoc est inconveniens ».

2. Obi. Non attendit ad rationem ob quam causatum inducit in cognitionem causae. Similitudo autem inter duas res non oritur dumtaxat a ratione immediata causati ad causam. - Fatendum tamen est, similitudinem Angelorum ad invicem non inducere in cognitionem Angelorum singularium ut talium.

3. Obi. Haec obiectio potior est. Praeter similitudinem, quae non inducit in cognitionem propriam et distinctam, oportet ut aliquid ponatur, per quod unus Angelus alium cognoscat: non autem est alius Angelus, quia cognoscenti se non illabitur; oportet ergo ut sit species in Angelo cognoscente. Iam vero quomodo concipienda est illa species? Quomodo conciliatur cum immaterialitate Angeli? Conciliatur optime, quatenus tum Angelus cognoscens, tum Angelus cognitus sunt praesentes intellectui Angeli cognoscentis, ille in esse naturali, hic in esse intellectuali. Nondum autem per hanc difficultatem explicatur modus, quo haec species in intellectu Angeli cognoscentis producitur.

4. Obi. Impugnat speciem innatam ex hoc, quod nova species infundenda esset Angelo, si Deus novos Angelos crearet. S. Thomas, optime sibi constans, respondet, quod, si Deus hoc intendisset, Angelo has species infudisset. E contra S. Bonaventura ex ista obiectione demonstrat possibilitatem ut Angelus novas species acquirat [1].

Observa pulchrum nexum inter obiectiones ac eorumdem solutiones. Ex prima solutione resultat possibilitas in genere, ut Angelus alium Angelum cognoscat, quatenus cognitio propriae essentiae nullomodo huic cognitioni obest. Ex secunda sequitur, Angelum cognoscere alium in similitudine, quam habet cum semetipso. Ex tertia probatur necessitas speciei ad propriam aliorum Angelorum cognitionem. Demum per ultimam solutionem defenditur doctrina de specie infusa.

Sed contra est. Auctoritas hic adducta, sicut aliae auctoritates superius in secunda propositione allatae, probant quidem, Angelos se cognoscere ad invicem; non autem solvunt quaestionem de modo quo se cognoscant.

[1] Loc. cit.

In Corpore. En schema doctrinae heic et in solutionibus a S. Thoma expositae.

Quum duplex sit exitus rerum a Deo, alter ut sint in suis propriis naturis, alter ut sint in intellectu angelico,

1) Angelus *seipsum* intelligit per propriam suam formam realiter existentem;

2) *alios Angelos* per species intelligibiles a Deo sibi ab initio inditas, et quidem

a) tales, ut ratione similitudinis, non causalitatis, omnes species angelicae per eas cognosci possint (ad 2.^{m});

b) ac ita Angelus in alio existat intentionaliter; (ad 3.^{m}).

c) cum proportione ad omne opus ab aeterno praestabilitum in tempore unquam futurum (ad 4.^{m}).

Indoles huius *Corporis* est potius affirmativa quam demonstrativa, quatenus theoriam exponit potius quam probat. In *Summa ctr. Gentes* [1] S. Thomas fusius ostendit, cur Angelus debeat alium cognoscere per species sibi infusas.

Placet, ob momentum argumenti, breviter hic ordinem huius expositionis contrahere. Incipit S. Doctor ostendendo, Angelos seu substantias separatas se intelligere ad invicem, quum sint per se intelligibiles. Quo posito, ostendit Angelum intelligere immediate seipsum, at per seipsum non posse habere propriam rationem aliorum.

Quaerens ergo quomodo hanc accipiat, affert primo sententiam Avicennae, qui hanc derivat a dependentia causalitatis, qua Angeli ligantur ad invicem. Sed istam sententiam reiecto fundamento depellit.

Concludit inde ad necessitatem specierum, per quas Angelus propriam rationem aliorum accipiat. Ad quam propositionem illustrandam fuse discurrit de amplitudine continentiae intellectualis, ostendendo, quomodo ex opposito se habeant Deus et homo, quatenus, in summitate entis intellectualis, omnia proprie intuetur Deus in sua essentia, utpote in plenitudine infinita entis; homo vero per species maxime particulares ac proin multiplicatas; Angelus autem, uti medius, per species eo universaliores et pauciores, quo ipse magis de Deo perfectione participat.

[1] L., II, c. XCVIII.

Iam ulterius S. Doctor illustrat, quomodo intellectus angelicus, differens longe quoad hoc ab intellectu nostro, semper sit in actu per species sibi infusas. In quo discurso S. Thomas urget valde immobilitatem intellectus angelici, adducendo comparationem tunc temporis adduci solitam, de corporibus, quorum potentia materiae plene actuatur per formam.

Hic autem Aquinas sibi aliam sententiam opponit. Cur dici non posset, Angelum cognoscere alium Angelum per substantiam eiusdem, sicuti semetipsum cognoscit per substantiam suam? Sed hanc positionem multipliciter depellit, quia substantia Angeli intellecti nequit fieri unum cum substantia intelligentis; neque forma ipsius; insuper Angeli gradus diversi se invicem intelligere non possent; demum substantia Angeli intellecti nequit illabi substantiae intelligentis. Unde concludit: « Impossibile igitur videtur, quod « substantia separata per essentiam suam intelligatur ab alia « et non per similitudinem eius in ipsa », iuxta axioma scilicet Aristotelis: « intellectum in actu fit unum cum intellectu in « actu ». Addit vero: « secundum positionem Platonis, intelli- « gere fit per contactum intellectus ad rem intelligibilem. « Sic igitur una substantia separata potest aliam per eius « essentiam intelligere, dum eam spiritualiter contingit: supe- « rior quidem inferiorem, quasi eam sua virtute concludens « et continens; inferior vero superiorem, quasi eam capiens « ut sui perfectionem. Unde et Dionysius dicit, quod supe- « riores substantiae intelligibiles sunt quasi cibus inferio- « rum » [1]. Rationem autem huius doctrinae S. Thomas superius suggesserat his verbis: « Hoc enim quod substantia aliqua « per speciem intelligibilem cognoscatur, videtur accidere « substantiis materialibus ex hoc, quod non sunt per suam « essentiam intelligibiles actu; unde oportet quod per inten- « tiones abstractas intelligantur ». Et sane mite S. Doctor addiderat: « Hoc autem si concedatur, habet dubitationes non « paucas ». Quae dubitationes demonstrant utique, aut saltem valde suasibilem reddunt impossibilitatem ut Angelus cognoscat alium per substantiam eius. Sed non ideo demonstrant, speciem per quam Angelus cognoscit alium, ipsi debere a

[1] *De div. Nom.* IV.

Deo infundi, quin illam sibi efformare possit applicando suam virtutem intellectualem ipsi substantiae Angeli cogniti, per commercium scilicet intellectuale, de quo superius dicebamus. Quam sententiam S. Thomas in hoc loco sicuti non formulasse, ita et nec confutasse dicendus est.

Ad Art. III. – « *Utrum Angeli per sua naturalia Deum « cognoscere possint* ».

1. et 2. Obi. Procedunt a cognitione perfecta, quae utique per naturalia Angelo neganda est. Ponunt nimis.

3. Obi. Procedit contra cognitionem specularem, urgendo hanc vocem in sensu cognitionis nostrae. Non ponit satis.

Sed contra est. Media doctrina hic affirmatur iuxta doctrinam alibi a nobis expositam. Quare pleraeque [1] auctoritates ibidem adductae valent et hic; servata tamen gradatione in tertia propositione descripta.

In Corpore. En doctrinam S. Thomae schemate expressam.

Angelum per sua naturalia Deum, - non autem Dei essentiam in se, - cognoscere posse, probatur

- I. *indirecte:*
  - *a*) id valet homo per sua naturalia;
  - *b*) a fortiori Angelus.
- II. *directe* per *ananalysim* triplicis gradus cognitionis:
  - 1) exponuntur:
    - 1) cognitio per praesentiam essentiae in cognoscente (lux in oculo);
    - 2) per praesentiam suae similitudinis (lapis per speciem lapidis);
    - 3) per rem visam, quae alterius est imago (homo visus in speculo).
  - 2) applicantur:
    - 1) visio beatifica (per lumen visionis);
    - 2) media (sed magis habens de speculari) cognitio, quam Angelus habet Dei per cognitum seipsum;
    - 3) cognitio quam homo habet naturaliter de Deo (specularis).

Corollarium. Ex doctrina huius articuli et ex tertia nostra propositione collige, quomodo sentiendum sit de Ontologismo

[1] Cur dicamus « pleraeque » patet ex Corollario.

ad Angelos applicato. Depellendus quidem est Ontologismus supremus, qui redundat in Dei visionem; at aliqualis admittendus est, quatenus Angelus in propria natura immediate visa non potest non agnoscere existentiam Dei et multa de Dei perfectionibus analogice cognoscere.

B) DE ANGELORUM COGNITIONE RESPECTU RERUM MATERIALIUM.

QUAESTIO LVII.

Argumentum primi articuli huic integrae Quaestioni nomen dedit. Sane S. Thomas in evolutione argumenti non est unice de rebus materialibus sollicitus. Quis enim dicet cognitionem singularium, de qua quaeritur in art. 2, non intendi nisi de singularibus corporalibus; aut futura, cogitationes cordium, mysteria gratiae, de quibus quaeritur in tribus articulis sequentibus, non esse nisi res materiales? Sed nec ab istis excluditur respectus ad materialia, qui in eis adesse potest.

Hac restrictione aut saltem explicatione quoad titulum huius subdivisionis praemissa, sint propositiones sequentes.

I. - De ipsa Quaestione.

Prop. I. - *Angelus cognoscit res materiales.*

Factum distinguendum est a modo facti. 1) Angelos cognoscere res materiales, multipliciter constat. *a*) Vidimus, Angelos esse in loco, et localiter moveri per virtutem ad locata applicatam. Iam vero quomodo hanc virtutem applicant ad materialia, nisi materialia cognoscant? - *b*) Homo, qui est Angelo in dignitate entis intelligentis inferior, materialia cognoscit; ergo et Angelus ea cognoscere, imo perfectius ea cognoscere debet, quum perfectio cognitionis mensuretur iuxta perfectionem cognoscentis. - *c*) Materialia pertinent ad complexum universi; unde non possunt non habere aliquam relationem ad Angelos, qui et ipsi ad universum

pertinent. Ergo, ne pereat harmonia universi, Angeli cognoscere debent materialia.

Corrobatur hoc factum per omnia loca Scripturae, ex quibus manifesto apparet, Angelos cognoscere materialia. Ut afferam pauca: quomodo, nisi materialia cognoscendo, potuerunt Angeli pergere in Sodomam, Tobiam iuvare per iter, Habacuc transferre in Babyloniam, lapidem revolvere de Christi sepulchro, Petrum liberare de carcere? Quomodo, nisi cognoscendo materialia, potuit diabolus invadere serpentem, et toties per saecula vexare creaturas et homines?

2) Ergo stat firmissime factum; modus autem facti remanet investigandus.

Ne autem processum in praecedentibus institutum iterare cogamur, praeter cognitionem materialium, quam habent Angeli boni per visionem essentiae divinae, et Angeli sive boni sive mali per visam propriam et aliorum essentiam, in qua materialia eminenter continentur ac proin cognoscuntur; quaeritur de modo, quo Angeli habent materialium cognitionem distinctam et propriam.

a) Infusas species rerum materialium posse earumdem suppeditare cognitionem distinctam quoad naturam et proprietates, extra dubium est. Utrum possint insuper suppeditare cognitionem propriam singularium ut singularium, in proxima propositione inquiremus.

b) At, praeter hasce species infusas, nonne datur Angelis modus cognoscendi materialia applicando suam virtutem intellectualem ad illa? Negant cum Thomistis theologi non pauci, idque ob materialitatem obiecti, simplicitatem potentiae intellectivae, et dignitatem naturae angelicae.

Fingamus igitur Deum Angelis non infudisse huiusmodi species, fuissentne Angeli incapaces cognoscendi res materiales, praeter cognitionem generalem, quam supperditat propria essentia? Si affirmas, nonne dicendum est, Deum per has species potius subvenisse eorum impotentiae, quam potentiam eis tribuisse? Quid tunc maneret de gradatione inter virtutem intellectus humani et angelici?

At, repones, cognitio materialium per species ab eis acceptas est modus nimis imperfectus, quam ut Angelis tri-

buatur. Hic distinguendum videtur. Cognitio materialium per species acceptas ope organorum corporalium, ac gradatim abstractas usque ad intellectionem, est cognitio nimis imperfecta pro Angelis, concedo; nec talem potest in Angelis admittere, nisi qui negat perfectam Angelorum spiritualitatem.

At non ideo videtur indignum Angelis dicendum, ut materialia quoque cognoscere possint, applicando suam virtutem intellectualem ad ea. Quod si modus huius applicationis non esset nobis pervius, non ideo esset haec applicatio neganda. Ubi agitur de potentia principii altioris, nonne magis prudens est possibilitatem alicuius cognitionis affirmare, quam negare, quia modus eiusdem non satis percipitur?

Qui autem putat, infusas a Deo species, etiam rerum materialium, non suppeditare cognitionem singularium ut talium, ne cogatur in Angelis singularium hinc cognitionem negare, debet affirmare in eis facultatem materialia directe cognoscendi. Imo quum haec facultas, si possibilis sit, non possit Angelum dedecere, et quum ratio principalis, ob quam multi theologi cognitionem singularium in Angelis derivant a speciebus infusis, sit impossibilitas cognitionis directae, haec ipsa impossibilitas deberet prius ostendi. Magis enim eos urget necessitas ut hanc impossibilitatem demonstrent, quam ut illustrent, quomodo species infusae cognitionem singularium suppeditare possint.

De quo iam nunc est disserendum.

Prop. II. - *Angeli cognoscunt singularia.*

Et hic distinguendum est factum a modo facti.

1) Factum probatur per omnes rationes, quas in principio praecedentis propositionis ostendimus; nam et directe pertingunt usque ad cognitionem singularium.

2) Modus autem facti, uti ex supradictis patet, non tantopere est manifestus. Abstrahendo a beatifica visione, liquet, ipsam Angeli essentiam non continere singularia. Remanet igitur duplex medium: infusae species pertingentes usque ad singularia; et cognitio singularium per ipsa singularia. *a*) Quotquot hoc ultimum reiiciunt, demonstrare debent, infusas a Deo species Angelis connaturales re vera usque ad

singularia in re existentia pertingere posse. In quo sane non parum insudant.

Certum est, Deum cognoscere singularia in propria essentia divina. Ratio huius cognitionis ad singularia concrete existentia pertingentis non potest modo desumi ab eminentia essentiae divinae omnia inferiora universaliter simul et distincte continentis. Haec enim ratio per se sola non valet nisi de cognitione simplicis intelligentiae. Ut ad cognitionem visionis singularium extendatur, oportet inducere aliam formalitatem divinae scientiae, scilicet eiusdem causalitatem. Eatenus Deus in propria sua essentia cognoscit singularia, quatenus ea sciendo causat.

Quaestio igitur ad Angelos applicata haec est. Potestne Angelis per species infusas communicari singularium cognitio scientiae divinae, quin communicetur ratio causalis, quae in scientia divina est huius cognitionis fundamentum? Et si non communicatur haec ratio causalis, quomodo sufficiunt istae species infusae ad suppeditandam cognitionem singularium? Sane Angelis non communicari rationem causalem scientiae divinae, patet ex hoc, quod Angeli non sunt cum Deo concreatores earum rerum, quas cognoscunt.

Repones: Potest in Dei scientia visionis distingui veluti triplex instans logicum: instans facienda decernens, instans producens decreta, et instans approbans producta. Sufficit ergo ut Angelis infundantur species respondentes per similitudinem huic tertio instanti. Sed haec distinctio, quum non sit nisi rationis, non sufficere videtur ad difficultatem solvendam. Nam semper verum est, eatenus divinam scientiam in tertio instanti consideratam attingere singularia, quatenus est causalis.

Fateor, hanc obiectionem mihi videri gravissimam. Non est tamen unica. Etenim, si Angeli singularia cognoscunt per species sibi infusas, ea cognoscunt independenter a tempore. Quod si verum est, cognoscunt omnia, quae futura sunt, antequam sint; quod tamen infra ostendetur esse falsum. Similis consideratio moveri potest de spatio; sed haec consideratio non habet eamdem virtutem, quia Angelus magis existit supra locum proprie dictum, quam supra tempus.

Rationi a cognitione futurorum petitae defensores sententiae passim Thomisticae [1] nuncupatae respondere conantur. Ita Sylvius scribit: « Neque hinc sequitur quod Angelus sin-« gularia cognoscat antequam sint: quia species eius intel-« lectui impressa repraesentat singulare, antequam existat, in « actu tantum primo, id est, habet virtutem illius represen-« tativam; sed cum existit, repraesentat illud in actu secundo. « Species enim intelligibilis repraesentat per modum simili-« tudinis; singularia autem priusquam existant, ad eam spe-« ciem non habent similitudinem, quam tamen habent dum « existunt ». Sed haec responsio difficultatem nedum solvat, vix tangit. Quaestio enim est, quomodo Angeli, intuendo solas species sibi infusas, possint in eisdem species cognoscere singularia; id est, non solum habere singularium similitudines, sed cognoscere singularia ipsa, quae his similitudinibus a parte rei respondent. Ad hoc sola singularium existentia non sufficit, nisi adsit aliquis nexus inter has species et singularia. Qui nexus si habetur per ipsas solas species infusas, parum refert utrum singularia sint futura, praesentia vel praeterita; si non habetur per ipsas solas species infusas, istae non sufficiunt ad singularium cognitionem veram suppeditandam. Quare distinctio inter repraesentationem in actu primo et in actu secundo habet fundamentum solutionis in sententia nostra; sed non nisi apparens in sententia opposita. Non enim sufficit ut repraesentatio de actu primo in actum secundum transeat materialiter; ad quod singularium existentia sufficit. Oportet ut iste transitus Angelo cognoscenti innotescat formaliter; ad quod non sufficit existentia obiectorum, si Angeli nonnisi intuendo species infusas singularia cognoscunt.

Tanta est virtus huius difficultatis, ut inter ipsos Thomistas duplex vigeat sententia. Alii stando rigidius principio semel admisso, - scilicet singularia cognosci ab Angelis in speciebus infusis, - negant aliquam mutationem obvenire speciei per praesentiam obiecti, quod per eas cognoscitur;

[1] Petrus a Tarant. quinque de hac re opiniones recenset. Qui doctrinae S. Thomae nomen dant, passim hac in re cum Angelico sentiunt; uti Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, etc. etc.; quin et alii theologi optimi nominis, uti Suarezius, cuius longa expositio est valde commendanda (Op. cit. l. II, c. 6).

sed contendunt, ipsam speciem habere ex sese hanc perfectionem, ut, praesente obiecto, illud repraesentat. Et adducunt verba S. Thomae: « Quando aliquid incipit esse praesens, Angelus de novo cognoscit illud, non facta aliqua « immutatione in ipso Angelo, sed in re cognoscibili, in qua « est aliquid, quod prius non fuerat » [1]. - Quidam tamen, ut verbis utar Billuart, « etiam ex Thomistis difficile concipientes speciem aliquid repraesentare de novo, quod antea « non repraesentabat, absque aliqua variatione intrinseca, « agnoscunt in ista determinatione et applicatione ad repraesentandum hoc vel illud individuum, aliquam mutationem « modalem profluentem ab ipsis ideis divinis, dum individua « successiva producunt: quod non est improbabile » [2]. Haec altera sententia mihi magis arridet; sed neque difficultatem solvit.

Quare placet potius sententia, quae tenet, Angelos cognoscere singularia, ut talia, per species acceptas, utique modo angelico, non humano, ab istis singularibus.

Vix autem mihi logica videtur mitigatio, quam Toletus huic sententiae apponit [3], quaedam singularia excipiendo. En verba docti Cardinalis: « Aliqua singularia cognoscunt Angeli per infusas species. Per haec singularia intelligo illa, « quae sunt perpetua, et cum ipsis concreata; uti caeli, elementa, astra et aliqua huiusmodi. Haec (conclusio) probatur, « quia scientia perfecta naturalis aliquam habet cognitionem « singularium adiunctam: sed Angeli perfectam scientiam « habuerunt a Deo: ergo cum cognitione aliqua singularium ».

Et sane, si species infusae nequeunt suppeditare cognitionem singularium, ut talium, neque hoc valent de istis rebus perpetuis. Insuper confunditur cognitio singularium, uti spectat ad scientiam, quam diximus simplicis intelligentiae, et ad scientiam visionis. Demum sat perfecta fuit scientiae

[1] *Quodlib.* VII, a. 3 ad 2.

[2] Op. cit. Dissert. IIII art. 2.

[3] II Sent. dist. III, q. ult. et dist. IX, q. 2. Non ideo probo omnes aeque rationes, quas Scotus adducit ad suam sententiam defendendam. Ita, v. gr., ratio inde petita quod species infusa repraesentans singularia esset continentiae infinitae, non valet, si continentia specierum infusarum derivatur a continentia scientiae visionis divinae. Sed huius continentiae possibilitas deberet demonstrari. Secus autem valet.

originalis Angeli, si in visa propria essentia iam ab initio multa cognovit, et si, ad Deum conversus, in Deo omnia scivit; ac inde, absque mora et errore, singularia sibi externa cognoscere potuit.

b) At etiamsi species Angelis ab initio divinitus infusae suppeditarent cognitionem singularium ab ipsis singularibus acceptam, non ideo ista cognitio Angelis esset deneganda. Rationes enim ob quas huiusmodi cognitio a Deo est excludenda, non valent de Angelis. Nec repugnat ut eadem obiecta duplici medio cognoscantur.

Hanc sane cognitionem supponebat S. Augustinus, quando famosam suam explicationem induxit de duplici cognitione Angelorum, matutina et vespertina. Licet enim matutina cognitio non sit de speciebus infusis, sed de visione beatifica Verbi intelligenda, - quod passim non satis attenditur, - cognitio vespertina absque dubio derivatur a rebus in seipsis inspectis. En verba S. Doctoris: « Cum sancti Angeli... sem-
« per videant faciem Dei, Verboque eius Unigenito Filio, sicut
« Patri aequalis est, perfruantur, in quibus prima omnium
« creata est sapientia; procul dubio universam creaturam, in
« qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius
« noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter
« facta sunt, aeternae rationes, tamquam in eo, per quod facta
« sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt,
« tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius
« laudem, in cuius incommunicabili veritate rationes secun-
« dum quas facta est, principaliter vident » [1].

Imo ex hoc loco non solum demonstratur, S. Augustinum agnovisse in Angelis cognitionem rerum per ipsam contemplationem rerum in seipsis, sed praeter hanc cognitionem nullam aliam posuisse, quam cognitionem rerum in Verbo, non quidem ope specierum a Verbo acceptarum, sed ope visionis beatificae.

Ratio autem, cur in Angelis hanc ponimus cognitionem, quam Hipponensis vocat vespertinam, est ipsa perfectio, quae in hac cognitione continetur. Sicut enim in Christo, praeter visionem beatificam et scientiam infusam, admittimus

[1] *De Gen. ad litt.* l. IV, c. 24, n. 41. — *P. L.* XXXIV, 313.

veram scientiam acquisitam experimentalem, cur non et idem haberi posset in Angelis? Comparatio quidem claudicat; at continet partem veritatis, quae praesens argumentum nonnihil illustrat. Unde, si, - quod valde arduum demonstratu existimo, - species Angelis infusae iam suppeditarent cognitionem singularium, adhuc locus remaneret scientiae experimentali singularium per ipsa singularia. Quanto magis, si hae species singularia ut talia continere non possint? Et sane ad singularium ut talium cognitionem, v. gr., quod Angelus habeat conceptum huius hominis, qui dicitur Abraham, oportet ut hunc Abrahamum existentem percipiat, uti huic conceptui respondentem.

At repones: Nonne haec cognitio per singularia est indigna Angelo, quem subordinaret singularibus? Nequaquam. Sicut homo non subordinatur lapidi, quia lapidem intelligit, ita nec Angelus. Imo minus Angelus, quia lapidem apprehendit modo perfectiori, applicando scilicet suam virtutem obiecto cognoscendo, non autem ab obiecto phantasma receptum abstrahendo.

Repones iterum: Quomodo intelligi potest talis cognitio singularium per singularia, quin incidatur in illas imperfectiones, quae in homine quidem consonae sunt naturae compositae [1], in Angelo vero repugnant?

Haec repugnantia esset probanda. Demonstrandum scilicet esset, Angelum non posse applicare suam virtutem cognoscitivam ad singularia externa sibi, sive sint spiritualia, sive sint materialia. De spiritualibus iam diximus, nulla ratione, ut nobis videtur, solida hanc repugnantiam ostendi. Idem addimus de materialibus atque mixtis. Si Angelus potest applicare suam virtutem volitivam ad corporalia, ut sit in loco et in loco moveatur; cur non posset suam virtutem

[1] Redit consimilis quaestio de anima separata. Quam quaestionem ad proximum volumen differimus. Interim sufficiat monere, modum, quo S. Thomas loquitur de habitudine specierum animabus separatis infusarum ad singularia per easdem species cognoscenda, optime convenire cum doctrina, quam hic propugnamus. Dummodo tamen duo moneantur: animam separatam non fieri spiritum purum, sed servare suam indolem formae compositi; ac proin in anima separata maiorem adesse necessitatem, ut Deus per infusas species ei subveniat, quin tamen istae species eiusdem possint esse virtutis, ac sunt species Angelis infusae. — Cf. de speciebus animae separatae infusis URRÁBURU (Op. cit. vol. VI, n. II *Psychol.* p. 1263, sqq.).

intellectivam ad eadem applicare, ut ea uti singularia cognoscat?

Etiamsi nobis impervius esset modus, quo Angelus id per applicationem virtutis pure spiritualis praestare posset, nondum ideo esset haec cognitio Angelis deneganda. Imo, quomodo nos, qui homines sumus, inferioris ordinis intellectualis, possemus perfecte scrutari viam cognitionis angelicae? Timendum videtur, ne Angelis denegando hanc cognitionis viam, quia modum eius non intelligimus, derideamur ab illis, qui, quomodo sciant, sciunt ipsi, quod sufficit ipsis.

Repones adhuc: Quomodo potest Angelus suam virtutem intellectivam applicare ad obiecta, de quibus ignorat existentiam et nescit ubinam sint?

Haec obiectio nihil valet pro his, qui putant, Angelos duplici modo singularia cognoscere, per species infusas et acquisitas. Nec valet pro Angelis bonis, qui per lumen visionis beatificae existentiam rerum, imo ipsas res cognoscere possunt. Sed praeter hanc geminam exceptionem, radix difficultatis truncatur per hoc, quod Angeli tum in propria essentia, tum ex infusis speciebus generalibus, iam sat multa de rebus sibi externis cognoscere possunt, ut per applicationem virtutis cognoscitivae singularia ut talia apprehendere velint ac proin valeant [1].

Si obiectio valeret, posset retorqueri contra eos ipsos, qui eam movent; nisi ipsi admittant, species Angelis infusas suppeditare non solum cognitionem singularium, sed et locum, quem occupant, et motus, quibus subduntur. Iam vero, quaeso, quomodo potest infusa species ad haec omnia minutissima et mutabilissima sufficere per se?

Instabis: Quomodo concordat sententia admittens in Angelis facultatem acquirendi species singularium, cum sententia negante in Angelis distinctionem inter intellectum possibilem et agentem? - Qui tenent sententiam Scoti, imo qui admittunt sententiam mediam S. Bonaventurae, expressius agnoscunt in Angelis aliquid, quod huic distinctioni respondet. Non ideo tamen haec distinctio eadem est ac in intellectu humano: nec a parte intellectus possibilis, qui semper

[1] Lege modum subtilem, quo S. Bonaventura hanc difficultatem sibi oppositam solvit *(II Sent. dist.* III. p. 2, a. 2, q. 1, obi. 4).

est in actu quoad multa, nec a parte intellectus agentis, qui non procedit per abstractionum phantasmatum.

Investigando autem penitius modum, quo Angeli cognitionem rerum singularum, maxime materialium, sibi acquirunt, sunt quidam theologi, qui putent, ad id sufficere solam obiecti praesentiam, sive hoc obiectum nihil conferat ut cognoscatur, uti existimant Durandus et Vasquez; sive ad hoc aliquid praestet, uti censet Gabriel. Sed haec sententia minus placet [1], quia non satis salvat axioma generale de processu cognitionis: eatenus aliquid cognosci, quatenus est in cognoscente.

Censemus proin Angelos singularium cognitionem acquirere per species a singularibus acceptas vi applicationis virtutis intellectualis ad illa. Quae sententia concordat cum sententia S. Thomae, quatenus ponit in intellectu Angeli cognoscentis speciem rei intellectae; differt autem, quatenus theologi thomisticae sententiae addicti negant, hanc speciem per virtutem intellectus angelici se ad obiectum applicantis acquiri posse; dum alii hoc affirmant.

Cum his ultimis sane sentit S. Augustinus haec scribens: « Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi fit ex eius « visione atque scientia, cum aliquid temporaliter ac tran- « sitorie geritur, sicut inde afficiuntur sensus vel carnales « animalium et hominum, vel etiam caelestes Angelorum » [2].

Sanctus autem Bonaventura mediam quandam propugnat sententiam, de qua, ob auctoritatem tanti Doctoris, data opera parumper disserere lubet. Quaerens utrum Angelus quaecumque cognoscit, per species innatas cognoscat, his verbis exorditur: « Omnes qui aliquid intellexerunt, hoc posuerunt « quod Angelus cognoscit res creatas per species, nisi sit « talis, quae essentialiter sit in Angelo. Cognoscere autem « omnino per seipsum, hoc est solius illius, qui est actus « purus et perfectissimus, et ideo idea et causa omnium et « efficiens et exemplaris se ipso, non alio quodam. Sed tamen « in modo ponendi species diversificati sunt » [3].

Tres proin adducit sententias, quarum, depulsis prima et secunda, tertiam probat et evolvit.

[1] Cf. acerrima verba S. Bonaventurae mox adducenda.

[2] *De Trin.* l. XII, c. 7, n. 10, - *P. C.* XL, 1004.

[3] II Sent. Dist. III, p. 2, art. q. 1.

Prima simpliciter docet, Angelum omnia cognoscere per species sibi innatas. Cuius rei modum assignant seminalem veluti rationem speciebus inclusam, vi cuius sese multiplicant pro numero singularium; causam vero assignant impossibilitatem, ut Angelus humano more aliquid ab extra recipiat. Sed S. Doctor utramque explicationem reiicit. Modum recusat per dilemma, quia species nequit generare nec speciem diversam a se, nec similem sibi. - Causam allatam his verbis depellit: « Causam autem credo esse falsam, quia pla-« num est, quod Angelus habet intellectum possibilem, cum « non sit actus purus. Planum etiam est, quod habet agen-« tem maioris virtutis, quam si esset corpori alligatus. Si « ergo alligatus potest abstrahere et possibili imprimere, « quanto magis intellectus liber et separatus hoc potest? ».

Secunda positio distinguit inter cognitionis obiecta. Necessaria et naturalia cognoscit Angelus per species innatas; at fortuita, voluntaria et futura contingentia, cognoscit per species acquisitas et receptas. Sed hanc positionem excludit uti duo opposita involventem; quatenus, « si intellectus angelicus ha-« bet omnium universalium species innatas, nullam alterius « speciem recipit, sed sufficienter per illas omnia cognoscit ».

Quae solutio non solum demonstrat, S. Doctorem non admittere in intellectu angelico duplicem speciem eiusdem rei, unam infusam et alteram acquisitam; sed insuper iam praeoccupat ipsam solutionem, quam Seraphicus praefert.

Scilicet S. Bonaventura censet, de facto Angelos omnia, quae naturaliter cognoscunt, per species infusas cognoscere, non quasi non possint cognoscere per species acquisitas [1], - in quo discrepat a S. Thoma, - sed eo « quod Deus intel-« lectum angelicum tot speciebus implevit, quod per illas po-« terat omnia cognoscere sine omni receptione nova ». En quomodo hanc propositionem illustrat: « Deus in Angelis « concreavit species universales omnium fiendarum rerum, « et per illas certum est quod potest omnia universalia co-« gnoscere; potest etiam et singularia, sed non nisi componat « ad invicem, ut patet ». Haec autem compositio duplici gradu constat. Primum gradum ita describit: « Si ego habeo « penes me speciem figurae, speciem hominis, speciem coloris

[1] Hunc textum superius attulimus.

« et temporis, et componam ad invicem; sine nova receptione « speciei cognoscam individuum in propria natura ». Hoc autem non sufficit, quare addendus est alter gradus: « Sed quia « talis compositio, nisi esset secundum certitudinem et corre- « spondentiam ad ipsam rem, esset fictio et deceptio; inde An- « gelus huiusmodi individua et singularia non cognoscit, nisi « dirigat aspectum supra ipsum cognoscibile, et secundum « illud, quod est *in re,* ipse comparat species *in re*, et tunc « habet ita claram et certam cognitionem de re, sicut si spe- « ciem statim reciperet ».

Quae si simul sumantur, habemus iuxta mentem S. Bonaventurae sequentia doctrinae puncta. 1) Angelus cognoscit alia a se, cognitione propria, per species. 2) Potest singularium species a rebus ipsis accipere. 3) Aliter tamen singularia cognoscit, scilicet per species universales sibi concreatas. 4) Per has species singularia propria cognitione cognoscit, applicando eas ad singularia, unde fiunt aliquo modo et ipsae singulares.

In primo et tertio conveniunt Angelus et Seraphicus; in secundo et in tertio discrepant. Quare sententia S. Bonaventurae iure media dicitur inter sententiam S. Thomae et Scoti.

En graphice expressas praecipuas sententias, de quibus in huius propositionis evolutione sermo fuit.

- Angeli cognoscunt singularia
  - 1) immediate sine speciebus (sententia Durandi);
  - 2) per species:
    - *a*) infusas ab initio,
      - α) quin possit accipere species a rebus, nec se ad eas convertere debeat (sententia S. Thomae);
      - β) ita ut possit accipere species a rebus; et se ad eas convertat (sententia S. Bonaventurae);
    - *b*) acceptas a rebus,
      - quia infusae species non possunt manifestare singularia (sententia Scoti);
    - *c*) infusas et acceptas,
      - α) infusas de necessariis et coaeternis; acceptas de contingentibus, in tempore oriundis (sententia Toleti);
      - β) infusas simul et acceptas de omnibus rebus duplici fonte cognitis.

Sententia 1) nulla nobis probabilitate gaudere videtur; - sat quoque gratuitam censemus sententiam 2) *c*) α; - sententia pariter 2) *c*) β) videtur simili vitio laborare. Inter alias eligat quisque, quod sibi magis arrideat. Nobis placet et hic recolere, quae supra diximus de distinctione inter scientiam, quam vocavimus simplicis intelligentiae et visionis: ad illam applicando sententiam S. Thomae, saltem quoad principaliora; ad istam vero, sententiam Scoti, aut saltem sententiam S. Bonaventurae.

Et haec de hoc argumento satis.

Corollarium I. - Quo magis admittitur, Angelos se convertere ad singularia ut ea cognoscant, eo magis in eis agnoscitur intellectualis motus, quatenus eo magis eorum intellectus transit de potentia ad actum, ac proin habet aliquid quod respondet nostro intellectui possibili et agenti.

Corollarium II. - Quo minus extenditur in Angelis ambitus specierum infusarum ab initio, eo magis urgetur discrimen inter Angelos bonos et malos, quatenus eo minus Angeli mali habent scientiam perfectam antecedenter ad lapsum, et eo minorem habent in se participationem luminis Verbi.

Corollarium III. - Quo magis urgetur necessitas, ut Angeli se invicem, uti singulares, ab invicem cognoscant, eo rursus magis discrimen dilatatur inter Angelos bonos et malos; quatenus Angeli boni possunt se occultare ab Angelis malis, at non aeque e converso. Ita auctor Imperfecti operis in Matthaeum ait: « Angelum bonum invisibilem se reddere « ante diabolum; quoniam, nisi voluerit Angelus bonus, a dia- « bolo non videtur ».

Corollarium IV. - Quum in nobis cognitio singularium per sensus acquiratur, mirum non est, huiusmodi acquisitam scientiam ad Angelos extendi ab omnibus scriptoribus sacris, qui de pura spiritualitate Angelorum imperfectam notionem habebant. Quare caute est ex his Patribus in re praesenti arguendum.

Prop. III. - *Angeli multa futura cognoscunt in suis causis; non autem in seipsis; hoc enim est proprium scientiae aeternae.*

Duas habet haec propositio partes.

1) Multa futura cognoscere Angelos in causis, manifestum est. Futura enim multa in causis continentur: alia nexu necessario, alia nexu coniecturali, ut in pluribus; quae proin quo acutior est intellectus, eo clariori et maiori certitudine cognoscuntur. Imo quum multa nobis casualia et fortuita appareant, quarum tamen causae necessariae adsunt, licet nobis ignotae, et illa ab Angelis certo cognosci posse, licet futura, liquet. - Adde experientiam vitae diuturnae, quae multum contulit virtuti coniecturali, qua Angeli eo maiori pollent, quo acutiori intelligentia sunt praediti. Hoc sensu S. Augustinus loquitur de spirituum malorum « experientia callidiore pro- « pter tam magnam longitudinem vitae » [1].

Haec praescientia, orta a cognitione intima rerum et ab experientia diuturna, fundamentum est naturale acuminis, quo maligni spiritus oracula emittunt. Addi autem potest huic fundamento ipsa intentio daemonum circa res futuras. Nam, ut optime monet idem Augustinus, « aliquando iidem nefandi « spiritus etiam, quae ipsi facturi sunt, velut divinando prae- « dicant » [2]. Sed in his saepius decipiuntur, ob potentiorem Dei intervenientem voluntatem. « Falluntur, ait alibi Hipponen- « sis, quia cum suas dispositiones praenuntiant, ex improviso « desuper aliquid iubetur, quod eorum consilia cuncta per- « turbat: velut si aliquid disponant quilibet homines quibus- « libet potestatibus subditi, quod non prohibituros suos prae- « positos arbitrantur, idque facturos se esse pronuntiant; at « illi penes quos maior potestas est, ex alio superiori consilio, « hoc totum dispositum atque praeparatum repente prohi- « beant » [3].

Unde concludere pronum est, longe certius Angelos posse futura praedicere quam daemones; tum quia divinitus magis illuminantur, per visionem beatificam et per gratuitas Dei illustrationes; tum quia minus praesumunt; tum quia semper habent subordinatam Deo voluntatem.

2) Quamtumcumque autem dilatetur, etiam in intellectu supremi Angeli, haec cognitio futurorum in causa non attingit ipsa futura in seipsis. Haec cognitio propria est Dei, quia

[1] *De Gen. ad litt.* t. II, n. 17, n. 37. — *P. L.* XXXIV, 278.
[2] Ibid. col. 279.
[3] *De divin. daemon.*, c. 4.

eius fundamentum, aeternitas, Dei est proprium. Alibi enim, tractantes de scientia Dei, vidimus, Deum futura contigentia cognoscere in seipsis, quia sunt praesentia divinae aeternitati. Imo ex modo tam constanti, quo S. Thomas hoc argumentum semper, et in isto loco, tractat, dilatandum probavimus momentum divinae aeternitatis in problemate de scientia divina. Iam vero fundamentum hoc aeternitatis tam proprium est Dei, ut nec ipse Deus illud possit creato intellectui communicare. Quare potest quidem Deus mentem creatam illuminare, communicando ei aliquid de absconso thesauro futurorum in seipsis cognitorum; at non potest talem de eisdem communicare notitiam, qua cognoscantur in seipsis. Prophetae enim absconse futura cognoscunt non in ipsis futuris, sed in mente Dei futura praenoscentis, imo praesentia suae aeternitati contuentis.

Singularem esse Dei hanc futurorum cognitionem, demonstrant, haud secus ac ratio modo exposita, testimonium Scripturae et consensus Patrum. *a*) Apud Isaiam Deus ita falsa numina provocat: « Accedant, et nuntient nobis quaecumque « ventura sunt; priora quae fuerunt, nuntiate, et ponemus cor « nostrum, et sciemus novissima eorum; et quae ventura sunt « indicate nobis. Annuntiate quae ventura sunt in futurum, « et sciemus quia dei estis » [1]. Et alibi: « Ego primus et ego « novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei? « vocet et annuntiet; et ordinem exponat mihi: ex quo consti- « tui populum antiquum: ventura et quae futura sunt, annun- « tient eis ». Haec cognitio futurorum, quatenus futura praeordinantur a Deo, est pars altissimae providentiae, iuxta quam Dei sapientia attingit a fine in finem [2]. « Ubi sunt sapientes « tui? Annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus « exercituum super Ægyptum » [3]. Et: « Ego sum Deus et non « est ultra Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio « novissimum, et ab initio quae necdum facta sunt » [4]. Hinc Daniel dixit ad regem Nabuchodonosor: « Mysterium quod « rex interrogat, sapientes, magi, arioli, et aruspices nequeunt

[1] Is. XLI, 22.
[2] Ibid. XLIV, 6.
[3] Ibid. XIX, 12.
[4] Ib. XLVI, 9.

« indicare regi: sed est Deus, in caelo revelans mysteria, qui « indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quae ventura sunt in « novissimis diebus » [1].

Hinc ars divinandi semper habita est tanquam participatio sapientiae divinae. Hoc quoque sensu exclamat S. Paulus: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei » [2]. Huc etiam implicite spectat titulus: « Ego sum α et ω,... primus « et novissimus » [3].

b) Patres in eamdem prorsus doctrinam conspirant. Praeter testimonia superius allata, ubi de hac praerogativa divinae scientiae data opera tractabamus, hae paucae sententiae ad praesentem scopum sufficiant. « Idoneum testimonium divini- « tatis, ait Tertullianus, veritas divinationis » [4]. Et Hilarius: « Proprium Dei, quid aliud est, quam cognitio futurorum? » [5]. S. Cyrillus Alex. ait: « Nulli alii, quam uni et soli naturali Deo « futura nosse convenit » [6]; et S. Chrysostomus: « Certa prae- « dictio futurorum immortalis Dei dumtaxat opus est. » [7]. Et pressius S. Augustinus: « Qui non est praescius omnium fu- « turorum, non est utique Deus » [8]. Quam doctrinam, cum sua applicatione ad Angelos et ad daemones, his paucis complectitur Damascenus: « Futura quidem, tametsi ea nec Dei An- « geli, nec daemones norint, utrique tamen praedicunt, sed « diverso modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prae- « dicunt quam Deo ipsis quae futura sunt detegente ac prae- « dicere imperante; quo fit, ut ea omnia eveniant, quae ab « ipsis praedicuntur. Daemones autem ipsi quoque praedicunt, « interdum videlicet, quia ea quae procul geruntur, cernunt; « interdum sola coniectura ducti; ex quo etiam fit, ut plerum- « que mentiantur ». Imo non solum ex ignorantia mentiuntur, dum ignota sibi, certa nihilominus praedicere praesumunt; sed etiam quia scopum sibi intentum, perdendi scilicet homines, mentiendo plerumque se sperant melius obtenturos.

[1] Dan. ii, 27, sq.
[2] Rom. xi, 33.
[3] Apoc. i, 8, 17.
[4] *Apol.* c. 20.
[5] Op. cit. l. ix.
[6] *In Ioan.* l. iv.
[7] *In Ioann.* homil. 18.
[8] *De civ. Dei*, l. v. c. 9.

Adiice mensurae praevisionis daemonum illud, quod Deo permittente cognoscunt. Etenim, ut ait S. Anselmus, « futura « nesciunt, nisi quantum ex transactis colligunt, vel quantum « Deus sinit eos scire » [1].

Et disserens *de casu Diaboli*, idem S. Doctor expresse docet, daemones non praescivisse se esse casuros. Quam inquisitionem hisce verbis exorditur: « Cum quaeris, utrum « ille Angelus, qui non stetit in veritate, praesciverit se esse « casurum, discernendum est, de qua scientia dicas. Nam si « de illa scientia quaeritur, quae non est, nisi cum certa ra- « tione aliquid intelligitur, omnino respondeo, non posse sciri « quod potest non esse. Quod enim non esse potest, ne- « quaquam certa potest colligi ratione. Quapropter con- « stat, illum nullatenus potuisse praescire casum suum, quem « necesse non erat esse futurum ». Et paucis interiectis idem confirmat hoc simplici dilemmate: « Si autem in bona volun- « tate stans, praesciebat se casurum, aut volebat ut ita fieret, « aut non volebat. Sed si cum praescientia voluntatem habe- « bat aliquando cadendi, iam ipsa mala voluntate ceciderat... « At si praesciebat se casurum et nolebat, tantum miser erat « dolendo, quantum stare volebat.... At tanto iustior erat, « quanto magis volebat stare; et quanto erat iustior, eo debe- « bat esse felicior.... Ergo si nolendo praesciebat se casurum, « tanto erat miserior, quanto erat felicior, quod non conve- « nit ». Privilegium scilicet Dei est praescire futura etiam illa, quae possunt non esse, quia Dei scientia est aeterna. « Praescientia Dei non proprie dicitur praescientia: cui enim « omnia sunt praesentia, non habet futurorum praescientiam, « sed praesentium scientiam » [2].

Quod S. Anselmus dicit de praevisione proprii casus, valet et de aliis praevisionibus huiusmodi; imprimis de praevisione triumphi Christi non solum a morte, sed per mortem. Invertendo enim parumper sententiam S. Pauli dicere licet: si triumphum Christi praevidissent, « nunquam Dominum glo- « riae crucifixissent » [3].

[1] *Eluc.*
[2] Op. cit. c. 21. — *P. L.* CLVIII, 332, sqq.
[3] I Cor. II, 8.

Quaeres. - *Quid de cognitione praeteritorum?*

Quidquid Angeli semel cognoverunt, ab intellectione non dimittunt. Quare, quae cognoverunt praesentia, cognoscere non desinunt praeterita.

De aliis autem distinguendum est. Si praeterita, quae Angeli non cognoverunt praesentia, aliquod vestigium reliquerunt ab Angelis cognitum: eatenus per vestigium cognoscuntur, quatenus in vestigio continentur. Secus, per se, cognosci non possunt, nec in speciebus infusis. Nam si in speciebus infusis cognosci possent, idem dicendum esset de futuris. Etenim ea, quae praeterita sunt, quin vestigium reliquerint, non habent plus de esse, quam ea, quae nondum sunt, nec in causis iam continentur. Restat utique rigidioribus Thomistis solvenda difficultas, quomodo praeterita et futura non contineantur tam bene in infusa specie, quae non recipitur ab obiecto praesenti; sed haec difficultas non est specialis de praeterito ut praeterito; ac proin solutio superius exhibita, si valeat valet, et de istis.

Corollarium. - Ex doctrina huius propositionis rursus vides, quanti momenti sit in re apologetica argumentum ex indole prophetica tum Vet. Testamenti relate ad Novum, tum multorum verborum Christi in Nov. Testamento desumptum. Hinc scientiae incredulae conspiratio, ut non solum omnibus mediis hoc argumentum infirmet, sed ut a priori prophetiam, utpote miraculosam, excludat, iuxta haec verba Adolphi Harnack: « Nobis extra controversiam est, omne quod obvenit in spatio « et in tempore, obedire legibus generalibus motus, et conse- « quenter miracula, intellecta uti ordinem naturalem infran- « gentia, esse impossibilia » [1]. Nedum autem haec impietatis, imo falsae philosophiae protervia catholicos scriptores a trita debeat apologetica via in hac parte deterrere, animosiores potius illos reddat oportet; quum ipse ardor, quo hostis impetit arcem, virtutem eiusdem atque tutamen eloquenter illustret [2].

[1] In opella cui titulus: *Das Wesen des Christentums,* conf. 2.

[2] De prophetiis Messianicis bene dixit Card. Dechamps: « Ce qui fait aujourd'hui « leur clarté est justement ce qui en faisait l'obscurité avant leur accomplissement », ob signa contradictoria magnitudinis et humilitatis, quae in Christo praedicabant. « Mais aussi, comment méconnaître l'éclatant accomplissement de tout ce qu'ils ont « écrit de lui, quand Jésus-Christ nous montre ces apparentes contradictions harmo- « nieusement fondues dans sa personne ? » (*Œuvres complètes,* t. XV, p. 376).

Prop. IV. - *Cogitationes cordium, id est, liberos motus intellectus et voluntatis, Angeli cognoscunt quidem in suis effectibus, non autem directe in seipsis; hoc enim est solius Dei, utpote cordium perfectam cognitionem et dominium habentis.*

Quemadmodum in donis gratis datis tribuitur prophetiae manifestatio rerum futurarum; ita quoque discretioni spirituum tribuitur manifestatio rerum absconsarum, maxime cogitationum cordium. Utraque enim cognitio propria est Dei. Fundamentum autem utrimque diversum est. In cognitione futurorum est aeternitas divinae scientiae consideratae in sua extensione; in perscrutatione cordium est tum perfectio eiusdem scientiae consideratae in sua intensitate, tum absolutum Dei in creaturas dominium.

In Angelis autem cognitio, quam habent sive alii de aliis, sive de hominibus, ab hac utraque perfectione deficit.

1) Deficit ab intensitate divinae cognitionis. Nam, licet substantias cognoscant aliorum ac proin species intellectuales eisdem respondentes, - iuxta doctrinam S. Thomae superius expositam, - non ideo cognoscunt modum, quo singuli istis speciebus utuntur. Idem dic de speciebus acquisitis, iuxta sententiam Scoti, quam ibidem exposuimus; nam, quum istae species non ab initio infundantur substantiae, modo connaturali ipsis, possunt a substantia ita separari, ut Angelus, si velit, eas abscondere possit.

2) Deficit quoque a dominio cognitionis divinae. Etenim, quum nihil sacratius sit in libertate entis intellectualis quam dominium in actus liberos, sive intellectus sive voluntatis; hoc autem dominium non possit valere in creaturis relate ad Deum, supremum ac plenum naturarum Dominum, quas condidit, Deus ex hoc quoque titulo scrutatur absconsa quaeque creatorum intellectuum et voluntatum; at, praeter Deum, hoc dominium quisque intelligens et volens potest reservare sibi; ita ut hoc sanctuarium spiritus sit cuivis creato spiritui, si velit, impenetrabile.

Ne autem ista doctrina ulterius urgeatur, triplex hic distinctio est adhibenda. 1) Alii sunt actus intellectus et voluntatis, qui naturali nexu cum ipsa perfectione naturae colligantur, alii actus a libero exercitio utriusque facultatis omnino dependentes. Primi actus cognoscuntur implicite cum

ipsa natura; alii constituunt istud dominium soli Deo per sese pervium.

2) In homine, praeter hanc distinctionem, est et alia magni momenti. Alii sunt liberi actus intellectus et voluntatis nullo prorsus, nec tenuissimo signo sensibili, apparentes; alii actus aliqualiter manifestati. Quae manifestatio non consistit tantum in actibus; sed et in motibus, in gestibus, in immutatione vultus, vel cordis, et in similibus, per quae, si non praecise et determinate, saltem aliqualiter possunt cognosci actus animi unde proveniunt.

3) Adde iam motus appetitus inferioris, qui exercitium ipsius animae praeveniunt, et ex sese nati sunt provocare saltem motus primos in intellectu et in voluntate inferiori eisdem correspondentes. De quibus rursus possunt spiritus aliquam cognitionem per haec signa habere.

Hucusque dicta iuxta sententiam eorum, qui in hoc argumento adhaerent S. Thomae, non quoad omnia admittuntur a Scoto et a Nominalistis passim. Isti affirmant utique, de facto, Angelos non cognoscere liberas cogitationes cordium; sed dicunt, hoc non esse ex ipsa natura rei, sed ex voluntate Dei, qui non vult ea cognosci, nisi se ipso ea revelante, vel aliis manifestare volentibus. Huic sententiae subscribit Card. Toletus [1], licet et S. Thomae sententiam probabilem affirmet.

Quo magis e contra urgetur ratio petita ex dominio, quam Angelus et homo habent in suos actus liberos, eo magis reservatur facultas non tantum Deo, sed et ipsi Angelo et homini, ut permittant abscondita cordis ab aliis cognosci; quatenus ut haec cordis abscondita ab aliis cognosci possint, non requiratur directa locutio eadem manifestans, sed sufficiat permissio ut ab aliis veluti legantur.

Quod si verum est, potest homo cum custode suo Angelo pactum inire, vi cuius nihil absconditum ipsi reservet, quod ad fructum custodiae sit utile scitu. Si autem ad hanc cognitionem aliquid amplius requiritur quam simplex permissio

[1] En secundam conclusionem Toleti; « Angelis et daemonibus, nisi Deus impe- « diret, omnes cogitationes nostrae essent naturaliter manifestae: ita ut, nolentibus « etiam nobis, videri possent ». Lege ibidem subtilem discursum, quo doctus Cardinalis mentem suam evolvit.

subiecti, oportet insuper ut vel subiectum, vel ipse Deus absconsa aliqualiter manifestet.

Quidquid sit de his subtilitatibus et de dubiis intra scholas catholicas motis, praeter controversiam de modo, stat ipsum factum: Dei scilicet esse solius, ut abscondita cordium quaeque possit propria virtute plenoque dominio perpenetrare.

Quod abunde constat ex Scripturis, et corroboratur ex traditione Patrum.

I. *Scripturae* tum Veteris tum Novi Testamenti hanc magnam veritatem praedicant, et quidem tam instanter, ut Card. Toletus, etsi in liberiorem de hoc argumento sententiam pronus, hanc conclusionem simpliciter dicat esse de fide.

Et sane, ut quaedam testimonia proferam: 1) in Veteri Testamento haec praerogativa passim Deo soli vindicatur, et ab ipso Deo: « Pravum est cor hominis et inscrutabile « quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans « renes » [1]. Nam « homo videt ea quae patent; Dominus autem « intuetur cor » [2]. Unde Deus oratur: « Tu nosti solus cor « omnium filiorum hominum » [3]; « Scrutans corda et renes « Deus » [4]; « Ipse novit abscondita cordis » [5]. Inde spes Iob accenditur: « Ecce in caelo testis meus, et conscius meus « in excelsis » [6]. Et sane quod spes iustis, est impiis terror: « Benignus est Spiritus Sapientiae, et non liberabit male- « dicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, « et cordis illius scrutator est verus » [7].

2) In Nov. Testamento eadem veritas elucet. Successorem Iudae sorte impetrantes, Apostoli orant: « Tu, Domine, qui « corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus « unum » [8]. Unde Christus per hoc pluries divinitatis suae argumentum praebuit, quod absconsa mentis et cordis manifestaverit, iuxta illud Ioannis: « Iesus non credebat semet-

[1] Eccli. xlii, 18.
[2] I Reg. xvi, 7.
[3] III Reg. viii, 39; II Paral. vi, 30.
[4] Ps. vii, 10.
[5] Ps. xliii, 22.
[6] Iob. xvi, 20.
[7] Sap. i, 6.
[8] Act. i, 24.

« ipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non « erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim « sciebat, quid esset in homine » [1]. Unde exclamant discipuli: « Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est ut quis te « interroget: in hoc credimus quia a Deo existi » [2]. Et sane saepius legitur Christus abscondita cordium intuitus. « Cum « vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis « mala in cordibus vestris? » [3]; « Iesus sciens cogitationes « eorum » [4]; « Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum « maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum... » [5]. Potest quidem Deus per revelationem abscondita cordium Sanctis suis manifestare, uti legitur apud Gregorium Magnum in vita S. Benedicti [6]; at in Christo istud charisma apparet tantopere constans, ut ex personali dignitate effluere dicendum sit, ac proin demonstret Deum.

Est enim, iuxta verba S. Pauli, « discretor cogitationum et « intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in « conspectu eius: omnia enim nuda et aperta sunt oculis « eius » [7]. Et « Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, « nisi spiritus hominis, qui in ipso est » [8]? Scilicet hoc nec alius hominis est, nec Angeli, sed solius Dei.

II. Et sane ita *Patres* ex huiusmodi locis Evangelii arguere solent. Pulchre S. Hieronymus: « Dominus videns « cogitationes eorum ostendit se Deum, qui possit cordis « occulta cognoscere » [9]; et brevius S. Ambrosius: « Oc- « cultorum cognitione Deum se esse demonstrat » [10]. - Ex verbis Ioannis supra allatis ita pariter arguit S. Fulgentius: « Filius igitur (sicut sanctus asserit Cyprianus) ubique prae- « sens est; idem omnes audit et videt, et maiestatis suae

[1] Ioann. ii, 24, sq.

[2] Ioann. xvi, 30.

[3] Matth. ii, 4; cf. Luc. v, 12.

[4] Ibid. xii, 25.

[5] Luc. ix, 46, sq.

[6] Cap. 20 « *De cogitatione monachi superba a viro Dei cognita* ». Quo ex facto, S. Gregorius concludit: « Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabilem Benedic- « tum latere nil posset, in cuius auribus etiam cogitationis verba sonuissent ».

[7] Hebr. iv, 12, 13.

[8] I Cor. ii, 11.

[9] In Matth. cap. 9.

[10] In Luc. l. v, in cap. 3.

« plenitudine in abdita quoque, et occulta penetrat; nec cla-
« moribus admonendus est, qui cogitationes videt. Huic sensui
« Ioannis Evangelistae dicta concordant, qui dicit de qui-
« busdam... » et citat sententiam: « Iesus non credebat semet-
« ipsum eis... » [1]. Nec aliter ex eisdem verbis arguit S. Chryso-tomus: « Quae in corde hominum insunt, nosse, solius est
« Dei, qui sigillatim corda finxit. Tu enim, inquit, nosti corda
« solus » [2]. Et ex alio loco Evangelii ita argumentatur: « Hic
« aliud signum deitatis suae, et quod Patri aequalis esset, non
« parvum ostendit. Illi enim murmurantes secum dicebant,
« peccatorum remissionem esse solius Dei. Ipse vero non
« solum peccata dimisit, sed occulta etiam cordium, quae
« nosse solius Dei est, manifestavit » [3]. Similiter arguit S. Cyrillus ex modo, quo Christus Nathanaël ad se prima vice venientem descripsit: « Noverat probe Nathanaël soli Deo
« corda hominum patere, ac illud Psalmistae infixum animo
« tenebat: " scrutans corda et renes Deus ": nulli namque alii,
« sed divinae solummodo naturae id Propheta attribuit » [4].

In hac affirmatione omnes Patres conveniunt [5]. « Nemo
« cor nostrum novit, sed solus novit, qui id fecit », ait Titus Bostrensis [6].

Quare cognitionem cordium excludunt a diabolo. « Colebat
« Deum, ait S. Augustinus de Iob, faciebat eleemosynas; et
« quo corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus: sed
« Deus noverat » [7].

Possunt tamen interna cordium colligi per signa. « Inter-
« nas animae cogitationes diabolum non videre, certi sumus;
« sed motibus eas corporis ab illo et affectionum indiciis
« colligi, experimento didicimus; secreta autem cordis solus
« ille novit, ad quem dicitur: " Tu solus nosti corda filiorum
« hominum " » [8]. Ita Gennadius. Et brevius S. Hieronymus:
« Diabolus in anima intrinsecus nescit, quid cogitet homo,

[1] *Ad Trasim.* l. II, c. 16.
[2] Homil. 24 in Ioann.
[3] Homil. 30 in Matth.
[4] *In Ioann.* l. II, c. 19.
[5] Plura huiusmodi testimonia lege apud Petavium (op. cit., l. I, c. 7).
[6] *Ctr. Manich.* 3.
[7] Serm. 234 de Temp.
[8] *De eccles. dogm.* c. 81.

« nisi per exteriores motus intelligat » [1]. Copiosius de hoc argumento ita disputat Cassianus: « Nulli dubium est, quod « possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere « qualitates; sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligen- « tes: id est ex nostris dispositionibus, aut verbis, ac studiis, « in quae propensius conspexerint nos inclinari. Ceterum « illas, quae necdum de internis animae prodierint, adire « omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes, quas inge- « runt, utrum susceptae, vel quemadmodum susceptae sint, « non per ipsius animae naturam, id est per illum interiorem « motum, qui in abditis eius absconditur, et ut manifestius « aliquid exprimam, in medullis, ut ita dixerim, saepius lati- « tantem; sed ex motibus, atque indiciis exterioris hominis « deprehendunt » [2].

Quousque se extendat illa subtilis signorum perscrutatio, ubinam incipiant cogitationes nostrae vel intentiones fieri daemonibus aliqualiter perceptibiles, difficile sane est dictu. Inde ipse Augustinus sententiam, in qua magis recise hanc daemonum cognitionem restrinxerat, scrupulo quodam motus, in suis retractationibus mitigandam duxit: « Rem dixi occultissi- « mam audaciore asseveratione, quam debui. Nam pervenire « ista ad notitiam daemonum, per nonnulla etiam experimenta « compertum est. Sed utrum signa quaedam dentur ex cor- « pore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia; an « alia vi, et ea spiritali, ista cognoscant: aut difficillime potest « ab hominibus, aut omnino non potest inveniri » [3].

Nec Angelis bonis competit illa perfecta cordium perscrutatio, quae solius Dei est. Audiatur Origenes. « Verbi « caussa, propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere « ad me Angelus poterit: " quia nunc cognovi quod tu times « Deum ". Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si « vero accessero ad agones, protulero bonam confessionem, « quae inferuntur constanter cuncta suscepero, tunc potest « dicere Angelus velut confirmans me, et corroborans: " nunc « cognovi quod tu times Deum " » [4].

[1] In vers. 20 ps. XVI.
[2] Collat. 7, c. 15.
[3] Retract. l. II, c. 30. — Cf. *De Gen. ad litt.* l. XII, c. 17.
[4] Homil. 7 in Genes.

Totam hanc doctrinam complectitur S. Thomas praecitata verba S. Pauli ad Corinthios ita collustrans: « Nec Angelus bonus, nec malus ea, quae in corde hominis latent, scire « potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur, « cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit, « ea ratione spiritum hominis cognoscere, quae in corde « hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem « neque bonus, neque malus illabitur menti humanae, ut in « ipso corde hominis sit, et intrinsecus operetur; sed hoc « solius Dei proprium est. Unde solus Deus est conscius « secretorum cordis hominis; secundum illud Iob [1]: " Ecce « in caelo testis meus, et in excelsis conscius meus " ».

Ex auctoritatibus Scripturae superius adductis et tam solemniter a Patrum traditione confirmatis, vides, quid sentiendum sit de exceptione, quam eisdem opponit Durandus dicens, ex hisce sequi, Deum solum cognoscere cogitationes cordium praeteritas, praesentes et futuras; at non ideo Angelis denegandam esse cognitionem cogitationum praesentium. Sed multipliciter huic exceptioni respondetur. 1) Nihil huiusmodi occurrit in modo, quo Patres haec testimonia intellexerunt. - 2) Si Angeli cognoscunt cogitationes praesentes, ergo et futuras; nam, quidquid semel cognoverunt, in intellectu servant; ergo privilegium Dei respiceret solum cogitationes futuras. Iam vero longe aliter loquuntur Scripturae. Imo hanc interpretationem excludunt. Modus enim quo cognitionem Dei repraesentant, directe fertur in praesens, uti in verbis: « Propitiare et redde unicuique secundum vias suas, « quas nosti eum habere in corde suo » [2]; et Christus Dominus argumentum suae divinitatis dedit per cognitionem cogitationum praesentium. - 3) Si cognitio cogitationum praesentium esset communis Deo et Angelis, quomodo sine hac restrictione posset cogitationum cordium cognitio tanquam Deo propria vindicari? Ergo haec exceptio Durandi tanquam gratuita est habenda.

Quin et solido quoque fundamento destituta videtur alia sententia Scoti et Toleti. Nam non est de facili censendus Deus facultates a se creatas impedire, ne vim suam innatam

[1] Loc. cit.
[2] II Paral. vi.

exerant. Bene Augustinus: « Nec Deus ita naturas creat, ut « leges auferat, quas dedit motibus cuiusque creaturae » [1]; et: « Sic Deus administrat cuncta quae creavit, ut etiam ipsa « proprios exercere et agere motus sinat » [2]. Unde hoc dilemmate arguo: aut Angelus per se capax est cognoscendi omnia abscondita cordium etiam invitorum: et tunc cur Deus impedit hanc naturae vim, quam condidit? aut, si non conveniat hanc capacitatem de facto Angelis inesse: et tunc cur Deus naturam Angelorum non sic condidit, ut hanc per se capacitatem non haberent?

Quare tum Scripturis et Patribus, tum rationi magis consonum credimus ut dicatur, cognitionem secretorum cordium ex natura rei non competere nisi Deo, utpote omnis participatae intellectionis et volitionis Creatori ac Domino [3].

Quaeres. - *Quid de cognitione habituum in voluntate acquisitorum?*

Ratio difficultatis est manifesta. Dantur enim quidam habitus naturales veluti infusi, quatenus ex tali vel tali dispositione innata profluunt: unde alii nascuntur in iracundiam, alii in avaritiam proni; quos habitus ab Angelis cognosci, praeter dubium est. Sed quid de habitibus, qui libere gignuntur, i. e., per protractius exercitium liberum virtutum sive vitiorum? Si dicas, Angelos cognoscere effectum, quo iure negas cognitionem causae? Ubinam ponetur limes inter dominium causae, quod affirmatur, et dominium effectus, quod negatur? inter cognoscibilitatem causae, quae recusatur, et cognoscibilitatem effectus, quae conceditur?

Inde in duas partes abeunt theologi, etiam Thomistae. Alii negant, libere acquisitos habitus ab Angelis naturaliter cognosci; alii affirmant. Sed nonne patet via media? dicendo, habitus cognosci, non quatenus sunt acquisiti per actus liberos, qui singuli cognosci nequeunt; sed quatenus impossibile est, habitum acquiri, quin actus pluries manifestati fuerint, et habitum durare, quin et ipse manifestetur.

Prop. V. - *Mysteria gratiae naturaliter Angeli non cognoscunt, quum pendeant a libera voluntate Dei; multa tamen*

[1] *Ctr. Iul.* l. v, c. 14.

[2] *De Trinit.* l. vii, c. 30.

[3] Lege de hoc argumento Billuart egregie disserentem.

supernaturaliter cognoscunt, tum ex visione beatifica, tum ex speciali revelatione divina.

Haec rursus propositio duplici parte constat.

I) Prima pars est veluti consequens a fortiori propositionis praecedentis. Et sane, si Angeli non cognoscunt secreta cordium, propter dominium libertatis creatae; quid erit dicendum de isto dominio summo, quod habet Deus, maxime relate ad mysteria gratiae? Nam qui dicit gratiam, dicit gratuitum, ac per consequentia aliquid a liberrima Dei voluntate profluens. Sane ita arguit S. Paulus: « Quis hominum scit, quae « sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et « quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei » [1].

Haec conclusio est manifesta, si agitur de cognitione mysteriorum gratiae in seipsis. At quid de mysteriis gratiae quatenus apparent exterius? Hinc dubium in hac re movit Scotus, praesertim ob mysteria Incarnationis et Eucharistiae.

Solutio tamen non videtur valde difficilis. 1) Quatenus mysteria gratiae apparent, possunt considerari ut aliqualiter ab ipso Deo manifestata; unde hic respectus pertinet potius ad secundam partem propositionis. - 2) Alia est manifestatio negativa, per modum rei absentis; alia manifestatio positiva, per modum rei praesentis. Ita *a*) in Incarnatione, potuerunt quidem Angeli videre, in homine Iesu personalitatem humanam ex sese non compleri per hominem; sed non ideo mysterium unionis hypostaticae huius naturae humanae cum Verbo cognoverunt. - Idem dic de modo quo Christus est conceptus. Potuit quidem diabolus scire, Christum ortum esse de virgine [2]; non tamen ideo cognoscere potuit, eum esse conceptum de Spiritu Sancto, utpote Filium Dei. - *b*) In Eucharistia possunt quidem Angeli scire, sub speciebus panis et vini non amplius adesse utriusque substantiam; non ideo tamen perscrutantur ipsam sub istis speciebus mirabilem praesentiam Christi.

II) At quod naturali cognitione non apprehendunt, Angeli, duplici alia via attingere possunt: per lumen visionis beatificae et revelationis divinae.

[1] I Cor. II, 11. — Cf. S. Ambrosium in hunc locum.

[2] Loquimur hic de mera possibilitate. — Cf. quae diximus de hac quaestione in tractatu *De Deo Homine*, t. II, p. 320.

1) Multa mysteria gratiae per beatificum lumen communicari, patet ex intimo nexu, quem habent tum cum Deo quem manifestat, tum cum fine creationis, in quem tendit. At non ideo omnia mysteria gratiae in ipso lumine gloriae continentur, quum hoc lumen non sit comprehensivum. Quare de mysteriis gratiae in Dei lumine eo plus intuentur Angeli, quo altiorem in beata hierarchia gradum tenent.

At praeter visionem beatificam, vel per eam speciali modo elucentem, Deus potest Angelis alia et alia mysteria gratiae manifestare. Inde iure creditur, saeculorum decursu Angelos perfectiorem paulatim notitiam accepisse eorum, quae spectabant ad futuram redemptionem per Deum incarnatum implendam.

Quaeri hic solet, qua gradatione Angeli mysterium Incarnationis cognoverint [1].

Aliter et aliter huic quaesito respondent theologi iuxta sententiam, quam amplectuntur quoad occasionem lapsus daemonum. Qui tenent, malos angelos ideo cecidisse, quia contra futuram Incarnationem ex invidia rebellarunt, admittant oportet, aliquam Incarnationis revelationem omnibus Angelis tam bonis quam malis ad initio factam.

Quidquid sit de hac primitiva revelatione ab exordio facta omnibus, tenendum est, omnes Angelos bonos a principio visionis beatificae aliquid de Incarnationis mysterio cognovisse. Quae cognitio paulatim excrevit, ita ut censendi sint Prophetae de hoc mysterio fuisse illustrati per Angelos; quatenus Angeli, utpote nuntii, semper ante homines fuerint secretorum Dei conscii, ab ipso deinceps Christo magis magisque illuminandi.

Gradationem huius revelationis S. Paulus exponit his verbis: « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec: « in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et « illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat Principatibus et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro » [2].

[1] Lege quae de hoc argumento habet Sylvius (op. cit., hoc loco).

[2] Ephes. III, 8-11.

Sed haec ipsa Apostoli verba aliter et aliter a scriptoribus sacris sunt exposita. Augustinus quidem Ecclesiam intelligit primaevam angelicam, « quia ibi primitus Ecclesia, quo post « resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus « aequales Angelis Dei ». Unde concludit: « Illis ergo a sae- « culis innotuit » [1]. At alii intelligunt simpliciter Ecclesiam praesentem a Christo ortam. Unde non verentur concludere, Angelos ipsos revelationem mysterii Incarnationis ab Ecclesia accepisse. Ita Anastasius Sinaita inducit Angelos loquentes: « Hoc quod a saeculo in omnibus absconsum fuerat myste- « rium, vobis filiis hominum dedit primis discendum; et per « vestram Ecclesiam hoc nos postea agnovimus » [2]. Et hanc propositionem suam fulcit allata auctoritate S. Pauli, necnon interrogatione psalmi: « Quis est iste Rex gloriae? » [3] et sententia S. Petri: « Data sunt dona hominibus, in quae desi- « derant Angeli prospicere » [4]. - S. Chrysostomus pariter ait: « Vide, quantus honor humanae naturae est habitus, ut nobis- « cum et per nos caelestes Virtutes Regis arcana cognove- « rint » [5]. Et alibi idem affirmat: « Ii (Angeli) nobiscum ac « per nos didicerunt quaecumque novimus ». Et pergit hanc propositionem evolvens ex auctoritate S. Pauli [6]. In eamdem sententiam conspirant Theophylactus, Œcomenius, Theodoretus, Nyssenus [7].

Ex Patribus Latinis similia habent S. Ambrosius et S. Hieronymus. Prior ex interrogatione: « Quis est iste Rex gloriae? », et « Quis est iste qui venit de Bosra? » coniicit, Angelos de Christo usque ad eius ascensionem dubitasse. « Dubitaverunt « etiam Angeli cum resurgeret Christus; dubitaverunt Pote- « states caelorum, videntes quod caro in caelos ascenderet. « Denique dicebant: " Quis est iste Rex gloriae? " Et cum « alii dicerent: " Tollite portas principis vestri, et elevamini « portae aeternales, et introibit Rex gloriae ", alii dubitabant « dicentes: " Quis est iste Rex gloriae? " In Isaia quoque habes

[1] *De Gen. ad litt.* l. v, c. 19, n. 38. *P. L.* xxxiv, 335.
[2] *Anag. contempl. in Hexaem.* 1.
[3] Ps. xxv.
[4] I Petr. I, 12.
[5] Homil. 4, de Incarn.
[6] Homil. in Ioann. 1. - cf. Comment. in epist. ad Ephes. hoc loco.
[7] Cf. Petavium (op. cit. l. i, c. 8.

« dubitanter Virtutes caelorum dixisse, etc. " [1]. S. Hieronymus autem de loco Isaiae [2] dicit: « interrogasse Angelos rei novi- « tate perterritos. Mysterium enim passionis et resurrectionis « Christi secundum Apostolum Paulum cunctis retro gene- « rationibus fuerat ignoratum [3].

Haec sententia, saltem quoad substantiam, id est, quoad cognitionem mysteriorum Incarnationis, quam Angeli receperint per Ecclesiam, recurrit adhuc apud scriptores posterioris aetatis. Ita S. Anselmus admittit, « per Ecclesiam pro- « fecisse in cognitione huius sapientiae etiam angelicos spiri- « tus ». Et rationem affert: « quia dum eam Christus vel per « se, vel per Angelos institueret, plurima secreta didicerunt « Angeli, quae ignorabant » [4]. Qui loquendi modus, iam longe cautior, inducit interpretationem S. Thomae, juxta quam Angeli didicerunt quidem per Ecclesiam, at non quasi ab illa, id est, ab hominibus edocti, sed Deo illuminante doctiores effecti per ea, quae in Ecclesia complebantur. « Non « est, inquit, conveniens, nec ratio aliqua, ut dicamus Sanc- « tos, qui sunt in patria, doceri a quantumcumque perfectis « viatoribus. Nam licet inter natos mulierum non surrexit « maior Ioanne Baptista, tamen qui minor est in regno cae- « lorum, maior est illo, ut dicitur Lucae septimo. Dicere « autem quod daemones doceantur ab hominibus, hoc absque « praeiudicio credibile est. Sed quod beati, qui immediate « Verbum conspiciunt, quod est speculum sine macula, in « quo relucent omnia, a viatoribus doceantur, dici non debet, « nec conveniens videtur. Dicendum est ergo quod innotuit « Angelis per Ecclesiam, primo per Apostolos praedicantes; « non quod Angeli hoc didicerint ab eis, sed per eos ». Scilicet, ut ipse S. Doctor ait, « sunt rationes mysteriorum « gratiae creatae captum excedentes, quae non sunt inditae « mentibus Angelorum, sed in solo Deo sunt occultae. Et « ideo Angeli non cognoscunt eas in seipsis, nec etiam in « Deo, sed cognoscunt eas, secundum quod in effectibus

[1] *De init.* IV, c. 7.

[2] Cap. LXIII.

[3] *De Fide,* IV, c. 1. - Simile habet Iustinus: « Nam quia caelestes principes vide- « bant ipsum deformem habere et inhonorem ac contemptam speciem, non agnoscen- « tes eum interrogabant ... » *(Dial. c. Tryph.).*

[4] Comment. in ep. Pauli.

« explicantur » [1]. Quae ultima verba sane longe melius intelliguntur in sententia, quae admittit, Angelos accipere posse a singularibus, quam in sententia Thomistarum, quae excludit ab Angelis quamvis naturalem cognitionem singularium, nisi per species infusas.

Unum in praecedenti textu S. Thomae continetur magni momenti, discrimen scilicet summum, quod interest inter cognitionem Angelorum et daemonum, maxime ob visionem beatificam qua gaudent illi. Quare mirum est valde, plures e sanctis Patribus, id non satis attendisse, ubi de Angelorum scientia disserebant. Secus, quomodo affirmare potuissent, Verbum fuisse Angelis invisibile, usquedum nostram visibilem naturam assumpsisset? S. Athanasius ait: « Invisibilis « antea caelestibus Virtutibus; nunc visibilis propter coniunc- « tionem cum visibili homine. Visibilem porro dico, non invi- « sibili divinitate, sed divinitatis efficientia per humanum « corpus » [2]. Et S. Chrysostomus ex verbis S. Pauli: « Deus « apparuit in carne, iustificatus est in Spiritu, visus est An- « gelis » concludit: « Angelos nobiscum videre coepisse Dei « Filium, cum antea non viderent » [3]. Vehementius affirmat Gelasius Cyzicenus: « Neque enim ab Angelis conspici pote- « rat in divinitatis substantia, nisi esset incarnatus » [4]. Quae sententia sane multipliciter est corripienda.

Quam profundius S. Augustinus de daemonum scientia cum Angelorum collata haec scribit: « Tantum eis (daemo- « nibus) innotuit, in quantum voluit: tantum autem voluit, « quantum oportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis sanctis, « qui eius, secundum id, quod Dei Verbum est, participata « aeternitate perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescen- « dum fuit... »; nimirum « per quaedam temporalia suae vir- « tutis effecta, et occultissimae signa praesentiae, quae ange- « licis sensibus etiam malignorum spirituum, potius quam « infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando « paululum supprimenda iudicavit, et aliquanto altius latuit, « dubitavit de illo daemonum princeps, eumque tentavit an

[1] In comm. ep. ad Ephes. c. 3.
[2] In calce orat. IV, ctr. Arian. — *P. G.* t. XXVI, col. 524.
[3] Homil. XI, in ep. 1 ad Tim. — *P. G.* t. LXII, col. 554.
[4] Praefat. libr. Act. Nicaen. — *P. G.* t. LXXXV, col. 1196.

« Christus esset, etc. » [1]. Et sane quantum discrimen apparet in vita Christi inter daemonum et Angelorum de eo scientiam! Oriturum praenuntiat Angelus, ortum Angeli cantibus celebrant, a daemone in deserto proterve tentato adorabundi ministrant. Verbo, daemonum ignorantia per ipsam Christi mortem sese manifestavit; nam, ut loquitur S. Paulus, « si « cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». Bene S. Leo Magnus: « Ut humanum genus vinculis morti- « ferae praevaricationis absolveret, et saevienti diabolo poten- « tiam suae maiestatis occuluit, et infirmitatem nostrae hu- « militatis obiecit. Si enim crudelis et superbus inimicus « consilium misericordiae Dei nosse potuisset, Judaeorum « animas mansuetudine potius temperare, quam iniustis odiis « studuisset accendere: ne omnium captivorum amitteret ser- « vitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem » [2].

Non autem tantopere exaggeranda est ista daemonum ignorantia, quasi de propria sua sorte fuissent ante Christum ignari. Sed de hoc fusius alibi agemus, ubi de diaboli casu erit agendum [3].

II. - Ad Textum S. Thomae.

Ad Art. I. - « *Utrum Angeli cognoscant res materiales* ».

1. Obi. Confundit rem intellectam uti est in se, cum specie eius, qua est in intellectu.

[1] *De Civit. Dei,* l. IX, c. 21.

[2] Serm. 11, de Pass. — Imo ex hac daemonis dispositione desumitur lex oeconomiae, qua Christus cum daemone egit. Quando vidit daemonem iam nimis de eius missione suspicari, corripuit eum et ad silentium redegit; cunctaque ita gubernavit, ut statuto tempore, praedictae de se morti succumberet, causis secundis imo liberrimis tam naturaliter concurrentibus, ac si nullum fuisset consilium superne implendum. Quam oeconomiae legem si melius attenderent, plures exegetae in variis adiunctis agendi rationem Christi longe facilius explicarent.

[3] Interim placet haec verba afferre S. Irenaei: « Bene Iustinus dixit, quoniam « ante Domini adventum, nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum: quippe « nondum sciens suam damnationem: quoniam et in parabolis, et in allegoriis, a Pro- « phetis de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini, ex sermonibus Christi, « et Apostolorum eius discens manifeste, quoniam ignis aeternus ei praeparatus est « ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus, qui sine poenitentia perseverant « in apostasia, per huiusmodi homines blasphemat eum Deum, qui iudicium importat, « quasi iam condemnatus, et peccatum suae apostasiae conditori suo imputat, et non « suae voluntati, et sententiae » (*Ctr. Haeres.* V, c. 26). — *P. G.* t. VII, col. 1194.

2. Obi. Multipliciter peccat. *a*) Erronee supponit, essentiam rerum etiam corporalium apprehendi per sensus aut per imaginationem. *b*) Arguit ac si res cognita debeat esse praesens re in intellectu cognoscente.

3. Obi. Haec obiectio maiorem habet virtutem. S. Thomas vim concedit, sed obiectionem depellit recurrendo ad cognitionem per species innatas. S. Bonaventura non admitteret plenam virtutem obiectionis. Quid nobis videatur, iam diximus.

Sed contra est. Confer rationes a nobis in prima propositione allatas. Argumentum hic a S. Thoma adductum movet quoque illos, qui putant, Angelos cognoscere materialia in seipsis, sed modo perfectiori quam nos.

In Corpore. Doctrina huius *Corporis* et responsionum hoc schemate contrahitur.

- Angelos intelligere res materiales,
  - I. *probatur:*
    - 1) *indirecte:* hoc valet homo, a fortiori Angelus.
    - 2) *directe:* quemadmodum Deus omnia materialia intelligit in sua una simplicissima essentia, quae omnia continet supersubstantialiter, ita Angeli materialia cognoscunt in suis speciebus eo minoribus numero, quo sunt ipsi propinquiores ad Deum, quia in his speciebus materialia intellectualiter continentur.
  - II. *illustratur:*
    - 1) haec cognitio est quidem perfectio Angelorum, non tamen ita ut eam a materialibus accipiant (ad 1.^{m});
    - 2) pertingit ad essentiam rerum (ad 2.^{m});
    - 3) quin ullo modo Angeli abstractione uti indigeant: sunt enim species intelligibiles actu, ipsis connaturales (ad 3.^{m}).

Ad Art. II. - « *Utrum Angeli cognoscant singularia* ».

1. Obi. Arguit ac si Angeli cognoscerent singularia eo modo quo nos; quod nec ipsi Scotistae contendunt.

2. Obi. Si valeret haec obiectio, valeret etiam contra cognitionem, quam homo habet singularium; nam et ista cognitio terminatur in intellectu, qui spiritualis est. S. Thomas solvit

obiectionem assimilando cognitionem singularium in mente angelica cognitioni divinae, dempta causalitate.

Putamus gradationem quatuor membrorum statui posse. Est enim singularium cognitio 1) eminens et causalis in mente divina; 2) eminens, at non causalis, per species infusas singularia attingentes, iuxta mentem S. Thomae; 3) propria a singularibus acquisita, at more angelico, iuxta possibilitatem, quam agnoscit S. Bonaventura; 4) propria a singularibus acquisita per abstractionem phantasmatum more humano.

3. Obi. Haec obiectio est argumentum in sententia Scoti. Utrum a Thomistis efficaciter depellatur, controvertitur. Si valet argumentum *Corporis,* valet et heic responsio S. Thomae; secus vero, non.

Sed contra est. Cf. et alia argumenta a nobis superius allata.

In Corpore. En schema huius doctrinae.

- Angelos cognoscere singularia,
  - I. alii *negant:*
    - 1) ex *toto:*
      - *a*) contra revelationem de gubernatione rerum Angelis commissa;
      - *b*) contra doctrinam philosophicam de motu corporum caelestium.
    - 2) ex *parte:*
      - *a*) negant in se,
      - *b*) concedunt in causis universalibus:
        - non sufficit ad salvandam providentiam, quae est de singulis secundum hic et nunc.
  - II. sed *affirmandum* est; etenim
    - 1) *res* patet:
      - in ipso homine iuxta suae naturae gradus dantur virtutes cognoscitivae aliis universaliores;
      - a fortiori Angelus, superior homini, id debet habere per virtutem universaliorem;
    - 2) *modus* patet:
      - sicut omnia creata sunt in essentia divina, etiam uti singularia, quatenus ab ea exeunt ut sint in seipsis; ita intelligibilia sunt in mente angelica etiam uti singularia, quatenus ex Deo in mentem Angelorum exeunt per species, ut sint per species cognoscibilia.

Equidem existimo hanc argumentationem S. Thomae esse validissimam quoad primam partem (I, 1 et 2); imo certissi-

mam quoad prius membrum alterius partis (II, 1); at dubito utrum alterum membrum habeat plus quam vim illustrativam.

Ad Art. III. - « *Urum Angeli cognoscant futura* ».

1. Obi. Confundit cognitionem futurorum in causis et in ipsis futuris.

2. Obi. Arguit ac si Angelus esset undequaque supra omne tempus, quod est falsum. Nam in Angelorum intellectu datur quaedam successio, licet non sit in tempore nostro.

3. Obi. Hanc obiectionem tantopere existimo potiorem, ut solutionem a Thomistis suggestam vix efficacem existimem.

4. Obi. Arguit a pari e tempore et e spatio. S. Thomas negat paritatem. Alii eam concedunt; at non admittunt, Angelorum cognitionem de singularibus esse omnino supra omnem relationem spatii.

Sed contra est. Cf. testimonia Scripturarum et Patrum superius allata.

In Corpore. En doctrinae schema.

- Futura Angeli cognoscunt
  - I. in *causis suis:*
    - 1) ex quibus ex necessitate proveniunt, — *certo;*
    - 2) ex quibus *ut in pluribus,* — *coniecturaliter,* plus vel minus perfecte iuxta dignitatem specificam;
    - 3) ex quibus ut *non in pluribus,* — *nullo modo:* sunt enim fortuita.
  - II. *in ipsis* futuris:
    - 1) Deus omnia (1, 2, 3) ratione aeternitatis;
    - 2) Angeli *non,* (nisi ipsis a Deo revelentur):
      - *a*) species quidem per se sunt supra tempus, at non intellectio Angeli (ad 2.m);
      - *b*) solum praesentia habent esse per quod speciebus assimilentur (ad 3.m);
      - *c*) aliter distantia, aliter futura se habent ad mentem angelicam (ad 4.m).

Ad Art. IV. - « *Utrum Angeli cognoscant cogitationes cor-* « *dium* ».

1. Obi. Ab impedimento a parte corporis, post resurrectionem non amplius existente, falso concludit contra impedimentum a parte liberae voluntatis.

2. Obi. Falso concludit a speciebus, quae dignitati substantiae respondent, ad liberum earumdem specierum usum.

3. Obi. Dupliciter peccat: *a*) confundit omnino phantasiam hominis cum phantasia brutorum; *b*) procedit a falsa aequatione sive comparatione inter ea, quae sunt in nostra phantasia, et ea, quae sunt in intellectu. Unde, etiamsi primum esset concedendum, nondum sequeretur consequens intentum.

Sed contra est. Cf. nostram propositionem quartam.

In Corpore. En doctrinam S. Thomae schemate expressam.

- Cogitationes cordium Angelus cognoscere potest
  - I) improprie, in suo effectu,
    - 1) sive sit actus exterior;
    - 2) sive sit merum signum, etiam subtile;
  - II) at non proprie, in se ipsis:
    - 1) In Scripturis id tribuitur Deo soli;
    - 2) decet ut ille solus cognoscat, quod ad illum solum ordinatur, et ab eo solo movetur: unde,
      - *a*) Angeli non gnoscunt per se intellectiones nec volitiones:
        - α) non ob grossitiem corporis,
        - β) sed ob dominium voluntatis (ad 2.m).
      - *b*) nec ipsos motus appetitus phantasiae:
        - α) non quatenus sunt effectus alicuius impressionis corporalis,
        - β) sed in quantum moventur a voluntate et ratione (ad 3.m).
      - *c*) cognoscunt autem species intellectuales sive hominum, sive Angelorum.

Ad Art. V. - « *Utrum Angeli cognoscant mysteria gratiae* ».

1. Obi. Dupliciter deficit: *a*) quoad textum S. Augustini, qui intelligendus est iuxta visionem beatificam Angelorum; *b*) quoad textum S. Pauli, qui explicandus est iuxta superadditam revelationem divinam.

2. Obi. Confundit visionem essentiae divinae cum eiusdem comprehensione.

3. *Obi.* Abstrahit a speciali revelatione divina, per quam Angeli de divinis mysteriis instruebantur, ut et ipsi vicissim illuminarent Prophetas.

Sed contra est. Vide ex dictis in propositione nostra quinta, quantopere haec gemina interrogatio cantici Isaiae et psalmi induxerit quosdam scriptores, ut de cognitione Angelorum nimis depresse loquerentur. Equidem existimo, has interrogationes iuxta leges lyrismi poëtici liberius esse intelligendas. Nam si intelliguntur eo modo, quem S. Thomas hic admittit, dicendum est, Angelos non solum non cognoscere mysteria gratiae; sed nec post resurrectionem, imo nec in ipsa ascensione agnovisse Christum.

In Corpore. En schema doctrinae:

- Mysteria gratiae Angeli cognoscunt
  - I) non *in sua essentia,* sive in speciebus sibi innatis:
    - 1) constat ex revelatione;
    - 2) probatur ex ratione:
      - *a*) a priori, nam neque cognoscunt cogitationes cordium;
      - *b*) haec mysteria pendent a mera Dei voluntate.
  - II) sed *in Verbo,* per visionem et per superadditas revelationes:
    - 1) non tamen omnia: v. gr. Incarnationem
      - *a*) in generali, omnes ab initio beatitudinis cognoverunt;
      - *b*) in speciali, per successionem temporis, iuxta ordinum gradus;
    - 2) nec modo comprehensivo;
    - 3) nec omnes aequaliter
      - *a*) quoad intentionem,
      - *b*) quoad extensionem,
      - *c*) quoad initium revelationis.

Quaeres. - Estne omnino inconveniens, Angelos aliquid, non solum per successivam evolutionem Ecclesiae, sed et ab Ecclesia cognovisse? - Sane Ecclesia, uti sponsa Christi et depositaria mysteriorum eius, habet quamdam dignitatem omnino singularem, quae et ipsis Angelis reverentiam inspirat, imo cui Angeli singulariter considerati aliqualiter cedunt. Quare eatenus Angelum ab Ecclesia edoceri, quatenus Ecclesia hac sublimi pollet dignitate, non videtur tantopere inconveniens ac a pluribus exhibetur. Modus huius doctrinae

facilius intelligitur iuxta sententiam, quam praetulimus de angelica cognitione singularium, quam in sententia rigidiori Thomistarum.

Ob rationem non semel allatam, in fine huius Quaestionis a brevissima Synopsi pariter abstinemus.

CAPUT IV.

DE MODO COGNITIONIS ANGELICAE.

QUAESTIO LVIII.

Ordo quem S. Thomas in hac Quaestione sequitur hoc schemate contrahi potest.

- **Modus cognitionis angelicae investigatur**
  - 1) quoad *actuationem* (a. 1);
  - 2) quoad *simultaneitatem:*
    - *a*) a parte obiecti (a. 2),
    - *b*) a parte processus
      - α) per ratiocinium (a. 3);
      - β) per compositionem et divisionem (a. 4).
  - 3) quoad *certitudinem* veritatis (a. 5);
  - 4) quoad cognitionis *genera:*
    - *a*) utrum possit dici matutina et vespertina (a. 6),
    - *b*) utrum eadem sit, necne (a. 7).

I. - De ipsa Quaestione.

Quum argumentum quatuor veluti partibus constet, totidem propositionibus rem comprehendemus.

Propos. I. - Quoad habitum scientiae, *Angeli semper sunt in actu relate ad ea, quae fundamentaliter, naturaliter ab initio cognoscunt; possunt tamen dici in potentia relate ad ea, quae per revelationem et per applicationem ad singularia acquirunt.*

Quoad actualem considerationem, possunt *dici in potentia relate ad multa, quae cognoscunt, sed non actu considerant; non autem relate ad semetipsos, nec relate ad obiectum pri-*

marium visionis beatificae, quod sicut et se, semper actu intuentur.

Breviter hanc propositionem illustrabimus, quum non sit nisi consequens veritatum iam superius expositarum, et in propositione sequenti sit partim complenda.

Evidens est, Deum solum esse actum purum; ac proin in intellectu angelico dari compositionem actus et potentiae: non solum quatenus ipsa facultas intellectiva adiicitur substantiae angelicae, - nam sub hoc respectu est potius actus quam potentia; sed quatenus in ipsa vitalitate intellectus angelici duplex iste respectus occurrit.

Quod ut melius illustretur, distinguamus cum S. Thoma ipsum habitum scientiae et usum actualem rerum hoc habitu cognitarum.

1) *Quoad habitum scientiae* multum interest inter intellectum humanum et angelicum. Terminus a quo intellectus humani est tabula rasa, illuminata unice per scintillam evidentiae primorum principiorum, quorum ope omnia acquirenda illustrantur. In Angelo terminus a quo est splendor visae propriae essentiae, et per eam ascensus ad Deum et ordinatio ad multiplices veritates. Quousque autem insuper in Angelis admittenda sit infusa scientia, quam diximus simplicis intelligentiae; quousque insuper infusa scientia visionis per omnes species rerum, universaliores vel particulariores iuxta capacitatem subiecti, superius discussimus. Quidquid de ista scientia infusa sub hoc gemino aspectu teneatur, prostat Angelis, in sententia quam defendimus, mutuum intellectuale commercium, quo ab initio se invicem intuentur; prostat immediata intuitio universi creati. Quare, etiam in sententia, quae minus dilatat scientiam Angelis ab initio superne infusam, Angeli ab exordio vastissimum scientiae habitum actu possident.

Non ideo tamen in Angelis non est admittenda quaedam potentia relate ad scientiae habitum. Imo huius potentiae fundamentum est non solum cognitio, quam supernaturaliter praeter scientiam naturalem revelante Deo acquirere possunt; sed, in sententia nostra, naturalis applicatio intellectus ad singularia, quae in obiectivo ordine externo cum temporis successione moventur.

2) *Quoad usum scientiae,* Angelus non semper omnia, quae cognoscit, intuetur simul actu; unde quatenus modo ad haec attendit, modo ad illa, intellectus eius movetur, et proin de potentia transit in actum.

Nihilominus datur duplex obiectum, a quo Angeli intellectus nunquam dimovetur: unum in ordine cognitionis naturalis, et est contemplatio propriae essentiae; alterum in ordine cognitionis supernaturalis, et est contemplatio essentiae divinae. Imo in propria essentia, quam iugiter intuetur, Angelus nequit non semper agnoscere Deum. Unde, etiamsi non esset elevatus ad contemplationem supernaturalem divinae essentiae per lumen beatificum, Angeli semper haberent mentem in Deum directam. Quare non solum Angeli boni, duplici quidem titulo, semper de Deo cogitant; sed nec mali, quem a visa propria essentia separare nequeunt, de mente sua, ne per instans quidem, licet odio frementes, possunt depellere Deum.

Hic quaerere solent theologi, utrum intellectio, qua Angelus est semper in actu relate ad propriam essentiam, sit necessaria, an libera. Liberam censet Puteanus. At plerique, ut Bannez, Cumel, Suarez, Tannerus, Sylvius, - quae dicenda est sententia S. Thomae [1] - oppositum tenent. Et sane de hac intellectione aliqualiter loquendum est sicut de processionibus divinis ad intra. Fluit per se ex perfectione naturae angelicae, et est omnis intellectionis angelicae radix. Nec inde minus digna, quia non libera. Quidquid enim in libertate habetur perfectionis simpliciter simplicis, in hac naturali intellectione excellentius continetur.

Prop. II. - *Angelus potest multa intelligere simul ut unum; - quaeque cognoscit naturaliter, intelligit sine discursu, absque compositione vel divisione.*

Duae habentur partes in hac propositione. In prima parte simultaneitas intellectionis angelicae consideratur *quoad obiectum;* in altera, *quoad processum.*

I) Plura autem posse per modum unius intelligi, patet per propositiones qualescumque humani sermonis, per conclu-

[1] *Sma. ctr. Gent.* l. II, c. 97.

sionem argumentorum, per intellectionem relativorum. Quae si iam per modum unius percipit intellectus noster, quanto magis intellectus angelicus, quippe qui, uti mox videbimus, discursu et compositione ac divisione caret?

Aliter tamen de simultaneitate intellectionis angelicae *a parte obiecti* loquendum est, secundum quod consideratur intellectio, qua Angelus cognoscit res per Verbum, vel per species.

a) *In Verbo* ipso omnia esse unum, et omnia per modum unius intelligi posse, manifestum est ex ipsa simplicitate divinae essentiae et divinae intellectionis. Deus enim uno actu seipsum intelligens, omnia intelligit simul. Ergo qui ipsam intuetur essentiam Dei, in Verbo Dei simul videt quidquid videt, quia omne videt per modum unius.

Non ideo tamen ab hac intellectione excludenda est possibilitas distinctionis, quatenus Angeli possunt veluti quemdam ordinem considerare, ac proin de uno ad alterum intellectualiter transire; ita tamen ut in unoquoque rerum ordine multa uno intuitu comprehendant. Quae consideratio inducit alterum modum cognitionis angelicae.

b) *In speciebus* plura simul intelligunt Angeli, iuxta earumdem specierum continentiam. Quum enim, iuxta dicta superius, Angeli intelligant per infusas species eo pauciores quo sunt universaliores, in his speciebus eo plura simul intelligunt, quo sunt universaliores. Nam hic ipse continentiae ambitus determinat speciem. Quare, quae simul in una specie intelligi non possunt, neque in una specie possunt contineri.

Hoc verissime dicitur de illa scientia per species infusa, quam vocavimus simplicis intelligentiae. Imo valet et pro scientia visionis in sententia eorum, qui censent, Angelos nihil acquirere per species acceptas a rebus, sed quidquid cognoscunt, per infusas species cognoscere. Quare plura singularia his speciebus respondentia intelligere possunt, iuxta ambitum ipsius speciei, in qua continentur.

Sed pro his, qui existimant, has infusas species non posse suppeditare cognitionem singularium, aut saltem Angelos posse cognoscere singularia applicando mentis virtutem ad ea, plura simul nequit Angelus intelligere per species acqui-

sitas, nisi per modum unius. Quod caeteroquin semper servandum est: plura non attingi simul, nisi in quantum in uno radicantur, aut sunt unum.

II) Si iam simultaneitatem intellectionis angelicae consideramus *quoad processum,* alte proclamandum est discrimen inter processum humanum et angelicum.

Quod ut melius appareat, iuvat praemittere triplicem operationem intellectus: *a*) simplicem apprehensionem, *b*) compositionem et divisionem, *c*) discursum. Prima simpliciter apprehendit; secunda confert apprehensa ad invicem; tertia circa apprehensa et collata discurrit. Qui discursus potest esse vel praevius ad compositionem et divisionem; vel consequens ad eam, et in aliam compositionem et divisionem conducens, uti patet in syllogismo, in quo consequens est compositio vel divisio per discursum obtenta. Inde fit quod haec duo: discursus et compositio vel divisio, se habeant ad invicem tanquam correlativa: qui enim intelligendo caret discursu, hic neque compositione indiget nec divisione; et vicissim, qui utitur ista, et illo pariter utatur oportet. Hinc S. Thomas, agens de scientia divina, uno articulo demonstrat Dei scientiam non esse discursivam [1].

Observandum est autem sedulo, triplici modo haberi posse discursum. *a*) Alius est materialis, consistens unice in successione a parte obiectorum, quando mens seu intellectus modo attendit ad hoc, modo ad illud; *b*) alius est logicus, quando aliquis intelligit nexum dependentiae, quem habent veritates ad invicem; *c*) alius est causalis, quando aliquis non solum hunc nexum percipit, sed et ope huius nexus a re cognita ad incognitam pervenit. Hic est discursus proprie dictus. In Deo ex his tribus discursibus non habetur nisi secundus; in Angelo habetur insuper primus, licet non quoad omnia; in homine habentur omnes tres.

Ratio huius discriminis inter Angelum et hominem petenda est a diversitate luminis cognoscitivi. Homo discit incipiendo a particularibus, eaque abstrahendo, ac ita paulatim ope primorum principiorum sibi scientiae aedificium veluti

[1] Q. XIV, art, 7.

exstruendo per compositionem vel divisionem, quibus conrtant sententiae, necnon per discursum, quo constat ratiocinium. Angelus autem in lumine initiali propriae essentiae intuitivo acumine multa comprehendit, omnesque species sibi infusas vel per operationem intellectualem acquisitas uno intellectus ictu perfecte adaequat.

Quaestio autem hic moveri potest duplex: *a*) prima, relate ad cognitiones supernaturaliter acceptas; *b*) altera, relate ad species a rebus acquisitas.

a) Esto, Angelum discursu nullo uti in his, quae naturaliter cognoscit; at nonne eo uti potest in his, quae cognoscit supernaturaliter, quatenus sunt supernaturalia? Negant sat multi, uti Caietanus, Bannez, Cumel, Valentia, Tannerus, quia censent discursum nullatenus convenire naturae angelicae, ac proin Deum supernaturalia Angeli non ita revelare, ut circa ea discurrant. At fateor, me hanc rationem non omnino convincere. Nam, licet Angelus sine discursu intelligat veritatem vel factum supernaturali modo sibi manifestatum, nondum ideo repugnat ut de ordine huius veritatis sive facti ad ea, quae cognoscit naturaliter, discurrendo inquirere possit. Quod ex dicendis in propositione sequenti magis apparebit.

b) De his, quae Angeli cognoscunt per species a rebus acceptas, iuxta superius dicta, quaeritur, annon circa illas Angelus uti possit compositione vel divisione, quatenus, sicuti successive possunt accedere, ita possunt successive ad invicem conferri? At vera compositio vel divisio non consistit dumtaxat in quadam materiali successione; sed in mentis operatione, quae componat et dividat ea, quae primo ictu mentis non plene intellexit esse componenda vel dividenda. In intellectu igitur Angeli relate ad ea, quae successive per species acceptas cognoscit, admittenda est compositio vel divisio materialis ob ipsam cognitionum successionem, non autem causalis ob intellectus debilitatem.

Quod modo dicebamus de his, quae excedunt ordinem cognitionis naturalis, valet quoque de his, quae in ordine naturali Angeli cognoscunt quidem, sed non comprehendunt; uti est prae inferiori Angelo natura Angeli superio-

ris. Licet enim quidem theologi [1] censeant, inferiores Angelos comprehendere superiores, oppositam sententiam longe probabiliorem existimamus [2].

Corollarium I. - Ex doctrina huius propositionis collige, Angelos, proprie loquendo, non esse spiritus rationales, sed intellectuales, quum rationis prae intellectu proprium sit incedere ope ratiocinii sive discursus. Sed in modo loquendi Patrum istud discrimen non tantopere urgetur. Ita Augustinus ipsi Deo rationem tribuit. « Neque enim Deo sine « ratione vita est, cum apud eum et summa vita, et summa « sit ratio » [3].

Corollarium II. - Qui ex Patribus de pura Angelorum spiritualitate dubitabant, aut imo Angelos exhibebant tanquam subtilissimis sive caelestibus sensibus utentes [4], non poterant ex toto eximere Angelos a conditione nostri processus intellectualis, subiecti discursui et compositioni vel divisioni, saltem in quantum eos caelestibus quidem, at tamen sensibus uti censebant [5].

Prop. III. - *Per se Angeli errare non possunt, nec mali, relate ad ea, quae in ordine naturali intelligunt; - per accidens tamen errare possunt angeli mali in his, quae ordinem naturalem excedunt.*

Haec propositio, gemina rursus parte constans, fluit ex propositione praecedenti.

I) Quum Angeli sine discursu, sine compositione vel divisione totum penetrent, quod naturaliter cognoscunt, attingendo non solum phaenomena rerum, sed ipsam rerum medullam, seu « quod quid est »; manifestum est, nullum in eis dari locum errori seu falsitati. Ergo in Angelis per se falsitas esse nequit. Quod aeque de malis valet sicuti et de bonis, quia fundamentum naturale est utrisque commune.

[1] V. gr. Bannez, Salmanticenses, Contensonus.

[2] Ita inter alios Ioannes a S. Th., Serra, Gonet. Cf. *Billuart* (op. cit. diss. III, art. 3).

[3] Retract. l. I, c. 5.

[4] Cf. S. Aug. *De Trin.* XII, 7; *De Gen. ad litt.* II, 8.

[5] De singulari quadam opinione auctoris libri Quaestionum ad Orthodoxos de duplici cognitione etiam Angelorum, quam vocat αἰσθητικὴν et ἐννοητικὴν, lege PETAVIUM (op. cit. l. I, c. 6, n. 9).

II) Sed iam aliter res se habet de modo, quo Angeli veritatibus, quas naturaliter cognoscunt penetrando « quod quid « est », utuntur relate ad ea, quae pertinent ad ordinem supernaturalem, quorum multa eos fugiunt. Hic diversimode loquendum est de Angelis et de daemonibus.

Adest quidem in Angelis ignorantia relate ad ea, quae de hoc ordine supernaturali nesciunt; sed ignorantia non ducit in errorem, nisi eum, qui ex his, quae scit imperfecte, imprudenter concludit ad ea, quae nescit; non autem eum, qui vel cognoscit imperfecte, quae cognoscit, vel imprudenter utitur eis, quae cognoscit, relate ad ea, quae ignorat.

Iam vero Angeli boni in his rebus a iudicio abstinent, quia mentem habent in Deum perfectissime ordinatam. Mali autem spiritus, ob ipsam suam a Deo aversionem, inclinantur ad sua in iis scientia proterve abutendum: non quidem falso nexu discurrendo circa ea, quae intelligunt in ordine naturae, nec erronee componendo vel dividendo; sed imprudenter ac falso ea adhibendo tanquam principia, quae tamen, ob ignotam sibi divinam voluntatem, hanc principii rationem non habent.

Unde quum de divinis seu supernaturalibus rebus mali spiritus longe minus instruantur quam boni, sequitur ex duplici fonte eos prae Angelis bonis in falsitatem prolabi: ex maiori ignorantia et ex inordinatione voluntatis. Hanc simul ignorantiam et proterviam indicant verba Pauli: « Nemo prin- « cipum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, nun- « quam Dominum gloriae crucifixissent » [1].

Prop. IV. - *Distingui potest in Angelis cognitio vespertina et matutina, quarum prior est rerum in seipsis, altera rerum in Dei Verbo; quae cognitio est duplex vel unica, iuxta medium, in quo res cognoscuntur: in solo scilicet Verbo, vel in Verbo et in speciebus.*

Haec propositio inducta est ob auctoritatem et modum loquendi S. Augustini. De mente huius Doctoris iam pluries diximus [2]. Sollicitus de interpretandis diebus Mosaicis, quae de vespera transeunt in mane, et quorum successio tempo-

[1] I Cor. II, 8.

[2] Cf. imprimis p. 312, sqq , huius voluminis.

ralis non caret difficultate, S. Augustinus se ad spiritualem, idealisticam interpretationem recepit, quae successionem nonnisi logicam exigat.

Partes diei, quae sunt dies plena, vespera, nox et mane, Hipponensis intelligit de variis respectibus cognitionis angelicae, utpote de qua interpretatur dictum initiale: « Fiat lux ». Quum res existant prius in Verbo, in quo suam plenam lucem habent, dies est cognitio rerum in Dei Verbo; sed praeter hanc rerum cognitionem, Angeli vident res in ipsis rebus, quae cognitio relate ad priorem est veluti vesper. Qui autem ex Angelis sese complacuerunt in hac luce, seipsos ad res extra Deum visas ordinando, de vespere transierunt in noctem: sunt Angeli mali, a Dei luce in aeternum extor res. Boni autem Angeli, visionem rerum referentes ad Deum, de vespera transeunt in mane, et per mane se recipiunt in plenum diem visionis divinae.

En conceptus S. Augustini. Quousque in ordine logico diem ponat ante vesperam pro unoquoque Angelo, difficile dictu est; et sane praecedentia diei urgeri nequit. Nam, si dies est visio rerum in luce Verbi, sicuti ipse Augustinus manifesto dicit, - unde ab ea excludit Angelos malos, - quomodo potuissent Angeli mali in luce huius diei vidisse Verbum, antequam per vesperam transirent in noctem? Nam visio essentiae divinae talis est, quae indefectibiliter Deo mentem faciat adhaerere.

Quare potius dicendum, Angelos seipsos discrevisse, secundum quod in creaturis sibi complacendo, vel a creaturis in Deum assurgendo, de vespera in noctem, vel in mane transierunt; quod mane factum est bonis principium divinae lucis, seu visionis beatificae ac proin diei plenae [1].

Iam vero in hac visione beatifica Angeli vident simul Verbum et res in Verbo, idque visione unica. Quare si per visionem rerum in Verbo intelligitur cognitio vespertina, et

[1] Ex his vides rursus, quanto iure superius monebamus, doctrinam Augustini sine sat solido fundamento adduci ab iis, qui volunt ex Augustino demonstrare, Angelos omnem creaturam cognoscere per species divinitus sibi ab initio infusas. (Quod Petavius monet non solum de Augustino sed et de Dionysio *). Et sane Augustinus non dicit, quomodo Angeli creaturam in se cognoscant: imo modus quo hanc cognitionem describit, convenit melius cognitioni acquisitae per species a rebus acceptas

* Op. cit. l. I, c. 6, n. 7.

per visionem ipsius Verbi cognitio matutina; una quidem dici potest cognitio vespertina et matutina. Sed iste sensus non est iuxta Augustinum, neque iuxta ipsam appellationem. Nam in die Mosaica vesper ponitur ante mane; iam vero in visione beatifica logice prius videtur Verbum, quam videntur res in Verbo.

Melius est igitur ut cognitio vespertina et matutina dicatur cognitio duplex, scilicet rerum in seipsis et in Verbo Dei. Et sane quum haec tota doctrina de Angelorum cognitione vespertina et matutina ab Augustino derivetur, suadendum est, ut ad mentem huius Doctoris exponatur; a qua mente nonnulla, quae S. Thomas habet in ultimo huius Quaestionis articulo recedere dicenda sunt, non quidem quoad doctrinam in se, sed quoad terminologiam ab Hipponensi in alio sensu intellectam, imo alio fine inductam. Quod sedulo monendum ducimus, ne sententia Augustini perperam intelligatur.

II. - Ad Textum S. Thomae.

Ad Art. I. - « *Utrum intellectus Angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu* ».

1. Obi. Confundit motum imperfectum cum motu perficiente. Insuper non attendit ad perfectionem relativam, quae est in motu intellectus creati. Quare etiam in his, in quibus, iuxta sententiam nostram, Angeli intelligendo moventur de potentia in actum, hic motus est perficiens, licet non sit perfectio simpliciter simplex.

2. Obi. Non attendit ad novas revelationes; nec ad insatiabilitatem semper novam, qua Angeli mysteria gratiae contemplantur.

3. Obi. Arguit ac si substantia Angeli possit actu nudari. - Nihilominus concedendum est, Angelorum intellectum non esse simpliciter in actu nulla admixto potentia praecise quia substantia Angeli habet aliquid de potentia permixtum.

Sed contra est. Confer, quae superius diximus de genuino sensu huius testimonii S. Augustini. Et sane sancta illa contemplatio, quam S. Doctor heic tribuit Angelis ab initio, est ipsa contemplatio visionis beatificae.

In Corpore. En doctrinam huius *Corporis* necnon responsionum schemate contractam.

- Intellectus Angeli
  - 1) quantum ad *habitum* sciendi
    - *a*) relate ad ea quae naturaliter scire potest per suam essentiam et species sibi connaturaliter inditas numquam est in potentia;
    - *b*) quantum ad ea quae ipsi revelantur a Deo, potest esse in potentia ad nova scienda (unde desiderium).
    - exemplum quoad utrumque deducitur ex corporibus caelestibus iuxta physicam mediae aetatis.
  - 2) quantum ad *actualem* rerum cognitarum considerationem
    - *a*) potest esse in potentia circa ea quae naturaliter scit, modo haec, modo illa actualiter attendens;
    - *b*) non autem quantum ad cognitionem Verbi, et eorum quae videt in Verbo [1]; secus quomodo esset beatus? - (Hoc autem absque ullo fastidio, imo cum voluptatis desiderio).

Facile discernet lector, quid sententia a nobis superius exposita de speciebus, quas Angeli accipere possunt applicando suam cognoscitivam virtutem ad singularia, in doctrinam praesentem influat.

Ad Art. II. –« *Utrum Angelus simul possit multa intel-* « *ligere* ».

1. et 3. Obi. Non considerant, multa posse veluti unum intelligi.

2. Obi. Non attendit ad modum, quo una species intelligibilis potest, propter similitudinem, multa continere.

Si istae obiectiones valerent absolute, nec ipse Deus posset in sua unica essentia intueri omnia.

Sed contra est. Recole, cognitionem, de qua loquitur S. Augustinus in loco heic allato, esse cognitionem, quam Angeli habent rerum creatarum in Verbo.

[1] Dubium alicui hoc alterum videri posset. Si enim in visione datur augmentum quoad obiectum secundarium, cur non posset stare quaedam mentis actualis mutatio ab unis ad alia? — Cf. quae de hoc argumento diximus in tractatu *de Deo Uno*, agentes de obiecto visionis beatificae (t. I, p. 454, sqq.).

In Corpore. Accipe huius doctrinae schema.

- Angelus multa simul potest intelligere:
  - 1) ea quidem cognitione, qua videt per Verbum:
    - omnia simul, quia essentia Dei se habet ad omnia per modum unius;
  - 2) ea cognitione naturali, quae per species cognoscit:
    - *a)* tot potest cognoscere simul, quot sub hac specie continentur; quae se habent ad ea ad modum continui, sive unius sententiae, sive unius imaginis;
    - *b)* quare perfectiores Angeli naturali cognitione plura simul intelligunt.

Evidens est, doctrinam huius articuli non valere pro his, quae Angelus cognoscit applicando suam virtutem cognoscitivam ad singularia ut talia.

Ad Art. III. - « *Utrum Angelus cognoscat discurrendo* ».

1. et 2. Obi. Duo confundit: cognoscere aliud ignotum per aliud cognitum vel in alio cognito; et de duobus cognitis scire aliud esse per aliud, vel aliud in alio.

3. Obi. Confundit discursum successionis cum discursu collationis.

Vides, tres obiectiones procedere iuxta triplicem modum quo discursus intelligi potest: successionis, continentiae et collationis.

Sed contra est. Extra dubium est, scientiam Angelorum esse sine discursu, quatenus res cognoscunt in lumine Verbi.

In Corpore. En schema huius doctrinae.

- Angelum non cognoscere discurrendo,
  - 1) *suadetur* ex harmonia inter ordinem corporalem et spiritualem:
    - *a)* corpora inferiora, terrestria non statim perfectionem suam adipiscuntur;
    - *b)* corpora vero superiora caelestia ab initio.
  - 2) *probatur* ex distinctione inter ens rationale et intellectuale:
    - *a)* Angelus, quia perfectus in ordine intellectuali, proprie *intelligit*, id est, uno mentis ictu comprehendit, quae in principiis continentur; sicut homo mere pro habitu principiorum;
    - *b)* homo, quia minus perfectus, indiget a principiis ad conclusiones se movere discurrendo per ratiocinium: ideo est proprie *rationalis*.

Evidens est, quae S. Thomas habet 1) *b*), intelligenda esse iuxta scientiam astronomicam et physicam illius temporis. Nec potest negari, argumentum esse potius illustrativum, quam rigorose demonstrativum.

Ad Art. IV. - « *Utrum Angeli intelligant componendo et « dividendo* ».

1. Obi. Falso arguit, ac si compositio et divisio necessario sequeretur ex multitudine intellectorum. Compositio autem vel divisio non sequuntur necessario ex intellectorum numero, sed ex modo quo intelliguntur.

2. Obi. Confundit distantiam quantum ad rationem existendi, cum distantia quantum ad rationem cognoscendi.

3. Obi. Confundit enuntiationem cum compositione vel divisione, et cognitionem per compositionem vel divisionem.

In Corpore. En schema argumenti.

Angeli, sicut non intelligunt discurrendo, sed tamen intelligunt discursum, ita	1) non intelligunt componendo et dividendo:	*a*) homo propter idem indiget compositione et divisione in propositione, propter quod indiget discursu in ratiocinio: ob debilitatem acuminis intellectualis; *b*) ergo propter intellectus perfectionem, Angeli, sicut non utuntur discursu, ita nec compositione nec divisione.
	2) intelligunt tamen compositionem et divisionem,	*a*) at modo intellectuali, *b*) unde et humano sermone nobis cum colloqui possunt.

Ad Art. V. - « *Utrum in intellectu Angeli possit esse fal- « sitas* ».

1. Obi. Non distinguit cognitionis ordinem, iuxta quem in daemonibus habetur protervitas.

2. Obi. Eodem vitio laborat quoad inscientiam, quae tamen et in Angelis bonis haberi potest; quin tamen eos in errorem inducat.

3. Obi. Deficit sicut duae praecedentes.

In Corpore. Discursus S. Thomae hoc schemate exhibetur.

- In intellectu Angeli esse falsitas
  - 1) *per se non potest:*
    - *a*) intelligunt enim sine discursu nec compositione;
    - *b*) unde nihil intelligunt nisi verum, seu quod quid est.
  - 2) *sed per accidens:*
    - *a*) non quidem sicut in nobis circa quod quid est, naturaliter intellectum:
      - α) in quo nec nos erramus per se;
      - β) sed per compositionem falsam;
    - *b*) sed circa supernaturalia, per malam ordinationem voluntatis:
      - α) Angeli boni, quia ordinati, non iudicant de his nisi secundum Deum;
      - β) mali autem, quia extra ordinem, de his iuxta seipsos iudicare praesumunt, ac ita in errorem cadunt.

Ad Art. VI. - « *Utrum in intellectu Angeli sit cognitio « matutina et vespertina* ».

1. Obi. Arguit ac si cognitio vespertina diceretur ob admixtionem tenebrarum; dum dicitur ob diversum cognitionis medium, quod est quidem minus luminosum, at non ideo tenebris permixtum.

2. Obi. Falso urget utramque cognitionem quantum ad interiacentem noctem, quae non habetur nisi pro angelis malis.

3. Obi. Arguit ac si cognitio rerum in propria natura non esset ipsa cognitio rerum in intellectu angelico. Habet tamen haec obiectio aliquam speciem in sententia eorum, qui tenent, Angelos plura cognoscere tripliciter: in Verbo, in speciebus infusis, in speciebus a rebus acquisitis. Sed vidimus, in mente Augustini, cognitionem vespertinam Angelorum non esse intelligendam necessario de cognitione rerum per species infusas.

Sed contra est. De sententia S. Augustini superius diximus.

In Corpore. En doctrinae schema.

Quum Angeli cognoscant omnia in Verbo et in seipsis,
- 1) cognitio *matutina* ea est, qua omnia cognoscunt in Verbo, uti in lucidissimo principio;
- 2) cognitio *vespertina*, qua omnia cognoscunt in seipsis, veluti in termino:
  - *a*) versa in noctem pro angelis malis,
  - *b*) redundat in mane, in Verbum, pro Angelis bonis.
- 3) cognitio autem *meridiana:*
  - *a*) vel pertinet ad utramque,
  - *b*) vel est cognitio ipsius essentiae divinae.

Quid de meridiana cognitione iuxta mentem S. Augustini dicendum sit, superius vidimus. Meridiana cognitio est ipse dies, qui per mane exorditur. Quare solutio 3) *b*) est extra mentem S. Augustini; nec solutio 3) *a*) eam plene reddit.

Ad Art. VII. - « *Utrum una sit cognitio matutina et vespertina* ».

1. Obi. Non attendit ad doctrinam Augustini de sex diebus; unde iuxta Augustini mentem obiectio caret fundamento.

2. Obi. Non considerat subordinationis nexum, iuxta quem vespertina cognitio ad matutinam refertur.

3. Obi. Arguit ac si imperfectio cognitionis vespertinae esset opposita perfectioni cognitionis matutinae, quod falsum est. Quare deficit comparatio adducta.

Sed contra est. Arguit ex opposito, non attendendo satis ad unitatis principium. Quousque haec tota discussio sit ad mentem Augustini, in praecedenti propositione quarta satis diximus.

In Corpore. En argumenti schema:

Cognitio matutina et vespertina
- 1) *non differunt,* si utraque respicit cognitionem rerum in Verbo:
  - *a*) *matutina,* secundum ipsum esse Verbi;
  - *b*) *vespertina,* secundum esse quod habent res in Verbo.
- 2) *differunt,* si
  - *a*) *matutina,* dicat cognitionem rerum in Verbo, utroque modo simul;
  - *b*) *vespertina* cognitionem rerum in seipsis,
    - α) non utique per seipsas,
    - β) sed per species Angelis innatas.

A fortiori differunt, si cognitio vespertina intelligatur de cognitione rerum in seipsis ab ipsis rebus acceptam iuxta 2) *b*) *α*).

Ob allatam non semel rationem, a brevissima Synopsi et hic abstinemus.

MEMBRUM III.

DE ANGELORUM VOLUNTATE.

Haec Sectio duplici Capite constat. Primo quaeritur de ipsa Angelorum voluntate; dein de voluntatis angelicae motu, sive amore.

CAPUT I.

DE IPSA ANGELORUM VOLUNTATE.

QUAESTIO LIX.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

Quaeritur de voluntate Angelorum
- 1) *an* sit (a. 1);
- 2) *quomodo* sit:
  - *a*) quoad distinctionem ab essentia et intellectu (a. 2);
  - *b*) quoad liberum arbitrium (a. 3);
  - *c*) quoad irascibile et concupiscibile (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM IN ANGELIS SIT VOLUNTAS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dum, de intellectu angelico agens, S. Thomas non praemisit inquirendum, utrum in Angelis detur intellectus; hic expresse de existentia voluntatis in Angelis quaerit. Ratio est, quia intellectus magis immediate sequitur ex spiritualitate quam voluntas; quatenus insuper est illustrandum, quomodo intellectus comitem habeat appetitum in eodem ordine ad bonum impellentem, hoc est ad bonum intellectualiter perceptum. Potuisset nihilominus

S. Thomas, sicut superius egit de Deo [1], expresse de utriusque facultatis existentia sciscitari.

2) Quum Deus omnia fecerit ad se, quatenus creatura a Creatore exiens debet per suam ordinationem in eumdem redire; inclinatio in bonum insita rebus, est illa vis, quae in hunc reditum impellit. Bonum enim ipsum redundat in Deum. Hic autem tendentia in bonum vocatur appetitus.

3) Iam vero, sicuti tria sunt genera creatorum entium, quorum primum, infimum, est omnis cognitionis expers; alterum, medium, cognoscit particulare sensibile; tertium, supremum, cognoscit universale: ita quoque est triplex appetitus triplici huic cognitionis generi commensuratus: appetitus naturalis, appetitus sensitivus, et appetitus intellectualis sive rationalis, seu voluntas.

4) Et sane uno eodemque generico gradu voluntas continetur sive sit appetitus rationalis sive intellectualis. Haec enim diversa vis a parte intellectus vel rationis influit quidem in modum quo obiectum voluntatis cognoscitur, at non in ipsam voluntatem, quatenus est appetitus tendens in universale bonum.

5) Nec debet vox appetitus deterrere, quominus Angelo tribuatur voluntas. Appetitus enim est appellatio derivata a gradu medio, sensili, in quo appetitus proprie dictus incipit; nam appetitus infimus, naturalis, potius dicitur improprie. Superiori appetitui applicata vox appetitus ampliorem induit sensum: aeque enim continet adhaesionem delectionis ad bonum possessum et motum desiderii in bonum nondum habitum. Unde et in Angelis, licet plenitudinem boni possidentibus, voluntas hoc sensu adhuc vocari potest appetitus.

6) Pariter et motus iure dicitur: non ille quidem motus, qui imperfectionem moventis significat; sed qui perfectionem dicit, etsi non perfectionem simpliciter simplicem; quatenus semper motui admiscetur potentia, seu transitus, saltem radicalis, de potentia in actum. Sed haec imperfectio, utpote a quivis creatura inseparabilis, in Angelis est praedicanda.

7) **Quaeres**. Cur saltem in Angelo motus appetitivus latiori sensu intellectus, non recepit nomen speciale, sicuti nomen

[1] Qq. XIV, et XIX.

speciale sortita est facultas cognoscitiva, prae facultate simili in homine; in hoc enim vocatur ratio, in Angelo vero intellectus? - Rationem huius discriminis iam tetigimus sub n. 4. Fatendum tamen est, licet utrimque haec facultas appelletur voluntas, nonnihil influere in exercitium huius facultatis indolem facultatis cognoscitivae. Maior enim est immobilitas voluntatis angelicae, quia ducitur intellectu, cuius est apprehendere sine discursu. Sed de hoc discrimine sermo redibit in articulo tertio huius Quaestionis, et explicitius agemus in art. 2. Quaest. LXIV.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex indole *rationis* humanae. Non attendit dicta n. 4, et addita n. 7.

2. Obi. Arguit ex sensu nimis rigoroso vocis *appetitus*. Non considerat dicta n. 5.

3. Obi. Pariter arguit ex *motu* imperfecto. Negligit dicta n. 5.

Sed contra est. Angelos voluntate gaudere, demonstratur theologice ex hoc ipso, quod praediti intellectu in Scripturis appareant. Insuper ostenditur ex daemonum culpa atque damnatione, quae voluntatem supponit. Probatur ex multiformi ministerio Angelorum; et ex mercede Angelorum bonorum iugi amore faciem Patris intuantur.

Patres de Angelis agentes voluntatem in eis passim supponunt, ut ex textibus infra citandis manifesto apparebit.

In Corpore. En huius *Corporis* et responsionum doctrinam schemate contractam.

- Omnia, uti a voluntate Dei egressa, inclinantur in bonum:
  - 1) *inferiora* in bonum non cognitum, — per appetitum *naturalem;*
  - 2) *animalia* in bonum quoddam particulare cognitum, — per appetitum *sensitivum;*
  - 3) *homines* et *Angeli* in bonum cognitum universaliter per ipsam rationem boni, — per *voluntatem,* quae in Angelis
    - *a*) non debet esse facultas superior, sicut intellectus superior est rationi: nam idem habet obiectum (1. obi.);
    - *b*) est appetitus in sensu latiori (2. obi.);
    - *c*) pariter est motus, sed ut perfecti (3. obi.).

ARTICULUS II.

UTRUM IN ANGELIS VOLUNTAS DIFFERAT AB INTELLECTU.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum, de Angelorum intellectu agentes, vidimus hunc intellectum differre ab Angelorum essentia et esse, et differre intellectum a τῷ intelligere; ita ob legem paritatis, quae geminam hanc facultatem regit, simul demonstratum est, voluntatem Angelorum differre ab eorum essentia et esse, nec identificari cum τῷ velle.

2) Unum superest demostrandum: inter utramque hanc facultatem dari distinctionem realem et non solum rationis. Nam in Deo intellectus et voluntas sunt unum re. Cur non possunt unum re esse et in Angelis?

3) Sed hoc stare nequit. Nam quum diversus sit utriusque facultatis motus, - motus intellectus est, quo res tendunt in intellectum; motus voluntatis, quo voluntas tendit in rem, - hic geminus motus non potest esse re unus, nisi in eo, qui est in se plenitudo veritatis et bonitatis: qui solus est Deus. Ergo in Angelis voluntas differt ab intèllectu.

4) Nec instes ex hoc, quod ipsum verum habet rationem boni intellectus, quod perfecit, et voluntas tendit in verum sub ratione boni. Obiecta enim discriminant facultates non quatenus sunt distincta realiter ab invicem, sed quatenus exhibent alium et alium respectum formalem. Quare, sicuti plura obiecta possunt apprehendi per unam facultatem, puta visivam, ita unum obiectum potest apprehendi per duplicem facultatem sub ratione veri et boni.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex forma, quae in Angelis iam habetur per naturam et per speciem intellectualem. Sed quoad naturam confundit formam tendentem in ipsum esse, cum forma tendenti in aliquod superadditum enti. Quoad speciem intellectualem, non distinguit inter motum diversum utriusque facultatis.

2. et 3. Obi. Non considerant dicta n. 4.

Sed contra est. Ne videatur haec consideratio ex ambitu materiali utriusque facultatis adducta pugnare cum solutione

obiectionum 2 et 3, adverte hunc diversum ambitum fundari in ipsa formalitate diversa, sub qua utraque facultas apprehendit obiectum. Etenim intellectus est bonorum et malorum, quia apprehendit obiecta sub ratione veri; voluntas non est nisi bonorum, quia tendit in obiecta sub ratione boni.

In Corpore. Argumentum *Corporis* duplici parte constat. In priori S. Thomas demonstrat, voluntatem Angeli esse distinctam ab eius essentia; in altera probat eiusdem distinctionem ab intellectu. Tota doctrina in hoc *Corpore* et in responsionibus exposita sequenti schemate contrahi potest.

- In Angelis voluntas differt
  - I. *ab essentia,* nam
    - 1) eatenus tendentia in bonum identificatur cum essentia, quatenus bonum, quod appetitur, est in ipsa essentia rei;
    - 2) iam vero Angelus appetit bonum universaliter cognitum sub ratione boni;
    - 3) ergo in solo Deo, bono universali, subsistente, voluntas potest esse ipsa essentia.
  - II. *ab intellectu,* quod probatur:
    - A) ex diversitate *motus* utriusque facultatis:
      - 1) in Angelo, sicut in homine, intellectus est virtus, quae quaerit fieri in se (intellectualiter), quod est extra se (realiter); voluntas autem virtus, quae se extendit in rem exteriorem;
      - 2) ergo in Angelo, uti in homine, intellectus et voluntas differunt, quia habent motum oppositum;
      - 3) in Deo vero sunt unum, quia Deus est per essentiam omne verum et omne bonum.
    - B) ex diversitate *obiecti* formalis: (resp. ad obi.)
      - 1) obiectum formale intellectus est verum, voluntatis bonum, unde
      - 2) intellectus bonum cognoscit uti verum; voluntas verum amat uti bonum.

ARTICULUS III.

UTRUM IN ANGELIS SIT LIBERUM ARBITRIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam de indole angelicae voluntatis breviter disserendum est: et quidem ita ut in praesenti articulo qualitas voluntati intellectuali essentialis vindicetur; in sequenti imperfectio cum angelica natura incompatibilis removeatur.

2) Et sane quidquid necessario fluit ex facultate apprehensiva boni lumine intellectuali cogniti, in Angelo praedicandum est; quidquid autem provenit in nostra voluntate a modo, quo anima nostra coniungitur corpori, ab Angelo est semovendum. Quaestio igitur est, utrum tale sit liberum arbitrium.

3) Bonum, per intellectum sive per rationem apprehensum, potest se offerre voluntati tanquam continens plenitudinem boni sine limitatione boni aut admixtione mali; vel tanquam habens quidem de bono, sed non bonum plenum, utpote limitatum aut malo admixtum. In primo casu facultas appetitiva, seu voluntas, in hoc bonum tanta motus virtute fertur, ut ab hoc motu abstineri non possit; nec inde minus vult, quod necessario vult, imo maxime, quia necessario. In altero autem casu facultas movetur quidem, sed motu libero, eoque liberiori, quo magis contingentiam boni apprehendit, aut cum aliis contingentibus bonis confert. In his est campus liberi arbitrii.

4) Iam vero ad exercitium liberi arbitrii requiritur quidem apprehensio boni contingentis, et electio inter varia bona contingentia, saltem inter agendum seu amplectendum et abstinendum. Sed quod ista apprehensio fiat per compositionem vel divisionem, et quod ista electio fiat per discursum et cum periculo erroris, non est de essentia huius exercitii. Quare, licet Angeli non intelligant cum discursu, nec componendo vel dividendo; licet Angeli boni sint falsitatis expertes; per liberum arbitrium in bona contingentia moventur.

5) Ideone nihil interest inter liberum arbitrium Angelorum et hominum; nec Angelorum ad invicem? - Quid intersit

inter liberum arbitrium Angelorum et hominum, in proximo articulo illustrabitur. Angeli autem inter se collati eo nobiliori arbitrio moventur, quo sublimiori intellectu illustrantur. Nihilominus in quantum nec necessario nec coacte volunt, quidquid libere volunt, liberum arbitrium non accipit plus vel minus, et aequale dici potest non modo inter Angelos, sed inter Angelos et homines.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 4.

2. Obi. Negligit discrimen essentiale quod interest inter intellectum et voluntatem. Quod discrimen petitur a contrario motu utriusque facultatis. Quum verum sit in intellectu, et non pugnent vera inter se, ita intellectus in se recipit omne verum, ut se non habeat ad utrumlibet. At voluntas tendit in bonum; bona autem contingentia semper habent aliquid, quo diversificantur, ita ut motus in unum pugnet cum motu in aliud: inde in voluntate habitudo ad utrumlibet.

3. Obi. Non attendit dicta n. 5.

Sed contra est. Consideratio hic a S. Thoma exposita supponit, liberum arbitrium non pertinere ad dignitatem hominis praecise in quantum est compositus ex anima et corpore.

Liberum arbitrium Angelorum, et quidem expeditius nostro ita describit Elias Cretensis: « Cum Angelus naturalem « arbitrii libertatem habeat, sine ullo impedimento eo utitur, « ut qui nec repugnantiam ullam a corporibus habeat, nec « aliquid, quod in eum impetum faciat. At in hominibus habi- « tus ante conatum, et aggressionem naturaliter prius cogi- « tatur » [1].

S. Anselmus Angelos per liberum arbitrium sortem sibi bonos et malos decrevisse, illustrat in libro *de casu diaboli,* cuius doctrinam data opera investigabimus, ubi ad hoc argumentum accedemus.

In Corpore. S. Thomas gradationem sternit entium, iuxta quod vel aguntur ab alio, vel agunt se, sed impetu necessario a natura indito, vel libera se electione movent: prima sunt inferiora; secunda, irrationalia; tertia, intellectu vel ratione praedita.

[1] In Comm. ad Greg. Naz. ad orat. 23, n. 15.

Doctrina huius articuli sequenti schemate contrahitur.

- In Angelis dari liberum arbitrium, probatur
  - I. *indirecte:* 1) liberum arbitrium pertinet ad dignitatem hominis, a fortiori et Angeli (*Sed ctr. est*);
  - II. *directe:*
    - 1) entia inferiora aguntur;
    - 2) irrationalia animalia agunt se arbitrio, at non libero;
    - 3) rationalia et intellectualia arbitrio libero; hoc autem arbitrium in Angelis
      - *a*) est sine praecedente inquisitione (resp. ad 1.^{m});
      - *b*) non est relate ad id, quod supra se est, scil. bonum universale (resp. 2^{m});
      - *c*) est perfectius libero arbitrio hominis:
        - α) non quidem quoad negationem, quam involvit,
        - β) sed quoad essentiam, cui commensuratur eius virtus (resp. 3.^{m}).

Subtiliores quaestiones de libero arbitrio remittimus ad proxime edendum tractatum *de Homine* [1]. Quae autem spectant ad flexibilitatem arbitrii angelici in quaestione de obstinatione daemonum penitius investigabuntur.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN ANGELIS SIT IRASCIBILIS ET CONCUPISCIBILIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quemadmodum superius ab angelico intellectu semovimus cognitionem sensibilem, necnon imaginativam ope sensuum et phantasmatum; imo intellectum possibilem et agentem in pleno sensu, quo in homine distinguitur; ita quoque hic ab angelica voluntate semovenda est omnis compositio, quae cum pura Angelorum spiritualitate pugnat. Talis est irascibilis et concupiscibilis presse sumpta. Cuius ratio illustrari potest directe et indirecte.

2) Indirecte, quia in ipso homine, in quantum rationalis appetitus residet in parte superiori, seu in anima uti spi-

[1] De libero arbitrio nuperrime in cathedra Nostrae Dominae Parisiensi egregiam concionem habuit cl. P. Janvier O. Pr.

ritu, non distinguitur in irascibilem et concupiscibilem. A fortiori ergo ita erit de appetitu intellectivo Angelorum.

3) Et sane id directe hoc modo demonstratur. Facultates distinguuntur iuxta formalem rationem diversam sub qua apprehendunt obiecta. Eatenus ergo in Angelis distinguendi essent appetitus irascibilis et concupiscibilis, quatenus voluntas Angeli non posset apprehendere omnia obiecta sub eadem formali ratione boni. Iam vero hoc est falsum. Appetitus enim intellectualis apprehendit obiectum sub ratione boni universalis; quae formalis ratio omnia simul obiecta complectitur. Ergo deest in voluntate angelica huius distinctionis fundamentum.

4) Huius doctrinae consequens est, in Angelis non dari illas passiones, neque illas virtutes, quae fluunt ex distinctione inter appetitum irascibilem et concupiscibilem, vel potius quibus subest homo iuxta hunc utrumque appetitum. Ita in Angelis non dantur sensibilis amor, gaudium et tristitia, nec temperantia circa concupiscibile; nec circa irascibile timor, furor et odium, nec fortitudo, et alia huiusmodi, si in pressa acceptione sumantur.

5) At in altiori sensu Angelis tribui possunt, per quandam metaphoricam transpositionem, sicuti in Scripturis non raro passiones tribuuntur ipsi Deo. A fortiori, uti in sequenti quaestione magis illustrabitur, in Angelis dantur illi affectus, qui de utroque ordine, sensibili et spirituali, diverso sensu praedicantur, uti amor et gaudium; quae possunt quidem esse cum passione in concupiscibili, sed et etiam dantur sine passione in appetitu intellectuali, quotiescunque voluntas superior vult bonum alicui dilecto vel quiescit in bono possesso.

Ita in Scripturis non solum metaphorice, sed et proprie gaudium tribuitur Angelis de conversione peccatoris exsultantibus [1]. Et Liturgia proprio pariter sensu eos describit de societate Sanctorum gaudentes et Filium Dei collaudantes. Et sane quid mirum, quum Angelorum beatitudo sit approximatio ad ipsam beatam vitam Dei? de qua optime scripsit Dantes Alligherius: « Nullum gaudium extra Deum, sed « totum in Deo, et ipse Deus totum est gaudium » [2].

[1] In comparatione tamen adducta, aliquid forsan metaphorice derivatur a subitanea laetitia, quam nos ex inexpectato eventu capere solemus.

[2] *Vulg. Elog.* I, 4.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit sermonem proprium a sermone improprio seu metaphorico.

2. Obi. Non distinguit in amore, gaudio, timore et spe, elementum sensibile ab elemento superiori.

3. Obi. Falso arguit, ac si charitas et spes, in quantum sunt virtutes, essent in concupiscibili et in irascibili, quod est falsum. Circa temperantiam autem et fortitudinem recte quidem arguit in sensu stricto, at non attendit ad sensum accommodatum.

Sed contra est. Bene S. Augustinus, contra Stoicos disserens, praesentem doctrinam his verbis exponit: « Sancti « Angeli cum et sine ira puniant, quos accipiunt aeterna « lege Dei puniendos, et miseris sine miseriae compassione « subveniant, et periclitantibus eis, quos diligunt, sine timore « opitulentur: tamen istarum nomina passionum consuetu- « dine locutionis humanae etiam in eos usurpantur, propter « quandam operum similitudinem, non propter affectionum « infirmitatem: sicut ipse Deus secundum Scripturas irasci- « tur, nec tamen ulla passione turbatur » [1].

In Corpore. Tota huius *Corporis* et responsionum doctrina sequenti schemate contrahitur.

- In Angelis irascibilis et concupiscibilis
  - 1) proprie loquendo non sunt:
    - *a)* distinctio haec in nobis derivatur a viribus inferioribus, habentibus suum quaeque obiectum formale, particulare;
    - *b)* Angelis, puris spiritibus, omne bonum est formale obiectum unius facultatis;
  - 2) improprie tamen loquendo potest dici:
    - *a)* in Angelis furor et concupiscentia, propter effectus;
    - *b)* amor et gaudium, at sine passione;
    - *c)* charitas, ratione boni, at non quoad sensum delectabilis;
    - *d)* temperantia, quoad voluntatem divinam, quam sequuntur regulam;
    - *e)* fortitudo, quoad eamdem, quatenus eam firmiter exequuntur.

Quum schemata singulorum articulorum doctrinam totius Quaestionis presse exhibeant, specialem Synopsim hic et in sequenti Quaestione superfluam ducimus.

[1] *De civit. Dei*, l. IX, c. 5 in fine.

CAPUT II.

DE VOLUNTATIS ANGELORUM MOTU.

QUAESTIO LX.

Ordo Quaestionis hoc schemate exprimitur.

Quaeritur de dilectione Angelorum	1) quoad *indolem:*	*a*) utrum naturalis (a. 1);
		b) utrum electiva (a. 2);
	2) quoad *obiecta,*	*a*) seipsum Angelum (a. 3);
		b) alios Angelos (a. 4);
		c) Deum (a. 5);

A) DE GEMINA ANGELORUM DILECTIONE.

ARTICULUS I.

UTRUM IN ANGELO SIT AMOR, SEU DILECTIO NATURALIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad rectam intelligentiam huius argumenti oportet imprimis determinare sensum, quo sumitur vox *naturalis.* Triplici enim sensu adhiberi potest: *a*) ut nihil aliud significet, quam impulsum naturae in bonum uti finem; et hoc sensu habetur amor naturalis in brutis, imo in ipsis entibus inferioribus, quatenus per appetitum naturae insitum in naturae bonum inclinantur; - *b*) ut distinguatur ab amore supernaturali, quae est ipsa Dei gratia creaturam rationalem vel intellectualem ad charitatem vel per charitatem movens; et hoc sensu amor electivus est et naturalis, quatenus ordinem naturae non excedit; - *c*) ut distinguatur in ipso ordine naturae ab actu elicito libero; et hoc sensu est quidem actus voluntatis, cuius non sunt capacia nisi entia intellectu aut ratione praedita; sed est imperatus ab ipsa radicali ordinatione naturae intellectualis seu rationis; ac proin non est actus liber seu elicitus, sed, licet a voluntate procedens, necessarius, non quidem necessitate

coactionis, sed merae necessitatis intrinsecae. In hoc tertio sensu quaestio hic movetur.

2) Iam vero eatenus haec voluntas in Angelo posset negari, quatenus nullum esset obiectum, quod tanta virtute Angeli appetitum evocaret, ut ab eo appetendo abstinere non posset. Sed e contra oportet ut tale obiectum adsit, quod illustrari potest tum indirecte, tum directe.

3) Indirecte id evincitur per comparationem cum intellectu, vi proportionis, quae inter geminam hanc facultatem adesse debet. Et sane in Angelis datur cognitio naturalis, quum adsint vera, quae intellectualis activitas Angeli necessario complectitur. Ergo pariter debet adesse obiectum excitans necessario appetitum intellectualem seu voluntatem Angeli, per amoris motum naturalem.

4) Directe idem probatur considerando illa ipsa, in quae facultas appetitiva Angeli feratur oportet. Sunt enim ea bona, quae veluti ipsam Angeli naturam constituunt; in quae, quum natura sit prior intellectu et voluntate, Angelus fertur appetitu necessario sicut motu intellectuali.

5) Nec obiicias, inde sequi, Angelos in hoc amore naturali agi potius quam agere. Nam, quum non sint sui auctores, nihil impedit quominus a suo Conditore, a quo est eorum natura, agantur etiam quoad ea, quae agendo volunt. Scilicet in eodem actu amoris naturalis et aguntur et agunt: aguntur, quia obiectum naturalis dilectionis est superius voluntate, et haec vi naturae in id fertur; agunt tamen, quia voluntarie, licet necessario idem appetunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Sumit sensum τοῦ naturalis in prima ex tribus acceptionibus n. 1. expositis.

2. Obi. Non attendit dicta n. 5.

3. Obi. Confundit in primo dilemmatis membro amorem naturalem cum charitate; ac proin confundit e tribus praemissis acceptionibus tertiam cum secunda.

Sed contra est. Vis considerationis hic iuxta S. Augustinum a S. Thoma adductae est in lege proportionis seu harmoniae, quae existere debet inter intellectum et voluntatem. – Potest et hic adduci processio Spiritus Sancti per viam amoris in sinu SS. Trinitatis; quae processio, si iam in Deo

habet de non libero, quia est naturalis, quanto magis dilectio naturalis ponenda est in creatura intellectuali, tanquam effluens necessario ex apprehenso bono propriae naturae.

In Corpore. En schema huius argumenti.

- In Angelis esse dilectionem naturalem, probatur
  - 1) *indirecte,* ex comparatione ad intellectum angelicum: habet intellectum naturalem, ergo et voluntatem naturalem.
  - 2) *directe,* ex ipso ordine naturae sub Deo, creaturam omnem iuxta modum suum agente:
    - *a*) in natura inferiori habetur ordo naturae, specialius vocatur naturae ad exclusionem sensus et intellectus;
    - *b*) in natura sensitiva appetitus sensitivus;
    - *c*) in natura intellectiva inclinatio naturalis secundum voluntatem.

ARTICULUS II.

UTRUM IN ANGELIS SIT DILECTIO ELECTIVA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iuxta principia in articulo praecedenti posita, praeter dilectionem naturalem in Angelis ponenda erit dilectio electiva, si praeter obiecta, quae necessario impulsu movent appetitum intellectualem Angeli, dantur et alia, in quae haec facultas ex liberi arbitrii electione se ferat. Iam vero huiusmodi obiecta dari, patet ex hoc ipso quod non omnia media eodem modo conducunt in finem. Si utique ad finem obtinendum vel servandum, in quem sane Angeli moventur dilectione naturali, non adessent nisi media totidem aequaliter necessaria, dilectio naturalis eodem motu cum fine amplecteretur et media. At quum pateat rem ita se non habere, datur locus dilectioni electivae eorum, quae in finem conducunt contigenter.

2) Et sane, si nulla esset in Angelis dilectio electiva, quomodo potuissent alii perseverare in originali iustitia, et ita consequi gloriam; alii deficere ab eadem, et ita mereri damnationem? Si enim haec tanta discretio processisset a dilectione naturali, dicendum esset, Angelos fuisse conditos alios natura bonos, alios malos.

3) Nec obiicias harmoniam, quae existere debet in Angelo inter intellectum et voluntatem; quatenus, sicut non datur nisi unus respectus in intellectu, - caret enim discursu rationis, - ita non potest esse nisi unus respectus in voluntate. Non enim eodem modo loquendum est de voluntate electiva sicuti de ratione. Potest quidem voluntas electiva esse cum ratione, uti patet ex nobis; sed non debet, uti patet ex Angelo. Ratio dicit imperfectionem in facultate intellectuali; voluntas vero electiva non dicit imperfectionem in facultate appetitiva, sed contingentiam in obiecto. Quare in Deo quoque ponenda est voluntas electiva, sicuti et liberum arbitrium.

4) Vides proin discrimen inter hominem et Angelum; in homine utraque facultas geminatur, quia lux plena intellectualis limitatur ad prima principia; in Angelo autem non geminatur intellectus, sed tantummodo voluntas, quia, etsi non geminatur lux intellectualis, geminantur tamen, sicuti pro homine, obiecta dilectionis.

5) Non ideo tamen de voluntate electiva Angeli omnino loquendum est sicut de voluntate electiva hominis. Haec enim sequitur conditionem rationis; unde procedit plerumque praemisso stadio deliberationis et haesitationis, et facile post electionem mobilis est ad electionem oppositam. In Angelo autem dilectio electiva sequitur indolem intellectus; ac proin, sicut caret deliberationis et haesitationis stadio, ita quoque firmius electo obiecto adhaeret.

II. Ad Textum. - Obiectiones non considerant dicta n. 3 et 4.

Sed contra est. Arguit indirecte S. Thomas ex merito, et iure quidem. Quousque possibilitas electionis oppositae necessaria sit ad existentiam meriti, alia quaestio est, de qua mentem nostram alibi expressimus, ubi de merito Christi implentis mandatum a Patre acceptum [1].

In Corpore. Argumentatio S. Thomae triplici parte distingui potest. In prima ponit principium de duplici dilectione, altera naturali, altera electiva; et inter utramque talem ordinem proclamat, ut quod est naturale, sit principium illius, quod est electivum.

[1] *De Deo-Homine,* t. II, p. 721, sqq.

In secunda parte hoc principium illustrat in homine tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem, ostendens discrimen inter fundamentum geminationis utriusque facultatis.

In tertia parte transit ad Angelum, ostendens cur, licet unus sit intellectus, duplex tamen in eo sit voluntas.

Tota haec doctrina sequenti schemate contrahitur.

- Dilectionem electivam esse in Angelis, apparet
  - I) *indirecte:* 1) Angeli meriti sunt; atqui sine electione nullum meritum.
  - II) *directe* ex habitudine voluntatis ad intellectum:
    - 1) in homine quidem utrimque duplex respectus:
      - *a*) in intellectu
        - α) naturalis habitudo principiorum,
        - β) rationalis scientia conclusionum;
      - *b*) in voluntate
        - α) rationalis appetitus boni, seu finis beati,
        - β) electiva voluntas mediorum;
    - 2) in Angelo autem
      - *a*) unus respectus intellectus:
        - α) naturalis,
        - β) non discursivus
          - α) ex ipsa perfectione facultatis,
          - β) non ex natura obiecti;
      - *b*) duplex respectus voluntatis:
        - α) naturalis ad finem, quae et principium electivae;
        - β) electiva circa media,
          - α) non ex imperfectione facultatis,
          - β) sed ex natura obiecti, scil. medii ad finem.

B) DE OBIECTO GEMINAE DILECTIONIS ANGELORUM.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELUS DILIGAT SEIPSUM DILECTIONE NATURALI ET ELECTIVA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam ad obiecta dilectionis angelicae; quorum S. Thomas tria praecipua sumit, Angelum diligentem seipsum, alios Angelos, Deum.

De primo, tria quaeri possunt: *a*) utrum Angelus diligat se dilectione naturali; *b*) utrum electiva; *c*) utrum utraque simul. De singulis pauca.

2) Angelum se dilectione *naturali* diligere, est manifestum. Unumquodque enim appetit sibi bonum, eo modo quo est appetitus capax. Ergo in Angelo datur ex vi naturae impulsus in bonum proprium; quae est dilectio sui naturalis.

Haec dilectio destrui nequit, et est essentialiter bona. Unde et remanet in daemonibus; qui, licet inordinatione hanc dilectionem permisceant, tollendo ordinationem sui ad Deum; nihilominus quatenus naturam servant radicaliter bonam, ita appetitum naturalem erga eamdem non amittunt.

Nec obiicias, daemones potius velle non esse. Nam hoc non volunt nisi quatenus volunt sibi bonum, ac proin ex dilectione sui. Apprehendunt enim, ex nimio damnationis dolore, uti melius sibi non esse, quam in hac sorte manere perennes.

3) Dilectione *electiva* se diligunt Angeli, quotiescumque, - iuxta principia in praecedenti articulo posita, - appetunt sibi aliquod bonum contingens, quod apprehendunt tanquam conducens ad bonum proprium. Nam, quum in Angelis sit dilectio electiva, cur hanc non posset Angelus exercere circa semetipsum, volendo sibi bona quae sunt obiectum dilectionis electivae?

4) Quare *utraque* simul dilectione Angelus se amare dicendus est; quia una dilectio non excludit alteram; non enim est de eodem propter idem, sed de diversis sub diverso respectu.

5) Porro inter utramque dilectionem, si ad invicem conferantur, hoc interest, quod bonum, quod Angelus vult sibi amore naturali, est bonum subsistens; bonum, autem, quod sibi vult amore electivo, est bonum accidentale. Prius amatur amore amicitiae; alterum vero amore concupiscentiae. Nec refert utrum bonum accidentale sit in se accidens, an substantia. Accidens enim dicitur, quia per amorem adiicitur subiecto subsistenti, in quod fertur amor amicitiae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 4.

2. Obi. Non considerat gradationem inter unum et esse

unum [1]. Quare obiectio non solum solvitur, sed et retorquetur.

3. Obi. Praetermittit indolem motus, quem involvit dilectio. Est quidem motus, sed manens in amante. Unde parum refert, utrum amatum sit extra amantem, necne. Caeterum haec obiectio si valeret, maxime valeret de Deo. Iam vero quid absurdius quam asserere, Deum non posse amare semetipsum? Idem dic de duabus primis obiectionibus.

Sed contra est. Ex principio aristotelico hic allato rursus vides veritatem principii a S. Thoma in initio praecedentis *Corporis* positi, de ordine inter amorem naturalem et electivum.

In Corpore. En schema huius doctrinae.

Angelus diligit se utraque dilectione (motu scilicet reflexivo manente in agente)	1) *naturali:*	in quantum naturaliter appetit suum bonum (bonum subsistens, per amorem amicitiae);
	2) *electiva:*	in quantum sibi desiderat aliquod bonum per electionem (bonum accidentale, per amorem concupiscentiae).

Quaeres. - Estne dilectio naturalis, qua Angelus diligit seipsum, necessaria dumtaxat quoad specificationem, an etiam quoad exercitium? - Disputant de hoc theologi; sed potius videtur hoc alterum affirmandum cum Bannez, Cumel, Tannero, quibus subscribit Sylvius. Et sane nulla apparet ratio sufficiens cur haec necessitas ad specificationem limitetur. Imo quum necessarium simpliciter admiserimus motum, quo Angelus intelligit semetipsum, a pari nobis dicendum videtur de naturali motu, quo fertur in semetipsum dilectione complectendum.

ARTICULUS IV.

UTRUM UNUS ANGELUS NATURALI DILECTIONE DILIGAT ALIUM SICUT SEIPSUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Antequam ad argumentum transeamus, in titulo huius articuli determinanda sunt verba *sicut seipsum.* Quae verba sensum habere possunt verum et falsum, idque multipliciter.

[1] Quanta sit huius principii virtus, in sequentibus apparebit.

a) Verus sensus est duplex. α) Quemadmodum Angelus diligit semetipsum dilectione naturali et electiva, ita diligit alium Angelum utraque dilectione. - β) Quemadmodum Angelus diligit naturali dilectione seipsum utpote unum secum, ita similiter, licet non eodem gradu, diligit alios Angelos propter unionem, quam habent ad se in communitate naturae specificae aut saltem genericae.

b) Falsus sensus est pariter duplex. α) Eodem gradu dilectionis Angelus diligit alios quo semetipsum. - β) Quemadmodum Angelus diligit seipsum propria sua voluntate, ita diligit alios eorum ipsorum voluntate. Qui ultimus sensus est apertissime falsus. Prior magis est depellendus, tum quia magis est obvius, tum quia primo intuitu minus manifestae falsitatis.

2) Exclusis itaque falsis interpretationibus, iam via ad solutionem est tam aperta, ut vix aliquid superaddendum sit.

a) Et sane quum Angelus nuturali dilectione velit bonum suum, vult quoque eadem dilectione veluti redundante, ac proin simili, licet minori, bonum totius ordinis angelici. Qui amor fertur fortius in Angelos, qui maiorem habent cum diligente Angelo similitudinem. Unde Angelus non solum e coetu Seraphim naturali dilectione intensius diligit Seraphim quam alios ordines; sed et Angelus ex infimo ordine hac eadem dilectione magis similes in eodem ordine magis diligit, quam alios Angelos, licet ordinis superioris.

b) Pariter quemadmodum Angelus diligit se dilectione electiva, ita diligit alios eadem dilectione, quatenus eorum cognitio et amor conferunt ad felicitatem propriam. Hic autem ordo dilectionis non determinatur secundum similitudinem cum Angelo diligente, sed secundum bonitatem absolutam; nam quo perfectior est Angelus, eo maius bonum est Angelo se diligenti.

3) Advertendum autem est sedulo, non eodem omnino modo huic geminae dilectioni, quo Angelus amat alios Angelos, convenire terminologiam amoris amicitiae et concupiscentiae. Concordat quidem amor amicitiae cum amore naturali, quo Angelus diligit alios. Sed amor electivus, quo etiam alios complectitur, habet de utroque amore amicitae et concupiscentiae. De hoc altero, quatenus Angelus amorem Angelorum ordinat ad semetipsum; de priori, quatenus vult

Angelis, quia eos diligit, bona quibus perfectiores et beatiores reddantur.

4) Hic autem tangimus fundamentum affectus omnino oppositi, quo angeli mali bonos Angelos impetunt. Daemones enim oderunt Angelos bonos, non quatenus nullo naturali amore in eos feruntur, - nam naturalis amor fundatus in aequalitate, saltem generica, destrui nequit; sed quatenus diversam ab eis sortem obtinent. Unde potius eis malum optant quodvis, quo similis perditionis exstent participes. Ex opposito autem Angeli boni habent a daemonibus affectum aversum, quatenus ipsi daemones sunt aversi a Deo, cum quo ipsi veluti unum per gratiam et amorem constituunt. Ex quo rursus vides, quantopere unitas seu unum sit amoris principium et terminus.

Corollarium I. - Ex naturali dilectione, quam ad Angelos servant daemones, quippe quorum natura non est per damnationem destructa, vides quomodo malus ille dives e flammarum abysso potuerit eamdem a fratribus sortem voto deprecari. Nam ratio unitatis naturalis ad fratres est arctissima, ac proin et naturalis amoris. Quare leviter arguunt illi, qui, cum Cl. Schell, praeiudiciis eschatologicis ducti, ex hoc desiderio demonstrare conantur, malum illum divitem non fuisse iuxta parabolam damnatum ad infernum; sed ad diuturnam dumtaxat epurationem. Quasi tota haec parabola non affirmaret immutabilem sortem, quam prava vita sibi infelix ille meritus est.

Corollarium II. - Quo magis urgetur unitatis fundamentum, quod Angelos inter se coniungit, eo firmius radicatur amor naturalis Angelorum ad invicem. Quare in sententia eorum, qui censent, Angelos inter se non differre specie, sed solum gradibus, hic amor apparet arctior.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ex falsa acceptione 1) *b*) β).

2. Obi. Procedit ex erronea acceptione 1) *b*) α).

3. Obi. Confundit finem uti bonum quod, cum fine uti bono cui. - Nec attendit dicta n. 4.

Sed contra est. Quousque istud principium ad amorem Angelorum erga homines extendi possit, videbimus in quaestione adnexa.

In Corpore. Tota doctrina hoc schemate contrahi potest.

- Unus Angelus diligit alium Angelum
  - I) *dilectione naturali* sicut seipsum:
    - 1) dilectione naturali, quatenus ratione generis spiritualis unum secum est:
      - *a*) quod illustratur per amorem animalium,
      - *b*) imo per tendentiam corporum;
    - 2) sicut seipsum, id est:
      - *a*) quoad modum (ad 1[m]).
        - α) quia cognoscit eum esse sicut ipse est, licet alio medio;
        - β) quia eum amat eadem naturali voluntate;
      - *b*) quoad gradum (ad 2[m]).
        - α) non cum aequalitate, est enim magis unum sibi;
        - β) sed cum similitudine, fundata in uno genere.
    - 3) imo, quia dilectione naturali, sicuti finem
      - *a*) non quidem cui bonum vult,
      - *b*) sed quem vult sibi bonum,
      - *c*) unde nequit iste amor in angelis malis destrui, (ad 3[m]).
  - II) *dilectione electiva:*
    - 1) in quantum ei optant, quae eum perficiunt:
    - 2) quae tamen dilectio in Angelis malis ad bonos vertitur in odium (ad 3[m]).

Quaestio connexa. - Quid de amore Angelorum erga homines? – Certum est, si mere attenditur ordo naturalis, longe remissius esse vinculum inter homines et Angelos, quam inter Angelos ad invicem. Nihilominus, in quantum Angeli et homines sunt in uno genere remotiori entium intellectu praeditorum, amor naturalis Angelorum, etsi minori virtute, ad homines quoque extenditur.

In ordine autem supernaturali nexus strictior utrosque circumplectitur, quatenus elevatio est utrisque eiusdem rationis. Amor autem inde effluens non potest simpliciter naturalis vocari, quia eius principium excedit naturam. At posito principio, naturali vi ex utraque simul natura et gratia ad modum unius prosilit. Hinc paschale gaudium Angelis et hominibus commune, iuxta verba Gregorii Magni: « Illa « quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas « fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; et Angelorum

« festivitas exstitit, quia nos revocando ad caelestia, eorum « numerum implevit » [1].

Hic autem naturalis amor principium est et amoris electivi, quo Angeli specialius prosequuntur illos, quibus peculiari vinculo ministerii, vel harmonia gratiae coniunguntur. In daemonibus autem haec ipsa elevatio, quae in Angelis erga nos nutrit amorem, inextinguibile et exitiale provocat odium. Quod odium fortius apparet in sententia quae tenet, homines non solum destinari ad eadem cum Angelis beatitudine caelesti fruendum, sed ideo esse a Deo conditos, ut amissas a daemonibus sedes in gloria superna implerent.

ARTICULUS V.

UTRUM ANGELUS NATURALI DILECTIONE DILIGAT DEUM PLUS QUAM SEIPSUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum dilectio sequatur cognitionem, aliter et aliter de dilectione Dei loquendum est secundum cognitionem, quam de Deo habet diligens Deum. Haec autem cognitio distinguitur dupliciter: *a*) alia est implicita, alia explicita; *b*) alia rursus naturalis, alia superna turalis.

2) Supernaturalis dilectio, - sive ipsa charitas, - radicatur in cognitione supernaturali, quae habetur vel *a*) per fidem, quae Deum nobis demonstrat principium futurae beatitudinis aeternae, vel *b*) per visionis lumen, quod instantaneo impetu provocat amorem beatum. Sed de hac dilectione supernaturali hic non movetur quaestio.

3) Quaestio est, utrum vi naturae insita homo diligat Deum plus quam seipsum. Quae quaestio aliter et aliter illustranda est iuxta cognitionem implicitam vel explicitam Dei, cui superstruitur amor. *Explicita* est illa cognitio, qua Deus agnoscitur uti distinctus ab universitate rerum, quas condidit, principium omnis boni, et finis omnium rerum, maxime intellectu praeditarum. Talem de Deo cognitionem Angeli naturaliter habent ex visa propria essentia. Iam vero talis cognitio naturaliter excitat amorem. Imo ex principiis superius positis, amorem excitat maiorem ipso amore, quo Angelus amat seipsum. Licet enim Angelus dilectione naturali

[1] Homil. 21 in Evang.

plus amet se quam Angelos alios singulos; non tamen plus amat se solum quam totum angelicum ordinem, cuius est pars. Quanto minus amat se solum plus quam Deum, fontem omnis boni, et activum principium omnis bonitatis, quam possidet et qua consistit.

Et sane, si Angelus naturaliter inclinaretur ad plus amandum se quam Deum, etiam explicite agnitum, natura Angeli esset mala, utpote contraria ordini, quem Deus in creandis naturis intellectualibus intendere debuit: scilicet ut sese ordinarent in Auctorem suum, a quo prodierunt. Iam vero haec ordinatio perverteretur, nisi naturali inclinatione Angelus Deum explicite cognitum plus amaret quam seipsum.

4) *Implicita* autem Dei agnitio est illa, quae involvitur in alia, scilicet in bono summo, universali, quod continetur implicite in ipso bono proprio, in quod fertur natura intelligens. Quare impossibile est ut homo, - nam Angelus in hac implicita Dei cognitione non remansit, - etiam amando se, quin de Deo cogitet, non amet magis, at implicite, Deum.

5) Hic amor Dei naturalis, tum explicitus, tum implicitus, non destruitur per peccatum, neque per ipsam damnationem; licet per ea destruatur charitas. Sed cum ista dilectione naturali stare potest explicita aversio a Deo, - implicita enim est omne peccatum grave, - imo talis aversio, quae prorumpat in apertum odium Dei. Sicut enim in praecedenti articulo vidimus, rationem dari posse disproportionis, quae dilectionem electivam aliorum Angelorum vertat in odium; ita, in praesenti argumento, dari possunt rationes, apparentes utique quae repraesentent Deum uti inimicum boni proprii, - puta per passiones pravas obtinendi, - unde amor naturalis Dei veluti odio suffocetur. Sed radicitus hic amor manet; imo ex hoc duello in damnatis cruciatus oritur acutior.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad rationem principii totalis, quae existit in Deo relate ad naturas creatas, licet a Deo maxime distantes.

2. Obi. In minori argumenti est defectus. Vera procederet obiectio, si naturalis amor Dei non esset nisi concupiscentiae. Si quum sit imprimis amicitiae in altissimo sensu, obiectio caret virtute.

3. Obi. Non attendit ad supremam et supereminentem rationem, ob quam Angelus, etsi Deum amans plus quam se, tamen reflectit in se, quia Deus est summum bonum causa sui ipsius Angeli.

4. Obi. Non attendit ad gradationem indolis, quae existit inter amorem Dei naturalem et supernaturalem; licet utroque amans Deum amet plus quam semetipsum.

5. Obi. Procedit ex falsa suppositione, quod naturalis amor Dei in daemonibus destruatur.

In Corpore. En totam hanc doctrinam schemate expressam.

- Angelum naturali dilectione Deum plus amare quam seipsum,
  - I) aliqui putant potius negandum quam affirmandum:
    - 1) simpliciter loquendo negandum, nam
      - *a*) intensius
      - *b*) principalius
      - } magis diligit se.
    - 2) sed concedendum secundum quid:
      - *a*) quoad amorem amicitiae } vult Deo maius bonum: esse Deum;
      - *b*) quoad amorem concupiscentiae } vult sibi bonum divinum, uti summum.
  - II) sed *affirmandum* est, et A) *demonstratur:*
    - 1) *indirecte,* secus enim
      - *a*) natura hominis esset perversa,
      - *b*) charitas destrueret naturam,
      - *c*) praeceptum naturale de Deo diligendo super omnia, esset de impossibili per se;
    - 2) *directe,* nam
      - *a*) Deus est bonum universale in quod omne bonum particulare reducitur,
      - *b*) est bonum radicale, ratio omnis boni,
      - *c*) quod et illustratur per instinctum conservationis, tum individui [1], tum societatis.
  - B) *explicatur:* Deus hic intelligitur (ad 5m)
    - *a*) non uti consideratur in sua essentia distincta:
      - ita potest odio haberi, quatenus contrariatur electioni malae, vel castigat merentes poenam (uti in daemonibus);
    - *b*) nec in essentia visus:
      - ita non potest non diligi;
    - *c*) sed in quantum est bonum universale, quod ens intelligens in seipso, velit nolit, plus amat seipso.

[1] Illustratio de manu se exponente ad caput tuendum, plus habet speciei quam rigoris probativi. Non enim manus se exponit, sed homo manum iudicio quodam prudenti, at motu per ipsam experientiam addiscendo, — sicuti tot alios, puta motus quos homo facit ad aequilibrium servandum. At licet ipsa manus non se exponat, homo tamen eam exponens ostendit, principalius bonum magis a se diligi, ac sic illustratio corroborat argumentum.

Quaeres. - Quomodo debet intelligi ista dilectio Dei naturalis, de qua loquitur S. Thomas in hoc articulo: estne actus elicitus, an etiam naturali inclinatione necessarius? Insuper, si necessarius, estne necessarius quoad exercitium, an mere quoad specificationem? Demum estne actus implicite, an mere implicite appetens Deum? - Respondendum est quoad hoc ultimum iuxta distinctionem, quam in expositione argumenti evolvimus. Nec omnino pariter loquendum est de Angelo ac de homine, quod non satis videtur attendisse Toletus. Porro in Angelo, - non in homine, - qui non habet hanc initialem explicitam, claram intellectionem Dei, censemus, iuxta superius dicta de dilectione naturali Angeli circa semetipsum, hanc dilectionem Dei explicite apprehensi esse ita naturalem, ut actus eiusdem non modo elicitus, sed et naturali sit impulsu necessarius, neque solum quoad specificationem, sed quoad exercitium. Quae omnia non valent de homine. Nec ideo sequitur, Angelum in conditione sua naturali tam potenter et firmiter ferri in Deum quam in conditione supernaturalis visionis. Tripliciter enim hi duo motus amoris differunt. Nam *a*) amor beatus est amor Dei quoad essentiam visi; amor iste naturalis non est nisi Dei explicite in ipsa Angeli essentia apprehensi; - *b*) amor beatus est motus per charitatem, praelucente lumine beato; amor iste est naturalis tum quoad intellectionem, quae eum praecedit, tum quoad impulsum voluntatis; - *c*) amor beatus non potest admisceri affectu contrario, purus enim est, nec potest maculari; amor ille naturalis non potest quidem destrui, sicut nec lux naturalis, a quo procedit, potest obscurari; sed nihilominus per actum elicitum odii potest moraliter obrui.

MEMBRUM IV.

DE ANGELORUM PRODUCTIONE SEU CREATIONE.

Hoc Membrum triplici Capite constat. In primo quaeritur de Angelorum productione in esse naturae; quod Caput respicit aequaliter Angelos omnes. In secundo quaeritur de Angelorum perfectione quoad gratiam et gloriam; cuius Capitis prima pars respicit pariter omnes Angelos; altera contrahitur ad Angelos bonos. In tertio Capite quaeritur de lapsu et poena eorum, qui ab orginali iustitia deciderunt; quod Caput solos respicit daemones. (Cf. tabellam p. 444).

CAPUT I.

DE PRODUCTIONE ANGELORUM IN ESSE NATURAE.

QUAESTIO LXI.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

- De creatione Angelorum quaeritur
  - 1) factum (a. 1);
  - 2) modus facti:
    - *a*) quoad tempus,
      - α) relate ad aeternitatem (a. 2),
      - β) relate ad alia creata (a. 3);
    - *b*) quoad locum (a. 5).

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELI HABEANT CAUSAM SUI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Quaestio de creatione Angelorum considerari potest sub ratione philosophica, et sub ratione theologica.

1) *Philosophice* re considerata, manifestum est, Angelos, si dentur, existere non posse nisi causam totalem sui

habeant causam efficientem primam, Deum. Quod multipliciter ostenditur, tum considerando in Angelis rationem contingentiae et limitatae perfectionis, tum in ipso Deo rationem singularitatis et universalis dominii. Quare huc revocanda sunt quaecumque in prima parte huius tractatus diximus de necessitate ut omnia, quae exstant praeter Deum, originem ducant ab ipso Deo, idque non per viam emanationis, sed per viam creationis.

Aliquo tamen sensu, imo gemino, dici potest, Angelum minus habere de causato, quam ea quae exstant composita ex materia et forma: quia deest in eis tum ratio causae formalis relate ad totum; tum ratio causae agentis educentis formam de potentia materiae. Sed, quod sub hoc gemino respectu minus in eis habetur relate ad causam secundam, redundat in pleniorem virtutem causae primae, quae ita producit Angelum, ut in eius effectione nulla prorsus interveniat causa secunda.

2) *Theologice* re perpensa, creatio Angelorum fulcitur validissimis testimoniis, quemadmodum in *Sed contra est* mox illustrabimus.

Unica obiectio, quae hic moveri potest, et qua abutebatur inter alios apostata Iulianus [1], petitur ab apparenti vel reali silentio Moysis. Quae obiectio non uno modo a Patribus est soluta. In duas enim partes abierunt: alii silentium Moysis negando, alii concedendo. Qui negabant, duplicem praecipuam interpretationem suggerebant: Origenes [2], Beda et Strabus, Angelos intelligebant significatos per caelum; Augustinus [3] autem potius eos significari putabat per lucem, aut saltem in hanc interpretationem inclinabatur [4]. - Qui vero silentium Mosaicum concedebant, rationem afferebant triplicem. Alii putabant Moysen, tacuisse Angelos ob rationem oeconomicam, quam S. Chrysostomus hisce verbis exponit: « Nihil de « his virtutibus loquitur (Moyses), quae sub aspectum non « cadunt; neque dicit: In principio fecit Deus Angelos, vel

[1] Silentium Moyses tale esse dicebat, « ut Deus, secundum ipsum nullius incor- « porei sit conditor, sed materiae subiectae ornator ». (Ap. Cyrill. ctr. Iulian. 2).

[2] Homil. 1 in Genes.

[3] *De Gen. ad litt.* I, c. 9; *De Civit. Dei,* XI, c. 9.

[4] Plura vide de S. Augustino in Appendice ad art. 3.

« Archangelos, quam doctrinae viam non temere ac sine « causa tenuit. Cum enim ad Iudaeos verba faceret, qui prae- « sentibus rebus inhiabant, neque intelligibile quicquam ima- « ginatione capere poterant, ex iis quae sensibus percipiun- « tur, interim ipsos attollit ad universorum Conditorem » [1]. Quam rationem et Cyrillus modo generaliori affert contra Iulianum disputans. - Alii simpliciter dicunt, Moysis scopum non fuisse ut de invisibilibus quoque creaturis, sed tantum de aspectabilibus et corporeis loqueretur. Ita S. Basilius [2]; quem sequitur Philoponus. Ratio autem quam huius limitationis afferunt, appropinquat valde ad oeconomicam rationem superius allatam. - Nec desunt qui existiment, Moysen Angelos omisisse, quia creati sunt ante visibile universum, cuius effectionem describit. Ita S. Gregorius Nazianzenus [3]. De qua opinione mox sermo redibit, ubi de tempore creationis Angelorum inquiremus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Haec obiectio tria supponit: *a*) Moysen omnia prorsus enumerasse, quae a Deo sunt creata; - *b*) de Angelis nullam in narratione Mosaica haberi mentionem; - *c*) nullam rationem adesse potuisse ob quam explicita Angelorum mentio sit a Moyse omissa. Iam vero hoc tertium est falsum; et duo prima sunt incerta.

2. Obi. Confundit causam efficientem cum causa formali et agente. Duae ultimae causae desunt in formis per se subsistentibus; non autem prima, nisi in ente absoluto et necessario, qui est Deus.

3. Obi. Ab absentia causae agentis falso concludit ad absentiam causae efficientis.

Sed contra est. Dogma creationis Angelorum manifestissime proclamatur a Scripturis, a Patribus, et ab Ecclesia.

I. Praeter textum hic a S. Thoma allatum, huc faciunt verba cantici trium puerorum: « Benedicite omnia opera Do- « mini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula. Be- « nedicite Angeli Domini Domino » [4]. Ergo Angeli sunt opus

[1] Hom. 2 in Genes.
[2] *De Spirit. S.* c. 16.
[3] Orat. 38, 9, 10.
[4] Dan. III, 57, 58.

Domini; unde et Domini dicuntur, quia facti a Domino. - Pariter huc spectant verba Pauli: « In ipso condita sunt universa « in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive « Dominationes, sive Principatus, sive Potestates » [1]. Implicite idem praedicat Mardochaeus in sua oratione: « Tu fe- « cisti caelum et terram, et quidquid caeli ambitu conti- « netur » [2]; necnon S. Ioannes dicens: « Omnia per ipsum « facta sunt » [3].

Caeterum quotiescumque Angeli praedicantur nuntii, in ministerium missi, Deoque obedientes, dominium Creatoris in eos praedicatur. Nam, quaeso, quo iure Deus Angelis ad nutum uteretur, nisi eos condidisset ipse?

II. Patrum doctrina hac in re prorsus conspirat. Nec mirum. « Angelos, ait Petavius, a Deo fuisse creatos, non « solum Christiana religio; sed etiam philosophorum opinio « profitetur; maxime Platonicorum, quorum princeps in Ti- « maeo minores a summo Deo esse conditos refert; ab his- « que facta deinceps ac perpolita reliqua » [4]. Inde Augustinus sciscitans de tempore, quo Angeli creati sunt, praeter omne dubium ponit eos esse creatos. Quod et testimoniis Scripturae superius allatis fortissime fulcit: « Opus Dei esse Angelos, « hic quidem (in Genesis exordio) etsi non praetermissum, « non tamen evidenter expressum est; sed alibi hoc sancta « Scriptura clarissima voce testatur » [5]. Et adducit textus Danielis et Psalmistae superius allatos [6].

[1] Coloss. I, 16.

[2] Esth. XIII, 10.

[3] Ioann. I, 3.

[4] Op. cit. l. I, c. XV, n. 1.

[5] *De Civit. Dei,* l. XI, c. 9. — Cf. *De Gen. ad litt. op. incip.* c. 3.

[6] Placet audire S. Augustinum doctrinam catholicam de Angelorum origine cum ethnicorum philosophorum doctrina conferentem: « Hos (sc. s. Angelos) si Platonici « malunt deos, quam daemones dicere eisque annumerare, quos a summo Deo condi- « tos deos scribit eorum auctor et magister Plato (in Timaeo); dicant quod volunt: « non enim cum eis de verborum controversia laborandum est. Si enim sic immortales, « ut tamen a summo Deo factos, etsi non per seipsos, sed ei, a quo facti sunt, adhae- « rendo, beatos esse dicunt: hoc dicunt, quod dicimus, quolibet eos nomine appel- « lent. Hanc autem Platonicorum esse sententiam, sive omnium, sive meliorum, in « eorum litteris inveniri potest. Nam et de ipso nomine, quo huiusmodi immortalem « beatamque creaturam deos appellant, ideo inter nos et ipsos pene nulla dissensio « est, quia et in nostris sacris litteris legitur: " Deus deorum Dominus locutus est " « (Ps. 49, 1); et alibi: " Confitemini Deo deorum " (Ps. 135, 2); et alibi: " Rex magnus « super omnes deos " (Ps. 94, 3). Illud autem ubi scriptum est: " Terribilis est super

III. Ecclesia porro eamdem veritatem solemniter definivit, tum per Symbola in quibus fides proclamatur in Deum « factorem caeli et terrae, visibilium et invisibilium », tum per definitionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III, in qua asseritur, Deum « utramque de nihilo condidisse naturam, « Angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam ».

In Corpore. Hoc schemate doctrinam expressam tene:

- Angelum a Deo esse creatum, probatur
  - I) per *fidem:*
    - 1) per Scripturas:
      - *a)* per multa loca aperta;
      - *b)* per ipsam Genesim:
        - α) Angeli, designantur per caelos vel per lucem;
        - β) non autem nominantur apertius ob rationem oeconomicam (ad 1).
    - 2) per auctoritates Ecclesiae:
      - *a)* Conciliorum,
      - *b)* Symbolorum,
      - *c)* Patrum;
  - II) per *rationem:*
    - 1) solus Deus est suum esse, nec causam habet;
    - 2) omnia alia, uti entia participata, indigent causa;
    - 3) etiam spiritus puri:
      - *a)* non quidem causa formali seu unitatem producente,
      - *b)* nec causa agente, educente de potentia materiae,
      - *c)* sed causa producente totam substantiam.

Corollarium I. - Conclude ex hac doctrina absurditatem tum emanationis gnosticae, quae per Angelos utpote Deo

« omnes deos », cur dictum sit, deinde ostenditur. Sequitur enim: " Quoniam omnes « dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit " (Ps. 95, 5, 5.). Super omnes « ergo deos dicit, sed gentium, id est, quos gentes pro diis habent, quae sunt dae« monia; ideo terribilis, sub quo terrore Domino dicebant: " Venisti perdere nos! " « (Marc. I, 24). Illud vero ubi dicitur: Deus deorum, non potest dici: Deus daemonio« rum, et Rex magnus super omnes deos, absit ut dicatur: Rex magnus super omnia « daemonia. Sed homines quoque in populo Dei eadem Scriptura deos appellat. " Ego, « inquit, dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes " (Ps. 81, 6). ....Non multum ergo de « nomine disceptandum est, cum res ipsa clareat, ut a scrupulo dubitationis aliena « sit. Illud vero, quod nos ex immortalium beatorum numero missos Angelos esse « dicimus, qui Dei voluntatem hominibus annuntiarent, illis autem non placet, quia « hoc ministerium non per illos, quos deos appellant, id est, immortales et beatos, « sed per daemones fieri credunt, quos immortales tantum, non autem beatos audent « dicere; aut certe ita immortales ac beatos, ut tamen daemones bonos, non deos « sublimiter collocatos et ab humana contrectatione remotos: quamvis nominis con« troversia videatur, tamen ita detestabile est nomen daemonum, ut hoc modis omni« bus a sanctis Angelis nos removere debeamus ». (*De Civ. Dei* l. IX, c. 23).

ortos, quasi per medium gradum inter Deum et simplicem creaturam, praesumit infinitam complere distantiam, quae creaturas has visibiles separat a Deo; - tum quoque dualismi Manichaeistici, qui daemones habet veluti incarnationem principii mali bono principio coaeterni.

Corollarium II. - Evidens est, creationem Angelorum provenire ex actu liberrimo divinae voluntatis. Alia enim longe spiritualis processio Verbi de Patre et Spiritus Sancti de utroque Patre et Filio, quae abesse non potuit; alia creatio Angelorum, qui in se nihil habent quod existentiam exigat, et quibus Deus nulla ratione exigebat. Sunt quidem spiritus, sed non eo modo, quo in sinu Trinitatis procedit Spiritus divinus. Vocantur quidem filii Dei et spiritus Dei, sed in sensu analogico, non proprio.

Respectus autem SS. Trinitatis ad Angelos se habet sicuti ad caeteras creaturas [2]; sunt enim a Patre facti per Filium et in Spiritu Sancto perfecti [3].

Corollarium III. - Nulla ratio est dubitandi quominus omnes Angeli creati sint a Deo simul, non autem successive. Haec enim apud homines successio provenit a multiplicatione hominum per materiam ope generationis transfusam. Quae sane propagationis ratio apud Angelos, utpote spiritus puros, omnino deest. Nec potest aliquid simile rationabiliter fingi, quod eius vices apud illos gerat. Quare prorsus reiicienda est sat mira sententia Gregorii Nysseni, qui putat, hominum propagationem per opus generationis esse consequens naturae lapsae; quatenus, si homo non peccasset, sese propagasset per viam magis spiritualem, appropinquantem scilicet ad modum nobis prorsus ignotum, at nihilominus verum, quo Angeli in tam mirabilem multitudinem eiusdem naturae excreverunt [4].

[1] Cf. Greg. Nyss. (*ctr. Eunom.* l. iv. — *P. G.* xlv, 629).

[2] « Was von der Erschaffung im Algemeinen gilt, dass sie durch den Logos « ausgeführt und im Heiligen Geiste vollendet sei, — das gilt auch von der der « Engel » (Schwane — *Dogmengesch.* II *Patrist. Zeit.* p. 231. — In quo opere egregia invenitur expositio de modo et gradu, quo Patres Angelorum spiritualitatem intellexerunt, p. 232, sqq.

[3] Cf. Greg. Naz. Orat. 38, 9; — Ioann. Damasc. *De Orth. fide,* ii, 3.

[4] « Si ab ea vitae conditione, in qua Angelis aequales erimus, per peccatum non « excidissemus, nihil neque nos ad multiplicationem nuptiis opus habuissemus, sed « quaecumque tanta in Angelorum natura multiplicationis est ratio, quae quidem

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELUS SIT PRODUCTUS A DEO AB AETERNO.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duplex quaestio hic moveri potest: 1) utrum Angelus sit creatus ab aeterno; 2) utrum ab aeterno creari potuerit.

I) 1) *Factum* creationis Angelorum non ab aeterno, constat ex Scripturis. Huc redeunt illa argumenta, quae superius attulimus, ubi de creatione ab aeterno disputavimus; saltem illa argumenta, quae, ob suam formam latiorem, Angelos quoque complectuntur. Unde in Scripturis et in Liturgia aeternitas semper de Deo tanquam attributum exclusivum praedicatur.

2) Suntne igitur Angeli creati in tempore, quia non ab aeterno?[1] - Hic distinguendum est inter tempus angelicum et tempus nostrum. *a*) Angeli non sunt creati *in* tempore angelico, quasi eorum creationi praeexistenti, si omnes Angeli creati sunt simul; si autem non sunt creati simul, qui creati sunt post alios, dici possunt creati in tempore eorum qui creati sunt prius. Sed si omnes creati sunt simul, creati sunt *cum* tempore angelico, tum quia eorum initium fuit cum successione τοῦ esse post non esse, tum quia fuit principium motus seu temporis angelici. - *b*) Porro si creati sunt ante quamvis creaturam corporalem, Angeli non sunt creati in tempore nostro, neque cum tempore nostro. - Si autem creati sunt simul cum principio rerum corporalium, sunt creati cum tempore nostro, sed extrinseco. - Si vero creati sunt post alias aut post aliquas creaturas corporales, creati sunt quoad illas non solum cum, sed et in tempore nostro, at pariter extrinseco.

II. *Possibilitas* facti pendet a sententia, quam quis amplectitur quoad possibilitatem creationis ab aeterno. Vidimus superius, S. Thomam hac in re defendere sententiam a multis

« neque verbis explicari, neque coniecturis hominum comprehendi potest, et est in « illis tamen aliqua... » (*De hom. opif.* c. 17).

[1] Lege S. Augustinum de hoc argumento subtiliter et eleganter disputantem. (*De Gen. ad litt. lib. imperf.* c. 3, n. 7, 8. — *P. L.* XXXIV, col. 222, sq.

theologis acriter impugnatam. Possibilitatem creationis ab aeterno restrinximus ad ens omni motu expers. Iam vero talis non est Angelus, quippe qui quoad multa ponit actus successivos intellectus et voluntatis, et potest localiter moveri. Ergo repugnat, Angelos esse creatos ab aeterno.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a libera voluntate, qua Deus Angelum condidit.

2. Obi. Confundit tempus nostrum cum tempore angelico.

3. Obi. Confundit aeternitatem a parte post cum aeternitate a parte ante.

Sed contra est. Adde locum similem Ecclesiastici: « Ego « ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creatu- « ram » [1]. Unde formulae fidei Albigensibus a Concilio Lateranensi IV praescripta diserte affirmat, « ab initio temporis « utramque de nihilo.... » creaturam tum spiritualem tum corporalem « esse conditam » [2].

In Corpore. En schema huius doctrinae.

- Angelos non esse productos ab aeterno,
  - I) constat positive *ex fide:*
    - 1) expresse continetur in Scripturis,
    - 2) unde contraria positio est haeretica;
  - II) nec afferri potest *ratio* [3] in contrarium ex natura Angelorum:
    - 1) non ex hoc quod sint supra tempus (ad 1):
      - *a*) verum est de mensura modus corporalis,
      - *b*) non autem de successione
        - α) ab esse ad non esse,
        - β) operationum.
    - 2) nec ex incorruptibilitate (ad 2):
      - *a*) valet ad aeternitatem a parte post, si sint;
      - *b*) non a parte ante, ut semper fuerint.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELI SINT CREATI ANTE MUNDUM CORPOREUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Haec rursus quaestio habet respectum philosophicum et theologicum.

[1] Eccli. xxiv, 5.

[2] Denzinger (*Enchir.* n. 355).

[3] De rationibus intrinsecis, ex ipsa scilicet creatione petitis, S. Th., sibi constans, nihil hic habet: tenet quippe, necessitatem ut creatio non sit ab aeterno, per argumenta rationis demonstrari non posse.

1) *Philosophice* re perpensa statuendum videtur, Angelos aut in initio creationis rerum corporalium aut non multum ante hoc initium esse creatos. Et sane Angeli pertinent ad ordinem universi, supremum tenentes gradum in entium scala, quae a rebus corporeis inanimatis transit per hominem ex materia et spiritu conflatum, ad creaturas mere spirituales. Iam vero si Angeli ita pertinent ad ordinem universi, decere videtur, ut cum universo reliquo inceperint, aut non tam diu antea, ut subsequenti universo veluti extranei videantur.

Haec ratio sane minuitur in mente eorum, qui putant, mundum visibilem esse creatum propter hominem, hominemque ipsum esse conditum, ut numerus caelestis Hierusalem, parte suorum civium per lapsum daemonum frustratae, instauraretur.

2) *Theologice* autem quaestio non potest cum plena certitudine solvi, quia nec Scripturae, nec traditio Ecclesiae aliquid praecisi de tempore creationis Angelorum docent.

Unum tamen tenendum est, maxime si praecitata verba Concilii Lateranensis prae oculis habentur: Angelos scilicet conditos esse « in initio temporis ». Quod et suadet ipsa narratio Mosaica. Et sane post opus sex dierum Deus exhibetur septimo die ob opere quiescens [1], nec convenienter ponitur creatio Angelorum intra varia opera hexaëmeron. Ergo superest ut creati sint in initio rerum.

Remanet tamen quaestio, utrum Angeli creati sint « in « initio temporis » quatenus cum primis rebus corporibus, an quatenus ante omnia sensibilia fuerunt conditi. De qua questione traditionem Petrum in adiecta Appendice investigabimus

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Cf. ibidem dicenda.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) arguit ac si Deus esset pars universi; *b*) supponit dari medium inter aeternitatem et initium temporis nostri. Nihilominus ratio dignitatis hic allata potest adduci tanquam suasiva ad probandum, Angelos conditos esse primos, ante universum visibile.

[1] Inde Ioannes Damascenus dicit: « Ante formatum hominem illos exstitisse, con« sentiunt omnes ». (Op. cit. l. II, c. 3).

3. Obi. Procedit iuxta comparationem mancam, quia longe alius est nexus inter creaturam spiritualem et creaturam corporalem, quam inter varias naturas corporales inter se.

Sed contra est. Argumentum hic adductum videtur inspirasse verba formulae Concilii Lateranensis IV: « qui (Deus) « sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque « de nihilo condidit creaturam » [1]. Quae tamen verba non ita urgenda sunt ac si per ea omnino dirimeretur controversia de hoc argumento a multis saeculis acta [2]. Mens enim Concilii non fuit hoc ipsum dubium prorsus solvendi; sed affirmandi, utramque creaturam aliqualiter per modum unius universi ab exordio temporis a Deo esse conditam; aut saltem rursus proclamandi contra errores Manichaeorum et Origenistarum, Deum aeque esse conditorem utriusque creaturae.

In Corpore. En doctrina ab Angelico hic exposita:

- De tempore creationis Angelorum adest duplex opinio orthodoxa:
  - I) Graeci Patres passim affirmant, Angelos esse creatos ante mundum corporeum;
  - II) at melius videtur negandum, quia Angelos fuisse conditos simul cum initio mundi corporei, suadetur
    - 1) per Scripturam: (In principio Deus creavit coelum et terram);
    - 2) per rationem: quum Angeli pertineant ad universum, suadet perfectio operis, ut cum universo, quocum unum efformant, sint ab universi auctore conditi.

APPENDIX

de sententia Patrum circa tempus [3] creationis Angelorum.

I) Primo intuitu plerique scriptores non solum Graeci, sed et Latini vetustiores censent, Angelos conditos esse ante alias creaturas visibiles. Sed de quibusdam ex eis minus constat,

[1] Denzinger (op. cit. 355).

[2] Ita Suarez, Petavius, alique negant, definitionem eo usque pertingere ut stricta simultaneitas utriusque creationis sit de fide tenenda. Concordat et S. Thomas, qui mitiori sensu hoc decretum intellexit, quum rem nondum uti definitam exhibeat. Ultra limitem autem progreditur Vasquez, dum affirmat, Ecclesiam hac in re non solum nihil definivisse, sed ex defectu elementorum nihil definire potuisse. (Ip. disp. 224, c. 3 et 4).

[3] Intellige tempus sensu latiori: principii originis in sua relatione ad aliarum creaturarum principium.

utrum Angelos putaverint creatos ante illud initium, quo Moyses caelum et terram facta denarrat.

Thesim generali modo formulat vetus quidam ignotus scriptor: « Omnes propemodum per orbem Ecclesiae magi- « stri intelligibilem omnem et angelicam naturam ex nihilo « ante hunc mundum exstitisse docent » [1]. Origenes, praecitato textu Job veluti ductus, affirmat pariter, Angelos esse « antiquiores non solum homine post creato, sed et omni « creatura propter eum creata » [2]. At creaturam hic intelligit per sex dies distinctam; nam Angelos dicit alibi in principio cum caelo factos: « Quod in principio et ante omnia dicitur « factum, omnem spiritualem substantiam intelligit, super « quam, velut in throno quodam et sede, Deus requiescit » [3]. In quem sensum postea conspirat Philippus Abbas Bonae Spei, qui Angelos intelligit domum aeternam, de qua loquitur Apostolus [4]. Ita pariter interpretari licet plures Patres, qui simpliciter, uti Beda [5], affirmant Angelos esse conditos ante omnem creaturam; ut scilicet censeant, Angelos creatos esse vel in principio, quando factum est caelum, vel primo die, quando facta est lux. Audiatur Isidorus Hispalensis: « Ante omnem creaturam Angeli facti sunt, dum dictum est: « " Fiat lux ". De ipsis enim dicit Scriptura: " Prior omnium « creata est sapientia ". Lux enim dicuntur participando luci « aeternae » [6]. Similia habent Iunilius Africanus [7] et Eucherius [8].

Hunc sensum expressissime formulat S. Epiphanius his verbis: « Illud evidenter divinus sermo declarat, neque post « sidera productos Angelos, neque ante caelum terramque « constitutos. Est enim certa illa et incommutabilis senten- « tia, ante caelum et terram nihil omnino conditarum rerum « exstitisse; quoniam in principio creavit Deus caelum et ter- « ram: ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex

[1] Cf. Petav. (op. cit., l. I, c. 15, n. 2).
[2] Homil. 10 in Matth.
[3] Homil. 1 in Gen.
[4] Epist. 1.
[5] Lib. QQ. 9, 9.
[6] *De Summo bono*, I, c. 12.
[7] Libr. II, c. 2.
[8] In Genes. l. I.

« rebus omnino nulla fuerit » [1]. Quae Epiphanii sententia nunc communissime accipitur, et maxime consonat professioni Conciliorum Lateranensis IV et Vaticani.

Appropinquant ad hanc sententiam illi, qui Angelos putant conditos inter principium, quo Deus caelum et terram fecit, et opus primae diei. Ita e Graecis Basilius Seleuciensis inde explicat, quod caelum et terram Deus nulla prolata voce creaverit, reliqua autem adiuncto verbo: quia scilicet, quando caelum et terram condebat, nondum erant, qui Dei vocem audirent [2].

Simile e Latinis habet Gennadius Massiliensis, qui putat, inter principium, quo caelum et terram, et diem, qua lucem creavit, Angelos effectos, « ut non esset otiosa Dei bonitas » [3]. Quam rationem Zacharias quoque Mitylenensis adducit; at non omnino constat, utrum Angelos ita conditos, ne Deus maneret otiosus, ponat ante omne initium cuiusvis creationis mundi materialis [4]; sicuti nec de ps. Novatiano constat, utrum posuerit Angelos conditos ante illud primum principium, an tantum ante conditum firmamentum [5].

II) At non omnes Patres ad Epiphanii sensum aut similem attrahi possunt, quum aperte creationem ponant ante illud initium de quo loquitur Moyses. Quatuor e Graecis, tres e Latinis adducam. 1) Eminet e primis *a*) S. Basilius, cuius verba, etsi longiora, ex integro afferenda videntur: « Erat, ut apparet, « aliquid etiam ante hoc universum, quod mente quidem « nostra contemplari possumus; non est tamen litteris ullis « proditum, quod rudibus et cognitione adhuc infantibus « nequaquam congruere videtur. Erat quidam mundi produ- « ctione status antiquior, mundis superioribus illis consenta- « neus virtutibus, tempore anterior, sempiternus, perpetuus. « Creaturas autem in ipso creator omnium et opifex effecit, « intelligibile lumen eorum, qui Deum amant, felicitate di- « gnum; nempe rationales, neque aspectabiles naturas et

[1] Haeres. 25.
[2] Orat. 1.
[3] *De dogm. eccles.* c. 10.
[4] *Libr. de mundi opif.* circa fin.
[5] *De Trin.* c. 1. Hoc ultimum contra Pammelium censet Petavius (loc. cit. n. 9).

« omnium intelligibilium ordinem, quaecumque mentem no-
« stram superant, quorum ne nomina quidem investigari pos-
« sunt. Haec enim invisibilis mundi substantiam complent, ut
« nos Paulus his verbis docet: " quoniam in ipso creata sunt
« omnia, sive visibilia, sive invisibilia.... " » [1]. - *b*) Hanc opinionem quasi ad verbum mutuatur Gregorius Nazianzenus [2]. - *c*) Nec dissentit S. Chrysostomus, qui ex ista sententia refellit eos, qui verba « Faciamus hominem... » contendebant dicta ad Angelos. « Quid causa est cur, cum caelum fecit,
« non dixit Angelo et Archangelo, sed per se produxit...? » [3]. Quae sane argumentatio, quiquid valeat, Angelos supponit conditos ante caelum. - *d*) Ioannes Damascenus tam diserte eidem sententiae subscribit, ut verba eius pariter afferre iuvet.
« Quidam asseverant, Angelos ante omnem creaturam esse
« factos; ut Gregorius Theologus his verbis ait: " Primum
« quidem excogitavit angelicas virtutes, ac caelestes; et
« cogitatio ipsa opus erat ". At alter creatos illos putat,
« postquam primum caelum fabricatum est. Nam ante for-
« matum hominem illos exstitisse, consentiunt omnes. Ego
« vero Gregorio Theologo subscribo. Decebat enim primum
« intelligibilem substantiam creari; tum sensibilem; ac de-
« mum ex utraque compositum hominem » [4].

Quod si quaeris, quomodo hi magni scriptores Graeci hanc sententiam tam diserte exprimere potuerint, forsan ratio huius facti in philosophia ethnica est quaerenda, quae Deos secundi nominis, vel αἰῶνες, ponebat tempore hunc mundum diu praecessisse.

In Scripturis sane haec sententia non firmum habebat fulcimen. Unde Theodorus Mopsuestenus in Basilium tacito nomine ita invehebat: « Non minus stultum est, quando aliqui
« etiam eorum, qui censentur pii et divinis Scripturis cre-
« dere se profitentur, Angelos et invisibiles aliquas virtutes
« ante res visibiles exstitisse arbitrantur, cum ex divina Scrip-
« tura nullam huius probationem afferre possint » [5].

[1] Homil. 1 in Hexaëm.

[2] Orat. 38, 42.

[3] Homil. 2.

[4] Op. cit. l. II, c. 3; cf. l. IV, c. 14. — Sane minus concordat haec successio: « pri-
« mum tum, demum », cum successione Symboli Lateranensis: « simul, deinde ».

[5] Libr. 1 in Genes.

2) E Latinis Patribus sententiam Basilii amplexi sunt prae aliis S. Ambrosius, S. Hilarius et S. Hieronymus. *a*) Primus haec habet: « Ante ipsum initium mundi Cherubim et Sera-« phim cum suavitate canorae vocis suae dicunt: Sanctus, « Sanctus, Sanctus... » [1]. - *b*) Contra Arianos disputans Ambrosius dicit: « Quid enim magnum est, ut ante terram Deus « Dominum Christum genuerit, cum Angelorum origo terrae « creatione reperiatur antiquior? » [2]. - *c*) Et Hieronymus: « Sex millia necdum nostri orbis implentur anni; et quantas « prius aeternitates, quanta tempora, quanta saeculorum ori-« gines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Do-« minationes, caeteraeque Virtutes servierint Deo, et absque « temporum vicibus atque mensuris Deo iubente substi-« terint » [3].

Ex dictis vides, quousque et qua ratione subscribendum sit cl. Palmieri dicenti: « Non est necesse ut secundum opi-« nionem hanc interpretemur eos Patres, qui dicunt Angelos « ante omnem creaturam esse creatos, quia creaturae nomine « accipi possunt determinatae naturae, quae modo existunt, « atque hic intellectus est conformior Scripturae » [4].

III) Porro S. Augustinus in hac quaestione non semper eodem modo est locutus. In libro imperfecto *De Genesi ad Litteram* utramque accipit hypothesim, Angelos esse creatos ante caelum et terram, vel una cum caelo, uti caeli partem, aut ipsum caelum. « An non potuit inter creaturas primum « fieri caelum et terra, si Angeli et omnes intellectuales Po-« testates primum factae sunt?... Quod si accipimus, etiam ante « caelum et terram potest intelligi tempus fuisse, si ante « caelum et terram facti sunt Angeli.... Potest etiam caelum « et terra pro universa creatura positum videri, ut et hoc « visibile aethereum firmamentum caelum appellatum sit, et « illa creatura invisibilis supereminentium Potestatum; rur-« susque terra, omnis inferior pars mundi cum animalibus « quibus inhabitatur. An caelum omnis creatura sublimis

[1] Praef. ad Psalmos.
[2] Op. cit. l. XII.
[3] Ad cap. 1, epist. ad Titum.
[4] *De Deo creante* th. XXII, 2.

« atque invisibilis dicta est, terra vero omne visibile, ut etiam « possit hoc quod dictum est: " In principio fecit Deus cae- « lum et terram " universa creatura intelligi? » [1].

Pariter utramque sententiam disputationi relinquit apertam in opere *De Civitate Dei:* « Ne quis autem contendat et « dicat, non sanctos Angelos esse significatos, in eo quod « scriptum est: " fiat lux et facta est lux ", sed quamlibet « lucem tunc primum factam esse corpoream aut opinetur « aut doceat; Angelos autem prius esse factos, non tantum « ante firmamentum, quod inter aquas et aquas factum, appel- « latum est caelum, sed ante illud, de quo dictum est: " in « principio fecit Deus caelum et terram "; atque illud quod « dictum est " in principio ", non ita dictum tanquam primum « hoc factum sit, cum ante fecerit Angelos, sed quia omnia in « sapientia fecit, quod est Verbum eius;... non e contrario refe- « ram contentionem, maxime quia hoc me delectat plurimum, « quod etiam in summo exordio sancti libri Geneseos trinitas « commendatur... Proinde ut volet unusquisque, accipiat » [2].

In libro *Confessionum* diserte affirmat, Angelos esse ante omnem corporalem creaturam conditos [3]; dum in aliis locis tuetur sententiam, quae tenet, primo die eos esse creatos, quando Deus dixit: « Fiat lux » [4].

Placet ex integro afferre locum ex opere *De Civitate Dei,* in quo per processum exclusionis pervenit ad opus primae diei, et illustrat quomodo lux tunc condita conveniat Angelis: « Etiam hic apertissime a Deo factos esse Angelos di- « vinitus dictum est, cum eis inter caetera caelestia com- « memoratis, infertur ad omnia: " Ipse dixit, et facta sunt ". « Quis porro audebit opinari, post communia omnia ista, « quae sex diebus enumerata sunt, Angelos factos? Sed « etsi quisquam ita desipit, redarguit istam vanitatem illa « Scriptura pari autoritate, ubi Deus dicit: " Quando facta « sunt sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli « mei " [5]. Iam ergo erant Angeli, quando facta sunt sidera.

[1] Ibid. 7, 8, 9.

[2] Lib. XI, c. 32.

[3] Lib. XI. c. 15.

[4] *De Civit. Dei* l. XI, c. 19; ctr. Faustum, l. XXII, c. 10; *de Gen. ad litt.* l. I, c. 9; serm. 251 de Tempore.

[5] IOB. 38. — *P. L.* XXXIV, 222, sq.

« Facta sunt autem quarto die. Nunquidnam ergo die ter-
« tio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim, quid
« illo die factum sit. Ab aquis utique terra discreta est, et
« distinctas sui generis species duo ista elementa sumpse-
« runt: et produxit terra quicquid ei radicitus inhaeret.
« Nunquidnam secundo? Ne hoc quidem. Tunc enim fir-
« mamentum factum est inter aquas superiores et inferio-
« res, caelumque appellatum est: in quo firmamento facta
« sunt sidera quarto die. Nimirum ergo si ad istorum dierum
« opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quae diei
« nomen accepit, cuius unitas ut commendaretur, non est
« dictus dies primus, sed dies unus; nec alius est dies secun-
« dus, aut tertius, aut caeteri, sed idem ipse unus ad implen-
« dum senarium vel septenarium numerum repetitus est,
« propter senariam vel septenariam cognitionem; senariam
« scilicet operam quae fecit Deus, et septenariam quietis
« Dei? Cum enim dicit Deus: " Fiat lux, et facta est lux ",
« si recte in hac luce creatio intelligitur Angelorum, pro-
« fecto facti sunt participes lucis aeternae, quae est ipsa
« incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia,
« quem dicimus unigenitum Dei Filium, ut ea luce illuminati
« qua creati fierent lux, et vocarentur dies participatione
« incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per
« quod et ipsi, et omnia facta sunt. Lumen quippe verum,
« quod illuminat omnem hominem in hunc mundum ve-
« nientem, hoc illuminat et omnem Angelum mundum ut
« sit lux non in seipso, sed in Deo: a quo si avertitur Ange-
« lus, fit immundus, sicut sunt omnes qui vocantur immundi
« spiritus, nec iam lux in Domino, sed in seipsis tenebrae,
« privati participatione lucis aeternae. Mali enim nulla na-
« tura est, sed amissio boni, mali nomen accepit » [1].

Gregorius vero Magnus ponit quidem Angelos conditos primo loco: « Quia prima in tempore condita natura rationa-
« bilium spirituum creditur, non immerito matutina astra
« vocantur ». Unde concludit lucem Angelicam, hanc praevenisse lucem oculis spectabilem: « dum terra esset invisibilis
« et incomposita, dum tenebrae essent super abyssum, ven-

[1] *De Civ. Dei*, l. XI, c. 9.

« turum diem subsequentis saeculi per lucem sapientiae « existendo praevenerunt » [1]. Utrum autem Gregorius putaverit, Angelos esse creatos ante illud primum initium rerum, de quo loquitur Moyses, ex his verbis non apparet.

Ex dictis concludere licet, quatuor exstitisse de hac quaestione praecipuas apud Patres sententias, ita breviter ascendendo contractas: Angelos esse creatos 1) prima die, significatosque per lucem; 2) in spatio ante primum initium et primum diem; 3) cum ipsissimo principio rerum; 4) ante omnes creaturas a Moyse enumeratas, imo ante ipsum caelum in principio rerum visibilium conditum.

Quaeres de mente S. Anselmi. - Nonne S. Anselmus docuit sententiam S. Basilii, quum opinatus sit, homines ideo esse creatos ut amissas a daemonibus sedes impleret?

Si S. Anselmus simpliciter docuisset, homines non nisi ad instaurandum numerum beatorum spirituum esse creatos, vix potuisset aliter ordinem rerum concepisse quam dicendo, Angelorum creationem praecessisse creationem universi visibilis. Sed non tam praecise S. Doctor est intelligendus. Ait quidem: « Deum constat proposuisse, ut de humana natura « quam fecit sine peccato, numerum Angelorum, qui cecide- « rant, restitueret » [2]. Sed non dicit, homines nonnisi ad hunc finem esse creatos. Imo potius S. Anselmus censet, numerum Angelorum ab initio minorem fuisse numero creaturarum rationabilium caelesti civitati praedestinato. Quare facile accipit hypothesim utramque: « Si homo factus est post casum « malorum Angelorum, sicut quidam intelligunt in Genesi.... « Si tota creatura simul facta est » [3]. Cum hoc tamen discrimine, uti subtiliter monet, quod in prima hypothesi potuit, - non autem debuit, - numerus beandorum ab initio fuisse completus; in altera vero hypothesi non potuit. Quum autem, uti modo dicebamus, S. Anselmus censet, numerum beatorum et beandorum exsuperare numerum Angelorum, inclinatur per hoc ipsum in secundam hypothesim. Quare sententia S. Anselmi optime conciliatur cum formula Concilii Lateranensis et Concilii Vaticani.

[1] *Moral.* l. XXX, c. 14.
[2] *Cur Deus homo*, l. I, c. 16. — *P. L.* CLVIII, col. 381.
[3] Ibid. c. 18, con. 383.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELI CREATI SINT IN CAELO EMPYREO.

I. **De ipsa Quaestione.** - Caelum empyreum potest intelligi in sensu largiori et strictiori.

1) In sensu largiori est ipse splendor, in quo Angeli, utpote intellectuales spiritus, quin et gratia divina illustrati, constituuntur potius quam eum occupant. Quo sensu quaerere, utrum Angeli creati sint in caelo empyreo, idem est ac quaerere, utrum Angeli conditi sint in hoc splendore. Iam vero quoad hunc splendorem tres hypotheses possibiles sunt: *a*) Angelos non esse conditos nisi in luce sua naturali; *b*) Angelos esse conditos insuper in luce gratiae; *c*) Angelos imo in luce divinae visionis esse creatos. Quae hypotheses in sequenti Quaestione ita discutientur, ut prima et tertia excludantur, media autem teneatur. Quare in latiori sensu caeli empyrei dicendum est, Angelos esse creatos in caelo empyreo lucis non solum spiritualis naturae, sed et divinae gratiae.

2) In sensu pressiori caelum empyreum est locus subtilissimus quidem, at tamen locus, qui sit veluti apex universi extra Deum existentis, vel circulus lucidior soli divinitatis maxime vicinus. Hoc sensu caelo empyreo intellecto, solutio pendet partim a solutione praecedentis articuli.

Et sane, ut optime monet S. Thomas, si Angeli sint conditi ante omnem aliam creaturam, conditi sunt ante quemvis locum presse dictum, ac proin ante ipsum caelum empyreum. Si autem creati sunt cum origine caeli, non quidem debent dici creati in caelo empyreo, ac si per essentiam suam eidem essent alligati, sed quia decet, nobilissimam creaturam inhabitare locum nobilissimum.

3) Ex dictis vides inanitatem considerationis, quam contra praeexistentiam Angelorum adducit Theodoretus: « Nam si « non sit in rerum natura quod ferat, quomodo possit esse « quippiam quod feratur? » [1]. Qui loquendi modus duo supponit: locum esse necessario re distinctum a locato, et Angelos necessario alligari loco.

[1] In q. 3: « Praeceduntne Angeli creationem caeli et terrae, an una cum eis creati « sunt? ».

II. **Ad Textum.** - Quae in superiori parte nostri tractatus de caelo empyreo diximus sufficiunt ad solvendas obiectiones hic a S. Th. allatas.

Sed contra est. Huc faciunt verba Scripturae, quae depingunt daemones tanquam a suo domicilio extorres, de caelo deiectos [1].

Huc facit et sententia S. Augustini: « Ut volet unusquisque « accipiat » (Angelos conditos esse ante omnem creaturam visibilem necne)... « dum tamen Angelos sanctos in sublimibus « caeli sedibus, non quidem Deo coaeternos, sed tamen de « sua sempiterna et vera felicitate securos et certos esse « nemo ambigat ». Quae verba sane insinuant, Angelos in his sedibus esse creatos.

Porro caelum empyreum, quocumque modo intelligatur, nunc esse speciali titulo sedem Angelorum, probatur ex verbis Raphaëlis ad Tobiam: « Adstamus ante Dominum » [2]; necnon visionis Danielis: « Millia millium ministrabant ei, « et decies millies centena millia assistebant ei » [3]; et Apocalypseos: « In conspectu throni eius sunt » [4]. Unde vocantur militia caelestis [5], et de caelo in terram mittuntur [6].

In Corpore. En schema docrinae:

- Angelos esse creatos in caelo empyreo,
  - I) non ponunt, qui tenent, Angelos conditos esse ante omnem creaturam corpoream;
  - II) qui autem probabilius tenent oppositum,
    - 1) non quidem ponere debent necessario,
      - Angeli enim non sunt in loco ob necessitatem;
      - sed
        - *a*) ob ordinem universi,
        - *b*) ob gubernationem creaturae corporalis;
    - 2) sed ponunt rationabiliter, scilicet
      - *a*) creaturam nobilissimam decet inhabitare locum maxime subtilem, quocumque modo vocetur, aut fingatur,
      - *b*) servatis in hoc loco ipsis ordinum gradibus,
      - *c*) quin tamen naturalibus suis ipsum Trinitatis caelum habitaverint.

[1] Iud. 6; Is. xiv, 12.
[2] Tob. xii, 15.
[3] Dan. vii, 10.
[4] Apoc. i, 4; v, ii: vii 11.
[5] Luc. ii, 13.
[6] Ioann. i, 51; Matth. xvi, 27.

Appendix. - Praeter dicta superius duae hic tangendae supersunt sententiae: altera Ruperti, qui negat Angelos creatos fuisse in caelo, non quia caelo localiter intellecto sunt antiquiores, sed quia caelum est locus, quem Angeli habitant per gratiam, non per naturam. « Non magis Angeli facti sunt « in caelo, quam homo plasmatus in paradiso.... Ita nimirum « et Angeli extra paradisum conditi, et in caelum translati, « non natura, sed gratia caelum inhabitant » [1]. Quae sententia displicet, quia supponit Angelos fuisse conditos in pura natura.

Alia sententia prorsus intolerabilis est Augustini Eugubini, qui empyreum caelum fingit Deo coaeternum, veluti quamdam divini spendoris irradiationem. De qua luce ita disserit: « An corporea sit, an incorporea quaedam, non fa« cile dixerim. Arbitrarer tamen talem esse, ut haec cor« porea et nostra possit esse, et dici quasi simulacrum eius: « ut illa sit divinissima lux, nota visibilisque et animo et « oculis, qualem Christus ostendit in monte, cum vestimenta « eius facta sunt alba ut nix, et facies ut sol enituit, et qua« lem ostendit Moysi in rubo. Haec lux manat dumtaxat a « Deo, quae cum sit lux divinitatis eius, semper eam cum eo « fuisse necesse est. Et haec si caelum empyreum est, sem« per ab aeterno fuit caelum empyreum » [2]. Quae nonnisi falsissime dicuntur.

Nihilominus, hanc uti iacet absurdam epurando sententiam, dici posset, ipsos Angelos esse istam lucem, non quidem Deo coaeternam, nec per emanationem quamdam a Deo egressam, sed in principio creationis a Deo libere productam, et hunc caelum empyreum, uti distinctum a quovis caelo localiter intellecto, esse ipsos splendidos Angelorum choros, non quidem in caelo empyreo conditos, sed ipsum caelum empyreum splendore suorum ordinum ab exordio constituentes; quatenus, sicut locus concreatur cum re corporali, ita haec luminum sedes cum ipsa claritate lucentium spirituum exstat.

De hac lucis sede posset quoque intelligi illud verbum Domini: « Videbam Satanam sicut fulgur de caelo caden-

[1] *Com. in Gen.* l. I, c. 11.

[2] *Libr. de rebus in corp. et invisib.* sub fine.

« tem » [1]. Quod sane verbum cum Ruperti sententia minus facile concordat.

CAPUT II.

DE PERFECTIONE ANGELORUM QUOAD ESSE GRATIAE ET GLORIAE.

QUAESTIO LXII.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

- De perfectione in esse gratiae et gloriae quaeritur:
  - 1) an in ea Angeli conditi sint (a. 1);
  - 2) *quomodo* gloriam adepti sint per gratiam:
    - *a*) quanam indigentia (a. 2),
    - *b*) utrum in ea creati (a. 3),
    - *c*) utrum per eam meriti sint beatitudinem (a. 4),
    - *d*) utrum immediate post meritum beatitudinem sint adepti (a. 5);
  - 3) de ipsa beatitudine:
    - *a*) quoad mensuram (a. 6) [2],
    - *b*) quoad operationes naturales remanentes (a. 7),
    - *c*) quoad defectibilitatem (a. 8),
    - *d*) quoad profectum (a. 9).

CONSIDERATIONES PRAEVIAE.

Plures de conditione originali Angelorum moveri possunt hypotheses, et praecipue octo. 1) Angeli ita conditi sunt, ut natura alii boni, alii mali prodierint. - 2) Omnes conditi sunt boni, sed bonitate mere naturali, ad finem naturalis beatitudinis, quam boni in bonitate stando adepti sunt, a qua mali amissa bonitate defecerunt. - 3) Conditi sunt in bonitate naturali, sed ad finem supernaturalem; qui in bonitate naturali per vires naturae steterunt, finem supernaturalem obtinuerunt. - 4) Conditi sunt in statu naturalis bonitatis cum destinatione in finem supernaturalem, ad quem insuper per auxilium seu motionem gratiae ita sunt dispositi, ut per

[1] Luc. x, 18.

[2] Potest tamen iste articulus coniungi potius cum praecedentibus; quod tantopere verum est, ut, v. gr., apud Billuart habeatur tanquam articulus 4.

bonum usum huius gratiae beatitudinem acciperent, secus a fine defecturi [1]. - 5) Conditi sunt in statu supernaturalis bonitatis, sed nondum ipsius beatitudinis, quatenus conditi sunt in Dei charitate, sed nondum in ea firmati. - 6) Conditi sunt non solum in statu supernaturalis bonitatis, sed in statu inchoatae beatitudinis, sed adhuc amissibilis. - 7) Conditi sunt mali in pura bonitate naturali sine auxilio gratiae, boni vero in bonitate supernaturali, per gratiam in beatitudinem transferendi. - 8) Conditi sunt mali in mera bonitate naturali, a gratia derelicti; boni autem in ipsa beatitudine plena firmati.

Pauca sint de singulis istis positionibus, antequam ad ordinem S. Thomae accedamus.

1) Prima positio prorsus est reiicienda. Supponit enim vel duplex principium rerum, alterum bonum, alterum malum; vel principium bonum facit auctorem mali. Quare praeter dubium est, Angelos omnes a Conditore factos esse bonos. « Diabolus enim, ait Concilium Lateranense IV, et alii dae- « mones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per « se facti sunt mali » [2]. Et Concilium Florentinum: « (Deus) « quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam « corporales condidit creaturas: bonas quidem, quia a summo « bono factae sunt; sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt, « nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, « in quantum natura est, bona est » [3].

2) Pariter reiicienda est positio secunda. Quod paucis hic illustrare sufficit. Extra dubium est, hominem destinari ad finem supernaturalem; eumque non solum supernaturalem relative, sed absolute. Iam vero finis noster est ut reddamur « sicut Angeli Dei in caelo » [4]. Ergo et Angeli Dei gaudent fine supernaturali. Et sane beatitudo eorum consistit in visione Dei et Patris [5]. Bene S. Ambrosius: « Intelli- « gendum est, quod creatura quidem superior Angelorum

[1] Haec positio subdividitur, secundum quod ista gratia beatitudinem producens, si accipiatur, in ictu ponitur perfecta, necne.

[2] Ibid. n. 355.

[3] Ibid. n. 600.

[4] Matth. xxii, 30.

[5] Matth. xviii, 10; Tob. xii, 15, 19; Apoc. i, 4; Dan. vii, 11.

« sit, quae plus recipit gratiae spiritualis; eiusdem tamen et « erga nos et illos munus auctoris est. Quanta autem gratia, « quae praemiis Angelorum etiam inferiorem creaturam hu- « manae conditionis exaequet? » [1]. Optime S. Augustinus: « Hoc nobis summum praemium in resurrectione promitti- « tur, quod erimus aequales Angelis Dei: ac per hoc, si nec « ipsi Deum vident sicuti est, quomodo nos ita visuri sumus, « cum eis aequales in resurrectione facti fuerimus? » [2]. Et alibi: « Confitendum cum debita laude Creatoris, non ad solos « sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis « dici posse, quod charitas Dei diffusa sit in eis, per Spiritum « Sanctum, qui datus est eis » [3]. Idemque affirmat S. Basilius: « Merae et intelligibiles Virtutes sanctae tum sunt, tum « nominantur; ex gratia per Spiritum Sanctum sanctimo- « niam nactae; sanctificatio enim non est absque Spiritu » [4]. Ergo Angeli non sunt a Deo ita conditi ut ad beatitudinem dumtaxat naturalem destinarentur; sed ut ordinarentur in felicitatem supernaturalem, ratione cuius mererentur vocari Sancti [5] et filii Dei [6]. Iure proin proscriptae sunt quinque primae propositiones Baii, quae statum supernaturalem Angelorum inficiantur [7].

3) Iam vero si talis est Angelorum finis, et si non omnes fuerunt in adepto fine constituti, - quod ex daemonibus ipsis patet esse falsum, - harmonia exposcit ut proportio adfuerit inter ordinationem ad finem et finem ipsum; quod in articulis 2.° et 3.° apertius illustrabitur. Ergo reiicienda est, ut nondum sufficiens, hypothesis tertia.

4) Aliquam proportionem inter viam et terminum inducit hypothesis quarta, sed non a primo initio creationis. Quinam theologi hanc sententiam tenuerint, in articulo tertio videbimus; necnon rationes, ob quas, cum S. Thoma et communiori theologorum sententia, aliquid amplius in omnibus An-

[1] *De Spir. S.*, l. I, c. 7.

[2] Epist. ad Paul. c. 8.

[3] *De civ. Dei*, l. XII, c. 9.

[4] *De Spir. S.* — Plura huiusmodi testimonia lege apud cl. PALMIERI (op. cit. th. LVIII, p. 440, sqq.).

[5] TOB. X, 11; MARC. VIII, 38; LUC. IX, 26.

[6] IOB. I, 6; II, 1.

[7] DENZINGER (op. cit. n. 881, sqq.).

gelis ab initio ponendum esse censeamus; demum quid de hac hypothesi Patres quidam opinati sint.

5) Quinta hypothesis veriorem doctrinam exhibet, quam in decursu Quaestionis illustrabimus, quamque Catechismus Conc. Trid. his verbis describit: « Spiritualem naturam innu-« merabilesque Angelos, qui Deo ministrarent atque assiste-« rent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde [1] admirabili gra-« tiae suae et potestatis munere auxit atque ornavit. Nam « cum illud sit in divinis Litteris, diabolum in veritate non « stetisse, perspicuum est, eum reliquosque desertores an-« gelos ab ortus sui initio gratia praeditos esse ». Et pergit citando S. Augustinum.

6) Posita veritate hypotheseos quintae, iam sequitur excessus sequentis. Immorandum nihilominus erit huic positioni propter modum loquendi minus clarum aliquorum Patrum, maxime S. Augustini; quod in 1.° articulo mox praestabimus. Et sane talis est conceptus beatitudinis caelestis, ut, si in sensu presso sumatur, divinam secum ferat visionem, ac proin firmitatem in adhaesione ad summum bonum; si autem intelligatur sensu latiori, de beatitudine veluti inchoata per viam, quae ad perfectam beatitudinem conducit, haec beatitudo est ipsa gratia charitatis initialis, quam affirmat sententia praecedens.

7) Duae ultimae hypotheses habent aliquid commune cum hypothesi prima, quatenus diversificant ab initio conditionem Angelorum bonorum et malorum, licet non quoad dona naturae, sed gratiae. Reiicienda est haec positio septima, quia est contraria Scripturis. Diabolus enim exhibetur in Scripturis tanquam ob propriam culpam ab originali sua dignitate deiectus. « Angelos vero, ait apostolus Iudas, qui « non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt « suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis « sub caligine reservavit » [2]. Inde apud Isaiam legitur: « Quo-« modo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris? » [3]. Et apud Ezechielem: « Tu signaculum similitudinis, plenus

[1] Sequentia mox verba ostendunt, hoc « deinde » intelligendum esse in sensu successionis logicae, non temporalis.

[2] Iud. 5.

[3] Is. xiv, 12.

« sapientia et perfecto decore, in deliciis paradisi Dei fuisti... « Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae.... » [1]. Inde et Christus dixit: « Videbam Satanam sicut fulgur de caelo « cadentem » [2].

Insuper conditio quorumdam in mera perfectione naturali non sufficit ut reddat rationem, cur omnes spiritus illi, qui non fuerunt ab initio per gratiam elevati, facti sint daemones, in infernum detrahendi, aeternisque suppliciis cruciandi.

8) Reiecta sententia septima, reiiciter et octava, quae insuper novo vitio laborat, quatenus in Angelis bonis tollit beatitudinis meritum. Quare haec ultima hypothesis praesertim in articulo quarto confutabitur.

Hisce considerationibus praemissis, iam, duce Angelico, ad varios aspectus Quaestionis penitius perscrutandos accedamus.

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELI FUERINT IN SUA CREATIONE BEATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Beatitudo sumi potest proprie et improprie. *a*) Improprie est consequens cuiusvis appetitus impleti. Unde quatenus omne ens dicitur et appetere bonum suae naturae,et illud habere in quantum est natura bonum; improprie omne ens potest dici beatum. - *b*) Proprie tamen beatitudo non est nisi entis conscientia donati: affectus consequens conscientiam adepti boni. Qui affectus aliqualiter quidem sequitur apprehensionem mere sensibilem, - unde in brutis, sicuti dolor, ita et beatitudo quaedam concipi potest; - tamen, ut vere adsit, supponit conscientiam veram. quae non est nisi entis praediti ratione aut intellectu. Unde propria vera beatitudine non sunt capaces nisi homines et Angeli.

2) Iam vero beatitudo in sensu magis proprio accepta, alia est ordinis naturalis, alia ordinis supernaturalis; quae utraque duplex stadium habere potest: alterum viae, alterum termini. Inde quaestio nostra de Angelis mota sensum potest habere quadruplicem.

[1] Ezech. xxviii, 2, sq.
[2] Luc. x, 18.

3) Angelos esse creatos in beatitudine naturali viae, omnino affirmandum est, quatenus ab initio exstiterunt omnibus instructi facultatibus et dotibus naturalibus ad hanc beatitudinem requisititis, ac proin a quovis malo culpae et poenae prorsus exempti [1]. Non autem est affirmandum, si haec beatitudo intelligatur exclusive. Nam in sequentibus videbimus, Angelos insuper conditos esse in gratia.

4) Fuerunt igitur creati in beatitudine supernaturali, quia per gratiam elevati et ad finem supernaturalem destinati. Non autem conditi fuerunt in hac beatitudine iam terminaliter accepta; sed per stadium viae ad illam pervenire debuerunt. Unde excluditur et altera positio affirmans, Angelos esse conditos in termino beatitudinis naturalis. Repugnat enim quod fuerint in termino quoad beatitudinem naturalem, et in via quoad beatitudinem supernaturalem. Quare ex quatuor sensibus supra expositis nonnisi unus veritatem dicit: affirmans scilicet, Angelos esse conditos in beatitudine supernaturali inchoata; seu, quod in idem incidit, in via ad beatitudinem perfectam supernaturalem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex beatitudine inchoata per statum viae.

2. Obi. Recte arguit quoad perfectionem naturalem; falso autem quoad supernaturalem. Imo nec in ipsa beatitudine distinguit stadium viae a stadio termini.

3. Obi. Difficultas hic mota non caret fundamento, quatenus S. Augustinus revera per cognitionem rerum in Verbo intelligit cognitionem per visionem essentiae divinae, unde hanc cognitionem non ponit in Angelis malis.

Sed, uti superius ostendimus, iuxta Augustinum cognitio vespertina vertitur in Deum, quando Angelus de cognitione rerum in seipsis ascendit ad cognitionem rerum in Verbo. Quare censeo, difficultatem iuxta mentem Hipponensis parum aliter esse solvendam, imo et retorquendam, affirmando scilicet cognitionem vespertinam nondum esse veram cognitionem rerum in Verbo; ac proin Angelos in cognitione vespertina conditos nondum ab initio beatitudinem habuisse perfectam.

[1] Cf. S. Bonaventuram. (II Sent. dist. IV, a. 1. q. 1.

Sed contra est. Vis argumenti hic allati completur per duas considerationes, quarum altera demonstrat, daemones fuisse conditos in gratia, altera demonstrat, beatitudinem habere in Angelis rationem meriti [1]. Primum illustrabitur in Quaestione sequenti, alterum in articulo quarto Quaestionis praesentis.

Iuxta doctrinam modo expositam intelligi possunt scriptores sacri, qui videntur nimis tribuere initiali perfectioni, in qua Angeli sunt creati. Ita Gennadius scribit: « Tales « creati sunt Angeli, ut, si vellent, in beatitudinis luce per« sisterent; si autem vellent, etiam labi potuissent » [2]. Quod S. Fulgentius fusius exprimit his verbis: « Angeli atque ho« mines », - adverte hunc loquendi modum, - « pro eo quod « rationales sunt facti, aeternitatis et beatitudinis donum in « se a naturae spiritualis creatore divinitus acceperunt; ita « scilicet ut, si dilectioni creatoris sui iugiter inhaesissent, « simul aeterni beatique mansissent. Si vero propriae volun« tatis arbitrio contra summum creatoris imperium suam « niterentur facere voluntatem, protinus a contumacibus bea« titudo discederet » [3]. Quem sane loquendi modum Fulgentius acceperat ab Augustino, qui pluribus in locis similia habet: « Diabolus vero et angeli eius, etsi beati erant ante« quam caderent [4], et se in miseriam casuros esse nesciebant, « erat tamen quod adderetur eorum beatitudini, si per libe« rum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae « beatitudinis plenitudinem tanquam praemium ipsius per« mansionis acciperent; id est ut magna per Spiritum Sanc« tum data abundantia caritatis Dei cadere ulterius omnino « non possent, et hoc de se certissime scirent » [5]. Similia inveniuntur apud Gelasium Papam [6] et Isidorum Hispalen-

[1] Utrumque continetur in testimonio Catechismi Romani superius allato.

[2] *De eccles. dogm.* c. 61.

[3] *De fide ad Petrum* c. 3.

[4] Hoc Augustinus non semper tam facile concedit, uti patet ex sequentibus verbis: « Nec frustra putari potest, ab initio temporis diabolum superbia cecidisse, « neque fuisse ullum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacate vixerit, ac bea« tus ». (*De Gen. ad litter.* l. x. c. 6; — dubia formula simile habet c. 26. — Cf. integrum caput 11, liber xi, *De Civit. Dei*).

[5] *De correpl. et grat.* c. 10.

[6] Epist. adv. Pelag.

sem [1]. Quin et ipse S. Gregorius Magnus ait: « Angelos Sanc-« tos, cadentibus aliis, in sua beatitudine perstitisse, atque hoc « accepisse in munere, ut iam cadere omnino non possent » [2].

Quae testimonia, si attente perpendantur, conveniunt in hoc, quod affirmant, Angelos ab initio quidem fuisse in quadam beatitudine collocatos, at augmentum eiusdem per rectum usum arbitrii accepisse, et quidem tale ut in beatitudine sua firmarentur. Iam vero haec concordant cum doctrina huius articuli, licet discrimen inter inchoatam et inamissibilem beatitudinem plenam explicent minus, quam si dicatur, Angelos fuisse conditos in beatitudine imperfecta viae, et per bonum libertatis usum transiisse in beatitudinem perfectam termini.

Quod si discrimen inter utramque quaeratur, est quidem in amissibilitate et inamissibilitate beatitudinis; sed ratio huius inamissibilitatis non est mere quaerenda in firmitate adhaesionis spiritus puri, sed insuper, imo principalius, in visione ipsius essentiae divinae.

In Corpore. En schema huius doctrinae:

Angelos in sua creatione fuisse beatos,	I) si intelligitur *beatitudo naturalis*, affirmandum est, nam	1) quum non intelligant per discursum, potuerunt illam in instanti obtinere; 2) imo hoc decuit ob eorum excellentiam; 3) per hanc beatitudinem cognoverunt omnia in Verbo, non quidem in essentia visa, sed per propriam naturam, Verbi imaginem.
	II) si intelligitur *beatitudo supernaturalis*, negandum est, nam	1) Angeli mali defecerunt, quod cum hac beatitudine est dissociabile; 2) hanc debuerunt per operationem suam mereri; 3) ita transiere de cognitione rerum in Verbi imagine, ad cognitionem earumdem in ipsa essentia Verbi, quae est vera cognitio matutina.

[1] Lib. 7. Orig.
[2] Homil 7, in Ezech.

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELUS INDIGUERIT GRATIA AD HOC QUOD CONVERTERETUR IN DEUM.

I. **De ipsa Quaestione**. - Paucissimis verbis potest hic articulus absolvi.

1) Si finem haberet mere naturalem, nulla indigeret Angelus gratia ad hoc ut se converteret ad Deum toto affectu amandum, praeter illam motionem universalem, quae a parte Dei ad omnes creaturae actus requiritur. Inde diximus supra, Angelum naturali amore diligere Deum plus quam seipsum.

2) At Angelus destinatur ad finem beatitudinis supernaturalis. Quare quum motus viae debeat respondere termino, requiritur gratia ad hoc, ut Angelus conversione supernaturali feratur in Deum. Non quasi haec conversio sit naturae angelicae difficilis; sed quia excedit Angeli vires dumtaxat naturales, ac proin impulsum exigit potentiorem.

3) Gratia autem illa, qua Angelus ad hoc indigere dicitur, ut se convertat in Deum, non est gratia consummata patriae, nec simpliciter gratia praeparans ad amorem supernaturalem Dei; sed gratia quaedam media habens de secunda, quod moveat, de prima autem, quod communicet illam supernaturalem charitatem, quae est principium gratiae consummantis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* non considerat dictum in n. 1.

2. Obi. Praetermittit dicta in n. 2.

3. Obi. Negligit dicta in n. 3.

Sed contra est. Vis huius argumenti est in lege proportionis, quae existit inter principium et terminum. Cf. dicta in praenotaminibus, et complenda in art. sequenti.

Huc facit diserta affirmatio S. Augustini: « Nullo quidem « modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi « spiritus tenebrae, quos Angelos dicimus. Sed simul ut facti « sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, ut quo- « quo modo essent, et quoquo modo viverent, sed etiam

« illuminati ut sapienter, beateque viverent » [1]. Quid etiam significat ista illuminatio, nisi motionem specialem, qua Angeli a Deo in Deum movebantur? Unde etiam illi, qui, uti Lombardus, [2] et cum eo S. Bonaventura [3], negant Angelos fuisse in gratia gratum faciente conditos, diserte necessitatem affirmant, ut per gratiam moverentur in Deum.

In Corpore. Accipe doctrinae schema.

- Angelus, ut converteretur in Deum
  - 1) *naturaliter* amandum, uti finem naturalem, gratia non indiguit:
    - *a)* nam adest proportio ex viribus naturae,
    - *b)* nec erat illi haec conversio naturaliter difficilis,
    - *c)* licet lapso homini sit talis propter gravedinem peccati;
  - 2) *supernaturaliter* possidendum, uti finem beatitudinis, gratia indiguit:
    - *a)* propter dignitatem supernaturalem huius finis (et est de fide);
    - *b)* non autem propter impedimentum naturae corruptae, sicut insuper pro homine;
    - *c)* haec autem gratia conversionis distinguitur
      - α) tum a motu, quo Deus disponit peccatorem ut in gratiam redeat,
      - β) tum a gratia consummata fruitionis;
      - γ) est scilicet gratia meritum pariens beatitudinis.

Corollarium I. - Ex dictis patet quid censendum sit de possibilitate ut Angelus in conditione *naturae purae* crearentur. Haec conditio nihil habuisset unde repugnasset. Sed repugnat ut in Angelo sit sermo de *natura integra.* Distinctio enim inter naturam integram et puram habet fundamentum in homine propter dona praeternaturalia. Haec autem dona fundantur in harmonia perfecta inter conditionem corporis et animae. Quare in Angelis non datur locus huiusmodi donis, nec separari potest conditio naturae purae a conditione naturae integrae.

Corollarium II. - Patet insuper quid censendum sit de doctrina recentius exposita in ephemeridibus, quibus titulus: « *Natur und Offenbarung* » [4], quatenus finis aeternae beatitudinis esset quidem supernaturalis homini, non autem An-

[1] *Civit. Dei*, l. IX, c. 11.
[2] II Sent. dist. V.
[3] II Sent. dist. V, art. 3. q. 1.
[4] Cf. T. VIII. — HEFT. 4. p. 157, sqq.

gelo, quippe quae commensuratur innatis viribus Angelorum, at vires exsuperat omnis alius creaturae post lapsum Angelorum in deteriori conditione conditae. Haec positio, contraria ipsi systemati Baii, qui eodem modo loquebatur de natura humana integra et de natura angelica, confundit supernaturale intrinsecum et absolutum, cum supernaturali extrinseco et relativo. Quare haec doctrina re vera pugnat cum primis propositionibus damnatis Baii: « Nec Angeli, nec « primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gra- « tia ». - « Et bonis Angelis et primo homini, si in statu illo « perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset mer- « ces, non gratia ». - « Vita aeterna homini integro et Angelo « promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex « lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt » [1].

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELI SINT CREATI IN GRATIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter hunc articulum et praecedentem apparet. Vidimus, Angelos, utpote ad finem supernaturalem destinatos, motione speciali indiguisse ut in Deum supernaturaliter attingendum dirigerentur. Ulterius investigandum est, utrum cum tali motione, naturae utique superstructa, conditi sint. Quae rursus motio intelligi potest vel inchoativa, vel iam perfecta, id est, charitatem involvens, et capax quae in amoris supernaturalis actum absque mora prorumpat.

2) Iam vero si mera *possibilitas* consideratur, negari nequit, Deum ita potuisse Angelum destinare ad finem supernaturalem, ut tamen illum in statu purae naturae condidisset, in quo, si a Deo se avertisset, damnationem incurrisset, secus ad charitatem et per charitatem ad inamissibilem beatitudinem perventurus. Quare in excessum abierunt Jansenistae, - quippe naturae purae possibilitatem inficiantes, - affirmando, esse de fide, Angelos a principio gratiam habuisse.

3) Si autem consideratur *factum,* adsunt argumenta tum

[1] Propp. 1; 3, 4; — cf. prop. 5. (Denzinger, op. cit. n. 881, 883, 884.)

Scripturae, tum rationis theologicae ad affirmandum, hunc statum purae naturae nunquam exstitisse, quia Angeli sunt in gratia supernaturali creati. *a*) Praecipua Scripturae testimonia iam in praenotaminibus exposuimus; quibus adde illud Christi de diabolo: « In veritate non stetit [1] »; imo ipsum nomen Luciferum [2]. - *b*) Theologica autem consideratio hic potest moveri quadruplex: α) analogia cum statu originali protoparentum, quem in proximo tractatu talem fuisse ostendemus, ut Adamus et Eva in supernaturali gratia conditi sint; - β) inutilitas stadii praeliminaris in pura natura percurrendi; - γ) absentia rationis, quae contra creationem in gratia possit afferri: nam non tanta fuit illa gratia, quae naturam in bono firmaret; - δ) summa sapientia huius oeconomiae, ut ex una parte Angeli originali gratia bene utentes, beatitudinem sibi possent mereri; ex altera parte male utentes, eo iustius punirentur, quo culpabilius a celsiori dignitate se deiecissent.

4) Non ideo tamen omnino certa dicenda est doctrina, quam in hoc articulo S. Thomas evolvit. Conspirant utique cum Aquinate, praeter Scripturae testimonia iam allata, plerique e Sanctis Patribus mox in *Sed contra est* afferendi, necnon praestantior traditio scholastica. At nihilominus, uti in Appendice illustrabimus, non defuerunt theologi, etiam primi nominis, qui aliam hac in re sententiam propugnarint, sive gratiam originalem simpliciter negantes, sive illam restringentem ad motum, excluso habitu gratum faciente.

Ad Textum. - *1. Obi.* Arguit ac si haec gratia iam esset plenitudo lucis.

2. Obi. Confundit charitatem viae cum charitate patriae.

3. Obi. Supponit, Angelos ab initio nihil habuisse supernaturalis beatitudinis ad quam sunt conditi. Unde non solum haec obiectio solvitur, sed et validissime retorquetur.

Sed contra est. De praesenti argumento disputans Albertus Magnus dicit: « Sine praeiudicio videtur mihi, quod opi-« nio Sanctorum sit, quod Angelus creatus sit in gratia » [3].

[1] Ioann. viii, 44.

[2] Cf. S. Gregorium Nazianzenum ex hoc nomine arguentem (Orat. 38).

[3] II Sent. diss. iii, art. 12 in corp.

Et recte quidem. E Graecis Patribus satis sit adducere S. Basilium et S. Gregorium Nazianzenum, quibus assentitur S. Ioannes Damascenus [1]; et e Latinis, S. Hieronymum et S. Augustinum, quibus adstipulatur S. Gregorius Magnus [2].

1) S. Basilius de Spiritu Sancto disserens, haec scribit: « At neque mutabilem illius substantiam unquam audebit « dicere, si ad naturam respicias contrariae virtutis, quae, « sicut fulgur cecidit de caelo, atque ab vera vita excidit: « propterea quod adventitiam virtutem habuit: et malam « vitam consecuta mutatio est. Itaque cum ab unitate reces- « sisset, et angelicam dignitatem abiecisset, diabolus ab mo- « ribus appellatus est: postquam prior ille, ac beatus habi- « tus exstinctus est, et huic opposita vis accensa » [3]. En proclamat S. Basilius et lapsos Angelos in gratia esse conditos. A fortiori id de bonis Angelis tenuisse dicendus est. Imo de istis tam fortiter loquitur, ut eos ab initio in gratia quasi confirmatos existimasse videatur. « Non enim, ait, « velut infantes creati primum Angeli, deinde consummati, « praecedente paulatim exercitatione digni facti sunt, qui « Spiritum reciperent. Sed in prima constitutione, ac veluti « massae substantiae ipsorum una insitam habuere sancti- « tatem. Propterea ad pravitatem difficile transferri possunt; « ut qui sanctitate tanquam tinctura quadam statim robo- « rati sunt, et stabilitatem in virtute Spiritus Sancti dono « consecuti » [4]. - Egregie pariter praesentem doctrinam proclamat S. Gregorius Nazianzenus. De lapsu enim Angelorum disputans, haec habet: « Velim dicere eos immobiles ad « malum, atque ad bonum dumtaxat agitationem habentes; « utpote Deum circumstantes, ac primas a Deo illustrationes « haurientes. Haec enim infima secundariae sunt illumina- « tionis. Verum ut non omnino immobiles, sed aegre mobi- « les [5] existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splen-

[1] Lib. II, c. 4.

[2] *Moral.* c. V, c. 27; XXII, c. penult.

[3] Epist. 141.

[4] Homil. in ps. 32.

[5] Adverte similem loquendi modum, quo usus est S. Basilius. Unde puto PETAVIUM (Op. cit. l. I, c. 16, n. 4) urgere mentem S. Basilii, quando dicit, hunc Patrem ita extulisse originalem iustitiam bonorum Angelorum, ut similem in malis Angelis non admiserit. Melius S. Basilius cum semetipso componitur, si uterque locus ab eo allatus iuxta eamdem sententiam intelligitur.

« dorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus « est et nominatur; ac subiectae illi rebelles potestates, quae « per boni fugam vitium effecerunt, ac nobis contraxerunt » [1].

2) S. Hieronymus commentans illud Oseae: « Diligunt vi- « nacia uvarum » [2], ait: « Angeli in pinguedine spiritus creati « sunt » [3]. - Disertius S. Augustinus idem docet et exponit: « Simul ut facti sunt (Angeli), ei, a quo facti sunt, amore, « cum quo facti sunt, adhaeserunt: eoque sunt isti ab illorum « societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona man- « serunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet volun- « tate, hoc ipso quod a bono defecerunt » [4]. Ne autem ista bona voluntas intelligatur mere naturalis, addit ipse Augustinus: « Et istam, quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona « voluntate, id est, cum amore, quo illi adhaerent, creavit, « simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam ». In idem prorsus incidit doctrina de cognitione vespertina, quae pro Angelis malis versa est in noctem, pro bonis vero in mane ac in plenum diem [5].

Tantopere S. Gregorius Magnus hanc veritatem inculcat, ut conditionem originalem Angelorum videatur nimis extulisse potius, quam minuisse. « Si Angelorum substantia, ait, « a mutabilitate fuisset aliena, bene ab Auctore suo condita « nequaquam in reprobis spiritibus a beatitudinis suae arce « cecidisset » [6]; et de Lucifero asserit: « quia inter Angelo- « rum corda caritatis igne succensa clarus gloria conditionis « exstitit » [7]. Unde merces perseverantiae bonorum Angelorum est, « ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine « permaneant, et in hoc quod sunt conditae (Virtutes) aeterna « stabilitate subsistant » [8].

Porro si Lucifer gratiam habuit, quatenus ob ipsam gratiam ita vocatur, omnes Angeli gratiam habuisse dicendi sunt, et quidem in primo instanti, nam de Lucifero ait Scrip-

[1] Loc. cit.
[2] Os. III, 1.
[3] Super hunc locum.
[4] *De Civit. Dei*, l. XI, c. 9.
[5] Ibid. l. XII, c. 1.
[6] *Moral.* l. V, c. 38.
[7] Ibid. l. XXXII, c. 23.
[8] Ibid. l. XXVII, c. 39.

tura: « qui mane oriebaris » [1], « perfectus.... a die conditio- « nis tuae » [2].

Inter scriptores aetatis mediae eamdem prorsus doctrinam supponit et evolvit S. Anselmus, quippe cuius tota disputatio *de casu diaboli* supponit, Angelos ab origine omnes accepisse iustitiam, in qua boni, quia steterunt, per beatitudinem firmati sunt, quam mali deserentes per culpam in aeternum amiserunt.

Sancti Thomae doctrina, quae, praeter eiusdem scholam integram, est Durandi, Dionysii Carthusiani, Suarezii [3], etc., et ex recentioribus, cl. Palmieri [4], Card. Mazzella [5], Heinrich [6], Simar [7], Scheeben [8], Oswald [9], etc., iure potest hodie vocari communissima, solidissimeque fundata, licet de fide nondum sit habenda [10]. Plura in proxima Appendice addemus.

In Corpore. En huius doctrinae schema:

- Inter Angelorum creationem et elevationem per gratiam
  - I) probabilius *non* fuit *ordo temporis:*
    - 1) ita communius Patres;
    - 2) ratio idem suadet:
      - *a*) positive: ex perfectione operis initialis et harmonia cum seminali virtute creaturae ab initio indita;
      - *b*) negative: adest ratio cur ordo temporis ponatur inter gratiam et gloriam: scil. meritum; non autem inter naturam et gratiam; imo suadetur oppositum, propter distantiam.
  - II) at ordo *adest naturae:*
    - 1) fundamentum est natura,
    - 2) cui logice superstruitur gratia.

[1] Is. loc. cit.

[2] Ezech. loc. cit.

[3] Op. cit. l. v, c. 4.

[4] Op. cit. th. lix breviter in fine.

[5] Op. cit. dist. ii, art. 8, vocat sententiam non de fide, sed in scholis communem.

[6] Op. cit. § 289, qui hanc sententiam dicit communem et certam.

[7] Op. cit. § 15, 1.

[8] Op. cit. l. iii, § 181, 2, qui hanc sententiam vocat Patrum traditione firmatam.

[9] Op. cit. p. 82, sqq.

[10] Scotus rem uti dubiam habet, at in sententiam S. Thomae inclinat.

APPENDIX

de sententia quorumdam Doctorum Scholae.

Operae pretium est, evolutius exponere modum, quo non pauci, nec minoris notae auctores olim de praesenti argumento scripserunt. Alii enim ita locuti sunt, ac si originalis Angelorum status fuerit simpliciter status naturae purae. Alii praeter puram naturam aliquod gratiae iuvamen admiserunt; sed non tale quod iam faceret Deo supernaturaliter gratum per infusionem habitualis doni Spiritus Sancti.

I) *a*) *Hugo Victorinus* existimat, Angelos fuisse « bonos « omnes in primo exordio creationis, id est sine vitio. Non « enim creator optimus auctor mali poterat esse. Sed nec « iusti, nec iniusti tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc « habuerunt ». Imo ne putetur solum perfectas per charitatem virtutes exclusisse, affirmat diserte, se non aliam in Angelis ab initio « admittere iustitiam, nisi acciperemus vir- « tutem naturalem, ut ratio, et ingenium et huiusmodi » [1]. - *b*) Eamdem sententiam exponit *Rupertus,* qui agnoscit quidem, Angelos conditos esse puros et innocentes, at innocentiam hanc ita describit: « Itaque in eo statu factis omnibus « Angelis, ut proficiendo in Deo perficerentur, vel deficiendo « in idipsum, unde facti fuerant, id est, in tenebras eiicerentur: « alii quidem dilectionem creatoris recipientes, confessione « et decore illum induerunt... etc. » [2]. Ergo conditi sunt sine vitio, at sine gratia saltem habituali dilectionis, nec apparet utrum boni per gratiam praevenientem in eamdem sint moti. - *c*) Nec aliter loquitur *Petrus Lombardus:* « Aliis autem « videtur », - exposuerat enim sententiam eorum, qui dicebant daemones fuisse creatos malos, - « omnes Angelos crea- « tos esse bonos, et in ipso creationis initio bonos exstitisse, « id est, sine vitio, iustosque fuisse, id est, innocentes; sed « non iustos, id est, virtutum exercitium habentes. Nondum « enim praediti erant virtutibus, quae stantibus appositae « fuerant in confirmatione per gratiam.... Poterant enim pec-

[1] In Summa Sent. tract. II, c. 2. — *P. L.* t. CLXXVI, col. 82.
[2] *In Genes.* l. I. c. 15. — *P. L.* t. CLXVII, col. 212.

« care et non peccare; sed non poterant proficere ad meri-
« tum vitae nisi gratia superadderetur, quae addita est qui-
« busdam in confirmatione.... Hoc modo probatur, quod boni
« erant omnes Angeli, quando primo facti sunt: sed ea boni-
« tate, quam natura incipiens acceperat » [1]. Ergo iuxta Lombardum omnes Angeli creati sunt in pura bonitate naturali; nec unquam Angeli mali ad gratiam naturae superadditam pervenerunt. Quod ultimum tenet quoque Gabriel.

Cum Lombardo sentiunt Halensis, Gulielmus Antissiodorensis, Ægidius Romanus, etc. Rem dubiam censent, utraque exposita sententia, Henricus Gandavensis et Massilius, at in Lombardi opinionem inclinant.

II) Ipse *S. Bonaventura* per hoc differt ab Hugone, Ruperto et Lombardo, quod longe expressius quaestionem limitat ad gratiam gratum facientem a primo instanti omnibus Angelis datam; unde non excludit influxum gratiae actualis, licet hanc nonnisi indirecte in solutionibus insinuet. Placet integrum Seraphici Doctoris discursum afferre: « Fuerunt
« aliqui dicentes, quod Angeli omnes creati sunt in gratuitis
« gratum facientibus. Et ratio, quae movit eos, fuit haec ex
« parte Dei, scilicet perfecta liberalitas: et ex parte creato-
« rum, idoneitas. Quia enim ab instanti creationis erant vasa
« et receptacula munda, et Deus est promptus suam gratiam
« impartiri, nisi habeat obstaculum ex parte suscipientis,
« non dimisit Deus illa ad momentum vacua; sed statim ut
« condidit, gratia illustravit: et talia debuerunt de manu
« Dei exire receptacula, ut statim essent prompta in bonum
« usum. Unde sicut probabiliter coniiciunt aliqui, quod Deus
« fecerit arbores plenas fructibus, et alia in statu nobilissimo
« et perfectissimo; sic etiam naturam Angeli ornaverit gratia
« a sui conditione, quae in primo usu bono sine victoria erat
« perpetuanda, et in prima deordinatione perpetualiter amit-
« tenda. Haec est una positio, et satis videtur consona Sanc-
« torum auctoritatibus, et patet inspicienti. — Fuerunt etiam
« alii, qui dixerunt, Angelos non habuisse gratiam gratum
« facientem ab instanti creationis, sed post. Et ratio, quae
« eos movit, est dispositio angelicae naturae, quae fertur in

[1] II Sent. dist. III.

« id, quod appetit, sine retardatione. Unde sicut ex conver-
« sione ad malum ita profunde conversi sunt, ut non possent
« redire; sic, imo multo magis, ex conversione ad bonum,
« sive ex habilitate, ita bono totaliter adhaesissent, si gra-
« tiam habuissent, quod nunquam lapsi essent. Unde non
« videtur aliquo modo probabile, quod Lucifer habuerit gra-
« tiam; et si ipse non habuit, cum inter ceteros esset excel-
« sus, a maiori arguitur, nec alios habuisse a sui origine.
« Hanc positionem videtur acceptare Magister: hanc posi-
« tionem communiter tenent Doctores: et ita huic tamquam
« probabiliori et communiori concordat » [1].

In qua S. Bonaventurae expositione et argumentatione haec animadvertere iuvat. 1) Ipse S. Thomas [2] monet, sententiam S. Bonaventurae magis esse consonam theoriae evolutionis naturalis. - 2) Argumentum S. Bonaventurae ex usu gratiae non videtur solidum. Utique si gratia illa prima sit gratia confirmans, non potest frustrari effectu; non autem, si sit gratia mere excitans liberum arbitrium. - 3) Notandum est, quomodo S. Bonaventura sententiam vocat communem Doctorum sui temporis.

Et haec de isto argumento satis. Ipsi editores operum S. Bonaventurae concedunt, sententiam S. Thomae nunc esse communiter receptam [3].

Quid autem inter utramque sententiam intersit, quoad analysim peccati Angelorum malorum, iam facile est intellectu, et in sequentibus magis illustrabitur, ubi de hoc argumento erit disserendum.

Quaeres. - Quaenam virtutes supernaturales sunt in Angelis ponendae vi huius gratiae, in qua creati sunt? - Fuerunt imprimis tres virtutes theologales: fides, spes et charitas; ac insuper virtutes aliae, quae iuxta indolem naturae angelicae hisce virtutibus superstruuntur. Placet audire S. Thomam egregie illustrantem, quomodo in Angelis ante confirmationem ponenda sit fides. « Quidam dicunt quod in Angelis
« ante confirmationem et lapsum, et in homine ante pecca-

[1] II Sent. Dist. v, a. 1, q. 2.
[2] II, Sent. dist. iv, q. 1, a. 3.
[3] Ibid. in Scholia.

« tum, non fuit fides, propter manifestam contemplationem, « quae tunc erat de rebus divinis. Sed cum fides sit argu- « mentum non apparentium, secundum Apostolum [1], et per « fidem credantur ea, quae non videntur, ut Augustinus « dicit [2], illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per « quam redditur apparens vel visum id, de quo principaliter « est fides. Principale autem obiectum fidei est veritas prima, « cuius visio beatos facit, et fidei succedit. Cum ergo An- « gelus ante confirmationem, et homo ante peccatum non « habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam vide- « tur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cogni- « tionem, quod excluderetur ratio fidei. - Unde quod non « habuerit fidem, hoc esse non potuit, nisi quia penitus ei « erat ignotum id, de quo est fides. Et si homo et Angelus « fuerunt creati in puris naturalibus, ut quidam dicunt, forte « posset teneri quod fides non fuerit in Angelo ante confir- « mationem, nec in homine ante peccatum. Cognitio enim « fidei est supra naturalem cognitionem de Deo non solum « hominis, sed etiam Angeli. Sed quia in primo iam dixi- « mus [3], quod homo et Angelus creati sunt cum dono gra- « tiae, ideo necesse est dicere, quod per gratiam acceptam « et nondum consummatam fuerit in eis inchoatio quaedam « speratae beatitudinis, quae quidem inchoatur in voluntate « per spem [4] et charitatem, sed in intellectu per fidem, ut « supra dictum est [5]. Et ideo necesse est dicere, quod Ange-

[1] Hebr. v, 1.

[2] *Tract. 40 in Ioann.*, a med., et *lib. 2 QQ. Evang.* q. 39. in princ.

[3] Q. LXII, a. 3, et Q. XCV, a. 1.

[4] De spe moveri specialis quaestio potest, utrum Angeli beati suam confirmationem in beatitudine praecognoverint. Licet de hac quaestione haesitaverit S. Augustinus *, ut potius in affirmativam sententiam inclinet **, — quia, uti iam vidimus, minus presse distinguit in Angelis bonis inter beatitudinem inchoatam et perfectam; nihilominus cum S. Anselmo *** puto negandum esse, praescivisse tum Angelos malos se casuros, quod facilius ostenditur, tum bonos se permansuros. — Pariter S. Bonaventura **** probabilius putat, Angelos bonos suam perseverantiam ignorasse; et contendit angelos malos suum lapsum praescire non potuisse. De quo fusius infra.

[5] Q. IV, a. 7.

* *De Gen. ad litt.* l. xi, passim maximae c. 26.
** *De Civit. Dei.* l. xi, c. 11, 12.
*** *De casu diaboli* c. 21. 24, *P. L.* clviii, 253, sq.; 255, sq.
**** II Sent. dist. iv, a. 2, q. 1 et 2.

« lus ante confirmationem habuit fidem, et similiter homo « ante peccatum » [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELUS BEATUS SUAM BEATITUDINEM MERUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter praecedentes articulos et praesentem tam arctus est, ut doctrina heic exponenda non sit nisi consequens doctrinae hucusque vindicatae. Ideo enim Deus noluit creare Angelos in statu termini iam obtenti, - quod sane potuisset, - ut beatitudo aeterna esset eis non solum gratia, sed insuper merces. Quare tum inchoata supernaturalis beatitudo in qua, tum gratia cum qua conditi sunt, in idem tendunt: in meritum, quippe quod duplici elemento constat: vi supernaturali viribus naturae adita, et conditione termini nondum acquisiti.

2) Primum elementum non satis perpendunt, qui Angelos in gratia conditos negant [2]; alterum negligunt, qui ex opposito eos ab initio in beatitudine plena firmatos existimant.

3) Notandum tamen est, posse quidem negari, Angelos esse creatos cum gratia gratum faciente, quin ideo in Angelis meritum negaretur. Dupliciter enim adhuc merito potest superesse locus: *a*) merito, non quidem de condigno, uti in sententia S. Augustini, quae sane sententia est communissime nunc recepta, sed de congruo; - *b*) imo merito de condigno, at non ab initio obtinendo, quatenus per duplicem gradum Angeli ad beatitudinis mercedem pervenissent, transeuntes primo de natura pura gratiis actualibus adiuta ad naturam charitate elevatam; et dein de charitate viae in charitatem termini.

4) Conferenti autem inter se utramque sententiam, apparet, quantopere sententia S. Thomae sit planior; praeter argumenta revelationis et traditionis, quibus, uti modo exposuimus, prae altera sententia fulcitur. Quare et hic simpliciter cum Aquinate opinamur, Angelos beatitudinem suam

[1] II-II. Q. V, a. 1.

[2] Unde rectissime ex Angelorum merito arguit Albertus Magnus ad suam de gratia initiali Angelorum sententiam vindicandam (Loc. cit. ad obi. 2).

simpliciter meruisse de condigno, per gratiam gratos facientem.

5) Placet, ob argumenti indolem et subtilitatem, exhibere praecipuas sententias, quae de Angelorum merito tempore Scholae ac deinceps expositae sunt, quin tamen hic praeoccupemus quaestionem, in sequenti articulo investigandam, de duratione stadii viae seu probationis in ordine ad finem ope meriti assequendum.

Igitur quatuor praecipuae sententiae habentur:

a) Angeli nullo modo meruerunt, nec ante, nec post, nec in ipso instanti, quo in beatitudine firmati sunt. Non ante, quia in pura natura sunt conditi; non post, quia iam in termino collocati; non in instanti, quo per gratiam in Deum supernaturaliter sunt conversi, quia repugnat, idem esse simul sine merito et ex merito. Haec positio continetur quoad essentiam in verbis Lombardi: « Aliis autem videtur quod beatitudi- « nem, quam receperunt in confirmatione, per gratiam tunc « appositam non meruerint, dicentes tunc non fuisse eis « collatam gratiam ad merendum, sed ad bene vivendum; « nec tunc eis datum esse bonum quo mererentur, sed quo « feliciter fruerentur » [1].

b) Alia sententia, quam tuetur Lombardus, mitigat praecedentem, quatenus tenet, in Angelis beatitudinem fuisse praemium ex meritis deinceps per opera acquirendis: « Quod « autem tunc in praemium acceperunt per obsequia nobis « exhibita, ex Dei obedientia et reverentia mereri dicunt, et « ita praemium praecessit meritum »; et addit: « et hoc mihi « magis placere fateor » [2]. Quod « magis » dicit relate ad sententiam, quam primo loco posuerat.

c) Alia scilicet sententia negat meritum ante et post, propter rationes allatas in prima; sed tenet medium membrum, dicendo, in eadem motione gratiae, Angelos in beatitudine per conversionem supernaturalem firmantis, haberi sine temporis successione respectum causae et effectus, et in effectu haberi rationem meriti. Quam sententiam Lombardus ita exponit: « Quibusdam placet, quod eam (beatitudinem) « meruerint (Angeli) per gratiam, quam in confirmatione per-

[1] II Sent. dist. v in fine.

[2] Ibid.

« ceperunt, simulque eis meritum praemium fuisse dicunt; « nec meritum praecessisse praemium tempore, sed causa » [1].

Hanc sententiam, quae Lombardo minus placet, magis arridet S. Bonaventurae, qui, post expositam et minus probatam sententiam, iuxta quam « in Angelis praemium prae« cessit meritum », ita pergit: « Propter quod fuit alia positio, « quod in Angelis meritum praecessit praemium non tem« pore, sed natura. Et rationem huius assignant, quia gratia « naturaliter praecedit gloriam, et gratia, cum invenit motum « in libero arbitrio ordinatum, facit meritorium, et pensatur « meritum secundum quantitatem gratiae, non secundum « multitudinem operum; ideo, cum Angelis data sit perfecta, « et liberum arbitrium omnino sit cooperatum gratiae, dicunt, « quod in sua conversione sufficienter meruerunt glorifica« tionem ». Et addit: « Et haec positio rationabilior est et « melius habet fundamentum, quia meritum requirit et fun« datur in perfectione voluntatis, non in multitudine opera« tionis. Hanc communiter tenent moderni Doctores: ideo « huic adhaerendum est » [2].

Qui hanc tenent sententiam, admittunt quidem in Angelis praemium pro operibus, quae faciunt circa nos; sed, ut ait Albertus Magnus, praemia accidentalia. Qui ipse de praecedentibus sententiis, quas brevissime et egregie contrahit, ait: « neutra istarum multum tenetur »; de ista autem: « illa est « via communis fere omnium » [3]. Ratio patet, quia hoc tempore, uti ex S. Bonaventura audivimus, communis erat sententia tenens, Angelos non fuisse in charitatis gratia conditos. Quare ipse Albertus, qui in ista re a communiori tunc temporis sententia recedit, in praesenti quoque quaestione dissentit, illam sententiam praeferens, quam S. Thomas erat illustraturus, et quae exinde evasit communissima.

d) Est enim quarta sententia, quae dicit, inter meritum et praemium non fuisse solummodo habitudinem et causae et effectus sine successione temporis, sed et successionem temporis. Audiatur idem Albertus: « Sed cum quis diceret, « quod Angeli creati sunt in gratia, illi non esset dubium

[1] Ibid.
[2] II Sent. dist. II, art. 3, q. 2.
[3] II Sent. dist. V. art. 7 solut.

« quin meritum praecessisset et causa et tempore; et hoc « puto verum esse secundum intentionem Augustini et An- « selmi » [1]. Quae est ipsissima doctrina S. Thomae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit difficultatem ex contrarietate, cum difficultate ex indole supernaturali operis et finis. Prior in Angelis deerat; non autem altera.

2. Obi. Arguit iuxta conversionem naturalem, de qua hic non agitur.

3. Obi. Arguit ex falso dilemmate: inter *ante sine gratia* et *post,* datur medium, scilicet: *ante, sed cum gratia;* et in hoc medio est veritas.

Sed contra est. Praeter textum hic allatum, habes ex praecitatis locis praesertim ultimum testimonium S. Augustini [2].

Et alibi idem S. Doctor affirmat de Angelis bonis: « Dia- « bolo cum suis cadente, in veritate steterunt, et ad securi- « tatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse cer- « tissimi sumus, pervenire meruerunt » [3]. - S. Isidorus pariter ait: « Post Angelorum ruinam hi qui permanserunt, firmita- « tem meruerunt aeternae perseverantiae et beatitudinis » [4]. Et Gelasius papa: « Non Angelos ad profectum conditos « promerendae salutis aeternae illa res indicat, quoniam sic « facti essent, ut alterius non egerent, nulla pars eorum « ullum posuisset defectum. Non enim in eis diversam natu- « ram fuisse dicendum est » [5]. Unde vides, ex ipso lapsu daemonum ad meritum Angelorum bonorum argui posse.

Partim huc faciunt, - nam, uti diximus, praesens doctrina duplici constat elemento, - testimonia ex quibus apparet, Angelos bonos non fuisse ab initio ita gratia firmatos ut a bono deflectere non potuerint [6]. Nam, etsi possibilitas deflectendi a bono non sit conditio sine qua non meriti, - uti patet in Christo Domino, - haec possibilitas est tamen indicium

[1] Ibid.

[2] *De corr. et grat.* c. 10, sq.

[3] *De dono persev.* c. 7.

[4] Sentent. l. I, c. 10.

[5] Dec. ctr. Pelag.

[6] Cf. S. Gregorium M. (*in Ezech.* l. I, hom. 7, n. 18); — S. Ioann. Damasc. (*De fide*, l. II,). c. 3.

viae, ac per consequens argumentum facultatis merendi in illo, qui gratiam habet unde mereatur.

In Corpore. En huius doctrinae schema:

- Angelum per gratiam beatitudinem suam meritum esse, probatur
  - I) *directe:*
    - 1) beatitudo est finis per operationem attingendus,
    - 2) est autem finis supernaturalis,
    - 3) ergo Angeli creati in gratia, at nondum beati, per gratiam beatitudinem veluti meritum adepti sunt;
  - II) *indirecte*, si enim non tenetur haec sententia, dicendum:
    - 1) vel Angelos beatitudinem non meruisse;
    - 2) vel eos eam meruisse iam beatos:
      - *a*) sive per ministeria:
        - meritum est de fine, non supponit finem;
      - *b*) sive per liberum arbitrium in conversione ad Deum per fruitionem:
        - α) liberum arbitrium non est causa meriti per se, sed per gratiam;
        - β) repugnat, eumdem actum informari simul gratia imperfecta et perfecta.

Quomodo haec discussio S. Thomae se habeat ad sententias superius expositas, liquet.

In commentario Lombardi S. Thomas non uti tam certam eamdem doctrinam defendit: appropinquat enim magis ad modum loquendi Magistri, inverso tamen ordine. Quam enim sententiam Lombardus ponebat in fine, uti consequens creationis Angelorum in gratia, Aquinas ponit in principio: « Sustinendo Angelos in gratia fuisse creatos, planum est « ad hoc respondere: quia sic certissime meritum praemium « praecessisset » [1]. In altera hypothesi tres affert atque perpendit sententias, reiiciens tum illam, quae meritum negat, tum illam, quae ponit meritum post praemium, quam tamen ad praemium accidentale limitatum non reprobat; magis autem acceptabilem declarans sententiam, quae ponit meritum praecedens non tempore, sed natura. In quam sententiam benignior est quam in *Summa;* at, acutius eam in ista depellit; unde *Summae* potius est standum.

[1] II Sent. Dist. IV, q. 2, a. 2.

ARTICULUS V.

UTRUM ANGELI STATIM POST UNUM ACTUM MERITI BEATITUDINEM HABUERINT.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duo in hac quaestione investiganda occurrunt. 1) Utrum post unum, an post plura instantia, sive post unum, an plures actus distinctos, - nam instans hic sumitur iuxta tempus angelicum, quod per successionem actuum sive intellectus, sive voluntatis, sive utriusque simul, mensuratur, - Angelus suam beatitudinem consecutus sit. - 2) Utrum istud unum instans, - si haec sententia admittatur, - sit ipsum primum instans, quo creati sunt. De utraque quaestione pauca.

1) Affirmat quidem Toletus [1], plura fuisse instantia meritorum, sed hoc ita cum Scoto intelligit, puto post primum instans, quod cum creationis instanti identificatur, omnes Angeli meriti sint, tam boni quam mali; ac per consequens discretio inter bonos ac malos facta sit in distincto instanti sequenti. Quare vox illa « plura » idem sonat ac « duo ». Cui secundo instanti subsequitur tertium, in quo Angeli per semetipsos discreti beantur alii, alii damnantur.

Et sane sententia teneri debet dicens, Angelum tum propter promptitudinem, tum propter firmitatem suae deliberationis uno istanti potuisse tam plene beatitudinem suam mereri, ut post illum liberum actum bonum immediate praemium eiusdem sit consecutus.

2) Num ideo dicendum est repugnare, ut plura instantia, praeter primum creationis, requisita fuerint antequam Angelus beatitudinis praemium sit assecutus? - Equidem censeo, probabilem rationem talis multiplicationis adduci posse nullam, nisi novas sibi succedentes revelationes a Deo factas, quae, sicuti novum praebebant alimentum intellectui angelico illustrato per gratiam, ita fidei, imo, ex relatione inter credenda ad affectum voluntatis, charitati novum meritum praebere poterant. Talis imprimis erat manifestatio mysterii In-

[1] Hoc loco.

carnationis. Unde puta, Deum in primo instanti nihil de hoc mysterio revelasse: fieri potuit, ut praevisio hominis, utique simul Dei, sed tamen hominis et non Angeli, caelestibus agminibus uti Regis praedestinati, ex invidia partem amovisset illorum, qui iam ex libero voluntatis impetu sese totos Deo dederant, extinguentium ita in se, non modo meritum illud radicale, imperfectum, a primo impulsu Dei creantis et elevantis inseparabile, sed et meritum perfectum per liberum actum arbitrii acquisitum.

At in hac hypothesi istud meritum nondum fuisset pleno sensu perfectum, quia nondum completum iuxta mensuram praeordinationis divinae.

II. Altera quaestio subtilior valde; unde nil mirum, si nec ipsi S. Thomae interpretes in ea solvenda conveniant. Quaeritur nempe utrum triplex instans poni debeat, an non potius sufficiant duo: primum instans actus meritorii, secundum instans praemii. Duo instantia sufficere, contendunt Bannez, Ioannes a S. Thoma, Serra, Contensonus; tria requirunt Capreolus, Salmanticenses, Gonetus, etc. [1]. Utramque sententiam probabilem censet Billuart [2].

Qui opinantur, sufficere duo instantia, urgent doctrinam praesentis articuli, et contendunt, nullam dari rationem sufficientem ad tertium instans requirendum, quum in ipso instanti ob suam perfectionem potuerit Angelus prorumpere in actum bonum, non solum liberum libertate exercitii, sed et specificationis.

Qui e contra exigunt tria instantia, urgent doctrinam art. 5 et 6. Quaestionis sequentis, in quibus S. Thomas tria instantia exigit pro daemonibus, et affirmat in primo instanti daemones quoque meritum habuisse, sed illud in secundo instanti exstinxisse. Ergo a pari dicendum videtur de Angelis bonis, quod meritum in primo instanti imperfectum, in secundo instanti perfectum reddiderint per actum perfectae deliberationis ac perseverantiae in bona voluntate initiali.

2) Equidem dubito de pleno valore huius argumentationis. Etenim, uti magis evolvetur ubi ad praecitatos articulos

[1] In isto altero sensu Cl. Palmieri S. Thomam interpretatur (op. cit. Th. LX, num. III).

[2] Hoc loco. Lege hanc egregiam expositionem.

pervenerimus, non est arguendum a pari de motu in bonum et in malum, quia prima motio est a Deo, et Deus potest per gratiam movere in bonum, non autem in malum. Unde potest concipi in Angelis perfectus motus in Deum in primo instanti creationis; vix autem concipi potest in primo instanti motus completus in malum, quia contradicit primo motui, licet imperfecto, in bonum.

Insuper secundum instans, quo boni Angeli perseverantes beantur, potest in malis esse ipsum instans, quo a bono motu initiali se subducunt. Unde non repugnat, pro Angelis bonis ab initio ad terminum sufficere instantia duo, in daemonibus autem requiri tria.

3) Haec autem duo instantia aliter et aliter considerari possunt. Caietanus in primo ponit meritum pro utrisque bonis et malis; in secundo ponit simul pro bonis continuationem cum merito et beatificationem; in malis simul exstinctionem meriti et damnationem. Sed hoc non omnino placet.

Etenim, uti optime monet S. Thomas, quum non sit eadem gratia viae et patriae, non est admittendum quod idem secundum instans possit esse simul vere meritorium et principium beatitudinis. Si enim hoc dari posset, cur non sufficeret in Angelis bonis instans unicum, in quo simul esset ratio meriti et praemii cum sola successione naturae, non temporis? Quare melius, iudicio meo, Ferrariensis [1] in hoc secundo instanti meritum non amplius agnoscit.

Utrum autem pro damnatis idem possit esse instans peccati et damnationis, quaeremus in art. 5.° et 6.° Quaestionis sequentis; ubi etiam investigabimus quousque in Angelis malis sit ponendum initiale meritum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a diversa natura hominis et Angeli.

2. Obi. Haec obiectio est argumentum in sententia S. Bonaventurae, in qua datur utique duplex instans seu stadium; stadium naturae et stadium gratiae, sed illico consummatae. Unde S. Thomas hanc obiectionem solvit per doctrinam in praecedenti articulo expositam. Notandum est autem valde,

[1] III *ctr. Gent.* c. 110.

S. Thomam non negare possibilitatem ut Angelus in primo instanti meritorium actum elicere potuerit. Sed negat eumdem Angeli actum in eodem instanti potuisse simul esse merentis beatitudinem et beatitudinem ex merito recipientis.

Unde, caeteris paribus, modus quo S. Thomas hic arguit, favet potius illis, qui putant, in Angelis bonis duplex instans sufficere posse.

3. Obi. Arguit ex falsa notione medii.

Sed contra est. Nescio utrum argumentatio haec negativa, per modum comparationis instituta, ex se sufficiat, ad obtinendum intentum. Sane anima separata praemium statim accipit, quia per mortem ipsam est in termino. Sed praecise quaestio est, utrum unus actus Angelum in termino posuerit.

In Corpore. Contrahe totam doctrinam hoc schemate:

Angelum post unum meriti actum beatitudinem esse assecutum, suadetur	1) ex natura ipsius Angeli:	*a*) sicut ad intelligendum non indiget discursu, ita nullo tempore ad perfecte se per charitatem ordinandum; *b*) non autem per hunc ipsum actum iam beatus fuit, quum iste actus provenerit ex gratia imperfecta; *c*) ergo instanti sequenti — iuxta mensuram operationis angelicae — beatitudinem adeptus est.
	2) ex comparatione cum homine:	*a*) homini differtur beatitudo α) tum propter modum discursivum operandi, β) tum propter impedimentum corporis; *b*) neutra autem ratio valet pro Angelo; unde, sicuti animae separatae iuxta meritum statim gloria datur, ita Angelo statim post meriti actum.

Argumentum princeps S. Thomae optime valet de actu unico, quo Angelus mereri potest beatitudinem naturalem; imo de unico actu, quo potest mereri beatitudinem supernaturalem, si Deus eum a primo instanti, non solum per gratiam, sed per plenam illustrationem posuerit in perfecta conditione ponendi illum actum, a quo Deus volebat hanc beatitudinem pendere, iuxta ea quae superius diximus (I, 2).

Quaeres I. - Quanta fuit duratio actus, per quem Angelus beatitudinem meritus est?

Aliter et aliter huic quaesito respondendum est, iuxta sententiam, quam quis amplectitur circa duplex vel triplex

instans, quod in Angelis a creatione usque ad obtentam beatitudinem est distinguendum.

Si triplex est instans, - quatenus primum instans existentiae non potuit esse tempore idem instans perfecti moti per meritum, - inter primum instans motus imperfecti et instans motus perfecti, nullum aliud requiritur; imo nec rationabiliter ponitur. Inter secundum instans et terminum, si nullum aliud intersit, pariter non videtur duratio temporis angelici protrahenda, quum talis ratio non appareat, nec a parte Dei, nec a parte Angeli. Si autem aliud interest instans, iuxta dicta superius (I, 2), pendet a voluntate Dei, quod inter haec instantia duratio fuerit protractior, mensurabilis quidem tempore nostro extrinseco, si iam corporea mobilia huic durationi coëxstiterint; secus tempore dumtaxat angelico. Quantae durationis fuerint actus viae pro angelis malis, et in quanam relatione fuerint ad actus viae Angelorum bonorum, infra investigabimus.

Quaeres II. - Quando completum est viae stadium pro Angelis bonis? - Si, quod infra videbimus, Angeli boni beatitudinem adepti sunt antequam mali sunt in damnationem deiecti, et si omnes Angeli boni praemium simul acceperunt, antequam daemones punirentur, et hi pariter simul coeperunt luere poenas, certum est, Angelos bonos beatitudinem suam accepisse ante lapsum hominis; quum huius lapsus provocator fuerit spiritus malus.

Si creatio Angelorum ponitur ante principium rerum visibilium, a quo Moyses narrationem suam exorditur, dicendum quoque videtur, Angelos esse discretos in bonos et malos ante initium universi visibilis. Si tamen quis putaret, revelationem mysterii Incarnationis fuisse occasionem lapsus daemonum, et censeret, Deum distulisse hanc revelationem usque ad creationem hominis, tunc beatificatio Angelorum bonorum et damnatio malorum ponenda esset inter hominis creationem et lapsum.

Sed haec est hypothesis sat gratuita, quae sane parum concordat cum modo loquendi S. Augustini.

ARTICULUS VI.

UTRUM ANGELI SINT CONSECUTI GRATIAM ET GLORIAM SECUNDUM QUANTITATEM SUORUM NATURALIUM.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Quomodo hic articulus ad praecedentes simul et ad sequentes pertineat, iam in schemate Quaestioni praemisso diximus. Supponit autem Angelos conditos esse natura inaequales. Non autem multum refert, utrum haec differentia dumtaxat gradualis, an insuper in singulis individuis, aut saltem in singulis ordinibus habeatur specifica.

2) Porro duplex quaestio hic movetur tum de gratia, tum de gloria, de qua utraque sententiam nostram hac triplici propositione breviter exponere iuvat.

Prop. I. - *Non repugnat, Angelo minoris dignitatis naturalis conferri gratiam maiorem, quam Angelo dignitatis naturalis maioris.*

Ratio huius propositionis est in promptu. Si finis Angeli non excederet ordinem naturae, motio initialis in finem commensuraretur dignitati naturae. Sed non est ita. Quin imo finis Angelis a Deo praefixus est intrinsece, absolute supernaturalis; quare nihil impedit quominus Deus maiori supernaturali motione gratiae moveat naturali perfectione minorem.

Quod potest ex providentia Dei erga homines illustrari. Non raro enim videmus homines simplices, rudiores, supernaturalibus abundare donis, dum alii sublimioris ingenii eisdem destituuntur, aut eorumdem influxum vix percipiunt; iuxta illud Apostoli: « Videte vocationem vestram, fratres, quia « non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, « non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, « ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut « confundat fortia » [1]. Equidem scio, paritatem deesse, quatenus termino a quo influxus salvifici est communis indignitas, dum terminus a quo elevationis naturae angelicae est naturae innocentis integritas [2]. Nihilominus verba: « ut non « glorietur omnis caro in conspectu eius », possunt dilatari

[1] I Cor. I, 26, 27.

[2] Adde, in sententia Thomistica Angelos esse singulos specifice distinctos.

dicendo: « ut non glorietur omnis perfectio naturalis in con- « spectu eius » [1]; quatenus ratio cur Deus gratiam non commensurasset perfectioni naturae, potuisset esse exaltatio ipsius gratiae seu eiusdem absoluta gratuitas.

Prop. II. - *Probabilius est, Deum maiorem gratiam initialem dedisse Angelis iuxta eorumdem perfectionem naturalem.*

Ratio huius asserti petitur ex harmonia praestabilita inter naturam et gratiam in mente divina. Deus enim naturam Angelorum optimam condidit tanquam gratiae substratum; unde, quum a parte naturae optimae et integrae nulla ratio fuerit indignitatis, et aliunde nulla fuerit successio temporis inter creationem et elevationem, congruum videtur, ut perfectiori naturae ab ipso exordio infusa fuerit abundantior gratia. Quae congruentiae ratio in homine instaurato deest propter rationem in propositione praecedente allatam. Aderat tamen, licet in minori gradu, pro homine integro; unde probabilius est, Adamo, utpote perfectiori, abundantiorem gratiam originalem esse collatam quam Evae.

Haec doctrina iam olim tradita est a S. Basilio, qui scripsit: « Caelorum virtutes iuxta portionem, qua se invicem « superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram » [2]. Et S. Ioannes Damascenus ait: « Per Verbum Angeli omnes « creati sunt, ac per Sancti Spiritus sanctificationem omnes « perfectionis numeros acceperunt, ita tamen ut pro sua « quisque dignitate et classe luminis gratiaeque participes « sint » [3]. Nec in oppositum potest adduci S. Augustinus, quia dixit: « in eius (sapientiae) participatione aequales fuisse istos « (malos Angelos) illis (bonis) » [4]. Nam non agit hic de aequalitate quatenus gradus perfectioni naturali uniuscuiusque non responderint, sed quatenus Angeli mali aequaliter cum Angelis bonis ab initio praeter dona naturae acceperunt elevationem gratiae. Quare locus iste classicus est ad demonstrandum, quid Augustinus cogitaverit de conditione originali daemonum, non autem quid in quaestione praesenti tenuerit.

[1] Ibid. v, 29.
[2] *De Spir. S.* c. 16.
[3] Op. cit. l. II, c. 3.
[4] *De Civit. Dei* l. XI, c. 11.

Prop. III. - *Dari potest, ut gradibus gratiae Angelis ab origine collatis non respondeat gradus gloriae per merita acquisitae.*

Haec propositio respicit quaestionem alteram de gradibus gloriae. Gradus initiales gratiae destinatos fuisse ad correspondentes gradus gloriae, extra dubium est. Sed nondum inde sequitur, eamdem adesse proportionem inter gradus gloriae Angelorum, quae fuerit inter eorumdem gradus gratiae.

Sane gratia daemonibus ab origine data eo tendebat ut in gloriam sese veluti explicaret; et tamen per malam horum spirituum voluntatem destructa periit. Si ergo gratia Angelis bonis data non potuit conducere nisi in gloriam gradui initialis gratiae respondentem, dicendum est, liberum Angelorum arbitrium valuisse quidem ut gratiam acceptarent perseverando, aut recusarent deficiendo; non autem ut plus minusve perfecte eam acceptarent, ac proin maiorem minoremve gloriam mererentur. Iam vero usquedum hoc probetur, liceat affirmare, non esse impossibile, ut minori gratiae initiali respondeat etiam in Angelo maior ex maiori merito gloria [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a libera ordinatione naturae in gratiam.

2. Obi. Eodem vitio laborat; ac proin maior argumenti caret virtute.

3. Obi. Arguit a pari, ubi paritas deest. Qui defectus paritatis magis apparet in sententia S. Thomae de differentia specifica Angelorum inter se. Sed praeter hanc disparitatem, adest alia petita ex termino a quo, iuxta ea quae in prima propositione diximus.

Sed contra est. En ipsa verba Magistri: « Qui natura magis subtiles et sapientia amplius perspicaces creati sunt; « hi etiam maioribus gratiae muneribus praediti sunt, dignitate excellentiores aliis constituti. Qui vero natura minus « subtiles, et sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora gratiae dona habuerunt, inferioresque constituti sunt, « sapientia Dei aequo moderamine cuncta ordinantis » [2]. Ad

[1] Lege de hoc argumento SUAREZ (op. cit. l. v, c. 10); cf. et HEINRICH (op. cit. § 289).
[2] II Sent. dist. III.

quae sapienter Albertus Magnus: « Non generaliter verum « est, quod gratia proportionetur naturae.... Sed tamen hoc « verum puto esse in Angelis; quia ego opinor, quod creati « sunt in gratia.... Sed tamen illi qui sunt de opinione Magi- « stri, possunt dicere, quod in Angelo gratiae receptionem « praecessit praeparatio aliqua, quam etiam respexit Deus » [1].

In Corpore. En doctrinae schema:

- Angelos gratiam et gloriam secundum quantitatem suorum naturalium esse consecutos, suadetur
  - 1) ex parte ipsius Dei:
    - *a*) Deus ipse diversos gradus in natura angelica posuit;
    - *b*) hanc naturam ad gloriam destinavit;
    - *c*) inde probabile videtur, gradus naturae tanquam substrata esse graduum gloriae.
    - (Haec ratio non valet pro homine, quatenus omnes homines sunt unius speciei et solo numero propter materiam differunt.
  - 2) ex parte ipsius Angeli:
    - *a*) Angelus enim nihil habet quo impediatur in sua conversione in Deum;
    - *b*) unde perfectiori naturae, quum respondeat intensior motus in Deum, etiam intensior gratia convenire videtur.
    - (Haec ratio rursus non valet pro homine ob luctam inter hominem spiritualem et animalem.)

ARTICULUS VII.

UTRUM IN ANGELIS BEATIS REMANEAT COGNITIO ET DILECTIO NATURALIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam instituitur analysis status illius beati, quem Angeli per gratiam et meritum sunt assecuti. Et primo quaerit S. Thomas de habitudine radicali huius status ad naturam Angeli; utrum scilicet haec beatitudo supernaturalis tantopere absorbeat activitatem naturae, ut cognitio et dilectio naturalis non amplius adesse possint, sed locum omnino cedere debeant cognitioni et amori supernaturali.

2) Iam vero eodem modo loquendum esse de cognitione et amore manifestum est, quum sint elementa constitutiva activitatis entis rationalis, sive in ordine mere naturali exi-

[1] Hoc loco art. 10.

stat, sive ad ordinem supernaturalem elevetur. Unde sicut repugnaret visio, quae non conduceret in amorem beatum visioni respondentem, aut amor beatus perfectus, qui non radicaretur in visione; ita repugnaret, in Angelo beato remanere cognitionem naturalem, non autem eiusdem ordinis dilectionem, aut dilectionem naturalem excluso eiusdem ordinis cognitione.

3) Quaestio igitur est, utrum nunc remaneant ambo sub lumine et amore beato. Porro remanere dicenda sunt, sicuti remanere dicenda est ipsa natura sub gratia, quia perfectum non excludat imperfectum, nisi sibi oppositum. Porro quaenam esset natura illa remanens, quae constitutivis actibus frustraretur?

4) Imo non solum remanent, sed sunt fundamentum, cui superstruuntur tum cognitio visionis, tum amor beatus. Nec ullus exhinc oritur in Angelorum statu dualismus; quia, sicuti natura ordinatur ad gratiam, ita cognitio naturalis ordinatur in visionem, et dilectio naturalis in amorem beatum.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* negligit dicta n. 3.
2. et 3. Obi. Non considerant dicta n. 4.
En S. Thomae doctrinam schemate expressam:

- Angelos in beatitudine non amittere cognitionem et dilectionem naturalem,
  - 1) probatur:
    - *a)* beatitudo non tollit naturam, ergo nec eius operationem;
    - *b)* imo beatitudo superstruitur naturae, ergo natura cum sua operatione se habet ad eam uti primum ad secundum;
  - 2) illustratur:
    - *a)* operatio naturalis non se habet ad beatitudinem sicut imperfectum oppositum, sed sicuti imperfectum ad perfectum sine oppositione, v. gr., sicuti medium probabile ad demonstrativum in scientia (ad 1);
    - *b)* non manet veluti ad complementum beatitudinis, sed veluti consequens substrati (ad 2);
    - *c)* ita tamen ut ad beatitudinis operationem ordinetur, sicut ipsa natura ad gloriam (ad 2), quare utramque simul esse, non repugnat.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ANGELUS BEATUS PECCARE POSSIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si τὸ posse peccare tam pertineret ad naturam angelicam, quam τὸ cognoscere et τὸ diligere naturaliter, fatendum esset, vel naturam Angelorum non integram servari in beatitudine, vel Angelos beatos adhuc posse peccare. Sed τὸ posse peccare, non est nisi defectus naturae angelicae. Ergo potest potentia ad peccandum in Angelis destrui per aliquid, cum quo haec amplius stare non possit.

2) Iam vero *factum* omnino constat, et eruitur manifesto ex Scripturis, uti in *Sed contra est* data opera exponemus. *Ratio* autem facta heic est illustranda.

Et primo quidem ratio huius facti non potest quaeri in detrimento libertatis Angelorum, quasi per beatitudinem Angelus in libero arbitrio minuatur. Nam posse eligere malum, non magis pertinet ad essentiam liberi arbitrii, quam posse errare ad essentiam rationis; secus quo magis aliquis esset in malum aut in errorem pronus, eo magis esset dicendus liber aut rationalis; quod absonum est nimis.

Quaerenda est igitur ratio in modificatione conditionum circa quas liberum arbitrium exercetur.

3) Haec autem modificatio potest inveniri in ipsa natura Angeli, vel in natura beatitudinis, quam est assecutus.

Eatenus in sola natura Angeli inveniri posset, quatenus talis esset haec natura, ut, facta electione boni, nullo amplius modo posset eligere malum. Sed etiamsi dicatur, Angelum propter suam indolem intellectualem, et motum intellectus absque discursu, non posse amplius moveri circa aliquid quod semel voluerit; nondum inde sequi videtur, quod, si semel, motu mere naturali in Deum se ferat, nulla amplius ratione a Deo deflectere possit. Nova enim possunt menti eius opponi, de quibus novae deliberationis ipsi oriatur occasio; ita ut non quidem moveatur circa electionem quam semel fecit, sed novam electionem instituat de obiecto novo. Sed, si talis est haec electio nova, ut contradicat electioni

praecedenti, quomodo non moveretur Angelus circa electionem iam factam, amplectendo obiectum quod eidem contradicit? Si tamen Angelus ita ex natura est constitutus, ut circa volitiones libere factas sit deinceps immobilis, fundamentalis ratio, ob quam Angelus non amplius peccare potest, reperitur in ipsa Angeli natura.

4) Adde iam conditionem beatam, quam per bonum usum gratiae est adeptus. Visa enim essentia divina tantopere intellectum in summo bono firmat, ut impossibile sit, eumdem intellectum iam amplius aliquam rationem boni invenire in aliqua re, quae contradicit Deo, quale debet esse obiectum peccati. - Rursus visio beatifica tam plenum provocat motum voluntatis in amandum Deum, ut nihil amplius possit movere voluntatem, quod suggerat intellectui ad rationem quaerendam, qua possit afferre voluntati malum sub specie boni.

5) Conclude, tres esse rationes ob quas Angelus amplius peccare non possit: *a*) firmitas electionis angelicae, *b*) visio essentiae divinae, *c*) amor beatus.

6) Non est igitur cur ratio impeccabilitatis Angelorum quaeratur cum Scoto [1] in speciali providentia Dei non amplius permittente ut Angelus peccet; nec cum Gabriele [2] in indole infusa actuum beatorum visionis et amoris. Prior explicatio mere extrinseca deficit nimis, quia praetermittit intrinsecam sanctitatem Angelorum et conditionem ipsius status beatifici; altera deficit, quia non attendit ad indolem vitalem visionis et dilectionis beatificae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si natura Angeli nullum influxum recipiat a beatitudine supernaturali.

2. Obi. Abstrahit ab ipsa rationalitate intellectus et voluntatis, ob quam intellectus et voluntas non possunt ferri in malum nisi sub ratione boni; quae ratio boni in lumine et in amore beato non amplius potest subesse malo.

3. Obi. Arguit ac si posse eligere malum, esset de essentia libertatis. Quod est falsissimum. Confundit praeambula liberi arbitrii cum ipso libero arbitrio. Est quidem de essentia

[1] I Sent. Dist. I, q. 4.
[2] II Dist. VII, q. 1.

liberi arbitrii quod ille, qui potest apprehendere malum sub ratio boni, possit et eligere malum; non autem pertinet ad liberi arbitrium essentiam, quod possit apprehendere malum sub ratione boni. Imo quo magis aliquis constituitur ab huiusmodi fallacia liber, eo sane est liberior.

Bene Leo XIII: « Sicut errare posse reque ipsa errare « vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, « eodem modo arripere fallax fictumque bonum, est iudicium « libertatis, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam « libertatis » [1].

Sed contra est. Doctrina huius articuli tamquam de fide habenda est, quia de fide est, Sanctos in caelo gaudere beatitudine aeterna, iuxta illud Petri: « Regeneravit nos.... in « haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immar- « cescibilem » [2]; necnon Pauli, qui coronam caelestis agonis vocat « incorruptam » [3]. Iam vero si talis est conditio Sanctorum, a fortiori idem dicendum est de conditione Angelorum. Atqui talis esse non posset, nisi Angeli non possent amplius peccare.

Reiiciendus proin est omnino error Origenis asserentis, aliquos Angelos, utpote in custodia sibi commissa negligentes, de facto peccasse [4].

Huc sane spectant verba orationis Dominicae: « Fiat vo- « luntas tua sicut in caelo et in terra ». Cur enim adhibetur caelum tamquam sedes voluntatis divinae perfecte adimpletae, nisi quia est habitaculum Angelorum et Sanctorum, qui ab ista voluntate deflectere non possunt?

Praeter testimonia S. Augustini [5], S. Fulgentii [6] superius citata, placet iterum audire S. Isidorum Hispalensem et S. Gregorium Magnum. Prior dicit: « Post ruinam Ange- « lorum malorum, hi qui permanserunt, firmitatem aeternae « perseverantiae consecuti sunt » [7]. Et alter ait, « Angelos « sanctos, cadentibus aliis in sua beatitudine perstitisse,

[1] Encycl. « *Libertas praestantissimum* ».
[2] I Petr. I, 4.
[3] I Cor. IX, 25.
[4] Homil. 13 in Lucam.
[5] *De corr. et grat.* c. 10 et 11; *De dono persev.* c. 7.
[6] *De fid. ad Petr.* c. 3.
[7] Lib 7. *Orig.*

« atque hoc accepisse in munere, ut iam cadere omnino non « possent » [1].

Placet et afferre S. Anselmum, de hoc argumento egregie disputantem: « Libertatem arbitrii non puto esse potentiam « peccandi et non peccandi. Quippe si haec eius esset defi- « nitio, nec Deus nec Angeli, qui peccare nequeunt, liberum « haberent arbitrium: quod nefas est dicere.... Nec libertas, « nec pars libertatis est potestas peccandi. Quae tibi voluntas « liberior videtur, quae sic vult et potest non peccare, ut nul- « latenus flecti valeat a non peccandi rectitudine; an illa, « quae aliquando flecti potest ad peccandum?... An non vides, « quoniam qui sic habet quod decet et quod expedit, ut hoc « amittere non queat, liberior est quam ille, qui sic habet hoc « ipsum, ut possit perdere, et ad hoc quod dedecet et non « expedit, valeat adduci? » [2]. Et in fine eiusdem operis egregie concludit: « Libertas arbitrii alia est a se, quae nec facta « est nec ab alio accepta, quae est solius Dei; alia a Deo facta « et accepta, quae est Angelorum et hominum. Facta autem « sive accepta, alia est habens rectitudinem quam servet, alia « carens. Habens, alia tenet separabiliter, alia inseparabili- « ter. Illa quidem quae separabiliter, fuit Angelorum omnium, « antequam boni confirmarentur et mali caderent; et est « omnium hominum ante mortem, qui habent rectitudinem « eamdem. Quae vero tenet inseparabiliter, est electorum An- « gelorum et hominum; sed Angelorum electorum post rui- « nam reproborum [3], et hominum post mortem suam. Illa « autem quae caret rectitudine, alia caret recuperabiliter, « alia irrecuperabiliter. Quae recuperabiliter caret, est tan- « tum in hac vita omnium hominum illa carentium, quamvis « multi non recuperent. Quae autem irrecuperabiliter caret, « est reproborum hominum et angelorum; sed angelorum « post ruinam, et hominum post hanc vitam » [4].

Impeccabilitatem Angelorum bonorum inde explicat, quod « sint adepti quidquid potuerunt velle; nec iam videant quid « plus velle possint; et propter hoc peccare nequeunt » [5].

[1] Homil. 7 in Ezech.

[2] *De lib. arbitr.* c. 1. — *P. L.* CLVIII, 489, sqq.

[3] Noli urgere istud *post.* — Cf. dicenda in art. 6. Quaest. seq.

[4] Ibid. c. 14, — col. 506.

[5] *De casu diaboli,* c. 5. — *P. L.* CLVIII, 334,

In Corpore. En schema doctrinae huius articuli:

- Angelos beatos peccare non posse,
  - 1) probatur: sicut naturalis voluntas non potest deficere a bono communi, ita Angelus non potest deficere a Deo, cuius essentiam videt per beatitudinis lumen.
  - 2) vindicatur: haec impeccabilitas
    - *a*) non tollit rationem boni creati, quod ex se deficere potest; sed provenit ex coniunctione cum bono increato, unde deficere nequit;
    - *b*) non tollit exercitium libertatis circa multa inter se opposita, modo non sint opposita ad Deum;
    - *c*) non tollit radicem libertatis, imo eam perficit; nam posse eligere malum, non magis pertinet ad libertatis perfectionem, quam posse falso concludere, pertinet ad perfectionem intellectus.

Quaeres I. - Estne liberum arbitrium idem in Angelis ante et post confirmationem in bono? - Respondeo cum S. Bonaventura, idem esse quoad essentiam sive substantiam, et in quantum opponitur coactioni [1]; sed non est idem quoad statum vel bene esse, nec in quantum opponitur subiectioni. Nam « absque dubio planum est quod liberum arbitrium « alium habet statum et aliud complementum, quam haberet « prius » [2]. « Nam in miseris est subiectum miseriae, in beatis « liberum; in malis subiectum culpae, in bonis liberum et « tanto liberius, quanto magis distant a malo » [3].

Quaeres II. - Nonne quoad amorem Dei Angelus servat saltem libertatem contradictionis, ut scilicet, incapax quidem qui a Deo avertatur, possit tamen ab actu amoris temperare? - Negandum est, tum quia lumen visionis beatificae iugiter agit in mentem Angeli, illumque provocat ad amandum, quod non desinit intueri; tum quia tantam in hoc amore experitur gratiae dulcedinem, ut nullam rationem boni inveniri possit in hoc, ut saltem per instans ab hoc amore temperet [4].

[1] Cf. S. Bernardum (*De grat. et lib. art.* c. 4, n. 12).
[2] II Sent. dist. vii, n. 1, a. 2, q. 1.
[3] Ibid. q. 3,
[4] Cf. de hoc Toletum disputantem (op. cit. hoc loco).

ARTICULUS IX.

UTRUM ANGELI BEATI IN BEATITUDINE POSSINT PROFICERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Extra dubium est, Deum obiectum esse beatitudinis angelicae tam infinitum, ut semper possit in eius possessione dari profectus, imo per totam aeternitatem, quin unquam adaequate comprehendatur. Quaestio igitur movetur non de possibilitate a parte obiecti, sed de facto a parte subiecti; imo de possibilitate non quidem ex eo quod Angeli non amplius possint peccare: nam defectibilitas non est conditio essentialis meriti, uti patet in Christo; sed quia Angeli non sunt amplius in via, sed in termino.

2) Et sane quum principium obtentae beatitudinis in subiecto sit gratia divina provocans meritum, affirmare, Angelos proficere in beatitudine, est logice simul affirmare, Angelos, postquam confirmati sunt in gloria, adhuc mereri. Sed hoc non videtur admitti posse, nec quoad praemium essentiale, nec quoad praemium accidentale.

3) Fuerunt quidam, qui, arguentes ex una parte ex profectione Angelorum in scientia mysteriorum Dei, iuxta verba Isaiae [1] et Psalmistae [2] superius discussa; ex altera parte ex futuris meritis tanquam causa initialis praemii, iuxta sententiam loco suo expositam et reiectam, existimarint, Angelos usque ad diem iudicii proficere in beatitudine, quia proficiunt in merito. Hanc sententiam probabiliorem duxit Lombardus [3]. Sed bene contra eum Albertus Magnus asserit: « Opinio com« munis est quod Angeli non merentur, quia charitas sua « informans actus eorum est in eis praemium, non me« ritum » [4].

4) Mitius quidam putaverunt, saltem quoad praemium accidentale in Angelis dari meritum, propter opera bona, quae circa viatores exercent, usque ad diem iudicii. Et quidem admittendum videtur aliquod augmentum gaudii acci-

[1] Is. LXIII, 1.
[2] Ps. XXIII, 10, 12.
[3] II Sent. dist. XI.
[4] Ibid. art. 8.

dentalis, tum intensivi tum extensivi, - nam, uti optime monet S. Bonaventura [1], haec sibi correspondent, - circa accidentale, non autem principale, - quid idem bene demonstrat, - beatitudinis obiectum. Utrum autem id augmentum rationem habeat meriti, est alia quaestio. Cardinalis Toletus [2] affirmat, S. Thomam hoc admisisse in commentario Lombardi [3]; melius autem in *Summa* negasse. At nec in illo opere Aquinas id admittit, quum aliam ibi sententiam uti probabiliorem teneat; sed unice de hac opinione dicit: « secundum quid « potest sustineri »; unde et concludit: « Et ideo videtur cum « aliis dicendum, etc. ».

5) Conclusio igitur sit, Angelorum beatitudinem essentialem a primo instanti suae confirmationis non augeri, quia motio divina, a qua provenit, est motio terminalis, quae non tendit in augmentum, ac proin non causat augmenti principium, id est, meritum. Datur tamen usque ad consummationem viae totius creaturae rationalis augmentum in beatitudine accidentali; sed neque hoc augmentum tanquam praemium ex merito est habendum.

II. **Ad Textum** - *1. Obi.* Abstrahit a conditione meriti.

2. Obi. Abstrahit a duplici utilitate, praeter rationem meriti: tum ex diffusione charitatis in alios; tum ex accidentali inde obveniente gaudio, licet non ex merito.

3. Obi. Abstrahit a summo relativo, quod Angelus beatus per hoc ipsum attingit, quod est in termino.

Sed contra est. Corroboratur praesens doctrina per similem doctrinam de beatitudine Sanctorum. De qua loco suo erit agendum. - Ministerium autem quod circa viatores exercent, posse Angelis afferre beatitudinis accidentalis augmentum, patet ex verbis Christi: « Gaudium erit in caelo super « uno peccatore poenitentiam agente » [4].

[1] II Sent. dist. XI, a. 2, q. 2. Lege hunc integrum discursum.

[2] Hoc loco.

[3] II Sent. dist. V, q. 2, a. 2. — Interest tamen aliquid inter hanc expositionem et argumentationem S. Thomae in *Summa*. In commentario enim Lombardi S. Thomas non tam aperte propugnat sententiam, quae dicit, Angelos fuisse creatos in gratia. Ponit tamen eam primo loco, et iuxta eam solvit argumentum sicuti facit in *Summa*.

[4] Luc. XV, 7.

In Corpore. En schema doctrinae:

- Angeli in beatitudine
  - I) *essentiali* proficere non possunt, nam
    - 1) proficere est viatoris, sunt autem comprehensores, et solus Christus fuit simul viator et comprehensor;
    - 2) gradus beatitudinis se habet sicuti finis, ad quem a Dei gratia per viam meriti destinati sunt; finis autem de ratione sui habet ut in eo quiescatur.
  - II) *accidentali*
    - 1) usque ad diem iudicii possunt augmentum accipere
      - *a*) ratione profectus,
      - *b*) non autem ratione meriti, nam
        - α) sunt in termino,
        - β) aguntur gratia consummata;
    - 2) post diem iudicii, clauso salutis opere, non amplius augentur.

Quaeres. - Si gaudium accidentale Angelorum augetur ex felici ministerio, nonne per tristitiam de ministerio infelici minuitur? - Placet respondere verbis S. Bonaventurae: « Quidam dicere voluerunt, quod Angeli beati ex damnatione « eorum quos custodiunt, etsi non incurrant detrimentum « gloriae, concipiunt tamen gemitum misericordiae.... Sed « tamen illud non videtur possibile, quomodo aliquis possit « compati et non pati. Nec illud videtur probabile, quod An- « geli aliqua pietate et misericordia flectantur ad reprobos, « cum ipsi maxime zelent iustitiam et divinam gloriam... ». Et allato S. Gregorio Magno [1], sententiam suam his verbis exponit: « Angeli custodientes ex damnatione eorum quos « custodiunt, nec concipiunt gemitum nec incurrunt aliquod « gloriae detrimentum. Gemitum non concipiunt, propter ple- « nitudinem gaudii, quod adeo perfectum est, ut nullo modo « suscipiat admixtionem contrarii. Detrimentum etiam non « patiuntur, propter stabilitatem boni adepti; nihil enim ha- « bent quod possint amittere, nec ex parte meriti, nec ex « parte praemii, cum sint in gloria et in iustitia confirmati. « Et quoniam detrimentum dicit amissionem alicuius boni

[1] S. Gregorius de Sanctis haec ait: « Iustorum animae, quamvis in suae naturae « bonitate misericordiam habeant, iam nunc auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta « rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur ». (In Evang. homil. 40, n. 7.

« habiti, ideo ex nullo eventu detrimentum aliquod possunt « pati » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

I) Angeli creati sunt in beatitudine naturali, sed nonnisi inchoate in beatitudine supernaturali (a. 1); quare si non indiguerunt speciali motione divina ut in Deum per naturales suas facultates moverentur, tamen nonnisi cum speciali huiusmodi motione in Deum supernaturaliter attingendum ordinari potuerunt (a. 2); quam ordinationem ita obtinuerunt ab initio, ut in gratia gratum faciente sint creati (a. 3). Haec autem gratia fuit in eis principium meriti; et quidem non solum ex ordine logico inter causam et effectum, sed cum ordine temporis inter meritum, non futurum, sed praeteritum, et praemium (a. 4). Ad hoc autem praemium consequendum, ob perfectionem operationis angelicae, unus actus sufficere potuit (a. 5).

II) Probabilius dicendum est, Angelorum perfectioni naturali fuisse commensuratam gratiam et gloriam (a. 6). In qua gloria, sicuti manet natura, ita manent operationes: cognitio scilicet et dilectio naturales, utpote quae per cognitionem et dilectionem supernaturalem non destruuntur (a. 7). Tanta autem est perfectio huius supernaturalis visionis et amoris, ut possibilitatem peccandi omnino tollat, servata, imo ad perfectionis apicem elevata libertate (a. 8). Quum autem a principio huius beatitudinis sint collocati in termino, Angeli in ea proficere amplius nequeunt, licet usque ad ultimum iudicium gaudium accidentale in eis accrescere possit (a. 9).

[1] II Sent. dist. art. 2, q. 3.

CAPUT III.

DE CONDITIONE ANGELORUM MALORUM.

Iam de Angelis malis quaerendum est; et quidem 1) de eorum *lapsu,* 2) de eorum poena seu *damnatione.*

A) DE DAEMONUM LAPSU.

QUAESTIO LXIII.

Argumentum huius Quaestionis sequenti schemate exprimitur.

- Quaeritur de Angelorum lapsu
  - 1) quoad *peccatum* ipsum:
    - *a*) utrum possibile (a. 1);
    - *b*) quale fuerit
      - α) in genere (a. 2),
      - β) in specie (a. 3);
  - 2) quoad *tempus* lapsus:
    - *a*) utrum creati mali (a. 4),
    - *b*) utrum in primo instanti (a. 5),
    - *c*) utrum interposita mora (a. 6);
  - 3) quoad *lapsos:*
    - *a*) utrum supremus omnium (a. 7),
    - *b*) utrum causa lapsus aliorum (a. 8),
    - *c*) quotnam fuerint (a. 9).

ARTICULUS I.

UTRUM MALUM CULPAE POSSIT ESSE IN ANGELIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duae quaestiones hic moveri possunt: prima facti, utrum tales fuerint creati Angeli, qui peccare potuerint; altera possibilitatis, utrum tales Deus potuisset creare Angelos, qui ab ipso suo initio peccare non potuissent.

2) *Facti* quaestio constat. Angeli peccaverunt, et quum non conditi sint mali, tales a Deo effecti sunt boni, ut tamen potuerint peccando fieri mali. Ratio autem facti investiganda superest. Quae ratio, non potest inveniri in illa debilitate naturae, quae in nobis provenit ex compositione ex materia

et forma; ex qua compositione, nisi superaddatur integritas, fluit pronitas in errorem a parte intellectus, et pronitas in sensualia a parte appetitus.

Debet igitur esse ratio, quae cum pura spiritualitate stare potest, ac per consequens fundatur in puro intellectu et in pura voluntate.

a) In intellectu quidem, at non ob admixtionem erroris, nisi in his, quae vim eiusdem intellectus exsuperant, uti superius exposuimus; *b*) in voluntate, at non nisi in his, quae spectant ad plenam beatititudinem nondum possessam.

Defectu scilicet ordinis in apprehensione intellectus et in appetitione voluntatis potuit Angelus nondum in fine suo constitutus, ab originali iustitia deflectere ad iniustitiam. Nam non est nisi Dei solius, ut natura sua a recto ordine deficere non possit.

Sed haec fusius investigabuntur in art. sequenti.

3) *Possibilitas* autem insuper investiganda est, ut talem Deus spiritum creet, qui a iustitia deflectere non possit.

a) Dubium non est, talem non solum spiritum sed et hominem creari posse, si ab ipso initio suae existentiae non solum per gratiam elevetur, sed per gloriam beetur. Visio enim beatifica possibilitatem peccandi excludit.

b) Rursus, praeter visionem beatificam, quae dat impeccabilitatem permanentem, Deus potest impedire peccatum in creatura defectibili ope motionis iugiter efficacis. Hoc enim fluit ex doctrina alibi exposita de virtute motionis divinae in bonum.

c) Praeterea spiritus purus talis est sua natura, ut, electio quam circa finem facit, immutabilitatem secum ferat. Sed cum electione huiusmodi mala creari nequit. Quaestio igitur super est, utrum possit tam perfectus in naturalibus condi, ut circa finem errare non possit, nec per malum usum liberi arbitrii inordinata possit eligere media in finem.

Talis spiritus si possibilis sit, non video, cur omnes spiritus puri non tales fuissent; ac per consequens cur non esset dicendum, Angelos nonnisi ideo peccare potuisse, quia destinabantur ad ordinem supernaturalem, circa quem inordinate moveri poterant. Qua sententia admissa, sicut in genere humano conditio inducta per originale peccatum sup-

ponit gratiam originalem et dotes integrae naturae per protoparentum culpam amissa; ita quoque peccatum Angelorum supponeret elevationem ad finem supernaturalem.

Quam tamen conclusionem nonnisi hypothetice ferimus. Nam non apparet, cur, in mero ordine naturali, defectibilitas non esset innata creatae libertati, etiam perfectissimae, nisi per motionem efficacem Dei, uti modo dicebamus in sensu composito defectio impediatur.

Plura de hac quaestione addemus in responsione ad obi. 3.m

II. **Ad Textum.** - Duae priores obiectiones omni specie carent; duae alterae sunt validiores.

1. Obi. Confundit potentiam ad esse naturae cum potentia ad exercitium vitae intellectualis.

2. Obi. Confundit incorruptibilitatem a parte τοῦ esse naturae cum incorruptibilitate a parte vitae intellectualis. Haec obiectio procedit iuxta scientiam physicam aetatis mediae.

3. Obi. Confundit actum naturalem Dei cum actu elicito. Insuper non distinguit inter ordinem naturalem et supernaturalem.

4. Obi. Procedit ex falsa disiunctione, ac si non daretur medium inter eligere bonum et eligere malum specie boni, quod supponit in agente ignorantiam, qualis in Angelo ab origine ponit nequit. Iam vero datur medium: eligere quidem bonum, sed non debito ordine, ad quod sufficit defectus considerationis. Atqui ita peccaverunt Angeli.

Sed contra est. Ab esse ad posse valet illatio. Iam vero disertissime constat ex Scripturis, Angelos peccavisse; ergo tales creati sunt, qui peccare potuerint: « Deus Angelis pec- « cantibus non pepercit » [1]; « Discedite a me maledicti in « ignem aeternum, qui paratus est diabolo et Angelis eius » [2]; « Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio peccat « diabolus » [3].

E Patribus, praeter testimonia iam superius allata, satis sit afferre S. Augustinum et S. Fulgentium. S. Augustinus

[1] II Petr. ii, 4; cf. Iud. 6.
[2] Matth. xxv, 41.
[3] I Ioann. iii, 8.

diserte proclamat, omnes Angelos eiusdem bonae naturae fuisse a bono summo creatos: « Angelorum bonorum et ma-« lorum inter se contrarios appetitus non naturis princi-« piisque diversis, - cum Deus omnium substantiarum bonus « auctor et conditor utrosque creaverit, - sed voluntatibus et « cupiditatibus exstitisse, dubitare fas non est, dum alii con-« stanter in communi omnibus bono, quod ipse Deus est, « atque in eius aeternitate, veritate, charitate persistunt; alii « sua potestate potius dilectati, velut bonum suum sibi ipsi « essent, a superiori communi omnium benefico bono ad « propria defluxerunt ». Quare Angelorum natura « in tanta « excellentia creata est, ut, licet ipsa sit mutabilis, inhae-« rendo tamen incommutabili bono, id est, summo Deo, « beatitudinem consequatur ". Et eleganter concludit: " Cum « vitium creaturae angelicae dicitur, quod non adhaeret Deo: « hinc apertissime declaratur, eius naturae ut adhaereat Deo « convenire.... Quapropter etiam vitio malorum angelorum, « qui non adhaerent Deo, quoniam omne vitium naturae « nocet, satis manifestatur Deum tam bonam eorum creasse « naturam, cui noxium sit, non esse cum Deo » [1].

Fulgentius haec habet: « Superiores vero spiritus (Omni-« potens) nullum cum corporeis elementis habere fecit natu-« rale consortium; quos et aeternos creavit, et eis facultatem « atque intelligentiam cognoscendae diligendaeque divini-« tatis inseruit. Quos tamen ita creavit, ut etiam prae se « ipsis illum diligerent, cuius se tales creatos opere cogno-« vissent; cum eorum ut tales fierent, nulla merita prae-« cessissent. Ut autem haec dilectio haberet iustam et con-« gruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem; « ut eis esset possibile, sive ad eum, qui supra eos est, inten-« tionem sanctae dilectionis erigere, sive ad se, vel ad ea « quae infra eos sunt, pravae cupiditatis semetipsos pondere « declinare » [2].

Vidimus autem superius, quam firmiter S. Anselmus affirmet tam bonos quam malos ita conditos esse a Deo ut peccare potuerint [3]. In art. quarto illustrabimus fusius ex eodem

[1] *De civit. Dei.* l. XII, 1.
[2] *De fid. ad Petr.* III, n. 31, cf. 32, 33.
[3] *De casu diaboli* c. 5; - *dial. de lib. art.* c. 14, etc.

doctore et ex sancto Bonaventura, quomodo bona fuerit ab initio illa natura, quam Deus ita fecit ut in iniustitiam se libere proiicere posset.

Concordat doctrina Ecclesiae, quae in Concilio Florentino breviter ac profunde dicit, Angelorum naturas fuisse ab exordio factas bonas quidem, quia a summo bono; sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt [1].

Sed contra est. En doctrinam schemate expressam:

- Malum culpae posse in Angelis esse,
  - I) probatur:
    - 1) indirecte per factum:
      - *a*) ita Scripturae,
      - *b*) Ecclesiae traditio;
    - 2) directe per analysim creaturae:
      - *a*) quaecumque creatura, per hoc ipsum quod est creatura, habet ut a sua regula deficere possit;
      - *b*) Deus solus absoluta regula iusti,
  - II) illustratur:
    - 1) non ideo Angelus peccare potest, quod est ex natura sua compositus, sed quia per intellectum se aliter et aliter potest libere ordinare (ad 1. et 2.);
    - 2) nec naturaliter inclinatur in Deum per beatitudinem attingendum, sed in Deum principium naturalis boni (ad 3);
    - 3) per liberum autem arbitrium Angelus peccare potest
      - *a*) non quidem ut homo, male iudicando de bono,
      - *b*) nec passione ductus vel habitu pravo,
      - *c*) sed bonum eligendo sine attentione ad rectum ordinem a Deo intentum (ad 4).

Resp. ad 3m. Ex hac responsione vides, S. Thomam peccabilitatem Angelorum explicare per elevationem ad ordinem supernaturalem. Quod confirmatur per alia verba S. Doctoris: « Peccatum diaboli non fuit in aliquo, quod pertinet ad « ordinem naturalem, sed secundum aliquid supernaturale ». Quas Aquinatis sententias adducere solent theologi Thomistae, qui, uti Billuart, existimant Angelos fuisse a Deo creatos impeccabiles naturaliter, « ita ut, si non fuissent elevati ad « ordinem supernaturalem, simpliciter non potuissent pec- « care » [2].

Sed haec sententia a pluribus reiicitur, et ipse S. Thomas in oppositum efficaciter potest adduci: « Nulli creaturae, ait,

[1] Denzinger, n. 600. — Cf. addenda mox in art. quarto.

[2] Hoc loco.

« communicatum est, nec communicabile fuit, quod peccare « non posset per conditionem naturae suae » [1]. Et: « Nulla « creatura nec est, nec esse potest, cuius liberum arbitrium « sit naturaliter confirmatum in bono, et hoc ei ex puris « naturalibus conveniat, quod peccare non possit » [2]. In hanc sententiam sane conspirant ultima verba *Corporis* huius articuli. Nec ideo S. Thomas sibi contradicit. Nam aliud est affirmare, de facto ex destinatione ad ordinem supernaturalem Angelos occasionem accepisse peccandi; aliud asserere, Angelos fuisse naturaliter impeccabiles. Quare putamus omnino tenendum esse, Angelos de facto non fuisse impeccabiles secundum merum ordinem naturae; imo nec tales a Deo creari potuisse [3]: idque non solum, uti volunt Durandus et Capreolus, ob relationem naturae ad ordinem supernaturalem, sed ob intrinsecam conditionem rationalis naturae creatae.

Hanc sententiam tueri censendi sunt Patres, quotiescumque absolutissimo modo Deo tribuunt soli, ut peccare non possit; iuxta illa Ambrosii: « Nihil peccare, solius Dei est » [4]; « Sine peccato nemo est, quia nemo sine peccato, nisi solus « Deus » [5]; et S. Hieronymi: « Solus Deus est, in quem pec- « catum non cadit: caetera, quum sint liberi arbitrii, in utram- « que possunt suam flectere voluntatem » [6]. - Expresse hanc sententiam propugnant, quum rationem peccabilitatis assignant ipsam conditionem creaturae, utpote ex nihilo factae. Ita S. Ambrosius ait: « Corruptelae et mortis, etiamsi non mo- « riatur, capax tamen est omnis creatura: nec ex immortali « natura habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus « ad vitia non mutet » [7]. Et disertius S. Gregorius M.: « Natura « angelica, etsi contemplationi Auctoris adhaerendo, in statu « suo immutabiliter permanet; eo ipso tamen quo creatura est, « in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet » [8]. Diser-

[1] II Sent. dist. XXIII, q. 1, a. 1.

[2] *De verit.* q. XXIV, art. 7; cf. *Ctr. gent.* III, c. 109.

[3] Hanc sententiam tuentur Scotus, Valentia, Suarez, Vasquez, et ex Thomistis, Bannezius, Cumel, Sylvius, etc., etc.

[4] Epist. 3.

[5] *De Spir. S.* l. III, c. 10.

[6] Epist. 146; cf. *Ctr. Iovin.* l. II, c. 3; et in cap. 6 epist. ad Galat.

[7] *De fine* l. III, c. 2.

[8] *Moral.* l. V, c. 27; cf. l. XXV, c. 5.

tissime S. Augustinus: « Ut natura sit, ex eo habet quod a « Deo facta est; ut autem ab eo, a quo facta est, deficiat, ex « hoc habet quod de nihilo facta est » [1]. Atqui impossibile est, Deum creare creaturam non ex nihilo; ergo impossibile est, Deum facere creaturam, quae ex se deficere non possit. Concordat S. Anselmus, qui in suo dialogo *cur Deus homo* affirmat, nonnisi Deum - Angelum et Deum - hominem potuisse tales esse, qui simul et « peccare non possent et de « iustitia sua laudandi essent » [2].

ARTICULUS II.

UTRUM IN ANGELIS POSSIT ESSE TANTUM PECCATUM SUPERBIAE ET INVIDIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam de ipsa natura disserendum est peccati in quod Angeli mali prolapsi sunt. In qua analysi procedendum est simul via negativa et positiva. Negativa, excludendo ab Angelo peccata, quae in eo ob nimiam excellentiam repugnant; positiva, inquirendo de illis, quae cum eius dignitate conciliantur.

2) Iam vero duo in Angeli naturali dignitate consideranda sunt, per quae recte perpensa excluduntur peccatorum species, quibus subiicitur homo, ut homo: spiritualitas et initialis perfectio intellectus et voluntatis.

a) Ratione purae spiritualitatis repugnat ut in Angelis fingantur ea peccata, in quae inclinatur homo, quia componitur ex anima et corpore. Unde si mundus iuxta Ioannem « concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et « superbia vitae » [3], « princeps huius mundi » non potuit subiici nec pravae voluptati, nec divitiarum cupidini. Urget sane in hominibus, quos tentat, carnis stimulos et avaritiae, unde et spiritus impurus et avarus iure nuncupatur; gaudet de peccatis luxuriae et avaritiae ab hominibus commissis; sed non quasi ipse horum vitiorum oblectamenta pateretur,

[1] *Ctr. Maxim.* l. III, c. 12. Haec verba fecit sua Concilium Florentinum in professione fidei superius citata.

[2] L. II, c. 10. *P. L.* CLVIII, 410.

[3] I. IOANN., II, 16.

neque post ruinam; quum in ruina rectitudinem quidem voluntatis, non autem naturae spiritualitatem amiserit [1].

Mirum inde non est, uti in Appendice fusius dicemus, illos Patres, qui de pura spiritualitate Angelorum dubitaverunt, Angelum lapsum per huiusmodi explicuisse peccatum, quod aliqualem compositionem ex materia et forma supponit, ac proin aliquod passionibus inferioribus suppeditat fundamentum.

b) Ratione initialis perfectionis angelicae repugnat, Angelos ex tali ignorantia aut voluntatis debilitate esse lapsos, quae huic perfectioni contradicit. Quo magis proin urgetur scientia ab initio Angelis indita, eo minus potest peccati ratio reperiri in Angelorum ignorantia. Aliqualiter tamen scientiae defectum et amoris debilitatem in daemonum peccatum influxisse, extra dubium est.

Adde absentiam cognitionis ipsius futuri lapsus, et imo damnationis ex lapsu, quemadmodum in Appendice de doctrina S. Anselmi penitius illustrabimus.

3) Si ergo positive quaerimus, quodnam potuerit esse Angelorum peccatum, reperimus, id non aliud potuisse esse radicaliter nisi superbiam, ac inde quoque invidiam, incredulitatem, imo et odium Dei. De quibus singulis pauca dicenda sunt.

a) Quum Angeli voluntas ferri non potuerit nisi in res spirituales per se bonas, ad beatitudinem suam conferentes, non potuit eas amplectendo peccare, nisi quia inordinate in eas ferebatur. Non potuit autem inordinate circa eas ferri, nisi contra ordinem a Deo de eis praestitutum. Hoc autem non potuit, nisi suam voluntatem huic ordini praeferendo; quod rursus non potuit, nisi per inordinatum affectum erga propriam excellentiam, seu φιλαυτίαν [2], in quo residet *superbia*.

Quid fuerit illud bonum, quod Angelus inordinate appetiit, data opera in articulo sequenti investigabitur.

b) *Invidiam* autem comitem esse superbiae, patet ex hoc ipso, quod provocatur per obiectum oppositum obiecto superbiae. Quum enim propria excellentia impediri videatur

[1] Cf. dicenda in Quaestione proxima.

[2] Hanc φιλαυτίαν egregie descripsit inter alios Gulielmus Parisiensis (*II. P. II. P. de Univ.*, c. 110).

per excellentiam alterius, ipse affectus qui circa propriam excellentiam nutrit superbiam, de excellentia alterius urget invidiam.

Haec autem invidia vix intelligitur in Angelis superioribus circa inferiores [1], sed in inferioribus circa superiores; imo in omnibus circa Christum eiusque Matrem, et circa homines ob nobilitatem singularem, quam Incarnatio erat humano generi collatura, iuxta verba Apostoli: « Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit » [2]. At hic caute distinguendum est inter invidiam, quae potuit esse causa peccati Angelorum, et quae est eiusdem peccati effectus. Causa potuit esse invidia provocata ex revelatione mysterii Incarnationis et praedestinationis Christi et Virginis Deiparae; effectus fuit odium, quo diabolus ab initio humanum genus appetiit, ne in amissam a se gloriam homo beatus intraret. De qua invidia ait Sapientia: « Invidia diaboli mors « introivit in orbem terrarum » [3].

Imo haec invidia potuit obiectum habere ipsum Deum, quatenus ex impio affectu propriae excellentiae daemones in Dei excellentiam rebellarunt. Unde huius rebellionis depulsor Michaël gloriosum nomen accepit: « Quis ut Deus! » Sed penitius de hoc aspectu in articulo sequenti agetur.

c) Quantopere autem invidia pariat *odium*, ex ipsa rei natura constat, et humani generis historiam docet. Ex invidia Cain in Abelem irrupit; ex invidia a fratribus venditus est Ioseph; ex invidia pontifices Christum tradiderunt [4]: unde Paulus homicidium immediate coniungit invidiae [5]. Nil mirum proin si Angeli per invidiam unico ictu pravi affectus usque in odium Dei proruperint; ita ut Deum non modo impetant odio quia ab eo damnantur, sed ab eo, quem proterve oderant, sint iuste damnati.

d) Adde superbiae, invidiae et odio *incredulitatem*. Sane si, iuxta ea quae superius vidimus, Angelis cum lumine supernaturali erat infusa fides, adhaesionem fidei, quum sit actus

[1] Dico vix, quia et ad illos potest nutriri invidia quaedam depulsiva, ex timore ne usque ad aequalitatem aut imo superioritatem exsurgant.

[2] Hebr. ii, 16.

[3] Sap. ii, 24.

[4] Matth. xxvii, 18.

[5] Rom. i, 29; Gal. v, 21.

imperatus a voluntate, potuit Angelus recusare. Ratio autem cur assensum recusaverit, in superbia radicetur oportet.

Neque obiicias verbum Scripturae: « Daemones credunt « et contremiscunt » [1]. Alia est agnitio veritatis, quam de Deo naturaliter percipiunt, vel triumphi, quem in Christo agnoscere coguntur, iuxta illud Pauli: « Donavit Deus illi « (Christo) nomen quod est super omne nomen; ut in nomine « Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium et infer- « norum » [2]; - alius, assensus fidei in veritates lumine gratiae introspectas quidem, at nondum in se visas.

4) Sed et alia peccata cum his quatuor peccatis esse connexa: uti furtum, ob laesum Dei dominium et honorem; sacrilegium, ob violatam rem sacram; ingratitudinem ob spreta Dei beneficia, etc., manifestum est. Quousque autem haec omnia peccata potuerint esse commissa simul, unico veluti instanti, inferius investigabimus.

5) Quoad peccatum Angelorum, inter sententiam S. Thomae et S. Bonaventurae circa conditionem in qua Angeli conditi sunt, hoc interest, quod si, uti probabilius esse tenebat Seraphicus, Angeli non sint conditi in gratia supernaturali gratum faciente, peccatum daemonum potuit esse ipsa recusatio gratiae ipsis oblatae; quatenus melius sibi complacuerunt in propria sua natura, quam in naturae elevatione ope gratiae divinae. Si autem, iuxta S. Thomam et communissimam nunc sententiam, Angeli conditi sunt in gratia, peccaverunt male utendo gratia initiali, eamque ita in seipsis destruendo.

6) Iam vero si inter se confers peccata superius enumerata, patet, haec ita se habere ad invicem, ut logice primum sit peccatum superbiae. Nam invidia nequit ut primum haberi, quia per negationem radicatur in opposito, quod et de odio pariter valet. Nec aliter dicendum est de infidelitate, cuius radix est sensus propriae excellentiae per superbiam nutritus.

Inordinatus porro amor sui, quo Angelus peccavit, radicem habuit hanc ipsam excellentiae propriae existimationem. Qui amor sui illum quoque stimulasse dicendus est appetitum,

[1] Iac. II, 19.
[2] Phil. II, 9, 10.

quem latiori sensu, Scotus luxuriam spiritualem nuncupavit. Unde dixit, peccatum Adami fuisse peccatum luxuriae [1]. Sed misso sensu latiori huius vocis, appetitus delectationis habendae de proprio bono, radicatur in appetitu proprii boni; unde, sicuti hic appetitus non potest esse inordinatus, nisi ex inordinata aestimatione sui, quae ex superbia nascitur; ita inordinatus appetitus delectationis de proprio bono non potest nisi causam habere superbiam [2].

7) Si autem quaeris, quaenam forma peccati expressior fuerit, superbia an invidia, existimo ita esse respondendum: si Angelus peccavit ante creationem mundi visibilis, et si revelatio mysterii Incarnationis non fuit occasio lapsus Angelorum, superbia fuit forma expressior peccati daemonum. Si autem Angelus lapsus est quando Deus hominem creavit eumque proposuit mundo visibili regem [3], potuit esse potius invidia, radicata tamen in superbia; maxime autem potuit esse invidia, ob revelatum mysterium Incarnationis et quidem invidia de Christo et de Caelorum Regina. Inde laus illa « Ave Maria » ore perseverantium Angelorum in coelo intonuit, antequam Angelus Incarnationis praeco Mariam salutando primaevum hymnum exsultans veluti denuo praecinuit. Inde et primam Evam serpens tam dire impugnavit.

Sed de hisce rebus contemplatu quidem iucundis at in divino mysterio absconsis, quis iudicium ferre praesumet?

8) Hucusque dicta considerant peccatum secundum affectum. Si autem secundum reatum perpenditur, negari nequit, in daemonibus esse reatum omnium peccatorum, quum ad omnia peccata homines inducant, et ex superbia et invidia apud homines omnia soleant peccata derivari.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat aliam rationem ob quam diabolus dicitur luxuria delectari.

2. Obi. Arguit secundum sensum improprium avaritiae, irae et acediae.

3. Obi. Arguit secundum continentiam peccatorum, non secundum eorum proprietatem.

[1] II Sent. dist. VI, q. 2, a. 2.

[2] Cf. Toletum egregie de hoc argumento disputantem (hoc loco).

[3] Haec sententia sat frequens est apud Patres. Cf. *Sed ctr. est.*

Sed contra est. Doctrina huius articuli validissime fulcitur testimoniis Scripturae et Patrum.

I) Ex Scripturis accipe testimonia sequentia: « Initium omnis « peccati est superbia » [1]. Quae sententia de Angelis dicta suadetur ex gradatione cum verbis praecedentibus: « Initium « superbiae hominis, apostatare a Deo » [2]. - Inde ad filium Tobias dixit: « Superbiam in tuo sensu aut in tuo verbo « nunquam dominari permitte: in ipsa enim initium sumpsit « omnis perditio » [3]. Et apud Iob diabolus describitur « rex « super omnes filios superbiae » [4]. - Hinc sub figuris regis Babylonis de diabolo dicitur apud Isaiam: « Quomodo ceci- « disti de caelo Lucifer,... qui dicebas in corde tuo, in caelum « conscendam, super astra exaltabo solium meum » [5]; et apud Ezechielem sub figura regis Tyri: « Elevatum est cor tuum « in robore tuo » [6].

Hinc S. Paulus ait, episcopum esse debere « non neophy- « tum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli »; hoc est, ne seductus superbia, idem iudicium incurrat, quo diabolus ob eamdem superbiam est damnatus [7].

II) De scriptoribus sacris, qui nimis materialiter peccatum daemonum intellexerunt in appendice dicemus. Modo satis sit afferre quasdam sententias Patrum cum doctrina superius exposita omnino consonas. 1) Eloquenter S. Chrysostomus: « Quid hac dementia scelestius? quid hac superbia « insanius? Bene inquit Sapiens: " Initium superbiae non « cognoscere Dominum ". Non esset e caelo eiectus, neque « in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere « coinquinasset. Hoc eum praecipitem dedit, hoc in gehen- « nam intrusit, hoc malorum omnium ac causa fuit » [8]. Et ante Chrysostomum Athanasius dixerat: « Non propter for- « nicationem, aut adulterium, aut furtum de caelo deiectus

[1] Eccli. x, 15.

[2] Ibid. 14.

[3] Tob. iv, 14.

[4] Iob. xli, 25.

[5] Is. xiv, 12, 13.

[6] Ezech. xxviii, 5, cf. 2.

[7] I Tim. iii, 6. — Hoc sensu ista verba Pauli iam olim interpretati sunt, inter alios, Theodoretus (in comment. ad hanc epist.) et S. Hieronymus (in cap. 16 Ezechielis).

[8] Homil. 15 in Ioann.

« est. Sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes prae-
« cipitavit » [1]. Consonat carmen Gregorii Nazianzeni:

> « *Ideo primus omnium Lucifer sublime elatus*
> *(Quippe magni Dei regium honorem*
> *Sperabat, decus habens excellens) perdidit splendorem,*
> *Et cecidit huc inhonorus* » [2].

Quam doctrinam apud Ioannem Damascenum his verbis idem formulavit: « Angelorum ex numero ille, qui seditio-
« nem facere ausus est, et supra dignitatem suam evehi, con
« tra omnipotentem Dominum ambitione elatus, ac supra
« nubes solium suum constituere cogitans, ut ferunt, poenas
« dedit superbia sua dignas, ad hoc damnatus, ut pro luce
« caligo fieret » [3]. Nec aliter Eusebius, Cyrillus, Theodoretus [4], etc.

Huic autem superbiae invidiam fuisse admixtam, inter alios affirmat Gregorius Nyssenus, qui putat, angelos malos invidisse homini, « quod ex subiecta sibi natura substantia
« quaedam esset condita, quae ad excellentis illius dignitatis
« similitudinem expressa foret » [5], scilicet ut visibili universo rex dominaretur. Consonat Anastasius Sinaita [6]. Nec aliter ipse Irenaeus: « Ex tunc, apostata est Angelus et inimicus,
« ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere
« aggressus est » [7].

2) Patres Latini eamdem exhibent doctrinam. S. Hieronymus vocat « superbiam proprium diaboli, primumque pec-
« catum » [8]; et alibi affirmat: « Iudicium et ruina diaboli,
« nullum dubium quin arrogantia sit » [9]. Pulchre Ambrosius, aut saltem auctor epistolae ad Demetriadem: « Haec super-
« bia a diabolo sumpsit exordium: qui, quoniam sua, quam
« a Creatore acceperat, potentia et dignitate sibi placuit,
« seque auctoris sui gloriae comparavit, cum iis Angelis,

[1] Orat. de Virgin.
[2] Arcan. 6.
[3] Orat. ad Monach.
[4] Cf. Petav. (loc. cit. n. 13, 15).
[5] Catech. c. 6.
[6] Cf. Petavium, (op. cit. l. iii, c. 2, n. 10.
[7] Lib. iv, c. 78.
[8] In cap. 16 Ezech.
[9] Epist. 83.

« quos in consensum suae traxerat, a caelesti sublimitate « deiectus est » [1]. Quod Prudentius his versibus in excessum abeuntibus cecinit:

« Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox, nimiis dum viribus auctus,
Inflatur; dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito iactantius ignes;
Persuasit propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nascique suum sine principe coeptum » [2].

Huic superbiae mox accidisse invidiam ob hominen conceptam, idem Prudentius inferius docet:

« Arsit enim scintilla odii de fomite zeli:
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile flatu
Concaluisse Dei: dominum quoque conditioni,
Qui cunctum proprio regeret moderamine mundum,
Impositum » [3].

Iam antea Tertullianus hanc diaboli invidiam ita descripserat: « Natales impatientiae in ipso diabolo deprehendo, iam « tunc cum Dominum Deum universa opera, quae fecisset, « imagini suae, id est homini, subiecisse impatienter tulit. « Nec eum doluisset, si sustinuisset: nec invidisset homini, « si non doluisset » [4]. Et S. Cyprianus, eamdem doctrinam mutuatus, ait: « Videamus unde zelus, et quando et quomodo « coeperit; facilius enim a nobis malum tam perniciosum « vitabitur, si eiusdem mali et origo et magnitudo monstre- « tur. Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit pri- « mus et perdidit. Ille dudum angelica maiestate subnixus, « ille Deo acceptus et carus, postquam hominem ad imagi- « nem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore pro- « rupit, non prius alterum deiiciens instinctu zeli, quam ipse « zelo ante deiectus.... Quale malum est, fratres dilectissimi, « quo Angelus cecidit, quo circumveniri alta illa et prae- « clara sublimitas potuit; quo deceptus est ipse, qui dece- « pit? » [5]. Nonne haec verba prae oculis habuisse dicendus

[1] Epist. ad Demetr.
[2] Hamartig. 167.
[3] Ibidem. Similia habet ALCIMUS AVITUS (lib. 2).
[4] *Lib. de patient.* c. 5.
[5] Libr. *De zelo et livore.* — Cf. S. AUG. lib. 4 *de bapt. ctr. Donat.*

est S. Benedictus, quando, de bono zelo monastico locuturus, ita est exorsus: « Sicut est zelus amaritudinis malus, qui « separat a Deo et ducit ad infernum; ita est zelus bonus, « qui separat a vitiis, et ducit ad Deum et ad vitam aeter- « nam? » [1]

Nec praetereunda hic sane curiosa quaedam consideratio Abbatis Sereni apud Cassianum. Hic enim gemini lapsus gradationem in diabolo intuens, per superbiam primo, dein per invidiam de homine ad gloriam a se amissam destinato, dicit, propter superbiam diabolum appellatum esse serpentem, propter invidiam autem durius esse deiectum in ima [2].

S. Augustinus multiplici testimonio praesentem doctrinam illustrat. Nonnisi superbiam et invidiam proprie haberi in daemone, ita affirmat: « Etsi enim diabolus fornicator vel « ebriosus, vel si quid aliud huiusmodi mali est, quod ad « carnis pertinet voluptates, non potest dici, cum sit etiam « talium peccatorum suasor et instigator occultus: est tamen « maxime superbus atque invidus » [3]. Quam superbiam ita describit: « Qui voluit ex se habere idipsum, ut quasi sibi « esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, et factus est « diabolus » [4]. « Malae voluntatis initium quod potuit esse, « nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. « Quid autem superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus? « Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus « inhaerere principio, sibi quodammodo fieri atque esse prin- « cipium. Hoc fit cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, « cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis pla- « cere debuit, quam ipse sibi » [5].

Et de invidia relate ad superbiam haec egregia habet: « Nonnulli dicunt, ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, « quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro haec « invidia sequitur superbiam, non praecedit. Non enim causa « insuperbiendi est invidentia, sed causa invidendi super-

[1] *Regul.* c. LXXII.
[2] Coll. 8 c. 10.
[3] *De civit. Dei.* l. XIV, c. 3.
[4] In ps. 121.
[5] *De civit. Dei.* l. XIV, c. 13.

« bia. Cum igitur superbia sit amor excellentiae propriae; « invidia vero sit odium felicitatis alienae, quid inde nascatur « satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam « suam, vel paribus invidet, quod ei coaequantur, vel infe- « rioribus, ne sibi coaequentur; vel superioribus quod eos non « coaequetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quis- « que superbus est. Merito initium omnis peccati Scriptura « definivit, dicens: " Initium omnis peccati superbia " » [1]. Et haec impraesentiarum de S. Augustino satis.

Presse utrumque vitium coarctavit S. Leo Magnus dicens: « Primum superbus, ut caderet; deinde invidus, ut noceret, « quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio » collocavit » [2]. Quae tamen verba invidiam describunt ex lapsu derivatam.

Superbiam, quae diabolum perdidit, Gregorius Magnus eloquenter descripsit, commentans vera Isaiae de rege Babylonis: « Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero « Altissimo. Cuius eo ipso similitudinem perdidit, quo esse « ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim cari- « tatem eius imitari debuit subditus, ambiit eius celsitudi- « nem, et hoc quod imitari poterat, amisit. Celsus nimirum « esset, si ei, qui veraciter celsus est, inhaerere voluisset. « Celsus esset, si participatione verae celsitudinis contentus « fuisset. Sed dum privatam celsitudinem superbe appetiit, « iure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui debuit « inhaerere principio, suum sibi appetiit quodammodo esse « principium. Relicto eo, qui vere ei sufficere poterat, se sibi « sufficere posse iudicavit; et tanto magis intra se cecidit, « quanto magis se contra gloriam sui Conditoris erexit » [3]. Digna sane Magni Gregorii doctrina.

De S. Anselmo dicemus in appendice articulo tertio adiecta, ubi et praecipua quaedam ex S. Bernardo afferemus.

Sed contra est. En doctrinam huius articuli schemate expressam.

[1] *De Gen. ad litt.* l. x, c. 14.

[2] Serm. 4 de Coll.

[4] *Moral.* l. xxiv, 17; cf. iv, 9, 13; xix, c. 1; *Pastor.* ii, 6. — Similia habent Fulgentius (*ad Monim.* i), et Paschasius Diaconus (*De Spir. S.* l. ii).

- In Angelis si consideratur
  - I) *reatus*, quem daemones incurrunt, — quum in omnia peccata impellant, omnia indirecte in eis sunt;
  - II) *affectus*, quo aguntur,
    - 1) non possunt peccare quoad ea, quae supponunt vitam corporalem:
      - *a*) non aguntur prava voluptate, licet in prava voluptate hominum delectentur,
      - *b*) nec aguntur passione,
      - *c*) nec retardantur acedia,
      - *d*) nec cupiunt acquirere bona materialia per avaritiam;
    - 2) sed vitam mere spiritualem, id est:
      - *a*) primario per *superbiam*, bonum propriae excellentiae inordinate appetendo;
      - *b*) consequenter per *invidiam*, dolendo de bonis, quae putant huic excellentiae contraria:
        - α) de perseverantia bonorum Angelorum,
        - β) de gloria hominum,
        - γ) de ipsa excellentia divina.

Placet huic doctrinae addere quaedam ex Alberto Magno et ex S. Bonaventura.

2) Albertus Magnus absolute affirmat, peccatum primum Angelorum fuisse superbiam: « Primum peccatum absolute « fuit superbia, quia appetitus dignitatis indebitus, proprie « vitium superbiae est » [1]. Investigaturus autem de re, quam diabolus peccando appetiit, incipit his verbis: « Dicendum « mihi videtur cum Augustino et Anselmo, quod appetiit id, « ad quod pervenisset, si stetisset »; ad plenam scilicet beatitudinis possessionem. Quod ita illustrat. Homo potius peccavit appetendo perfectum scire; Angelus autem perfectum posse. Non quidem quoad substantiam ipsius posse; sed quoad istud posse per se, et non ab alio; et quoad istud habere sine mora propriis viribus et non ex merito per gratiam et ad nutum superioris. Igitur quoad haec alia duo peccavit, non quoad primum, quod appetere, bonum erat. « Quoad duo, secundum « scilicet et tertium, extulit voluntatem suam et praetulit « voluntati divinae ». Unde concludit: « Et quoad hoc voluit « sapere contra Deum; et sic secundum aliquid voluit esse

[1] II Sent. Dist. v, a. 2.

« maior Deo vel aequalis » [1]. De quo in articulo proximo dicetur.

Sanctus Bonaventura in peccato diaboli considerat « triplicem statum, scilicet quantum ad inchoationem, consummationem et confirmationem. Peccatum diaboli initiatum est « in praesumptione: statim enim ut suam vidit pulchritudinem, « praesumpsit; consummatum est in ambitione, quia praesumens de se appetiit, quod omnino supra se fuit, et ad quod « pervenire non potuit; sed confirmatum est invidiae et odii « aversione, quia ex quo obtinere non potuit quod appetiit, « ideo invidere coepit, et affectu odii contraire. Et in hoc firmatus est, quia hoc omnino ipsum a Deo separavit et perfectum obstaculum posuit, sicut perfecta charitas perfecte « Deo iungit». Et concludit: « Concedendae ergo sunt rationes « primae, quod superbia fuerit primum peccatum; nam superbia praesumptionis et tumoris primum fuit generatione, « superbia ambitionis primum fuit in consummatione » [2].

Quaeres. - Peccatum superbiae quo diabolus lapsus est, estne etiam extendendum ad Angelos inferiores, quos in ruinam secum traxit?

Inferiores quoque Angelos per superbiam peccasse, affirmant theologi omnes. Non autem omnino conveniunt in modo hanc superbiam explicandi. Alii dicunt, eos superbia peccasse, consentiendo superbiae Luciferi. Sed quaenam ratio ipsos ad hunc consensum movisset, nisi superbia, qua ipsi erant inflati?

Unde cum S. Bonaventura melius dicitur, Angelos inferiores peccasse non solum superbiae Luciferi assentiendo, sed pari superbia excellentiam sibi inordinate appetendo.

APPENDIX.

De erroribus quorumdam Scriptorum sacrorum circa peccatum daemonum.

Quum non omnes scriptores primorum saeculorum de pura Angelorum spiritualitate nitidum conceptum habuerint,

[1] Ibid. a. 3.
[2] Ibid. a. 1, q. 1.

mirum nulli videri debet, nonnullos de lapsu daemonum errasse, explicando peccatum malorum Angelorum tali modo, qui puris spiritibus convenire non possit.

Huc spectat famosa illa interpretatio narrationis Geneseos VI, 1-4, de filiis Dei cum filiis hominum iniquo commercio congressis [1]. Etenim non pauci scriptores sacri tum Graeci tum Latini haec dicta intellexerunt de Angelis pulchritudine mulierum captis, et impia luxuria devictis. Pro verbo: « filii Dei » codices quidam habebant: « Angeli Dei » [2].

Iam hanc interpretationem adhibuerant Philo Iudaeus [3] et Iosephus [4], iuxta apocryphos libros Enoch et Iubilaeorum; quibus concordant et apocryphi libri Christiani: testamentum duodecim Patriarcharum et homiliae Clementinae [5].

Imprimis Iustinus sat miram habet Angelologiam. Angeli enim, iuxta eum, universo visilibi gubernando praemissi, mulierum illecebris allecti, in infidelitatem prolapsi sunt, atque ex iniquo cum illis commercio procrearunt daemones [6].

Parumper aliter Athenagoras. Angelo summo Deus Angelos inferiores commisit; a quibus aliqui cum mulieribus congressi, daemones ex eis procrearunt; ipseque Angelus supremus « neglectim se gerens, et in eorum, quae commissa « sibi erant, administratione improbe versatus est ». Cecidit igitur et ipse, sed non hoc voluptatis vitio. Quod discrimen inter lapsum diaboli et eiusdem Angelorum apud plures scriptores sacros recurrit [7].

Simili ratione Angelorum casum explicant Tatianus, Irenaeus, Methodius et Eusebius Caesariensis.

E Latinis Tertullianus ait, « Angelos esse illos desertores « Dei, amatores faeminarum, proditores etiam huius curiosi- « tatis, propterea quoque damnatos a Deo » [8]. Et alibi invehit in muliebria ornamenta, utpote inducta ab Angelis illis, « qui

[1] Cf. dicta superius, p. 485, sq.; — cf. TURMEL (op. cit.).

[2] Cf. AUGUST. *De civit. Dei,* l. XV, c. 32.

[3] *De gigant.*

[4] *Orig.* l. I, c. 4.

[5] Homil. 8, c. 12, 13.

[6] *Apolog.* 1.

[7] Inde non sufficit afferre textum, in quo scriptor quidem asserit, diabolum per superbiam decidisse, ut ille scriptor a praesenti errore eximatur. Quod iam optime monet Petavius (op. cit. l. III, c. 2, n. 7).

[8] *De idol.* c. 9.

« ad filias hominum de caelo ruerunt » [1]. Assentitur et Cyprianus [2].

Angelologia Lactantii multum mutuatur a Iustino et ab Athenagora, a quibus tamen non nihil differt. Diabolus est spiritus ille supremus, qui de bono malus effectus est et primos homines seduxit. Quum autem homines multiplicarentur, ne succumberent malitiae diaboli, Deus « misit An« gelos ad tutelam generis humani ». Sed ecce, decepti et ipsi, impuro amore mulieribus adhaeserunt, e quibus procrearunt daemones. « Ita duo genera daemonum sunt, unum caeleste, « alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum quae « geruntur, auctores » [3]. - S. Ambrosius regem David excusat, eo quod et ipsi Angeli per mulierum speciem fuere seducti [4]. Gigantes ait « ex Angelis et mulieribus generatos « asserere divinae Scripturae conditorem » [5]. Inde virgines opponit Angelis malis: « Quam praeclarum, Angelos prop« ter intemperantiam suam in saeculum cecidisse de caelo; « virginem propter castimoniam in caelum transiisse de sae« culo » [6]. - Hilarius refert fabulam libri Henoch, de monte Hermon: « Fertur... quod Angeli concupiscentes filias homi« num, cum de caelo descenderent, in hunc montem maxime « convenirent excelsum » [7]. Ipse tamen hanc fabulam non probat. Eamdem pariter refert Severus Sulpicius [8].

Tam vulgata erat tempore S. Augustini haec interpretatio capitis VI Geneseos, ut Doctor iste, moderamine sicuti acumine princeps, licet ipse, uti superius iam diximus, aliam omnino explicationem tenuerit, cum quadam tamen haesitatione moverit quaestionem quousque angeli iam lapsi huiusmodi passiones experiri possint; nam « Dei Angelos sanctos « nullo modo illo tempore sic labi potuisse », diserte proclamat [9].

[1] *De hab. muliebri* c. 2.

[2] *De disc. et hab. virg.*

[3] Lib. II, c. 8, 11, 14. — Duplex istud genus daemonum docebant et Iustinus et Athenagoras.

[4] *Apol. Dav.* 1, c. 1.

[5] Ibid. c. 4.

[6] *De virgin.* I.

[7] In ps. 132,

[8] Lib. I.

[9] *De Civ. Dei*, l. XV, c. 23.

Quidquid sit de sententia non paucorum scriptorum primaevae aetatis, iste error, nam error est manifestus, proveniens ex non sat percepta Angelorum spiritualitate, paulatim evanuit [1]. Imo dum adhuc apud quosdam erat in favore, alii Patres, primi nominis, eum iam fortiter depulerant: uti Origenes, S. Athanasius, S. Ephrem, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alex., S. Basilius Seleuc. Serenus Abbas haec habet apud Cassianum: « Nullo modo credendum est, spirituales naturas « coire cum faeminis carnaliter posse. Quod si aliquando hoc « secundum litteram fieri potuisset, quomodo id ipsum vel « non raro contingeret, et absque semine, vel coitu viri ali- « quos nasci similiter de mulieribus conceptu daemonum cer- « neremus; quas procul dubio per semetipsos exercere plus « quam per homines mallent, si illud ullo modo potuisset im- « pleri » [2].

Extra dubium est, impuras fabulas paganas de Silvanis, Canibus, Faunis, uti iam monebat Augustinus, seu de daemonibus, si non ab antiquiori illa fabula derivatae sunt, non parum contulisse, ut antiqui illi scriptores facilius errorem similem hac in re tenuerint. Qui error, gravior sane est, si Angelorum lapsus per commercium cum mulieribus explicatur; minus gravis si lapsis Angelis tribuitur. Tolerabilis autem est, uti vidimus, opinio, quae tenet, gigantes illos Nephilim, diabolica quidem opera, non autem per commercium verum, sed per fraudem esse procreatos [3].

Et haec satis de hoc argumento, in quo progressio scientiae theologicae manifesta apparet.

Claudamus ergo hanc appendicem verbis S. Athanasii: « Satanas non propter fornicationem, aut adulterium, aut « furtum de caelo deiectus est: sed superbia ipsum in infe- « riores abyssi partes praecipitavit » [4].

Quousque ignorantia in Angelorum casu sit ponenda, investigabimus in appendice de mente S. Anselmi.

[1] Patroni huius sententiae arguere quoque solebant ex I Cor. xi, 10.
[2] Collat., 8.
[3] Hanc sententiam vidimus, tenuisse Debrionem, Cardanum et Caietanum.
[4] Orat. de Virgin.

ARTICULUS III.

UTRUM DIABOLUS APPETIERIT ESSE UT DEUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Appetere esse ut Deum, intelligi potest multipliciter: *a*) positive, vel exclusive; *b*) absolute, vel relative; *c*) explicite, vel implicite. De singulis acceptionibus pauca sint.

2) *Exclusive* appetere esse ut Deum, est ita appetere dignitatem divinam, ut Deus excludatur sive negetur. « Dixit « impius in corde suo: non est Deus ». Quod impium desiderium est veluti culmen malitiae, qua homo de se inflatus substituit se ipsi Deo, quem negat. Haec autem impietas supponit ignorantiam, quae in Angelis repugnat. Quare impossibile est, daemones ideo cecidisse, quia hoc sensu appetierunt esse uti dii.

Positive igitur id aliqualiter appetierunt, aspirando ad aliquam perfectionem, quae est Dei, vel tribuendo sibi aliquid, nonnisi Dei proprium.

3) *Absolute* autem id appetere non potuerunt, id est, tali modo, ut aequales omnino fieri Deo cupierint. Etenim hoc rursus supponit ignorantiam nimiam; imo involvit talem contradictionem, ut rationem offendat magis quam primus excessus modo depulsus; unde nec homo, qui Deum admittit, potest cupere absolute aequare Deum.

Relative ergo dumtaxat Angeli appetiverunt fieri uti Deus, uti mox illustrabimus, similitudinem dumtaxat, non veram aequalitatem cum Deo inordinate appetentes.

4) *Explicite* esse appetere uti Deum, repugnat, si intelligatur de appetitu aequalitatis absolutae, propter rationem modo allatam. Non autem repugnat appetitus aequalitatis implicitae. Imo *implicite* potest appeti aequalitas non modo relativa - quae, ordinate intenta nec explicite est damnanda, - sed et absoluta.

5) Si iam quaeris, in quanam re ponendus sit iste appetitus aequalitatis cum Deo, quem insecutus Angelus graviter a Deo recessit, non uno modo potest illustrari. *a*) Voluit Angelus aequari Deo in potentia, volendo esse independens

ab eo, regulam sui sequendo propriam voluntatem. - *b*) Voluit aequari Deo, impatienter ambiendo supernaturalem cum Deo similitudinem in visione Dei explicandam. - *c*) Voluit aequari Deo, complacendo in semetipso quasi sibimetipsi fine. - *d*) Voluit aequari Deo, appetendo libertatem filii prae subiectione servi [1]. - *e*) Voluit aequari Deo, disputando Creatori gubernium mundi visibilis tanquam sibi debitum. - *f*) Adde rationem specialem pro Lucifero, qui voluit aequari Deo attrahendo ad se laudem et admirationem Angelorum sibi inferiorum, in eosque dominium exercendo. - *g*) Imo forte ambivit pro se dignitatem unionis hypostaticae [2].

Ex omnibus his rationibus prima est certissima. Quae, uti optime monet S. Anselmus, non solum continet usurpationem aequalitatis, sed et superioritatis, quum Angelus vel homo, dum propriam voluntatem praefert voluntati Dei, implicite appetit divinam voluntatem propriae suae voluntati subordinare.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter appetitum aequalitatis et similitudinis.

2. Obi. Non distinguit inter appetitum similitudinis ordinatum et inordinatum.

3. Obi. Eodem vitio laborat ac prima.

Sed contra est. Locum hunc Isaiae afferunt passim theologi ad impiam diaboli superbiam demonstrandam [3]. Huc spectant et verba, quibus S. Paulus describit venturum filium perditionis: « qui adversatur et extollitur supra omne quod « dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat « ostendens se tanquam sit Deus » [4]. Et sane, cur daemones tam proterve homines ad se adorandos inducunt, nisi per obstinationem in illa superbia, qua in Deum ipsi rebellarunt? Unde S. Isidorus ex his Apostoli verbis ait: « Diabolus vero « non solum hoc contentus, quod se Deo aequalem existi- « mans cecidit, insuper etiam superiorem Deo se fecit » [5].

[1] Hanc rationem affert Gulielmus Parisiensis, (*De Univ.*, I, p. 2, c. 99, seq.).

[2] Hanc rationem praefert Suarezius (*De Ang.* l. VII), eamque probat Scheeben, (op. cit. § 193), adducens in confirmationem I Thess., II, 4.

[3] Cf. Hugonem Victorinum (*Sum. Sent.* tract. II, c. 4); Lombardum (II Sent. dist. 6).

[4] II Thess. II, 4.

[5] *De summo bono*, l. I, c. 12

Non semper aeque caute scriptores sacri hunc appetitum aequalitatis explicant[1]. Ita S. Cyrillus dicit: « Falsa opinione « persuasit sibi, posse creaturam ad naturam sui creatoris « ascendere; et in eodem throno sessuram cum universi rec- « tore Deo »[2]. Superius audivimus Prudentium, - cui adstipulatur et Alcimus Avitus, - Luciferi superbiam ita urgentem, quasi angelis inferioribus persuadere voluerit, se esse sui ipsius auctorem[3].

Melius longe Augustinus: « Si perverse voluerit imitari « Deum, ut, quomodo Deus non habet a quo formetur, non « habet a quo regatur; sic ipse velit sua potestate uti; ut « quomodo Deus nullo formante, nullo regente vivat; quid « restat, fratres, nisi ut recedens ab eius calore torpescat, « recedens a veritate vanescat, recedens ab eo, qui summe « atque incomparabiliter est, in deterius mutatus deficiat? « Hoc diabolus fecit: imitari Deum voluit; sed perverse: non « esse sub illius potestate; sed habere contra illum pote- « statem »[4].

Nec omittenda quae Honorius Augustodunensis de Lucifero ait: « Cum viderit se omnes Angelorum ordines gloria « et decore praecellere, spretis omnibus, voluit Deo aequalis, « imo maior existere.... Meliorem statum, quem ei Deus de- « disset, voluit Deo invito arripere, et aliis per tyrannidem « imperare »[5].

Quam pulchre eamdem doctrinam sub duplici respectu dogmatico et mystico illustrent S. Anselmus et S. Bernardus, in appendice exponemus.

[1] Vide plures Patrum scriptorumque sententias ordine collectas apud Cl. PALMIERI, qui bene claudit his verbis: « Caeterum in dubiis prudenter quisque eligat « quod sibi magis arridet; haec enim proposita a nobis sunt, non ut aliquid defini- « remus, sed potius ut aperto ante oculos campo, acueremus appetitum ingrediendi, « et expatiandi in illo » (op. cit. th. LX, h. 5).

[2] In IOANN. I, v.

[3] Similiter Rupertus ait: « Non sufficit ei tanta largitas creatoris; nisi idem « diceretur, vel existimaretur de ipso, quod de Deo, nisi adoraretur ab Angelis ut « Deus, nisi praedicaretur et ipse increatus. Negavit quippe Deum esse creatorem « suum, et dixit se esse Deum » (*De Victor. Verbi*, l. I).

[4] In ps. LXX.

[5] *Elucid.*

In corpore. En schema doctrinae:

- Diabolus appetiit esse ut Deus,
  - 1) *non* quidem *per aequalitatem*, id enim
    - 1) quod essentiam entis superioris repugnat:
      - *a*) adversatur naturali desiderio cuiusvis entis;
      - *b*) Angelus nequit appetere dignitatem superioris Angeli; quanto minus Dei, quum in Angelo nec ignorantia esset, nec passio, nec habitus malus,
    - 2) quoad accidentalia repugnat
      - *a*) non quidem in se,
      - *b*) sed in casu, quum nihil sit huiusmodi relate ad Deum.
  - II) sed *per assimilationem* (quod confirmatur per Scripturas et auctoritates Patrum):
    - 1) non in his, quibus potest creatura fieri similis Deo:
      - *a*) haec appetere, bonum est,
      - *b*) modo fiat cum ordine ad Deum;
    - 2) sed in his, in quibus creatura non potest Deo assimilari:
      - *a*) appetendo non quidem simpliciter subesse nulli: esset seipsum destruere;
      - *b*) sed propriis viribus appetendo finem ultimum:
        - α) sive stando in beatitudine naturali,
        - β) sive appetendo propria virtute beatitudinem supernaturalem.

S. Bonaventura, praemissa gemina distinctione inter similitudinem aequalitatis et imitationis, necnon inter appetitum ordinatum et inordinatum, haec scribit: « Diabolus quodam « modo appetiit similitudinem imitationis, quodam modo ae- « qualitatis. Et hoc apparet, si attendatur appetibile et modus « appetendi. Diabolus enim appetiit aliis praeesse; hoc fuit « imitationis, et hoc quidem aliquando obtinuisset, si stetis- « set. Quod autem propria auctoritate, ita quod sine meritis « et sine datore, et ita quod nulli subesset: hoc est solius « Dei, et hoc est aequiparantiae » [1].

Vides, plus concedere Seraphicum de appetitu aequalitatis, quam Angelicum.

[1] II Sent. dist. v, a. 1. q. 2. — Et alibi breviter dixit: « Primus Lucifer inter « Angelos praesumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis « superferri; et ideo cecidit consentientibus sibi », (*Brevil.* c. 6).

APPENDIX

De mente S. Anselmi et S. Bernardi.

I. Placet audire S. Anselmum de praesenti argumento subtiliter disputantem in celebri dialogo *de casu diaboli.*

In exordio disputationis Anselmus totus est in conciliandis his duabus propositionibus: Angelos bonos in iustitia perseverasse, quia donum perseverantiae a Deo acceperunt; malos autem non ideo non perseverasse, quia perseverantiam non acceperunt; sed ideo non habuisse, quia eam accipere noluerunt. « Quapropter non ideo non habuit bonam voluntatem « perseverantem, aut non accepit, quia Deus non dedit; sed « ideo Deus non dedit, quia ille volendo quod non debuit, « eam deseruit, et eam deserendo non tenuit » [1].

Quo posito, en quomodo S. Doctor ostendit, peccatum Angelorum nullum aliud esse potuisse, quam inordinatum modum in appetendo bonum nondum possessum.

« - *Mag.* Dubitas adhuc diabolum non ideo voluisse dese- « rere quod habebat, quia non voluit tenere; sed ideo non « voluisse tenere, quia voluit deserere? - *Disc.* Non dubito « sic esse posse; sed nondum fecisti me certum sic esse. « Prius ergo ostende, quid voluit habere quod non habebat, « ut vellet deserere quod tenebat, sicut in avaro monstrasti. « Deinde si nihil contradici poterit ita esse, me non dubitare « fatebor. - *Mag.* Peccasse illum non dubitas; quoniam a « iusto Deo non potuit iniuste damnari; sed quaeris quomodo « peccavit. - *Disc.* Ita est. - *Mag.* Si iustititiam perseveran- « ter servasset, non peccasset unquam, nec miser esset. - « *Disc.* Ita credimus. - *Mag.* Iustitiam vero nullus servat, nisi « volendo quod debet; neque deserit, nisi volendo quod non « debet. - *Disc.* Nulli dubium. - *Mag.* Volendo aliquid igitur, « quod velle tunc non debebat, deseruit iustitiam; et sic pec- « cavit. - *Disc.* Ita sequitur. Sed quaero quid aliud voluit, « quam quod habebat. - *Mag.* Quidquid habebat, debebat velle. « - *Disc.* Debebat vere velle quod a Deo acceperat; nec hoc

[1] *De Cas. diab.* c. 3. — *P. L.* CLVIII, 332.

« volendo peccavit. - *Mag.* Voluit igitur aliquid, quod non « habebat, nec tunc velle debebat, sicut Eva similis voluit « esse diis, prius quam Deus hoc vellet. - *Disc.* Nec hoc ita « sequi, negare queo. - *Mag.* Nihil autem velle poterat nisi « iustitiam, aut commodum: ex commodis enim constat bea- « titudo, quam vult omnis rationalis natura. - *Disc.* In nobis « possumus hoc cognoscere, qui nihil volumus, nisi quod « iustum aut commodum putamus. - *Mag.* Iustitiam vero « volendo, peccare non potuit. - *Disc.* Verum est. - *Mag.* Pec- « cavit ergo volendo aliquod commodum quod nec habebat, « nec tunc velle debuit, quod tamen ad augmentum beati- « tudinis esse illi poterat[1]. - *Disc.* Palam est quoniam aliter « non potuit. - *Mag.* Cernis, ut puto, quia plus aliquid quam « acceperat, inordinate volendo, voluntatem suam extra iusti- « tiam extendit. - *Disc.* Aperte nunc video quia peccavit, et » volendo quod non debuit, et non volendo quod debuit: et « palam est quia non ideo voluit plus quam debuit, quia « noluit tenere iustitiam; sed ideo iustitiam non tenuit, quia « aliud voluit, quod volendo, illam deseruit.... - *Mag.* At cum « hoc voluit, quod Deus illum velle nolebat, voluit inordi- « nate similis esse Deo »[2].

Quam ultimam propositionem S. Anselmus iam penitius illustraturus, obiicit primo sibi difficultatem ex ipsa Angelorum scientia: « *Disc.* Si Deus cogitari non potest nisi ita « solus, ut nihil illi simile cogitari possit, quomodo potuit dia- « bolus velle, quod non potuit cogitare? Non enim ita obtusae « mentis erat, ut nihil aliud simile Deo cogitari posse nesci- « ret »[3]. Cui obiectioni pulcherrime respondet: « *Mag.* Etiamsi « noluit omnino par esse Deo, sed aliquid minus Deo, contra « voluntatem Dei, hoc ipso voluit inordinate similis esse Deo, « quia propria voluntate, quae nulli subdita fuit, voluit ali- « quid. Solius enim Dei esse debet, sic voluntate propria velle « aliquid, ut superiorem non sequatur voluntatem. - *Disc.* Ita « est. - *Mag.* Non solum autem voluit esse aequalis Deo, quia « praesumpsit habere propriam voluntatem; sed etiam maior

[1] Hic sane saltus argumentationis est, nisi prae oculis habeatur Angeli perfectio originalis, quae non sinebat illum aliquid velle, quod in se non esset bonum.

[2] Ibid. 332.

[3] Ibid.

« voluit esse, volendo quod Deus illum velle nolebat, quo-
« niam voluntatem suam supra voluntatem Dei posuit. -
« *Disc.* Satis liquet ».

Et concludit: « *Mag.* Iam igitur tibi manifestum esse
« puto ex rationibus suprapositis, diabolum sponte dimisisse
« velle quod debebat, et iuste amisisse quod habebat; quia
« sponte et iuste voluit, quod non habebat, et velle non debe-
« bat. - *Disc.* Nihil puto manifestius » [1].

Et demonstrata libertate arbitrii, in qua Angeli omnes ab initio conditi sunt, S. Anselmus concludit optime, ordinationem suae voluntatis iuxta ordinem bonorum a Deo de ipsis volitum, firmasse Angelos bonos in beatitudine; inordinationem autem alios ab eadem exclusisse: « Illi itaque Angeli,
« qui magis voluerunt iustitiam quam habebant, quam illud
« plus quod non habebant, bonum quod quasi propter iusti-
« tiam, quantum ad voluntatem pertinuit, perdiderunt, iusti-
« tia retribuente, acceperunt, et de illo, quod habebant, in
« vera securitate permanserunt. Quapropter adeo sunt pro-
« vecti, ut sint adepti quidquid potuerunt velle; nec iam
« videant quid plus velle possint: et propter hoc peccare
« nequeunt [2]. Illi vero Angeli qui maluerunt illud plus, quod
« nondum Deus illis dare volebat, quam stare in iustitia, in
« qua facti erant, eadem iustitia iudicante, et illud propter
« quod illam contempserunt, nequaquam obtinuerunt; et quod
« tenebant bonum amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli,
« ut adhaerentes iustitiae nullum velle bonum possint, quo
« non gaudeant; et deserentes illam, nullum velle queant,
« quo non careant » [3].

Quaerens autem de ratione malae voluntatis, quae Angelos a Deo conditos bonos fecit malos, S. Anselmus egregio discursu eam reperit unice in usu liberi arbitrii, quo Deus Angelos donavit: « *Disc.* Quaero igitur unde primum venit
« malum, quod dicitur iniustitia, sive peccatum in Angelum,
« qui factus est iustus? - *Mag.* Dic tu mihi unde venit nihil
« in aliquid. - *Disc.* Nihil nec venit, nec recedit. - *Mag.* Cur

[1] *De casu diaboli.* c. 4. — *P. L.* CLVIII, 333.

[2] Non solum propter hoc peccare nequeunt; sed maxime quia fontem omnium bonorum intuentur.

[3] *De casu diaboli* c. 5. — *P. L.* CLVIII, 334.

« ergo quaeris unde venit iniustitia, quae nihil est? - *Disc.* Quia « quando iustitia recedit inde ubi erat, dicimus accedere iniu- « stitiam. - *Mag.* Dic ergo quod magis proprie et apertius « dicitur; et quaere de abscessu iustitiae. Siquidem saepe « apta interrogatio expedit responsionem, et inepta reddit « impeditiorem. - *Disc.* Cur ergo recessit ab Angelo iusto « iustitia? - *Mag.* Si proprie vis loqui, non recessit ab eo; sed « ipse deseruit eam volendo quod non debuit. - *Disc.* Cur « deseruit eam? - *Mag.* Cum dico quia volendo quod non « debuit, eam deseruit, aperte ostendo cur et quomodo illam « deseruit. Nam ideo illam deseruit, quia voluit quod velle « non debuit; et hoc modo id volendo, quod non debuit, illam « deseruit. - *Disc.* Cur voluit quod non debuit? - *Mag.* Nulla « causa praecessit hanc voluntatem, nisi quia velle potuit. - « *Disc.* An ideo voluit quia potuit? - *Mag.* Non; quia similiter « potuit bonus Angelus velle; nec tamen voluit. Nam nullus « vult, quod velle potest, ideo quia potest. - *Disc.* Cur ergo « voluit? - *Mag.* Nonnisi quia voluit. Nam haec voluntas nul- « lam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut « attraheretur; sed ipsa sibi efficiens causa fuit, si dici potest, « et effectus » [3].

Quae ultima verba, sane profundissima, confirmant egregie doctrinam in articulo primo positam de bonitate Angelorum, quos Deus defectibiles creavit; imo de entitativa bonitate Angelorum in ipso usu, quin et abusu boni liberi arbitrii.

Quum autem de mente S. Anselmi sermonem habeamus, placet et investigare, quid cogitaverit de ignorantia Angelorum circa proprium casum et damnationem inde secuturam.

Angelos non potuisse praevidere casum suum, Anselmus triplici argumento demonstrat: 1) ex libera futuritione sui casus, 2) ex praesenti affectu ad hunc casum futurum, 3) ex indole huius praevisionis.

1) Primum argumentum ita evolvit: « *Mag.* Cum quaeris, « utrum ille Angelus, qui non stetit in veritate, praesciverit « se esse casurum, discernendum est, de qua scientia dicas. « Nam si de illa scientia quaeritur, quae non est, nisi cum

[3] Ibidem. c. 27. — 359, 360.

« certa ratione aliquid intelligitur, omnino respondeo, non « posse sciri quod potest non esse. Quod enim non esse « potest, nequaquam certa potest colligi ratione. Quapropter « constat illum nullatenus potuisse praescire casum suum, « quem necesse non erat esse futurum. Ponamus enim non « fuisse futurum casum illum; an itaque putas praescire po- « tuisse, si futurus non erat? ». Egregia sane argumentatio praescisione facta a praescientia divina; ad quam quidem discipulus insistens appellat; sed Anselmus uno verbo instantiam depellit: « Praescientia Dei non proprie dicitur prae- « scientia: cui enim omnia semper sunt praesentia, non habet « futurorum praescientiam, sed praesentium scientiam » [1].

2) Alteram rationem ita exponit: « *Mag*. Si adhuc in bona « voluntate stans praesciebat se casurum, aut volebat ut ita « fieret, aut non volebat. - *Disc*. Unum horum necesse est « verum esse. - *Mag*. Sed si cum praescientia voluntatem « habebat aliquando cadendi, iam ipsa mala voluntate ceci- « derat. - *Disc*. Patet quod dicis. - *Mag*. Non itaque volendo « cadere, prius scivit se casurum, quam cecidit. - *Disc*. Non « potest aliquid obiici conclusioni tuae. - *Mag*. At si prae- « sciebat se casurum, et nolebat, tantum miser erat dolendo, « quantum stare volebat. - *Disc*. Negari non potest. - *Mag*. At « tanto iustior erat, quanto magis volebat stare, et quo erat « iustior, eo debebat esse felicior. - *Disc*. Non potest negari. - *Mag*. Ergo si nolendo praesciebat se casurum, tanto erat « miserior, quanto debebat esse felicior: quod non conve- « nit » [2]. Egregium sane exemplar ingeniosi dilemmatis.

3) Tertiam quoque rationem Anselmus subtili dilemmate illustrat: « Est et aliud quod mihi satis videtur ostendere, « nullo modo eum suam ante putavisse futuram praevarica- « tionem. Nempe aut coactam putasset aut spontaneam. Sed « nec ullatenus erat unde se aliquando cogi suspicaretur; « nec quamdiu voluit et in veritate perseverare, ullo modo « putare potuit se sola voluntate illam deserturum. Supra nam- « que iam monstratum est, eum, quamdiu rectam voluntatem « habuit, in hac ipsa voluntate voluisse perseverare. Qua- « propter volendo tenere perseveranter, quod tenebat, nullo

[1] Op. cit. c. 21. *P. L.* CLVIII, 352, sq.

[2] Ibid. 354.

« modo video unde potuisset vel suspicari, nulla alia ante-
« cedente causa, sola se illud deserturum voluntate » [1].

Sane negari nequit, in his tribus argumentis magnam haberi virtutem. Quaeri tamen potest, utrum eo usque valeant, ut impossibilem quoque reddant praescientiam proprii casus ab Angelo acceptam per Dei revelationem. Prima ratio manifesto perit, accedente revelatione, quae non est nisi participatio praescientiae divinae. At de duabus aliis subtilis valde remanet quaestio, quam tamen penitius investigare, nec spatium sinit nec otium.

Reiecta praescientia proprii casus, Anselmus demonstrat, Angelos ignorare non potuisse, sibi non licere velle quod volendo recederent a iustitia, et hoc volendo dignos se fieri damnationis [2]. At non ideo scire debuerunt, se re vera fore damnandos. Potuerunt enim de propria excellentia praesumere, sibi blandiri, sperantes, Deum parciturum. Quin imo haec praescientia fuisset undequaque nociva, quum peccati culpam reddidisset maiorem [3] et meritum perseverantiae minuisset [4]. Unde nec in Angelis bonis ponenda est praescientia damnationis culpam secuturae, ne non unice ob iustitiae amorem, sed insuper ob punitionis timorem perseverassent. At post damnationem angelorum malorum, sicuti scientia propriae damnationis est in opprobrium daemonibus, ita cognitio poenae in eos inflictae est in laudem Angelorum, etsi duplicat in eis beatam perseverandi necessitatem [5].

[1] Ibid.

[2] Ibid. c. 22. Col. 355.

[3] Haec consideratio sane debilior est.

[4] Ibid. 23, c. 24, col. 355, sqq.

[5] Caute legendus est modus, quo S. Anselmus hanc considerationem evolvit; nec inhonesta, iuxta S. Doctorem, est ratio timoris, quae homines in via iustitiae tenet, ne, ab ea recedentes, in poenas incidant. Quae sane ratio tum solum inhonesta est, si tantopere sit unica, ut quasi involvat affectum ad peccatum, utpote a quo nonnisi ob poenae timorem abstineatur. Caute pariter legenda est consideratio, quam S. Anselmus evolvit in capite 5º eiusdem libri, ubi demonstrat, Angelos bonos ante casum malorum Angelorum peccare potuisse. Secus enim, ait, si mali stetissent, meliores fuissent bonis, et homines sancti pariter meliores Angelis essent habendi. Etenim, « si peccare non potuerunt, non magis meruerunt gratiam a Deo, quia ste-
« terunt, aliis cadentibus, quam quia servaverunt rationalitatem, quam perdere
« nequiverunt ». Haec, inquam, caute legenda sunt; nam possibilitas peccandi non est meriti conditio sine qua non; et certe non pertinet absolute ad excellentiam subiecti.

II. Hisce considerationibus ex Sancto Anselmo depromptis iuvat addere quaedam, indolis magis asceticae, sed et simul imo profunde doctrinalis, ex Sancto Bernardo.

Imprimis audi quam eloquenter in opere de duodecim gradibus superbiae, Luciferum appellans, superbiam eius et praesumptionem describit: « Sed et tu, signaculum similitu-
« dinis, non in paradiso, sed in deliciis paradisi Dei positus
« es. Quid amplius quaerere debes? Plenus ergo sapientia
« et perfectus decore, altiora te ne quaesieris, et fortiora te
« ne scrutatus fueris. Sta in te, ne cadas in te, si ambulas in
« magnis et mirabilibus super te. Sed quid interim ex obli-
« quo intendis ad aquilonem? Iam te video, iam te perspicio
« nescio quae supra te curiosius alta rimantem. " Ponam,
« inquis, sedem meam ad aquilonem ". Caeteris instantibus
« caelicolis dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam,
« totius caelestis patriae pacem, ipsius, quantum in te est,
« quietem Trinitatis infestas. Quo te tua, miser, curiositas
« ducit, et praesumptione singulari non dubites civibus scan-
« dalum, iniuriam facere regi? Millia millium ministrant ei,
« et decies centena millia assistunt ei: ubi nemo sedere perhi-
« betur, nisi solus is, qui sedet super Cherubin, cui a caeteris
« ministratur: et tu nescio quae prae caeteris perspiciendo
« differentius, curiosius inquirendo, irreverentius persua-
« dendo, sedem tibi collocas in caelo, ut sis similis Altis-
« simo? ».

Huic Luciferi insanae superbiae iam adiunctam praesumptionem pulchre ostendit: « Quo fine? Qua fiducia? Metiri inci-
« piens vires, pensa finem, excogita modum. Sciente hoc
« Altissimo praesumis, an insciente? Volente an non volente?
« Sed quomodo malum quodcumque machinaris, aut velle
« aut ignorare potest, cuius optima voluntas, cuius perfecta
« scientia est? Numquid autem et scire et velle non dubitas,
« sed non posse resistere putas? At vero nisi te conditum
« esse dubitaveris, dubitare te non crediderim de omnipo-
« tentia, sive de omnimoda scientia ac bonitate conditoris,
« qui te de nihilo potuit, talem scivit, tantum condere voluit.
« Quomodo ergo Deum consentire exstimas, quod fieri nolit
« ac refellere possit? An forte in te video compleri, imo a te
« initiari, quod post te et per te a tui similibus in terris fre-

« quentatum solet vulgariter dici: Privatus dominus temera-
« rios nutrit? An oculus tuus nequam, quia ille bonus? De
« cuius bonitate dum fiduciam nefariam sumis, factus es et
« contra scientiam imprudens, et contra potentiam audax.
« Hoc est enim, o impie, hoc est quod cogitas: haec est ini-
« quitas quam meditaris in cubili tuo, et dicis: Putas creator
« opus suum destruet? » [1].

Et alibi inducit SS. Trinitatem contra diaboli superbiam testimonium afferentem: « Angelis siquidem, qui in prima illa
« praevaricatione, superbiente Lucifero, in veritate steterunt,
« merito testimonium perhibet visio Trinitatis; hominibus,
« quos divina miseratio salvat, Spiritus, Aqua, et Sanguis.
« Quidni perhibeat testimonium Pater, a quibus honoratus
« est ut Pater? Tibi vero, maligne, sic loquitur: " Si ergo
« ego pater, ubi est honor meus? " [2]. Careas omnino necesse
« est testimonio Patris, cuius tibi gloriam usurpare conaris,
« non honorare eum cupiens, sed aequare. " Sedebo, inquit,
« in monte testamenti et similis ero Altissimo " [3]. Itane modo
« creatus, Patri spirituum considebis? Et certe necdum tibi
« dicit: " Sede a dextris meis " [4]. Si nescis, o impudens, Uni-
« genitus ille est, cui aeterna generatione Patris aequalitas
« collata est et consessus. Tu rapinam cogitans esse aequalis
« Deo, Filio gloriam invides, gloriam quasi Unigeniti a Patre,
« ut ne ab ipso quidem testimonium merearis habere. An
« vero poterit detestato a Patre et Filio, utriusque Spiritus
« attestari? Abominatur superbum profecto et inquietum,
« qui super quietum et humilem requiescit, amator pacis, et
« unitatis consecrator, adversum te pro pace et unitate zela-
« tur » [5].

Ex daemonis superbia S. Bernardus pluries occasionem accipit, ut homini quam maxime ab hoc vitio cavendum moneat.
« Quid enim putas, indifferenter admittet homines in illud
« tantae beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos
« indifferenter reliquit in eo? Aut non discernet inter glebas,

[1] Op. cit. c. 11.
[2] Mal. 1.
[3] Is. xiv.
[4] Ps. cix, 1. — Recole modo expositam sententiam Suarezii.
[5] In oct. pasch. serm. 2.

« qui discrevit inter stellas? Examinabit certe argentum, qui « ipsum quoque aurum probavit et reprobavit. Qualem ergo « putas necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum « Angeli sortiatur? Plane immunem ab omni iniquitate, sed « ab ea maxime, quae in ipso quoque Angelo non ad levem « offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad « odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud, « concussit muros, etiam prostravit ex parte, et parte non « modica. Quid ergo? Facilene deinceps admittenda videtur? « Numquid non odit civitas illa, et vehementer huiusmodi « pestem abominatur? Certi estote, Fratres, eum qui superbis « non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non est « contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor, similia « sunt iudicia eius. Sola ei placet humilitas sive in Angelo, « sive in homine: et qui sedet in throno, solos eligit subdi- « tos, e quibus repleat templum. Scriptum quippe est: " Quis « sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia « respicit in coelo et in terra? " [1]. Vide autem ne forte Mi- « chaelis verbum sit, superbo illi dicenti: " Similis ero Altis- « simo " [2] in faciem resistentis. Michaël quippe interpretatus » dicitur, quis ut Deus? ». Et paulo inferius: « Et ea, inquit, « quae sub ipso erant, replebant templum. Ab initio siqui- « dem creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius templi « plenitudo constaret, sed non in omnibus beneplacitum est « ei, quia et in ipsis, (ut scriptum est) [3], Angelis suis reperit « pravitatem. Fuit quippe in eis qui diceret: " Ponam sedem « meam ad Aquilonem " [4]: et populum qui sibi crederet, ha- « buit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit quam sub Deo, « miseri et illi, qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exie- « runt infelices, et vacuus relictus est locus, quem accipiet « alter. Nonne Deo subiecta eris, anima mea? Alioquin nec « tibi locus erit in templo, quia quae sub ipso erant, reple- « bant templum » [5].

Et in sermone LIV in Cantica similes considerationes eloquentissime evolvit: « Quid superbis, terra et cinis? Et de

[1] Ps. c. XII, 6.
[2] Is. XIV, loc. cit.
[3] Iob. IV, 18.
[4] Is. XIV, loc. cit.
[5] In serm. 2 de verbis Is. proph.

« Angelis transilit Dominus exsecrans eorum superbiam. Ergo « repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum: scripta est « enim ad ipsorum correctionem. Cooperetur mihi in bonum « etiam diaboli malum, et lavem manus meas in sanguine « peccatoris. Qualiter inquis? Audi. Superbo certe diabolo « horrenda, et formidolosa maledictio intorquetur, propheta « David in spiritu dicente de illo, sub typo Gelboë, ut supra « memoratum est: Montes, inquit, qui in circuitu eius sunt, « visitet Dominus, a Gelboë autem transeat. Sane ego hoc « legens, referensque oculos in me, et intuens diligenter, « invenio me peste ipsa infectum, quam in Angelo Dominus « intantum exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo, « cum omnes in circuitu eius montes sive de Angelis, sive « de hominibus visitationis suae gratia dignaretur: et pavens « tremensque aio ad memetipsum: Si sic actum est cum An- « gelo, quid de me fiet terra et cinere? Ille in caelo intu- « muit, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite « superbiam quam in paupere ducat? Vae mihi! ».

Sed et invidiam in peccato daemonum subtili discursu S. Bernardus reperit: « Putasne Lucifer ille, qui mane orie- « batur, sed praepropere elevabatur, antequam verteretur « in tenebras, generi nostro inviderit et ipse olei effusionem, « ut per seipsum iam tunc indignabundus mussitaret dicens « intra se quodammodo: Ut quid perditio haec? Hoc ego « non assero dicere spiritum, sed nec contradicere dico. « Nescio enim. Potuit autem contingere, (si tamen incredi- « bile non putetur), plenum sapientia, et perfectum dicere: « homines praescire potuisse futuros, etiam et profecturos « in parem gloriam. Sed si praescivit, in Dei verbo absque « dubio vidit, et in livore suo invidit, et molitus est habere « subiectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, infe- « rioresque natura: non decet esse concives, nec aequales « in gloria. An forte prodit impiam hanc eius machinatio- « nem illa praesumpta ascensio sessioque significans magi- « sterium? " Ascendam, inquit, super montem excelsum, et « sedebo in lateribus Aquilonis " [1]: quo Altissimi quamdam « proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille su-

[1] Is. XIV. Vides, saepius Bernardum hunc afferre Isaiae locum ad daemonum superbiam describendam.

« per Cherubim sedens gubernat omnem angelicam creatu-
« ram, ita et ipse altus sederet, regeretque genus humanum.
« Absit. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, mentiatur
« iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus iudicem quam
« auctorem. Non diabolus sed Dominus iudicabit orbem ter-
« rae: ipse Deus noster in saeculum saeculi: ipse reget nos
« in saecula. Ergo in caelo concepit dolorem, et in paradiso
« peperit iniquitatem, prolem malitiae, matrem mortis et
« aerumnarum, omniumque prima parens superbia. Nam etsi
« invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, initium
« tamen omnis peccati superbia. Verum quid illi profuit? » [1].

Et haec satis sint ad doctrinam gemini Doctoris de hoc argumento illustrandam.

ARTICULUS IV.

Utrum aliqui daemones sint naturaliter mali.

I. **De ipsa Quaestione**. - I) Tanta est malitia in quam Angeli per superbiam conversi sunt, tantaque est invidia, qua homines ad nocendum impetunt, ut incaute cogitantibus tanquam natura mali videantur. Sed haec positio omnino reiicienda est, quum ens natura malum non possit habere nisi principium natura malum. Iam vero quum Angeli creari non possint nisi a Deo, et repugnet dari deum malum, repugnat Angelos natura sua esse malos.

2) Mitius aliqui sentientes, daemones existimaverunt ab angelis lapsis procreatos. Sed haec positio, praeter quam quod nihil solvit, absurditati nihil addit nisi novam absurditatem.

a) Nihil solvit, quia non explicat quomodo mali sint daemonum procreatores. Nam si creati natura boni, potuerunt fieri mali propria culpa, cur non et daemones potuerunt eodem modo evasisse mali, quin mali procrearentur a malis? - *b)* Novam absurditatem addit, eamque geminam: tum quia in spiritibus procreationem ponit; tum quia supponit, Angelos potuisse esse auctores daemonum natura malorum; quum

[1] Serm. XVII in Cant.

vim procreandi, qualiscumque in eis fingatur, non potuerit habere a sua natura in quantum est effecta mala, sed in quantum est creata bona.

3) Restat igitur ut dicatur, daemones conditos esse naturaliter bonos. At nonne saltem teneri potest, eos non fuisse bonos aequaliter? Haec positio aliter et aliter intelligi potest: *a)* ita ut daemones omnes fingantur conditi in minori perfectione naturali; sed haec positio depellitur per ipsam excellentiam Luciferi; - *b)* ita ut soli Angeli ponantur elevati in gratia, daemones autem extra gratiam; sed iam diximus quid de hac positione sit tenendum; - *c)* ita ut daemones sint alligati corporibus minus subtilibus quam Angeli; sed rursus hanc positionem depulimus, ubi de pura Angelorum spiritualitate disputavimus.

Caeterum omnes istae positiones non explicarent quomodo daemones cecidissent omnes. Nam, licet minoris bonitatis naturalis quam Angeli, magnae tamen bonitatis fuissent, ac proin haec minor celsitudo non potuisset esse causa lapsus omnium.

Ergo istae positiones sunt partim absurdae, partim inanes, et omnes inefficaces.

4) Unica igitur ratio ob quam daemones facti sunt mali, est malus usus rei optimae, liberi scilicet arbitrii; qui malus usus, uti egregie dicit S. Anselmus, ita est simul causa et effectus, ut nulla alia causa altior sit quaerenda. Abusus enim creatae libertatis totum solvit mysterium mali.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Arguit iuxta praeiudicium philosophiae ethnicae. De quibus praeiudiciis multa reperiuntur apud scriptores sacros, ita ut interdum non facile sit discretu, quousque primaevi isti scriptores aliquid de his praeiudiciis et ipsi admiserint [1].

2. Obi. Non attendit, Angelos non esse compositos ex materia et forma.

3. Obi. Confundit naturam ordinatam in bonum particulare cum natura ordinata in bonum universale.

Sed contra est. Doctrina huius articuli convellit haeresim

[1] Cf. PETAVIUM (op. cit. l. III, c. 2).

Manichaei [1] et Priscilliani, olim proscriptam in can. 1.° Concilii quarti Carthaginensis, et in can. 7.° Conc. primi Bracarensis. Optime Leo M. hunc errorem damnat: « cum fides vera, quae « est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium sive « corporalium, bonam profiteatur esse substantiam, et mali « nullam esse naturam, quia Deus, qui universitatis est con- « ditor, nihil non bonum facit: unde et diabolus bonus esset, « si in eo, quod factus est, permaneret » [2]. - Quam doctrinam prope ad verbum proclamavit Conc. Latern. IV. in capite *Firmiter*.

Angelos, uti sunt defectibiles, creatos esse bonos, imo, sub immutabili Deo omnium creaturarum optimos, egregie illustrat S. Augustinus: « Quamquam summa non sint, quibus « Deus est maius bonum: magna sunt tamen ea mutabilia « bona, quae adhaerere possunt, ut beata sint, immutabili « bono; quod usque adeo bonum est eorum, ut sine illo misera « esse necesse sit. Nec ideo caetera in hac creaturae uni- « versitate meliora sunt, quia misera esse non possunt. Neque « enim caetera membra corporis nostri ideo dicenda sunt « oculis esse meliora, quia caeca esse non possunt.... Quod « cum ita sit, huic naturae, quae in tanta excellentia creata « est, ut, licet ipsa sit mutabilis, inhaerendo tamen incom- « mutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequa- « tur: nec expleat exigentiam suam, nisi utique beata sit: « eique explendae non sufficiat, nisi Deus: profecto non illi « adhaerere, vitium est. Omne autem vitium naturae nocet, « ac per hoc contra naturam est. Ab illa igitur quae adhae- « ret Deo, non natura differt ista, sed vitio, quo tamen etiam « vitio valde magna multumque laudabilis ostenditur ipsa « natura. Cuius enim recto vituperatur vitium, procul dubio « natura laudatur » [3].

Alia via idem illustrari potest, considerando ipsam malam voluntatem per quam et ob quam Angelus est malus. « Haec quaestio, ait S. Anselmus, facile solvi potest, si prius « cognoscitur, bonum, quod est iustitia, vere aliquid esse;

[1] Cf. S. Aug. *Haeres.* 46.

[2] Cf. Denzinger (op. cit. n. 355).

[3] *De Civ. Dei.* l. xii, c. 1. — De dubio Augustini circa aequalitatem originalem naturae inter Angelos et daemones, in corollario III verbulum dicemus.

« malum vero, quod est iniustitia, omni carere existentia... [1]. « Non est enim iniustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essen- « tia, sed tantum absentia debitae iustitiae; nec est nisi in « voluntate, ubi debet esse iustitia. Per quam voluntatem « iustam vel iniustam dicitur omnis rationalis natura et quae- « libet eius actio iusta vel iniusta. Omnis quippe qualitas, et « omnis actio, et quidquid aliquam habet essentiam, a Deo « est, a quo est omnis iustitia et nulla iniustitia. Facit igitur « Deus omnia quae iusta vel iniusta voluntate fiunt, id est, « bona opera et mala. In bonis quidem facit quod sunt, et « quod bona sunt; in malis vero facit quod sunt, sed non « quod mala sunt. Nam omni rei esse iustam vel bonam, est « aliquid esse; nulli vero rei est esse aliquid, iniustam vel « malam esse. Siquidem bonum vel iustum esse, est iustitiam « habere: quod est aliquid. Malum vero esse, vel iniustum, « est non habere iustitiam quam debet habere: quod non est « aliquid. Iustitia namque aliquid est; iniustitia vero nihil, ut « dixi » [2]. Ergo Angelus tantopere bonus est, etsi creatus defectibilis, ut, dum deficiat, conservet quam a Creatore tenet bonitatem naturae; utpote in quam nihil possit nisi eiusdem auctor.

Adde doctrinam superius illustratam. Etenim si defectibilitas sit essentialis conditio creaturae rationalis, quam Deus motione vel beatitudinis participatione non indefectibilem reddit, dicendum est, Deum nullam posse rationalem condere creaturam, nisi quam simul ab initio ipse per donum naturae superadditum ab originali hoc vitio purget. Quod absonum nimis.

Et alibi S. Anselmus optime dicit: « *Disc.* Si potestas « ipsa volendi et ipsum velle, fuit aliquid, bonum fuit a Deo. « - *Mag.* Utrumque fuit aliquid; et potestas quidem nonnisi « bonum aliquid, et spontaneum donum Dei; velle autem, « secundum essentiam bonum; sed quoniam iniuste factum « est malum, et tamen a Deo fuit, a quo est omne quod ali- « quid est. Nempe non solum hoc habet aliquis a Deo quod « Deus sponte dat; sed etiam quod iniuste rapit, Deo per-

[1] Remittit ad trac. de *casu diaboli*, cap. 9, 10, sqq. et ad libellum *de conceptu virginali*, cap. 5, 6, in quibus fusius idem demonstraverat.

[2] *De conc. praesc. Dei cum lib. arbitr.* c. 7. — *P. L.* CLVIII, 517.

« mittente. Et sicut Deus dicitur facere, quod permittit fieri; « ita dicitur dare, quod permittit rapi. Quoniam igitur, per« mittente Deo, Angelus malus per rapinam usus est pote« state a Deo sponte data, a Deo habuit ipsum uti, quod non « est aliud quam ipsum velle. Non est enim aliud velle quam « uti potestate volendi; sicut idem est loqui, et uti potestate « loquendi » [1].

In Corpore En doctrinae schema:

- Naturae omnes quum exeant a Deo summe bono, bonae sunt: etenim
  - 1) naturae inferiores, tendentes in bonum particulare,
    - *a)* bonae sunt per se, quatenus per se tendunt in bonum particulare;
    - *b)* at malae possunt esse per accidens, quatenus hoc bonum particulare contrariatur alteri bono particulari;
  - 2) naturae intelligentes, tendentes in bonum universale,
    - *a)* Angeli, undequaque boni sunt;
    - *b)* homines autem
      - α) boni per se,
      - β) ita tamen ut possint esse mali per accidens, propter vitiosas dispositiones a parte corporis, cum originali culpa lapsae naturae insertas.

Deum fecisse Angelos originaliter malos, S. Bonaventura elegantissimo discursu ostendit, non solum esse haereticum, sed manifesto falsum, idque quadruplici ex fonte, quia omne opus Dei debet esse laudabile, ordinabile, acceptabile, perfectum. 1) Quia opus *laudabile,* non potest esse dignum vituperio: iam vero malum, ut tale, « non tantum dignum « est vituperio, immo est quodammodo in Dei vituperium ». - 2) Quia *ordinabile,* mala creatura, ut talis, offenderet Dei sapientiam, quia in poenam mali deberet destrui; vel si non destrueretur, deberet, remanendo ut est, ordinari, « ergo si « Deus faceret creaturam malam, creatura non esset mala ». - 3) Quia opus *acceptabile,* debet respondere divinae voluntati; ergo si Deus acceptaret creaturam malam a se conditam, « malum esset bonum ». - 4) Quia opus *perfectum* vel perfectibile, malum pertineret ad perfectionem Angeli vel ad eam inclinaret, « ergo malum esset aliquid, et non no« ceret » [2].

[1] *De casu diaboli,* cap. ultim. *P. L.* CLVIII, 360.

[2] II Sent. dist. p. 2, a. 1. q. 2.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli novam vides rationem depellendi falsam imaginationem S. Iustini, qui daemones finxit procreatos e culpabili commercio Angelorum cum mulieribus. Quae tamen fabula non continet illud absurdum Manichaeorum de daemonibus creatis naturaliter malis. Inducta tamen est ad rationem reddendam malitiae daemonibus veluti innatae. - Quae animadversio valet quoque de fictione Lactantii.

Corollarium II. - Pariter depellenda est, uti gratuita et inutilis, positio Origenis asserentis, Angelos bonos « discrepantis esse tum naturae, tum propositi ab iis omnibus daemonibus, qui in terris habitant » [1]. Non videtur tamen Origenes hoc primum discrimen valde urgere voluisse, quum alibi neget, « diaboli substantiam esse diversam ab essentia « sanctorum Angelorum rationis compote » [2].

Corollarium III. - Remotum est valde ab haeresi in hoc articulo depulsa dubium, quod aliquando S. Augustinus expressit, circa originalem conditionem aequalem Angelorum et daemonum. Caeterum in his locis Hipponensis minus exprimit mentem suam fluctuantem, quam sententiam aliorum [3]; unde in initio libri XII *de Civitate Dei* disertissime proclamat, omnes Angelos a Deo creatos esse optimos, licet defectibiles [4].

Quousque autem Angeli per peccatum in deteriorem conditionem versi sint, in Quaestione sequenti investigabimus.

ARTICULUS V.

UTRUM DIABOLUS FUERIT MALUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CREATIONIS PER CULPAM PROPRIAE VOLUNTATIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus apparet cum articulo praecedenti. Quum impossible sit, Angelum fuisse malum in primo instanti, quatenus malus natura sit creatus; quaeritur utrum saltem a primo instanti seipsum fecerit malum?

[1] *Ctr. Cels.* 3.
[2] Comment. in evang. Ioann.
[3] *De Gen. ad litt.* III, 10; XIII, 17.
[4] Cf. in *Sed contra est* huius articuli.

2) Ubi duplex quaestio moveri potest: facti et possibilitatis. *a*) *Factum* nobis ita exhibet Scriptura, ut primum initium Angeli fuerit bonum, imo splendidum. Describitur enim Lucifer mane oriens et a splendore ortus sui delapsus [1]; describitur perfectus in viis suis a die conditionis suae, donec in eo inventa est iniquitas [2], quia in veritate non stetit [3]. Verbo: argumenta auctoritatis, quibus superius probavimus, Angelos conditos fuisse in ipsa luce gratiae, valent et hic ad demonstrandum, eos saltem in ipso primo instanti suae vitae angelicae fuisse bonos [4].

b) *Possibilitas* autem investiganda superest. Iam vero non videtur possibile ut in ipso primo instanti Angelus per malum usum sui arbitrii seipsum reddiderit malum. Nec opponatur e regione possibilitas superius demonstrata, ut in ipso primo instanti bene sit usus libero arbitrio a Deo sibi indito. Nam deest paritas. Etenim quum motus initialis liberi arbitrii sit a Deo creatore, et non possit nisi esse in bonum: bonus usus concordans cum hoc motu bono initiali non indiget tempore ut se explicet; malus autem usus, quum sit boni huius motus destructivus, non potest in eodem se instanti explicare, sed requirit saltem unum instans distinctum ab instanti creationis cum motu initiali bono.

3) Non autem est eadem utriusque conclusionis certitudo. *a*) Prima quoad factum, habenda est uti omnino certa. Imo non desunt, qui, cum Toleto [5], affirment hoc esse de fide tenendum, propter manifesta testimonia Scripturae, et apertas declarationes Ecclesiae.

b) Altera conclusio tam parum est de fide, ut non desint theologi, qui, cum Scoto, Gabriele, Marsilio, existiment Angelum potuisse in primo instanti peccare. Quam possibilitatem ipse Toletus concedit absolute loquendo, hoc est, citra hypothesim quod sint creati in gratia.

Nobis sane magis arridet sententia S. Thomae, Durandi, S. Bonaventurae, Henrici Gandavensis, etc.; quam veriorem

[1] Is. XIV.
[2] Ezech. XXVIII.
[3] Ioann. VIII.
[4] Cf. addenda in *Sed contra est*, et in Appendice.
[5] Hoc loco.

existimamus, licet non ab omnibus, qui eidem adhaerent, eisdem argumentis fulciatur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Urget nimis locutionem « ab ini- « tio ». Ille enim vere ab initio peccasse dicendus est, qui primo quo potuit, instanti peccavit.

2. Obi. Non attendit ad lucem vespertinam, quae pro Angelis malis versa est in noctem.

3. Obi. Arguit a pari, ubi non adest paritas. Cf. dicta n. 2) *b*).

4. Obi. Haec obiectio sane potior. Solutio dilemmatis consistit in distinctione inter meritum initiale et plenum.

Initiale quoddam meritum ponit primum instans existentiae angelicae, si, quod S. Thomas docet, in gratia sunt creati. Sed istud meritum non fuit plenum, nisi pro his, qui propria voluntate in initiali motu perstiterunt; mortificatum autem est antequam perficeretur, pro illis, qui per malam voluntatem in initialem hunc motum rebellarunt, ac ita illud exstinxerunt.

Sed contra est. Huc faciunt, praeter modo allata testimonia Sacrae Scripturae, declarationes superius citatae Conc. Bracarensis I, can. 7; cap. *Firmiter*. Conc. Lateranensis IV, et c. 6 epist. 91 Leonis Magni. - De S. Augustino in apposita Appendice dicemus.

In Corpore. En schema doctrinae:

- De hac quaestione triplex opinio:
  - 1) Angeli peccarunt in primo instanti suae creationis,
    - *a*) non quidem quia conditi mali, - esset Manichaeum
    - *b*) sed propter malum usum liberi arbitrii. - Haec opinio parum consona modo loquendi Scripturarum (Is. 14, 12; Ezech. 28, 13.)
  - 2) Angeli in primo instanti peccare potuerunt, sed non fecerunt;
    - confutatur per rationem solidam, qua tertia sententia probatur.
  - 3) Angeli in primo instanti peccare non potuerunt:
    - *a*) non quidem, quia terminus utriusque rei, creationis scilicet et operationis liberae, non possunt haberi in eodem instanti; - (haec ratio a quibusdam contra II. allata non valet ubi utraque completur in instanti, nec est motus inter utramque;)
    - *b*) sed quia Angelus in primo instanti fuit talis qualis a Deo conditore exivit, id est bonus, quare
      - α) potuit in primo instanti agere bonum,
      - β) non autem eligere malum.

Resp. ad 4m. Quomodo intelligendum sit initiale meritum, quod S. Thomas hic in daemonibus ponit, ex art. sequenti magis apparebit.

APPENDIX

de mente S. Augustini.

Pluries S. Augustinus de praesenti argumento disserit.

1) Omnino reiicit sententiam, quae affirmat, diabolum fuisse ab initio malum, quin haec malitia causam habuerit propriam eius voluntatem. « Nonnulli eum non in hanc malitiam libero « voluntatis arbitrio esse deflexum, sed in hac omnino crea- « tum putant, quamvis a Domino Deo summo et vero natu- « rarum omnium creatore ». Et affert testimonia Scripturae ab illis afferri solita: « Hoc est initium figmenti Domini, quod « fecit ut illudatur ab Angelis eius » [1]; « Draco hic, quem fin- « xisti ad illudendum ei » [2]. Sed hanc interpretationem fortiter depellit per testimonia Scripturae, quae respiciunt originem omnis creaturae et punitionem creaturae malae: « Fecit « Deus omnia bona valde » [3]; « Ite in ignem aeternum, qui « praeparatus est diabolo et Angelis eius » [4]. Unde concludit: « Nullo modo in eo naturam, quam Deus creavit, sed malam « propriam voluntatem poena ignis aeterni plectendam esse « credendum est ».

Et postquam « initium » in testimonio Iob, explicavit iuxta praescientiam Dei ipsum malum in bonum ordinantis, haec aurea habet: « Quod ergo putatus nunquam diabolus in veri- « tate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, « sed ab ipso suae conditionis initio cecidisse, non sic acci- « piendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed « malus a bono Deo creatus putetur; alioquin non ab initio « cecidisse diceretur: neque enim cecidit, si talis est factus ». Unde istud « initium » describit talibus verbis, quae nonnisi maximam celeritatem lapsus exigunt. « Sed factus continuo

[1] Iob. xl, 13.
[2] Ps. civ, 26.
[3] Gen. i, 31.
[4] Matth. xxv, 41.

« se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriae « potestatis delectatione corruptus; unde beatae atque An- « gelicae vitae dulcedinem non gustavit, quam non utique « acceptam fastidivit, sed volendo accipere deseruit et ami- « sit ». Qua ex celeritate lapsus explicat discrimen initiale inter Angelos bonos et malos. « Proinde nec sui casus prae- « scius esse potuit; quoniam, sapientia pietatis est fructus. « Ille autem continuo impius, consequenter et mente caecus, « non ex eo quod acceperat, cecidit; sed ex eo quod acci- « peret, si subdi voluisset Deo; quod profecto quia noluit, « et ab eo quod accepturus erat, cecidit, et potestatem illius « sub quo esse voluit, non evasit; factumque in illa est pon- « dere meritorum, ut nec iustitiae lumine possit delectari, nec « ab eius sententia liberari » [1].

2) Si autem aliquis velit urgere istud « ab initio », ut re vera dicat ipsum initium, at simul istud initium malum tribuat non naturae, sed malae creatae voluntati, Augustinus proclamat, hanc positionem longe distare a positione haeretica Manichaeorum. « Nisi forte quis dicat, id quod Do- « minus ait de diabolo in Evangelio: " ille homicida erat ab « initio et in veritate non stetit ", sic esse capiendum, ut « non solum homicida fuerit ab initio, id est, initio humani « generis, ex quo utique homo factus est, quem decipiendo « posset occidere; verum etiam ab initio suae conditionis in « veritate non steterit: et ideo nunquam beatus cum sanctis « Angelis fuerit, suo recusans esse subditus creatori... ut sic « intelligatur etiam quod beatus Ioannes Apostolus ait: " Ab « initio diabolus peccat " [2], hoc est, a quo creatus est, iusti- « tiam recusavit, quam nisi pia Deoque subdita voluntate « habere non possit: huic sententiae quisquis acquiescit, non « cum illis haereticis sapit, id est, Manichaeis; et si quae aliae « pestes ita sentiunt, quod suam quamdam propriam tam- « quam ex adverso quodam principio diabolus habeat natu- « ram mali: qui tanta vanitate desipiunt, ut cum verba ista « evangelica in auctoritate nobiscum habeant, non attendant « non dixisse Dominum: " a veritate alienus fuit "; sed " in veri-

[1] *De Gen. ad litt.* l. XI, c. 20, et 23.

[2] I Ioann. III. Et paulo inferius ait: « non intelligunt, si naturale est, nullo modo « esse peccatum » (c. 15).

« tate non stetit », ubi a veritate lapsum intelligi voluit: « in qua utique si stetisset, eius particeps factus, beatus cum « sanctis Angelis permaneret » [1]. Quidquid igitur aliquis teneat de celeritate, qua diabolus a veritate cecidit, oportet omnino ut teneat, diabolum fuisse Dei institutione bonum, voluntate sua malum [2].

3) Inspectis autem testimoniis Scripturis, celeritas peccati daemonum non ita potest urgeri, ut in primo initio non fuerint boni, saltem bonitate inchoata, initiali. « Sed quid re- « spondetur propheticis testimoniis, sive quod Isaias ait sub « figurata persona principis Babyloniae, diabolum notans: « " Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? ". Sive « quod Ezechiel: " In deliciis paradisi Dei fuisti omni lapide « pretioso ornatus? ". Ubi intelligitur aliquando fuisse sine « peccato. Nam expressius ei paulo post dicitur: " Ambulasti « in diebus tuis sine vitio ". Quae si aliter convenientius intel- « ligi nequeunt, oportet etiam illud quod dictum est: " in veri- « tate non stetit ", sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed « non permanserit. Et illud, quod " ab initio diabolus pec- « cat ", non ab initio a quo creatus est, peccare putandus « est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit « esse peccatum. Nec illud quod scriptum est in libro Iob, « cum de diabolo sermo esset: " Hoc est initium figmenti « Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis ", cui « consonare videtur Psalmus, ubi legitur: " Draco hic quem « finxisti ad illudendum ei ", sic intelligendum est ut exi- « stimemus, talem ab initio creatum, cui ab Angelis illude- « retur, sed in hac poena post peccatum ordinatum » [3].

4) Censet ergo Augustinus, iuxta Scripturae manifestiora testimonia, Angelos non fuisse malos propria voluntate in ipso primo initio suae creationis; sed a luce et a veritate, in qua cum Angelis bonis creati sunt boni, non stetisse. – Recusat omnino ut haereticum, Angelos conditos esse ab initio natura malos. – Admittit tamen uti possibilem hypothesim quod ab ipso initio fuerint mali, non quidem natura, sed mala propria voluntate. Ratio autem cur pronus sit in continuam

[1] *De civ. Dei*, l. XI, c. 13.
[2] Ibid. c. 17.
[3] Ibid. c. 15.

diaboli aversionem ab initiali bonitate, est conditio originalis differens inter Angelos bonos et malos. Non quasi omnes non creati sint boni, nec omnes per gratiam illuminati; sed quatenus Angeli boni beatitudinem subito adepti sunt cum certitudine eam nunquam amittendi. Unde dicendum est, daemones nunquam fuisse beatitudinis bonorum Angelorum participes [1]. Nam Augustinus non admittit, Angelos bonos unquam fuisse de sua beatitudine incertos: unde quum daemones hanc certitudinem habuisse repugnet, aliquod discrimen initiale quoad hoc inter bonos et malos Angelos admittendum videtur; quod discrimen eo facilius explicatur, quo celerius daemones a veritate initiali decidisse dicuntur. « Coarctatus quaestione illa, qua quaeritur utrum « sui casus praescius, antequam caderet, fuerit, ne suae bea- « titudinis incertos esse vel aliquando fuisse Angelos dice- « rem, non sine causa putari posse dixi, diabolum ab ipsa « creatura, hoc est ab ipso vel temporis vel suae conditionis « initio cecidisse, nec aliquando in veritate stetisse ».

Ex his omnibus simul inspectis patet sat harmonice conspirare doctrinam S. Augustini et S. Thomae, nec recte Hipponensis mentem esse assecutum Card. Toletum, quando ait, S. Doctorem simpliciter tenuisse sententiam, quae dicit, Angelos ab initio suae creationis peccasse.

ARTICULUS VI.

UTRUM ALIQUA MORA FUERIT INTER CREATIONEM ET LAPSUM ANGELI.

I. **De ipsa Quaestione.** – Post ea quae in articulo quinto praecedentis Quaestionis exposuimus, paucis praesens argumentum absolvere licet.

1) Et primo quidem a pari de malo usu sicut et de bono usu libertatis angelicae loquendum est. Si Angeli boni potuerunt per unum actum bonum transire de stadio viae ad terminum beatitudinis, a pari per unum actum malum transire potuerunt a stadio viae ad terminum damnationis.

[1] *De Gen. ad litt.* l. XI, c. 17.

2) Discrimen tamen habetur a parte principii et a parte termini. *a*) A parte principii, Angeli boni, iuxta ea quae diximus in praecedenti articulo et in allato articulo Quaestionis praecedentis, potuerunt in ipso instanti suae creationis elicere actum meritorium perfectum, quatenus nulla mora requirebatur inter motum bonum, quocum a Deo creati sunt, et confirmationem atque determinationem huius motus per perfectam liberae voluntatis cooperationem. Sed inter motum hunc initialem bonum et oppositum motum pravae voluntatis hunc motum veluti destruentis, ac ita imperfectum meritum seu initiale extinguentis, aliquod saltem instans requirebatur. Angeli ergo potuerunt esse perfecte boni in primo instanti, mali autem nonnisi in secundo.

b) A parte autem termini oppositum discrimen admittendum videtur. Etenim, contra Caietanum censemus, idem instans non posse esse gratiae inchoatae et consummatae; ac proin cum Ferrariensi existimamus, inter instans quo Angeli plenum viae meritum sunt consecuti, et quo beatitudinem sunt adepti, instans interfuisse. E contra non apparet ratio cur interiacens instans ponatur inter culpam daemonum et eorum damnationem; nam quum culpa sit destruens gratiam, in ipso instanti quo gratia per culpam pellitur, potest vindex culpam damnatione punire.

3) Mora nihilominus potuit quaedam dari inter originem daemonum et eorum damnationem; non quidem a parte haesitationis et discursus in deliberando, sed a parte gradationis, quam Deus tenuit in eos movendo et illustrando. Quae gradatio potest fundamentum habere duplex: *a*) transitum de natura ad gratiam; sed hoc fundamentum superius exclusimus, amplectendo sententiam quae dicit, Angelos omnes fuisse in gratia gratum faciente creatos; *b*) transitum de revelatione in revelationem, maxime relate ad ea quae sunt ordinis Incarnationis. Quae gradatio non minus admittenda est, saltem ut possibilis, in stadio viae daemonum quam Angelorum.

4) Porro rursus hoc interest inter haec varia stadia pro Angelis bonis et malis, quod Angelus deflectens a bono in primo stadio, puta naturae, iam se ponit extra stadium gratiae et extra possibilitatem acquirendae beatitudinis per gratiam;

e contra fidelitas in stadio inferiori nondum secum fert perseverantiam in stadio superiori. Firmitas autem assensus angelici exposcit, ut in eodem stadio non detur fluctuatio nec de bono, - nisi initiali, imperfecto, - in malum; nec de malo in bonum.

5) Unde, si Deus simul omnes Angelos per varios gradus stadii viae movit, potuerunt daemones per totidem gradus cadere turmatim; omnes autem Angeli simul in ultimo gradu perseverantes beatitudinem sunt adepti.

6) Quodsi non teneatur nisi unus gradus, gratiae scilicet perfectaeque illuminationis, uno eodemque instanti potuerunt Angeli perseverantes coronari, et lapsi damnari; ita tamen ut, propter instans interiacens inter Angelorum perseverantiam et glorificationem, Angeli boni, iam in sanctitate firmati, daemones viderint de iustitia corruentes. Unde nec poena daemonibus inflicta, nec ipse casus daemonum fuit ratio Angelos bonos impellens ut in iustitia perseverarent; sed occasio dumtaxat contra impios praeliandi zelo sancto, iam in sanctitate firmato.

Etenim, ut bene monet Gotti [1], actus unicus quo Angeli perseverantes in iustitia beatitudinem meruerunt, aequivalet duplici instanti, quo daemones, initialem motum bonum abrumpentes, in malum se proiecerunt.

7) Seclusa igitur hypothesi plurium graduum in stadio viae Angelorum, probabilem putamus *a*) sententiam quae tenet, duo instantia sufficere potuisse tum pro bonis tum pro malis, sed aliter et aliter: quatenus primum instans bonorum fuit iam plenae adhaesionis ad bonum et perseverantiae meritoriae in eodem bono; pro malis vero fuit initialis motus bonus, imperfecte meritorius, quocum creati sunt; - secundum vero instans fuit pro Angelis bonis adeptio beatitudinis et initium termini; in malis fuit simul consummatio mali et viae, quia unico instanti gratiam irrecuperabiliter amiserunt et sunt a Deo damnati.

Quae sententia differt tum a sententia Caietani, tum a sententia Ferrariensis, qui utique nonnisi duplex instans pro bonis et malis Angelis ponunt. A sententia Caietani differt

[1] Tr. IX, *De Deo Creat.* 9, 8, dub. 3, § 2, XIII.

dupliciter: tum quoad primum instans, in quo ponit meritum aequale pro omnibus; tum quoad secundum instans, quod ponit pro bonis simul meritorium et consummatorium. - A sententia Ferrariensis differt quoad meritum initiale, quod ponit aequale in omnibus; convenit autem quatenus in secundo instanti nullum amplius meritum agnoscit.

b) Probabilem quoque iudicamus sententiam, quae, cum Gotti, tenet duo instantia pro Angelis bonis, eo sensu quo in sententia praecedenti; tria autem pro daemonibus, quatenus in secundo instanti ponit daemonum culpam, et in tertio daemonum poenam seu damnationem [1].

c) Nec improbabilem censemus tertiam sententiam, quae tam pro bonis quam pro malis tria instantia ponit: quatenus perseverantia illa plene meritoria Angelorum bonorum nondum fuit in primo instanti perfecta. Hanc sententiam tuentur, inter alios, Suarez, Scotus et Capreolus, licet non eodem prorsus sensu. Imo ad hanc sententiam trahuntur et illi theologi, qui, cum S. Bonaventura, in primo instanti nondum admittunt in Angelis bonis meritum supernaturale. Sed non in hoc sensu, superius excluso, hanc sententiam hic probabilem dicimus; sed unice in sensu, quem prae aliis Suarezius exponit [2].

De possibilitate morae inter lapsum daemonum et eorum damnationem dicemus in art secundo Quaestionis sequentis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat leges sermonis figurati, quae dupliciter prae oculis habendae sunt, quando tota oratio est allegorica, ut in casu. Nam, licet haec verba iure intelligi possint de Angelis dicta, habent tamen alium sensum obvium proprium de rege Tyri. Quae animadversio valet de consimili loco Isaïae, in quo sensus obvius proprius respicit regem Babylonis [3].

2. Obi. Non attendit durationem temporis angelici.

3. Obi. Arguit ac si Angelus et homo essent eiusdem naturae.

[1] Op. cit. 9, 7, dub. 3, § 2.

[2] Op. cit. l. v, c. 11. — Cf. Heinrich (op. cit. § 289).

[3] De certitudine huius interpretationis lege Petavium (Op. cit. l. iii, c. 3, n. 3).

Sed contra est. Recole argumenta auctoritatis in articulo praecedenti allata.

Scriptores mediae aetatis non omnes eodem modo sentiunt de mora illa, quae interfuit inter creationem daemonum et eorum lapsum. Rupertus Tuitensis existimat daemones sat diu cum Angelis bonis remansisse iustos: « Itaque non parva « mora, ait, permansisse in medio Angelorum Sanctorum « praesens sermo (Ezechielis scil.) convincit.... – Non ergo « putandum est, quod conditus statim ceciderit » [1]. Qui cum Nemesio et Cassiano insuper censet, inter lapsum et excidium quasdam ad poenitentiam inducias interfluxisse.

Aliter e regione, et sane melius, censet Philippus Abbas Bonae Spei, cuius verba transcribere iuvat: « Creata igitur « (angelica natura) statim nullo spatio mediante convertitur, « et eum, a quo erat, amore complectitur: et cum per libe- « rum arbitrium vel in melius, vel in deterius posset ferri, « inspexit et dilexit quod dignum fuerat anteferri. Voluntatis « quippe libertas, quae illi naturaliter affuit, sub otio vel ad « modicum vacare non potuit, quin sine dilatione ad aliquid « volendo verteretur..... Creata igitur natura angelica, quia « liberam habuit voluntatem, et voluntariam libertatem, sta- « tim et voluit voluntate, et quid vellet, elegit libertate. Et « pars eorum altera Deum voluit, quem suum creatorem et « novit et amavit; pars vero altera libera nihilominus volun- « tate ad volendum aliud declinavit. Et illa quidem in pro- « positum confirmatur gratia et merito liberae voluntatis, et « ab eo, quem voluit, accipit gratiam firmitatis: ut quae erat « mutabilis per naturam, pro eo scilicet, quod de nihilo facta « est, iam non possit mutari per gratiam, quia bono incom- « mutabili voluntate spontanea coniuncta est..... Pars autem « ista, quae liberam quoque, ut dictum est, habuit voluntatem, « ad seipsam mox conversa, eam perdidit, in qua facta « fuerat, dignitatem: et quia sibi, non Deo, perverse voluit « adhaerere, nec in eo, quod erat, potuit permanere. Lapsa « igitur, et in profundum tenebrarum demersa, aeterno sup- « plicio cruciatur, et crucianda in diem iudicii reservatur... » [2].

[1] *De Victor. Verbi* I, c. 21; cf. *De glorif.* Trinit. III, c. 9, 10.
[2] Epist. 2.

Idem quoque Hugo Victorinus breviter affirmat, dicens « nullam moram fuisse; et tamen illud prius, istud posterius, « sed sine intervallo » [1].

In corpore. En schema doctrinae S. Thomae.

Si Angelus ab initio creationis suae	1) in actum liberi arbitrii, et quidem supernaturalis prorupit, (quod est probabilius,)	quum ex una parte agat sine mora deliberationis, et ex altera praemium meriti non ei sit dilatum: proximo instanti, mensurae operationis angelicae, malus proprium meritum in radice destruxit; bonus meriti praemium accepit.
	2) vel *a*) non fuit in gratia conditus, vel *b*) non prorupit ab initio in actum liberi arbitrii,	potuit aliqua mora protrahi inter creationem et lapsum.

Quaeres I. – Nonne requiritur quaedam mora, si daemones non solum superbia, sed et invidia, imo odio Dei peccarunt, quum haec peccata sint distincta? [2]. - *Resp.* De hac mora loquendum est sicut de mora in perceptione intellectuali; nam promptitudo voluntatis sequitur in puris spiritibus promptitudinem intellectus. Unde, sicut uno ictu intellectus angelicus penetrat quidquid in propositione concluditur, ita potest uno impetu voluntatis pertingere ad totum consequens rebellionis in Deum, a superbia scilicet, qua Deum supra se impatienter sustinet, usque ad Dei, inamovibilis Domini, odium.

Quum autem invidia erga Deum sit veluti media inter superbiam et odium: quod de odio dictum est, a fortiori valet de invidia erga Deum.

Minus valet absolute de invidia erga homines, maxime erga Hominem-Deum et Virginem Deiparam. Haec enim supponit cognitionem destinationis generis humani, et revelationem mysterii Incarnationis Filii Dei de filia hominis. Posita autem hac cognitione vel revelatione, quae utique potest sine mora aut cum mora fieri, quod de superbia,

[1] *Summ. Sent.* tract. e. 3.

[2] Similis quaestio movebitur in art. octavo, ob relationem inter peccatum Luciferi et angelorum eius.

invidia et odio modo diximus relate ad Deum, pariter valet relate ad genus humanum, Christum et Mariam.

Quaeres II. - Si daemones ceciderunt et damnatione puniti sunt antequam Angeli in iustitia perseverarunt, fuitne istorum perseverantia adhuc mercede digna?

Ex doctrina praehabita liquet, nullam esse rationem solidam dubitandi de praecedentia saltem instantis inter perseverantiam Angelorum et daemonum damnationem, si stadium viae angelicae unico gradu constabat. Si tamen constabat duplici gradu vel triplici, quatenus vel fuerunt conditi in mero ordine naturali, vel gradatim per revelationes sibi succedentes id totum a Deo ipsis propositum acceperunt, a quo accepto pendebat eorum perseverantia completa; tunc ex hac parte non repugnat, quosdam spiritus defecisse in gradu naturae antequam ad gratiam pervenirent; aut in uno gradu gratiae, antequam plenitudinem revelationis, v. gr., de Incarnationis mysterio, essent adepti.

Dixi: ex hac parte; nam quaeri potest, annon ex alia parte repugnet, quatenus cognitio damnationis Angelorum lapsorum abstulisset ab Angelis bonis rationem meriti cum possibilitate deficiendi. Sed hoc consequens multipliciter deficit. 1) Potuit Deus damnationem angelorum malorum celare; 2) timor sortis similis potest quidem impedire, ne quis mandatum transgrediatur; non autem sufficit ad nutriendum illum erga Dei amorem, sine quo Angeli neque mereri poterant, neque iustitiam servare.

ARTICULUS VII.

UTRUM ANGELUS SUPREMUS INTER PECCANTES FUERIT SUPREMUS INTER OMNES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dari inter daemones aliquem altiorem, qui principatum tenet, et a sublimiori cecidit loco, ex Scripturis est manifestum: vocatur enim passim Satanas, Diabolus, Lucifer [1]. Inde in ultimo iudicio Christus dicet damnatis: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui

[1] Idem et Belzebub, daemoniorum princeps. (MATTH. XII). — Cf. dicenda in articulo sequenti.

« paratus est Diabolo et angelis eius » [1]. Qui diabolus est « princeps huius mundi » [2]; utpote primus huius militiae infernalis, cuius laqueo captus mundus uti Deo contrarius maledicitur. Iste est draco ille, qui in Apocalypsi describitur ut primas partes habens in rebellione contra Deum [3]; serpens Leviathan, de quo Dominum triumphaturum prophetavit Isaias [4].

2) Utrum autem iste princeps mundi sit omnium Angelorum primus, sublimissima omnium creaturarum quas Deus condidit, alia est quaestio, de qua non una fuit apud Patres sententia.

a) Negant S. Gregorius Nyssenus et S. Ioannes Damascenus, existimantes, Luciferum fuisse quemdam principem tertii ordinis, « cui terrae commissa erat a Deo custodia » [5]. Quam sententiam S. Augustinus aliorum nomine refert [6]. Alii, cum S. Cyrillo et S. Athanasio, Luciferum ex ordine Cherubim fuisse censent [7].

b) At affirmant plures, duce Tertulliano, qui dicit, diabolum fuisse « eminentissimum Angelorum, Archangelum et « sapientissimum omnium » [8]. Consonant Lactantius, Cyrillus Hierosolymitanus, aliique. Cui sententiae pondus suae auctoritatis tribuit S. Gregorius Magnus: « Ille apostata Angelus, « qui ita conditus fuerat, ut Angelorum caeteris legionibus « emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium An« gelorum ditioni substratus sit » [9]. Consentiunt S. Isidorus, S. Beda, ac deinceps scriptores passim [10], ita ut haec sententia tanquam prope certa sit habenda. Sine ulla haesitatione S. Bernardus ait: « Initium omnis peccati superbia; quae tam « velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem « aeterna caligine obtenebravit Luciferum: quae non modo

[1] Matth. xxv, 41.
[2] Ioann. xii, 31.
[3] Apoc. xii, etc.
[4] Is. xxvii, 1.
[5] Op. cit. l. ii, c. 4.
[6] *De Gen. ad litt.* l. xi, c. 18.
[7] *Glaphyr.* l. i; — *Epist. ad Serap.*
[8] Ctr. Marc. l. ii.
[9] *Moral.* l. iv, c. 13; Cf. Homil. 34 de cent. ovib.
[10] Ita Hugo Victorinus, Lombardus, Rupertus, etc., etc.

« Angelum, sed Angelorum principem in diabolum commu-
« tavit » [1]. Hanc sententiam ita urget Gulielmus Parisiensis, ut affirmet, Deum nullum alium Angelum creasse uti « pri-
« mum nobilissimum in illa excellentia scientiarum et vir-
« tutum naturalium,.... in qua nec consortem nec parem
« habuit »; non quidem ex defectu potentiae; « verum quo-
« niam praevidit atque praenovit illum pervertendum, et in
« tantam malitiam ruiturum, tolerabilius iudicavit illum so-
« lum ex tanta altitudine casurum quam multos » [2].

4) Porro si investigamus rationem, quae unam alteramve ex praedictis sententiis fulciat, quum Angelorum peccatum fuerit superbia, et superbia in propria excellentia nutrimentum inveniat, in ipsa maiori Angeli dignitate occasio peccati reperitur potius, quam in pronitate ad peccatum, quae per se nulla fuit, nec in Angelorum infimo.

Insuper quum ex supradictis pateat, Angelum appetiisse fieri sicuti Deum, hoc desiderium facilius concipitur in omnium supremo, in illo scilicet, qui supra se nullum habebat nisi Deum.

5) Admissa igitur excellentia originali Luciferi prae omnibus Angelis, facilius intelligitur sententia Suarezii, qui, uti loco suo diximus, existimat Luciferum inde peccasse quod unionem hypostaticam cum Deo ambierit. Facta enim revelatione mysterii, quo Deus erat hypostatice se uniturus creaturae rationali, ipse in ordine intellectuali celsissimus hunc veluti sibi ob maiorem dignitatem debitum honorem vindicare voluit.

Sed et Deus de ruina creaturae celsissimae potentius triumphavit, non quidem novum creando Angelum Lucifero nobiliorem, sed naturam ipsa angelica specie infima inferiorem praedestinando ad consortium, non modo adoptivum, sed substantiale divinitatis. Quasi quaestioni Michaëlis « Quis ut Deus? » ipse Deus responderit: « Christus, Homo-Deus! ».

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ex hoc loco Ezechielis ortum habuit sententia superius allata: « Sed enim diabolus, ait

[1] I Serm. *de Adventu.*
[2] *De Univ.* p. I, p. II, c. 56.

« Athanasius, qui in medio Cherubim, et signaculum simili-
« tudinis fuit, decidit e caelo, tanquam fulgur » [1].

2. Obi. Dupliciter deficit. Arguit ac si Deus non potuisset impedire casum Luciferi, et ipse Lucifer se per casum suum excepisset omnino extra ordinem divinae potestatis et providentiae. Imo, si quaeritur ratio, cur Deus permiserit cadere Luciferum, invenitur in divina providentia potentissime de ipso rebelli Lucifero triumphantis [2].

3. Obi. Falso incedit, quasi perveniendum esset ad creaturam omnino impeccabilem. Imo quum propria excellentia sit in creatura defectibili argumentum superbiae, stimulus superbiae cum ipsa excellentia crescit.

Sed contra est. Adde argumentis iam adductis ipsum Luciferi nomen. Tunc enim verius hoc nomine vocatur, si prima fuit et splendidissima creata lux, quae in omnes Angelos sibi inferiores aliquid de suo splendore emisit.

Huc afferri solent et sequentia Scripturae testimonia: « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum » [3]; « Cedri non « fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, abietes non adaequa- « verunt summitatem eius » [4]; unde et appellatur: « Princi- « pium viarum Dei » [5].

In Corpore. En doctrinae schema.

- Si in Angelo consideratur
  - 1) *pronitas* ad peccandum,
    - *a*) probabilior videtur lapsus inferiorum;
    - *b*) quare tenet Damascenus, Angelos lapsos fuisse de tertio ordine, corporibus inferioribus praeposito;
    - (Ita philosophi pagani daemones concipiebant quosdam bonos, quosdam malos, quia in gradu inferiori.)
  - 2) *motivum* ad peccandum (quod in Angelo potius est pronitate),
    - *a*) probabilius videtur, excellentiorem prae omnibus peccasse, quia in eo maior superbiae occasio;
    - *b*) quare S. Gregorius tenet, Luciferum fuisse summum.

Parumper mitius de hoc argumento loquuntur theologi qui censent, Angelos in perfectione naturae creatos, nondum

[1] Epist. ad Ierap.

[2] Cf. dissertationem Cl. Can. SALVAT. DI BARTOLO: « *La sovranità di Dio di rin- « contro al male* ».

[3] EZECH. XXVIII, 13.

[4] Ibid. XXXI, 8.

[5] IOB. XL, 14.

fuisse in gratia sed ad gratiam dumtaxat praeordinatos. « Sicut testantur et auctoritates Sacrae Scripturae et Sanctorum, ait S. Bonaventura, Lucifer valde excellens fuit, et, « si stetisset, in primo ordine collocatus fuisset, cum ad hoc « haberet idoneitatem ex parte naturae. Sicut enim patebit « infra [1], distinctio ordinum consummata venit ex parte gratiae, sed dispositio ex parte naturae » [2].

A tempore S. Thomae et S. Bonaventurae opinio de primaeva excellentia Luciferi prae omnibus Angelis semper magis communis evasit, quin tamen certa dicenda videatur.

ARTICULUS VIII.

UTRUM PECCATUM PRIMI ANGELI FUERIT ALIIS CAUSA PECCANDI.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Ex Scripturis constat, daemones subesse cuidam suo capiti, qui inde vocatur « princeps « daemoniorum, Beelzebub » [3], unde et ipsi sunt « angeli eius » [4]. Iam vero ratio expostulat ut serviant ei, quem in ipsa sua rebellione secuti sunt; quatenus, cui ad rebellandum contra Deum sese subdiderunt, eius in iusta damnatione dominum patiantur.

2) Et sane in Apocalypsi exhibetur Lucifer ut immanis draco, qui rebellionis vexillum extulit, « contra quem Michaël « et Angeli eius » [5] pugnabant; quatenus, sicuti rebelles in ictu oculi caput suum sunt imitati, ita ex opposito omnes iusti, antesignano Michaële, in agnitione Dei perstiterunt.

3) Nec mirum Angelos malos sub duce malo sese in Deum exstulisse. Licet enim superbus libentius pareat superiori quam prope aequali; si tamen iste prope aequalis sit ille idem qui superbiam stimulat, et qui suum dominium in superbiae explicationem exercet, minus displicet superbi socii dominium ad superbiae placita prosequenda, quam dominium illius, qui omnem superbiam supremo suo iure calcat. Non est

[1] II Dist. IX, c. 2.
[2] II Dist. VI, a. 1, q. 1.
[3] MATTH. XII, 24; IX, 34.
[4] MATTH. XXIV, 41.
[5] APOC. XII, 7.

igitur illogicum quod inferiores Angeli se Lucifero rebellionis capiti potius subiecerint quam Deo. Ast subiectio, quam rebellaturi libenter acceptarunt, facta est ipsis iam damnatis causa humiliationis, quae, quum poenitentiam inducere non possit, duram cum odio et invidia servitutem iugiter parit.

4) Quodsi obiicias doctrinam hucusque expositam de lapsu daemonum absque mora, quasi seductio illa aliquid temporis exegisset ut se explicare potuisset, recolenda sunt quae in articulo praecedenti, imo et superius diximus de promptitudine operationis angelicae. Unde sicuti in instanti potuit peccatum a superbia se per invidiam evolvere in odium Dei, ita quoque a rebellione Luciferi potuit unico ictu se extendere usque ad rebellionem infimi ex angelis malis. Fuit ergo inter lapsum Satanae et angelorum eius subordinatio causalis, at non ideo successio temporalis. Non desunt tamen, uti mox videbimus, qui inter rebellionem Luciferi et seductionem angelorum eius aliquam temporis successionem admittant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 4.

2. Obi. Negligit dicta, n. 3.

3. Obi. Tripliciter haec obiectio deficit. *a*) Non ponderat intensitatem, quae facit actus malitiam, et quae sequitur virtutem agentis. *b*) Insuper praetermittit malitiam specialem, quae habetur in causa lapsus aliorum. *c*) Demum negligit ordinem perfectionis naturalis, iuxta quam Angeli inferiores superiori iam suberant Lucifero. Nam, quidquid aliquis teneat de huius excellentia prae omnibus prorsus Angelis, nemo negat, Satanam esse omnium daemonum natura supremum.

Sed contra est. Huc spectant verba Apocalypseos: « Et « factum est praelium magnum in caelo: Michaël et Angeli « eius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et An- « geli eius. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum « amplius in caelo. Et proiectus est draco ille magnus, ser- « pens antiquus, qui vocatur Diabolus et Satanas, qui seducit « universum orbem; et proiectus est in terram, et Angeli « eius cum illo missi sunt » [1].

Imo verba praecedentia insinuare videntur, occasionem rebellionis draconis antiqui fuisse invidiam de Virgine Chri-

[1] Apoc. xii, 7, sqq.

stum paritura: « Et signum magnum apparuit in caelo: Mu-
« lier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius
« corona stellarum duodecim: et in utero habens, clamabat
« parturiens, et cruciabatur, ut pariat [1]. Et visum est aliud
« signum in caelo: et ecce draco magnus rufus, habens ca-
« pita septem, et cornua decem: et in capitibus eius diade-
« mata septem, et cauda eius trahebat tertiam partem stel-
« larum caeli, et misit eas in terram, et draco stetit ante
« mulierem, quae erat paritura: ut, cum peperisset, filium
« eius devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus
« erat omnes gentes in virga ferrea; et raptus est filius eius
« ad Deum et ad thronum eius » [2].

Huc afferri quoque solent verba Isaiae: « Tu populum
« tuum occidisti » [3]; et Ezechielis: « Æmulata sunt eum omnia
« ligna voluptatis quae erant in paradiso Dei » [4]; et Iob: « Ipse
« est rex super universos filios superbiae » [5].

Nexum inter daemonem principem et exercitum eius ita describit S. Gregorius Magnus: « Sicut idem Redemptor noster
« una persona est cum congregatione bonorum; ipse namque
« caput est corporis et nos huius capitis corpus: ita antiquus
« hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum:
« quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput praeminet: illi
» autem dum ad persuasa deserviunt, velut subiunctum ca-
« piti corpus inhaerent » [6]. Quod brevius dixerat Augustinus:
« Est enim ipse caput impiorum, qui eius sunt quodammodo
« corpus » [7]. Inde plenus de serpente triumphus semini mulieris promittitur, quando in ipso paradiso caput serpentis contriturum celebratur [8].

De ordine autem, quem inter se daemones sub Lucifero capite servant, inferius dicemus [9].

[1] Haec ultima verba in ista interpretatione sunt intelligenda de spirituali maternitate Mariae, quatenus, sicut Christus semper a malo spiritu impugnatur, ita Maria fratres Christi nonnisi in dolore parere potest.

[2] Ibid. 1-5.

[3] Ps. CXII, 20.

[4] EZECH. XXXI, 9.

[5] XLI, 25.

[6] *Moral.* l. IV, c. 14.

[7] *De doctr. Christi,* l. III, c. 31, et 37.

[8] GEN. III, 15.

[9] Q. CIX.

In Corpore. En schema doctrinae:

- Peccatum primi Angeli fuisse aliis causam peccandi,
  - I) probatur:
    - 1) id suadet Scriptura,
      - *a)* quoad ipsam seductionem (*Apoc.* XII.);
      - *b)* quoad seductionis poenam (*Mth.* XXV.)
    - 2) est consonum influxui superioris angeli in inferiores;
  - II) illustratur:
    - 1) quoad seductionem rebellionis:
      - *a)* per se magis placet parere superiori (Deo), quam inferiori (Lucifero);
      - *b)* at per accidens, superbo magis placet sequi caput rebellionis, etsi per se inferius;
    - 2) quoad poenam seductionis:
      - *a)* aequum est ut peccans in poena subsit ei, cui seductus cessit;
      - *b)* at per poenam Deus in ordinem iustitiae reducit, quos libere deficere permisit.

Resp. ad 1.m Non omnes theologi hanc difficultatem eodem modo solvunt; imo non desunt, qui inter peccatum Luciferi et aliorum daemonum ponant successionem non solum originis, sed et temporis. En quomodo de hoc argumento discurrit S. Bonaventura.

- De ordine inter peccatum Luciferi et aliorum daemonum triplex opinio:
  - 1a opinio:
    - *a)* admittit ordinem gradus (peccatum Luciferi maius),
    - *b)* sed negat ordinem originis ac temporis;
  - 2a opinio:
    - *a)* admittit pariter ordinem gradus,
    - *b)* insuper ordinem originis,
      - α) non solum ratione exempli,
      - β) sed et ratione suggestionis,
    - *c)* negat autem ordinem temporis;
    - (Sententia S. Thomae)
  - 3a opinio:
    - *a)* admittit ordinem gradus
    - *b)* ordinem originis, ratione exempli,
    - *c)* demum ordinem temporis.
    - (Sententia S. Bonaventurae)

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli apparet, quanta maledictione dignus sit princeps ille daemonum, quippe cuius rebellio fuit occasio tantae ruinae, non modo inter ordines angelicos in caelo, sed inter homines in terra. Ipse enim « seducit universum orbem » [1]; nec solum est « ille homicida « ab initio » [2], sed, si ita loqui liceat, angelicida. Unde non parvum est depravatae nostrae aetatis a Christo apostatae signum, cultus ille Satanae redivivus, et laus vere infernalis, quam addicti Lucifero superbiae suo et rebellionis capiti decernere non verentur. Inter quos apud Italos eminent

[1] Apoc. XII, 9.
Ioann. VIII, 44.

Iosue Carducci, qui Satanam hymno celebravit, et Stecchetti, qui exclamare non erubuit:

> « *Sia benedetto Satana,*
> « *Che porse il pomo del peccato ad Eva* ».

Nonne revera advenisse putanda sunt tempora, quae Ioannes praenuntiabat his verbis: « Et vidi de mari bestiam « ascendentem, habentem capita septem et cornua decem, « et super cornua eius decem diademata, et super capita « eius nomina blasphemiae. Et bestia quam vidi, similis erat « pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os « leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem « magnam..... Et adoraverunt draconem, qui dedit potesta- « tem bestiae, et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis « bestiae? et quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei « os loquens magna et blasphemias... Et aperuit os suum in « blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et taber- « naculum eius, et eos qui in caelo habitant. Et est datum « illi bellum facere cum sanctis et vincere eos. Et data est « illi potestas in omnem tribum et populum et linguam et « gentem, et adoraverunt eam omnes qui habitant terram; « quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni, qui « occisus est ab origine mundi » [1].

Nonne sub hac descriptione agnoscenda videtur societas illa tenebrosa, in Satanae cultum tendens, cuius caput nomen gestat a verbis Isaiae inspiratum: « Quomodo cecidisti, Luci- « fer, qui mane *oriebaris?* ».

Sed de actione daemonum in perdendos homines, deque gemina civitate Christi et Belial tam pulchre ab Augustino descripta, inferius sermo redibit [2].

Placet tamen afferre pulcherrima verba, quibus describit « has duas angelicas societates, unam fruentem Deo, alteram « tumentem typho; - unam cui dicitur: " Adorate eum omnes « Angeli eius " [3], aliam cuius princeps dicit: « Haec omnia

[1] Apoc. xiii, 1, sqq.

[2] De hac actione daemonum nuperrime scripsit Can. Magnier (*Dissertations et discussions exégétiques. — Deuxième dissertation. Intervention extérieure du démon dans la chute de l'humanité et dans l'opposition à son relèvement par la Rédemption.* — p. 115-198).

[3] Ps. xcvi.

« tibi dabo, si prostratus adoraveris me "[1]; - unam Dei sancto « amore flagrantem, alteram propriae celsitudinis immundo « amore fumantem; - et, quoniam scriptum est: " Deus super- « bis resistit, humilibus autem dat gratiam "[2], illam in caelis « caelorum habitantem, istam inde deiectam in hoc infimo « aëreo caelo tumultuantem; - illam luminosa pietate tran- « quillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam; - illam « Dei metu clementer subvenientem, iusta ulciscentem; istam « suo fastu subdendi et nocendi libidine exaestuantem; - « illam, ut quantum vult consulat, Dei bonitatis ministram; « istam, ne quantum vult noceat Dei potestate frenatam; - « illam huic illudentem, ut nolens prosit persecutionibus « suis; hanc illi invidentem, cum peregrinos colligit suos;.... « unam et natura bonam et voluntate rectam, aliam vero « natura bonam, sed voluntate perversam »[3].

ARTICULUS IX.

UTRUM TOT PECCAVERUNT, QUOT PERMANSERUNT.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Proportionem existentem quoad numerum inter Angelos et daemones potuisset nobis Deus revelare, si hanc cognitionem saluti nostrae utilem fore iudicasset. At nihil expresse de hac re Scripturae nobis tradunt.

Ad summum posset huc adduci parabola de centum ovibus; quatenus, si revera genus humanum est illa ovis perdita, et si genus nostrum est conditum ad reparandum numerum primaevum Angelorum, plures sane numero dicendi sunt Angeli quam daemones.

2) Deficiente porro apodictico argumento auctoritatis revelato, si rationem consulimus, eadem suadetur conclusio. Natura enim angelica, qualem Deus condidit, erat undequaque optima, nullo pondere in malum proclivis. Iam vero natura per se magis tendit in ea quae sunt iuxta naturam, quam in ea quae sunt contra naturam. Atqui in natura spirituali optima malum, licet naturale in quantum fluit ex usu

[1] MATTH. III.
[2] IAC. IV; I PETR. V.
[3] *De Civit. Dei*, l. XI, c. 33.

liberi arbitrii, erat tamen contra naturam, quatenus nulla naturae vis in id impellebat. Ergo in tali natura malum non fuit nisi in paucioribus.

3) Nec obiicias hominem uti nunc est, lapsum scilicet, et peccato originali in sensualia proclivem. In tali utique homine, quia sensualia sunt ad captum omnium, spiritualia vero nonnisi ad captum pauciorum, maior datur inclinatio in malum quam in bonum, quum malum sit homini sensualibus duci potius quam spiritualibus. At si homines in originali integritate naturae suae elevatae permansissent, maior fuisset in humano genere inclinatio in bonum quam in malum.

4) Quaestio autem, utrum Angeli ceciderint ex omnibus ordinibus, pendet radicitus a quaestione superius investigata de conditione originali Luciferi. Si vera sit sententia Damasceni, et si Lucifer non fuerit nisi ex infimo ordine, sane nulla ratio habetur dicendi, e superioribus ordinibus Angelos cecidisse. E contra, si, quod communius tenetur, Lucifer sit natura omnium supremus, probabilissimum est, ex omnibus ordinibus quosdam esse lapsos. Quod, uti optime monet S. Thomas, concordat cum usu loquendi Scripturae, in qua, si de daemonibus non occurrunt nomina, quae charitatem aut beatitudinem involvunt, alia tamen hierarchica nomina habentur, quae diversos gradus significant naturalis perfectionis atque potestatis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad rationem et limitationem huius effati.

2. Obi. Arguit ac si eadem esset Angelorum et hominum conditio. Iam vero hoc falsissimum est, quum Angelus sit spiritus purus, qui nihil in se habet unde in diversa trahatur, et sensibilium amore a spiritualibus avocetur. Aliter dicendum esset de comparatione inter Angelum et hominem in originali iustitia ac integritate constitutum. Sed neque tunc perfecta adesset paritas.

3. Obi. Non considerat dicta n. 4.

Sed contra est. Doctrina hic exposita de minori numero daemonum exhibetur a S. Augustino ut omnino certa. Ait enim: « quia peccatum est, non ideo cuncta sunt impleta

« peccatis, cum bonorum longe maius numerus in caelesti-
« bus suae naturae ordinem servet [1].

Et sane pluries in Scripturis multitudo Angelorum bonorum describitur uti prope immensa [2]; dum pro daemonibus nulla tanta enumeratio occurrit.

In Corpore. En doctrinam schemate expressam:

- Angeli lapsi
  - 1) minores numero fuerunt quam qui ceciderunt:
    - *a*) peccatum est contra inclinationem naturae integrae;
    - *b*) haec autem ratio non valet de homine in statu naturae lapso.
  - 2) et quidem ex omnibus ordinibus (supposito Lucifero supremi ordinis):
    - *a*) a priori suadetur ex eadem lege: deficere enim posse, pertinet ad quemvis ordinem;
    - *b*) a posteriori suadetur ex modo loquendi Scripturarum:
      - α) tribuuntur daemonibus e variis passim ordinibus nomina;
      - β) nisi sint talia, quae involvant charitatem (uti Seraphim, etc.).

Resp. ad 3m. Doctrina hic a S. Thoma exposita communis est in Schola. Hugo Victorinus simpliciter ait: « De quolibet « ordine aliqui ceciderunt » [3]. Et S. Bonaventura breviter dicit: « Secundum quod Sancti dicunt et accipiunt ex Scrip-« tura, de omnibus ordinibus aliqui lapsi sunt,... et ratio per-« suadet. Cum enim de supremo ordine aliqui avulsi sint, « ut lucifer, credendum est quod omnes senserint aliquam « ruinam » [4].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum Angeli sint a Deo cum libero arbitrio creati, nec ab initio in beatitudine visionis constituti, consequens est, Angelos potuisse, nisi a Deo impedirentur, per abusum liberi arbitrii deficere (a. 1). Angelorum autem peccatum non potuit consistere nisi in bono spirituali inordinate appetito per superbiam et invidiam (a. 2); in qua superbia et invidia, saltem implicite, continebatur appetitus similitudinis cum Deo, (a. 3).

[1] Ibid. c. 23.
[2] Matth. xxvi, 53; Apoc. v, 11; Dan. viii, 10.
[3] L. I *de Sacram.* p. v, c. 30.
[4] II Sent. dist. vi, a. 1. q. 2.

2) Non igitur Angeli creati sunt mali, sed ab auctore summe bono natura boni, in bonum universale ordinati (a. 4); nec imo in primo instanti suae creationis propria voluntate mali sunt effecti, quum creati sint cum motione initiali in bonum (a. 5); sed absque mora in instanti sequenti meritum initialis boni motus per actum elicitum oppositum extinxerint (a. 6).

3) Porro qui Lucifer in Scripturis exhibetur daemonum antesignanus, probabilius fuit ex ordine supremo supremus, inde superbiae maioris in seipso reperiens stimulum (a. 7); quo stimulo non ipse dumtaxat victus est, sed aliorum superbiam instantaneo veluti ictu excitavit (a. 8). Quot autem secum in ruinam traxerit, certo non constat; minores tamen numero credendi sunt daemones quam Angeli, et probabilius ex omnibus ordinibus (a. 9).

B) DE DAEMONUM POENA SEU DAMNATIONE.

QUAESTIO LXIV.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur.

Quaeritur de poena daemonum:
- 1) quoad utramque facultatem puri spiritus:
  - *a*) de obtenebratione intellectus (a. 1),
  - *b*) de obstinatione voluntatis (a. 2);
- 2) quoad affectum, qui videtur habere aliquid ordinis inferioris (a. 3);
- 3) quoad relationem ad locum (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM INTELLECTUS DAEMONIS SIT OBTENEBRATUS PER PRIVATIONEM COGNITIONIS OMNIS VERITATIS.

I. **De ipsa Quaestione**. - 1) Paucis hanc quaestionem absolvere possumus, distinguendo in cognitione daemonum quid de primaeva cognitione servaverint, et quid iugiter a tempore suae damnationis de novo cognoscant.

2) Cognitio originalis daemonum, iuxta doctrinam superius expositam, fuit triplex: *a*) cognitio naturalis, fluens ex spiritualitate naturae angelicae, cuius obiectum in Quaestioni-

bus LVI et LVII investigavimus; *b*) cognitio supernaturalis imperfecta, consistens in revelatione aliquorum mysteriorum gratiae iuxta mensuram ab ipso Deo praestitutam; *c*) cognitio supernaturalis perfecta, movens non solum speculative intellectum, sed et involvens quemdam bonum affectum voluntatis.

Iam vero *a*) prima cognitio naturalis in daemonibus remansit integra, sicuti integra remansit natura spiritualis angelorum malorum: non enim huiusmodi est haec natura, ut parte possit minui, quin pereat. *b*) Cognitio secunda, seu supernaturalis imperfecta, in daemonibus quoad quaedam remanet, sed imminuta; quia partem suae lucis derivat a gratia, quae gratia totaliter eis aufertur. *c*) A fortiori cognitio supernaturalis perfecta non modo minuitur, sed ex toto tollitur. Quare fidem non amplius habent veram illam, quae per gratiam a docili voluntate imperatur, etsi dictamina quaedam fidei retinent, quum sciant Deum esse veritatis revelatae omniscium auctorem. Unde bene card. Toletus tres rationes adducit, ob quas fides non est amplius in daemonibus admittenda: quia fides est 1) sperandarum substantia rerum, 2) donum infusum cum quadam bona inclinatione voluntatis, 3) initium iustificationis.

3) Porro licet praesens cognitio daemonum quantum ad obiecta sit minor cognitione, quam ab origine habuerunt, non ideo in naturali cognitione, quam servaverunt, non potuerunt decursu temporis proficere. Imo in ea proficiunt *a*) naturaliter ope scientiae experimentalis, quam quo modo acquirant, superius iuxta varias de hoc argumento sententias investigavimus. - Adde *b*) novas manifestationes veritatum, quas, citra gratiam et ordinem ad Deum, possunt accipere vel immediate a Deo, vel mediate per Angelos.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si anima nostra eodem modo se haberet ad cognitionem substantiarum separatarum ac natura angelica. Quod falsum est.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) supponendo daemones nullomodo cognoscere Deum; *b*) non distinguendo inter cognitionem naturalem et supernaturalem Dei. Quare haec obiectio, sicuti et praecedens, non solum solvitur, sed et validissime retorquetur.

3. Obi. Abstrahit a doctrina Augustini de scientia vespertina pro daemonibus versa in noctem.

4. Obi. Arguit ac si nullum daretur medium inter plenam et nullam cognitionem mysterii regni Dei. Plenam nunquam habuerunt; partialem originalem nunquam emiserunt, nisi in quantum in lumine gratiae radicatur; imo, iuxta dicta 3) *b*), novas quasdam cognitiones iam lapsi accipere potuerunt.

5. Obi. Deficit quoad singula media quae recusat: *a*) quoad primum, quia praetermittit virtutem permanentis naturae; *b*) quoad secundum, quia non attendit ad ordinem providentiae de quibusdam mysteriis daemonibus revelandis; *c*) quoad tertium, quia supponit, nullam dari cognitionem experimentalem nisi ope sensuum.

Sed contra est. Doctrina huius articuli tota continetur in verbis Geneseos, quibus calliditas serpentis antiqui extollitur. – Continetur quoque in verbis S. Iacobi: « Daemones « credunt et contremiscunt » [1].

Quidquid autem est scientiae affectivae a daemonibus auferri, potest a pari illustrari per verba Evangelii: « Qui enim « habet, dabitur illi; et qui non habet, etiam quod habet, aufe- « retur ab eo » [2].

In corpore. Doctrina huius articuli sequenti schemate exhibetur.

- In daemonibus cognitio veritatis
  - I) per naturam
    - 1) remansit, remanente ipsa natura, cum speciebus sibi ingenitis;
    - 2) etiam de Deo naturaliter cognito, at sine relatione ad Deum, et inde vespertina versa in noctem;
    - 3) imo haec cognitio naturalis in daemonibus augetur per experientiam, at non talem, quae accipiat a sensibus;
  - II) per gratiam, scilicet
    - 1) speculativa tantum
      - *a*) remansit, sed imminuta;
      - *b*) ita de Incarnatione aliquid suspicabantur, at sine certitudine;
    - 2) affectiva producens amorem
      - *a*) totaliter fuit ablata,
      - *b*) aut saltem in hypothesi, quod eam numquam habuerint, ea prorsus carent.

[1] Iac. 2.
Marc. iv.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli sequitur quanta cura nobis cavendum sit a malitia daemonum, ne fraudibus eorum circumveniamur. Unde Paulus exclamat: « Induite vos « armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; « quoniam non est nobis (scil. dumtaxat) colluctatio adversus « carnem et sanguinem, sed (quod adhuc terribilius est) ad- « versus principes et potestates, adversus mundi rectores « tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelesti- « bus » [1]. Unde Ecclesia in Litaniis nos orare docet, ut « ab « insidiis diaboli » nos Dominus liberare dignetur.

ARTICULUS II.

UTRUM VOLUNTAS DAEMONUM SIT OBSTINATA IN MALO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Famosa est in christiana theologia quaestio de aeterna sorte daemonum et hominum damnatorum. Et quidem fides docet, - quod in tractatu *de Novissimis* fuse pro hominibus illustrabimus, - nec daemonibus nec ipsis hominibus damnatis dari locum poenitentiae et reditui ad iustitiae viam. Hic de daemonibus est agendum.

2) Iam vero de daemonibus, sicuti et de hominibus, duplex quaestio moveri possit: *a*) utrum sint in malo obstinati, *b*) quaenam sit huius obstinationis ratio.

Et sane daemones in malo esse aliqualiter obstinatos, ex ipsa eorum aeterna damnatione probatur. Finge enim daemones a suo malo converti et ad iustitiam redire, quomodo possent aeterna poena cruciari, qui aliqualiter iusti evasissent? Unicum medium hanc positionem salvandi esset, ut diceretur, daemones non posse quidem ita converti ut ad plenam iustitiam redeant, posse tamen a suo malo averti; ac proin damnationem in eis tolli, quatenus cruciatibus non amplius affligantur, sed non quatenus beatitudinis aeternae reddantur capaces. At haec apocatastasis mitigata nullum habet in traditione vestigium; imo est contra modum, quo daemones in Scripturis describuntur, sine discrimine inter daemones malo adhuc affixos et a malo suo aversos. Imo, uti mox vide-

[1] Ephes. vi, 11, 12.

bimus, haec positio non satis attendit specialem conditionem naturae angelicae.

3) Quaerenda est igitur ratio obstinationis, qua daemones malo suo manent in aeternum affixi. Haec autem ratio potest quaeri *a*) extra daemonem, vel *b*) in ipso daemone.

a) *Extra daemonem* nulla alia dari potest, nisi α) conditio in qua sunt, et β) dispositio Dei erga illos. α) Prima ratio petitur a conditione termini: quatenus stadium viae pro daemonibus est clausum, ac proin ipsi sibi determinarunt sortem. Quae ratio, licet in homine magis sit urgenda quam in daemone, quia magis influit in internam conditionem hominis quam in daemone, habet tamen et pro daemone magnam vim; quatenus sufficit ut explicet aeternam daemonum a beatitudine exclusionem.

β) Altera ratio petitur a firmitate actus, quo Deus daemones a beatitudine excludit. Si enim Deus definitivum de daemonibus tulit iudicium: sicut ponuntur in termino, quia clausum est pro eis stadium viae, ita excluduntur a divina misericordia, quia firmum de eis latum est iudicium. Et sane, ubi agitur de fine supernaturali nonnisi per gratiam attingendo, sufficit remotio gratiae, obserato gratiae fonte, ut sequatur restitutionis impossibilitas. Illud enim « *nescio vos* », quod stultas a nuptiis depellit virgines, sufficit ut et daemones, clausa ianua, exclusi in aeternum foris teneantur.

b) Sed et *intra daemonem* quaeri potest ratio huius exclusionis aeternae, eaque pariter duplex: α) malitia peccati commissi, β) malitia ipsius peccantis. α) Prima ratio sane, per se, non sufficit pro omnibus peccatis mortalibus. Nam secus, quomodo posset homo per stadium viae poenitentiam agere de multis peccatis et ad iustitiam redire? quod neque propter indolem viae, nec propter divinae misericordiae favorem possibile esset, nisi ista peccata essent in se talia, a quibus detur resipiscentia. Ergo, si in daemonibus sit aliqua ratio obstinationis aeternae ob indolem peccati commissi, id valere non potest nisi de quodam peccato ex natura sua tantopere cum obstinatione connexo, ut intuitu huius nexus dicendum sit involvere obstinationem. Porro si iam in homine tale peccatum datur, commissum quippe in Spiritum Sanctum, a fortiori id de daemonibus dicendum erit. Sed penitius in indolem

huius peccati inquirenti apparet, rationem irremissibilitatis eiusdem reponendam esse in *obstinatione perfecta,* quam in peccante supponit.

β) Haec igitur obstinatio in daemonibus est intrinseca ratio eorum exclusionis a quovis reditu ad iustitiam. Ita enim, iuxta doctrinam S. Thomae, spiritus angelici sunt in evolutione suae voluntatis perfecti, ut, quotiescumque totum obiectum intellectu penetrant, antequam voluntate in id ferantur aut ab eo refugiant, plena voluntatis virtute in obiectum tendant aut ab eo se avertant. Etiamsi ergo viae stadium aliunde non clauderetur, clauditur per ipsam decisivam daemonum electionem. Quare, sicuti bonum inamissibiliter amplectuntur, ita malo sine poenitentia adhaerent. Iam vero haec plena apprehensio et perfecta voluntatis applicatio imprimis ponenda est circa obiectum a quo, sive ex natura ipsius obiecti, sive ex positiva Dei voluntate et propositione, pendebat ipse Angelorum finis.

4) Dixi *quotiescumque,* nam, ubi non adfuit haec obiecti comprehensio, nec ista plena voluntatis intentio, potest in ipsis Angelis haberi mutatio. Quae in ipso initio explicationis libertatis angelicae apparet. Nam, uti vidimus, omnes in gratia initiali creati sunt, imo cum merito initiali, ob motum in bonum eis a Creatore inditum. At, quum iste motus non fuerit fructus perfectae deliberationis circa obiectum propria mentis operatione apprehensum, nondum firmabat angelicam voluntatem [1].

Pariter, ubi mutatur Angeli cognitio, v. gr., ob novas revelationes, vel ob eventus sese evolventes alio modo ac praevidebantur, nihil impedit quominus Angeli nunc unam rem, nunc aliam velint: uti legitur de Angelo Persarum apud Danielem [2]. Ita et in passione Domini daemones usque ad exitum haesitantes apparent, fluctuantes scilicet ex ignorantia inter odium et metum. Unde quo magis dilatatur spatium mutationis a parte intellectus, eo magis pariter ampliatur campus mutabilitatis voluntatis angelicae. Inde nil mirum

[1] Vides proin, ex hoc primo motu mox per motum oppositum extincto, Cardinalem Toletum non solide arguere contra doctrinam S. Thomae de firmitate adhaesionis mentis angelicae.

[2] Dan. x.

quod theologi, qui, uti Cl. Schell, cognitionem acquisitam in Angelis urgent prae speciebus infusis [1], mutabilitatem intrinsecam voluntatis angelicae instantius urgent [2].

5) Non omnes tamen theologi admittunt illam naturalem inflexibilitatem voluntatis angelicae. *a*) Sunt inter ipsos Thomistas [3], qui eam redigant ad magnam quamdam mutabilitatis difficultatem, iuxta verba Damasceni: « Angeli aegre « difficulterque in malum mobiles, sed non immobiles: nunc « autem immobiles, non natura, sed gratia et Dei assistentia » [4].

b) Imo non pauci, cum Scoto, Toleto, Suarez, Molina, etc., contendunt, nullam immobilitatis angelicae dari causam intrinsecam ex natura angelica, sed extrinsecam, qualem superius exposuimus ex subtracta gratia et clauso viae stadio. Qui in suam sententiam adducunt verba Clementis: « Diabolus quum liberum haberet arbitrium, et duci posset poenitentia et furari, ipse furti causa est, non Dominus » [5]; necnon Fulgentii: « Si possibile esset, ut humana natura, « postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex « seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hoc « natura haberet angelica » [6].

Quin ipse Toletus contendit, Angelis malis poenitentiae datum esse spatium. Sed, quaeso, si hoc spatium eis est datum, quomodo explicari posset, inter tot in peccatum lapsos nullum prorsus poenitentia ductum ad iustitiam rediisse? Nam Angelos bonos distribui in innocentes et poenitentes, est res inaudita nimis.

6) Fatemur quidem, in hac re magnam disquisitioni theologicae, imo philosophicae, relinquendam esse spatiandi libertatem. Nec recusamus efficaciam sententiae, quae contendit, sufficere exclusionem irremediabilem a regno et a gratia, ad aeternitatem damnationis daemonum explicandam. Utrum autem per se sufficiat ad rationem reddendam eorumdem malitiae in aeternum obstinatae, alia sane subtilior quaestio

[1] Cf. longam dissertationem de hoc argumento (op. cit. p. 201, sqq.).

[2] Ibid. p. 221, sqq.; p. 258, sqq.

[3] Cf. Billuart, qui tamen ipse strictiori Thomismo in hac questione adhaeret.

[4] Lib. II, c. 3.

[5] *Stromat.* I.

[6] *De fide ad Petr.* I, c. 3. — Hic textus sane, si valeat, nonnisi indirecte valet.

est; quam puto potius negative solvendam [1]. Unde mirum non est, quosdam theologos ad aliud se recepisse. Ita Gabriel censet, Deum producere atque iugiter conservare in voluntate damnati odium quoddam Dei; Aureolus mitius existimat, Deum producere saltem in voluntate damnati habitum intensissimum inclinantem necessario in idem peccatum; alii cum Toleto, Suarezio, contendunt, odium Dei in damnatis provocari non solum negative per exclusionem a regno et a gratia, sed ex consideratione iugiter actuali poenarum aeternarum.

Sed de his sententiis discussio recurret in tractatu *de Novissimis*. Interim monere liceat, sententiam S. Thomae, recte intellectam et mensurate expositam [2], daemonum obstinationem ac ideo aeternam damnationem facilius explicare [3]. Quousque autem ad animas separatas applicari possit, alibi investigabimus [4].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Eodem modo arguit de libero arbitrio ante et post.

2. Obi. Supponit, daemones esse poenitentiae capaces. Quare si haec obiectio valeret, usque ad Origenistarum apocatastasim urgeri posset.

3. Obi. Confundit in peccato pravum affectum et spem obtinendi effectus.

4. Obi. Supponit nonnisi ideo hominem reparari potuisse, quia per alium, scilicet per daemonem, cecidit. Insuper non idem fuit influxus serpentis in Evam, qui Luciferi in inferiores angelos.

5. Obi. Non distinguit inter opus bonum perfectum et imperfectum. Cf. addenda in fine articuli.

[1] Hoc et bene illustrat Cl. SCHELL, qui se recipit ad « mysterium divinae iusti- « tiae, *ein Geheimnis der göttlichen Gerechtigkeit, ein Gesetz der Vorsehung zur « Herbeiführung eines endgiltigen Zustandes* ». (op. cit. p. 259). Sed estne haec solutio potius quam solutionis evasio?

[2] Lege moderatam expositionem huius sententiae apud Sylvium et Billuart; quarum sententiam Cl. SCHELL (op. cit. p. 230) nimis confundit cum longe diversa sententia Toleti et Suarezii.

[3] Hoc sane in thomistica sententia magis placet, quod damnationem ad poenas aeternas exhibeat tanquam obstinationis effectum potius quam causam.

[4] Lege de hoc argumento subtilem inquisitionem P. GREDT O. S. B., cui titulus: « *Die Sünde und ihre Auswirkung im Jenseits* (*Jahrbuch für Philosophie*, etc. XVI, p. 406, sqq.).

Sed contra est. Ex Scripturis praesens veritas apodictice demonstratur per verba Christi: « Ite, maledicti, in ignem « aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius » [1]. Et sane, cur in aeternum eis ignis praeparatus est, nisi quia sunt in aeternum puniendi? et cur sunt in aeternum puniendi, nisi quia sunt in aversione sua a Deo obstinati? - Inde modus absolutus quo damnationem daemonum S. Petrus describit: « Deus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos « in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari » [2]; et S. Iudas expresse ait: « Angelos vinculis aeternis sub cali- « gine reservavit » [3]. Adduci quoque huc solent verba Psalmistae: « Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper » [4]; necnon illa: « In inferno autem quis confitebitur tibi » [5]? Sed hae sententiae non habent nisi vim plus minusve accommodatitiam [6].

Ecclesia proclamavit aeternitatem poenarum daemonibus luendarum, declarando peccatores homines recepturos esse « secundum opera sua... cum diabolo poenam perpetuam » [7].

Praeter Origenem et asseclas eius, de quibus in appendice dicemus, Patres unanimi consensu affirmant irremediabilem esse daemonum sortem; rationem vero aeternae obstinationis daemonum non omnes repetunt ab indole eorum deliberationis, sive in bonum sive in malum, firmissimae. Mirum autem non est, si scriptores, qui de pura Angelorum spiritualitate minus clarum habebant conceptum, immobilitatem consequentem voluntatis angelicae minus perspexerint.

Optime S. Augustinus: « Nemo sanae fidei credit aut dicit, « apostatas Angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando « voluntate converti ». Et rationem affert: diabolus « non habet « liberum arbitrium ad bene faciendum, sed ad maximam ma- « levolentiam poena sui sceleris obduratum » [8]. Optime pariter

[1] Matth. xxv, 41.

[2] II Petr. ii, 4.

[3] Iud. 6.

[4] Ps. lxxiii, 23.

[5] Ps. vi, 2.

[6] Idem dic de verbis cantici Ezechiae: « Non infernus confitebitur tibi, neque « mors laudabit te; non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam ». (Is. xxxviii, 18).

[7] Cap. *Firmiter* (Denzinger, op. cit. n. 356).

[8] Ep. 107.

Fulgentius: « Neque diabolus neque aliquis Angelorum eius « ex quo ruinae illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi « caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem » [1]. Unde vides, iuxta Augustinum et Fulgentium obstinationem daemonum habere quidem rationem intrinsecam, firmitatem scilicet eorum voluntatis in malo plena scientia et toto nisu voluntatis apprehenso [2]; sed simul habere rationem poenae, quatenus Deus nunquam amplius illam voluntatem a malo convertet ad bonum. Haec autem poena supponit obstinationem, quae proin est principium ipsius damnationis aeternae iuxta effatum eiusdem Fulgentii: « nec mala possunt unquam voluntate carere, nec poena » [3].

In Corpore. En schema doctrinae.

- Obstinata est voluntas daemonum in malo.
  - I) Ponitur *factum:*
    - 1) ita diserte Scripturae;
    - 2) quare ut haeretica reiicienda est positio Origenis affirmantis reparabilitatem daemonum non solum in abstracto, sed et in concreto;
  - II) *Ratio facti* quaeritur:
    - 1) non est petenda a gravitate peccati per se:
      - *a*) apparet in homine: dum vivit, omnia peccata sunt reparabilia;
      - *b*) post mortem nullum lethale peccatum est amplius reparabile;
    - 2) nec mere ex defectu misericordiae divinae:
      - *a*) haec misericordia se exercet in venia danda poenitenti;
      - *b*) daemones extra stadium poenitentiae;
    - 3) sed ex daemonum conditione et natura:
      - *a*) ex conditione, nam probationis tempus est elapsum;
      - *b*) ex natura, nam
        - α) homo flexibilis ante et post,
        - β) purus spiritus flexibilis ante, non post.

Quaeres I. - Suntne daemones ita in malo obstinati, ut cuiusvis actus boni sint incapaces? - *Resp.* In daemonibus, quum non destruatur vitalitas naturae bonae, multi actus habentur in se boni. At non ideo sunt boni moraliter, ea bonitate quae, ut plena sit, duo involvit: ordinationem in finem, et quidem in finem supernaturalem. Iam vero, licet in

[1] *De fid. ad Petr.* c. 3.

[2] Consonat sententia S. Prosperi: « voluntatem ac facultatem redeundi ad Deum « penitus amiserunt » (*De vita contempl.* l. I, c. 3).

[3] Ibid.

Scripturis daemones legantur bonum interdum operati, uti testimonium reddentes de Jesu, etc., haec ordinatio actibus eorum semper defuit. Imo quo velocior est in daemonibus perspectio nexus actuum cum fine supremo, et quo tenacius odium ab hoc fine avertens, eo magis omnes daemonum actus, etsi quoad partem in se boni et maxime ordinabiles, hac ordinatione destituuntur.

Quaeres II. - Nonne saltem quoad venialia voluntas daemonum convertibilis est dicenda? - *Resp.* Non desunt theologi, qui in daemonibus possibilitatem peccati venialis negent, propter acumen intuitus nexum inter media et ultimum finem percipientis. At non omnino nos persuadet haec ratio, quum res pendeat radicitus a respectu medii ad finem. Saltem certum est, veniale peccatum in daemonibus possibile non fuisse relate ad finem et ad ea, quae, vel ex natura sua, vel ex positiva Dei ordinatione, necessario ad hunc finem conducebant. De reliquo, si quis in daemonibus, praeter hoc magnum mortale peccatum, ab ipso initio commissum et absque mora castigatum, aliud veniale peccatum fingat, quid impedit daemonum voluntatem quoad hoc quoque veniale peccatum dici obstinatam? Nam de venialibus, si quae dentur, daemones lapsos poenitentiam nullam egisse, certum est.

Quaeres III. - Quomodo possunt daemones remanere obstinati in rebellione contra Deum, quum inanitatem huius rebellionis experiantur, et Deum uti finem suum unicum agnoscant? - *Resp.* Sane daemones errorem sui peccati confitentur, exclamantes illud Sapientiae: « Nos insensati! [1] Ergo erra- « vimus! » [2]. Sed erroris confessio nondum est voluntatis in Deum conversio. In gravi enim peccato duo elementa habentur: aversio a Deo, et conversio ad creaturam. Licet ergo daemones videant inanitatem boni ad quod se contra Deum converterunt, non tamen ideo convertuntur ad Deum. Ratio est, quia haec conversio, veram poenitentiam inducens, supponit amorem; agnitio autem inanitatis peccati non parit per se amorem Dei; quin imo vacuitas conversionis simul

[1] Haec verba in musica descriptione ultimi iudicii Cl. Perosi ponit in ore damnatorum, quos turmatim decidentes in abyssum audis idem semper « Insensati! » desperate gementes, usquedum doloris lacus eos absorbeat.

[2] Sap. v, 4, 6.

stat cum obstinatione aversionis. Inde sequitur in daemonibus totalis amissio pacis [1]; inde circuitus ille rugiens et ferox [2], cuius nova iugiter deceptio cruciatum simul et furorem adauget.

Qui tamen furor stimulatur quadam ignorantia, quatenus daemones sciunt quidem se a Deo in aeternum extorres, sed ignorant quid contra Christum eiusque regnum valeant. At prava voluptas, quam in impugnando Christo sentiunt, est veluti oleum igni iniectum, quod, nedum extinguat, flammam alit et urget.

APPENDIX

de excessu apocatastatico Origenis.

Inter audaciores errores Origenis nomine divulgatos non ultimum locum tenet instauratio finalis malorum angelorum atque hominum. Quem errorem Alexandrinus doctor a Platonicis derivasse dicendus est. Plato enim, necnon et Tullius, censebant bonos post hanc vitam ad astra facere reditum; malos autem per varias mutationes primo in forma muliebri, dein, nisi resipiscant, in animali inferiori esse iactandos, usquedum « ad primam atque optimam affectionem animi » pervenerint [3]. Admittit tamen Plato scelestissimos aeterna poena damnari [4]. Quare et Virgilius de Theseo canit:

« *Sedet aeternumque sedebit*
Infelix Theseus » [5].

Daemones quippe, ait Platonicus Synesius, agunt uti fullones: quas nondum penitus peccata maculaverunt animas, poenis epurandas suscipiunt, sordibus autem nimis deturpatas irremediabili sorti relinquunt [6]. Similem doctrinam de angelis hominibusque malis tenuit Origenes.

Non defuerunt quidem, qui Alexandrinum ab hoc errore defendere sint conati [7]. Sed tam aperta sunt coaevorum testi-

[1] Cf. parabolam de forti armato.
[2] Cf. illud psalmi: « In circuitu impii ambulant ». Ps. XI, 9. — Cf. I, PETR. V, 8.
[3] *Tim.; de Univ.*
[4] Ibid.
[5] *Æneid.*, l. VI, v. 617, sq.
[6] Epist. 44.
[7] Uti Picus Mirandulanus, Iacobus Merlinus, Genebrardus, etc.

monia, ut vix dubium admittant. Ut Theophilum [1], et Athanasium [2] omittam, Hieronymus testatur, Origenem censuisse « post multa saecula atque unam omnium restitutionem, idip- « sum fore Gabrielem quod diabolum, Paulum quod Caipham, « virgines quod postibulas [3]; daemones « si voluerint capere « virtutes, pervenire ad Angelorum dignitatem » [4]; « diabo- « lum et daemones acturos poenitentiam aliquando et cum » Sanctis tempore regnaturos » [5]. Consonat Epiphanius, qui Origeni tribuit assertionem: « diabolum id rursus futurum « esse, quod fuerat, et ad eamdem rediturum dignitatem et « conscensurum regna caelorum » [6]. Sane, in libro de Haeresibus, inter Origenis errores [7] hanc apocatastasim Epiphanius non recenset; quod admirationem movet non levem [8]. Sed ex eiusdem Anacephaleosi seu Epitome, - quam Augustinus de haeresibus disputans citasse censendus est, - expresse tribuit Origeni errorem de instauratione finali universi. « Sunt « et alia, inquit, huius Origenis dogmata, quae Catholica « Ecclesia omnino non recipit: in quibus nec ipsum falso « arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari: maxime « de purgatione et liberatione; ac rursus post longum tem- « pus ad eadem mala revolutione rationali universae crea- « turae. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus vel « indoctus non vehementer exhorreat eam, quam dicit pur- « gationem malorum: id est etiam eos, qui hanc vitam in « flagitiis, facinoribus et sacrilegiis, atque impietatibus quam- « libet maximis finierunt: ipsum etiam postremo diabolum et « angelos eius, quamvis post longissima tempora purgatos « atque liberatos, regno Dei lucique restitui: et rursus post « longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad haec mala « denuo relabi et reverti: et has vices alternantes beatitu- « dinem et miseriarum rationalis creaturae semper fuisse,

[1] Hic insuper Origeni tribuit errorem asserentem, Christum pro daemonibus esse crucifigendum (Epist. 2 Pasch.).

[2] *De comm. essent.*

[3] Epist. 55 ad Pammach.

[4] Epist. 59 ad Arist.

[5] Epist. 61 ad ctr. Ioann. Hieros.

[6] Epist. ad Ioann. Hieros. ctr. Origen., ab Hieronymo latine translata.

[7] Haeres. 64.

[8] Sed in Anacephaleosi et in Synopsi ponitur error de regno Christi finem habituro cum ipsa sorte daemonum, iuxta verba Pauli II Cor. xv, 24.

« semper fore? » [1]. Ita de Origine iuxta Epiphanium Augustinus.

Praeter acta quae concilio oecumenico quinto tribui solent [2], in hoc errore Origeni tribuendo concordant Photius, Sophronius, Gennadius, S. Ioannes Damascenus. Nec mirum: inspecta enim Origenis opera hanc doctrinam manifesto suadent. Et sane in capite sexto primi libri operis Περὶ ἀρχῶν, - interprete utique Rufino, - apocatastasim daemonum lapsorum clare docet. Distinguit enim Origines inter daemones iuxta gravitatem culpae per quam ceciderunt. Qui levius deliquerunt, per custodiam bonorum Angelorum, si pareant rectoribus, beatitudini restituuntur: « Hi vero qui statu pri-« mae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremedia-« biliter moti, illis, quos supra descripsimus, sanctis beatisque « ordinibus subiecti sunt ad regendum: quorum adiutorio usi, « et institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire « ac restitui ad statum beatitudinis possunt ». Ast alii dantur, gravius delapsi, qui non solum tali institutione sint indigni, sed eidem rebelles, eruditis repugnent. Qui tamen possunt et in supremos ordines, at per suppliciorum spatia aliis longiora, restitui. « Interim tam in his quae videntur et tem-« poralibus saeculis, quam in illis quae non videntur et ae-« terna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo et meritorum dignitatibus dispensantur: ut alii in primis, « alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, et per « maiora ac graviora supplicia, nec non diuturna, ac multis, « ut ita dicam, saeculis [3] tolerata, asperioribus emendationibus

[1] *De haeres.* c. 18; cf. *De Civit. Dei* l. XI, c. 17. — Paucis hanc circulationem Origenis exprimebat HIERONYMUS: « De Angelis et Seraphim et Cherubim dicere « daemones et homines fieri ». *(Apost. 1 adv. Rufin.).*

[2] « Omnium impiorum hominum ipsorumque etiam daemonum tormenta finem « habitura: atque impios et daemones in priorem suum statum restitutum iri. Prae-« terea Christum oportere pro daemonibus crucifigi, et idipsum saepius per futura « saecula perpeti a spiritibus nequitiae, qui sunt in caelestibus ». Ita NICEPHORUS CALLISTI l. XVII, c. 27, 28. — Cf. canones huius Concilii afferri solitos (DENZINGER, op. cit., 187, sqq.).

[3] Magni momenti est haec terminologia. Per eam enim Origenes se excipit a sententia Christi (MATTH. XII, 32): « Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet « remissionem, neque in praesenti saeculo, neque in futuro; nec tamen sequitur: non « habet remissionem in futuro saeculo: ergo nec *in superventuris saeculis* ». (Tom. XIX in Ioann.). — Cf. lib. VI ctr. Celsum. — Monet tamen Origenes, hanc doctrinam non prudenter praedicari, ne, sublato aeterni supplicii metu, libentius vitiis indulgeatur.

« reparati et restituti, eruditionibus primo angelicis, tum « deinde etiam graduum virtutibus, et sic per singula ad supe- « riora provecti, usque ad ea quae sunt invisibilia et aeterna « perveniant, singulis videlicet quibusque caelestium virtu- « tum officiis quadam eruditione in specie peragratis ». Rationem autem huius mutabilitatis, sive in altiora sive in inferiora, repetit a " liberi arbitrii facultate ".

Inde in tomo XVIII in Ioannem, propter liberum arbitrium a pari, imo a fortiori arguens, angelis lapsis non minus quam hominibus docet confugium ad Salvatorem profuisse. « Existimo enim aliquot ex principibus obstupefactos propter « potentiam et divinitatem Iesu, confugisse ad eum et orasse « pro sibi subditis. Alioqui, cur, quaeso, homines poenitentiam recipiunt, ex infidelitateque ad fidem transeunt; idem « vero in potentiis dicere veremur? Vel nobis dicat aliquis « causam, cur homines carnem et sanguinem induti confu- « gere possint ad Deum per Christum; eos vero, qui puriori « natura utantur, idem non posse? sed omnes incapaces esse « credendi in Salvatorem, minimeque obstupescere propter « prodigiosas virtutes, quas ipse fecerit? At ego reor etiam « circa eas potentias (principatus quos vocant) aliquid factum « fuisse, immutatas in melius in Christi adventu ». Haec sane argumentatio supponit, Angelis quoque lapsis profuisse mortem Christi. Quod et docet Origenes; imo nec lapsis modo, sed et omnibus, quippe qui omnes aliqualiter venia indiguerint. « Absurdum est, ait, pro peccatis quidem humanis dicere « eum mortem gustasse, non ita vero pro quibuscumque etiam « aliis, qui praeter hominem in peccatis essent; verbi gratia « astris: nimirum neque astris omnino coram Deo puris exi- « stentibus » [1]. Unde Christus poenitentiam praedicavit non modo hominibus, sed et Angelis; ait enim, tam Ioannem Baptistam, « quam ipsum Salvatorem et hominibus et angelis et « virtutibus caeteris salutarem praedicasse poenitentiam: ut « in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium « et infernorum » [2].

Qui Origenem ab hisce excessibus defendere conantur, multi faciunt homiliae cuiusdam locum, in quo agnoscit,

[1] Tom. I in Ioann.

[2] *Homil. 23 in Lucam.*

daemonum quidem, at non hominum poenas fore aeternas. « Quum diabolus et angeli eius igni tradentur aeterno, Do- « mino nostro Iesu Christo sedente rege et iudice, et dicente « iis, qui priores et posteriores vicerunt: " Venite benedicti « Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est ab « origine mundi "; aliis autem dicet: " Ite in ignem aeternum, « quem praeparavit Deus diabolo et angelis eius "; donec omni « animae, quibus ipse novit remediis consulat, et omnis Israel « salvus fiat " » [1]. Sed haec non sunt Origenis, sed Hieronymi. Altera vero homilia, similem doctrinam exhibens [2], est ex variorum Patrum, maxime Gregorii M. dictis conflata.

Concludamus cum Petavio [3], Origenem quoad ἀποκατάστασιν damnatorum hominum certo errasse; de quo fusius alibi sermo redibit; de angelorum autem aeterna damnatione interdum ita locutum esse, ut, si textus illi inspiciantur seorsim, veram doctrinam exhibere videantur; at, nec illi textus suspicione vacant, cum doctrina alibi clarius exposita collati [4].

De aliis scriptoribus ecclesiasticis, qui ab Origenis placitis non satis recesserunt, praesertim de Gregorio Nysseno, data opera disseremus ubi de *Novissimis* [5].

ARTICULUS III.

UTRUM DOLOR SIT IN DAEMONIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dolor imprimis distingui solet secundum quod dicit passionem, qualem patiuntur entia vita animali dotata, vel passionem qui est actus voluntatis. Priori sensu in daemonibus repugnare dolorem, patet ex ipsa pura

[1] *Homil. 8 in Ios.*

[2] *Homil. 9 de Diversis.*

[3] Op. cit. l. III, c. 6.

[4] Et sane « aeternum » non semel Origenes sumit in sensu latiori; imo potest affirmare, daemonibus nec in saeculo futuro veniam esse concedendam, quin tamen omnem veniae spem ipsis adimat, propter distinctionem, quam alibi facit, inter saeculum futurum et alia subsecutura saecula.

[5] Interim lege PETAVIUM (op. cit. c. 7). Doleo Cl. P. IOANNEM STUFLER S. I. in opere « *Die Heiligkeit Gottes und der ewige Tod,* etc. » Innsbruck, 1903, de obstinatione malorum in altera vita disserentem, in doctrinam S. Thomae eiusque Scholae intemperanti calamo invexisse. Qui scribendi modus si provocat responsa duriora, quid mirum? — Cf. GUNDIS. FELDNER Mag. S. Th. O. Pr. (*Jahrbuch für Philosophie* etc. t. XIX, fasc. 1, p. 99, sqq.).

spiritualitate naturae angelicae. Ut enim talis dolor in daemonibus admitteretur, dicendum esset, daemones in poenam peccati ab ordine spirituali deiectos esse in ordinem animalem; quod est simul contra rationem et fidem.

2) At si dolor animalis in daemonibus adesse nequit, dolor spiritualis nequit ab illis abesse. Quaecumque enim inordinatio entis dolore capacis parit dolorem [1]. Iam vero quaenam inordinatio fuit maior illo peccato, quod ruina daemonum est subsecuta? Hinc de peccato ait Scriptura, quod, « cum consum- « matum fuerit, generat mortem » [2]. Mors enim in ente immortali symbolum est doloris acerbissimi, quippe qui ens destrueret, nisi perire non posset.

3) Hic autem dolor multipliciter in daemonibus distingui potest, secundum quod varie consideratur status ille miserabilis, cui seipsos culpabiliter alligarunt. Damnatorum hominum poena distingui solet in poenam damni et poenam sensuum. Stricte quidem haec divisio ad poenam daemonum extendi nequit; at nihilominus aliquid simile in eis reperitur. Alia enim poena, seu summa poenarum venit ipsis ab intrinseco, alia ab extrinseco; vel alia est essentialis seu primaria, alia accidentalis seu secundaria.

4) Poena *ab intrinseco, essentialis, primaria,* est dolor ille, qui provenit ab ipso deordinationis statu, in quem angelus lapsus per peccatum se induxit. Est autem *a*) imprimis ac radicitus deturpatio facultatum: intellectus aversi a vero superiori, voluntatis in malo obstinatae. Est proin *b*), in quo culmen attingit, aversio a Deo fine supremo, fonte omnis veri et boni; constans intuitus monstruosi status, quo Dei iram provocat, et a Deo, in quem tamen uti in finem suum vehementissimo se naturae impetu ferri sentit, vehementius

[1] Bene Cl. Petrus Rossi, in egregio opere cui titulus: « *Saggio di palingenesia oltremondana, Discorsi quattro* », nexum inter deordinationem et dolorem exponit. « Il sovvertimento subiettivo o volontario dell'ente razionale nelle sue facoltà e nelle « sue relazioni con l'ordine ontologico è ciò che costituisce il male morale e genera il « dolore » (p. 148 sq.). Unde recte concludit, peccatum non solum involvere poenalitatem uti consequens in principio, sed etiam producere et actuare: « Da ciò si vede « che il peccato non solo implica in germe la sua penalità, ma ancora più o meno la « produce ed attua; onde il peccatore porta dentro se stesso il suo inferno, lo svolge « e lo consuma mano mano che cresce nel male ed in esso finalmente si attua ». (Ibid.).

[2] Iac. I, 15.

depellitur unde ens totum crudelissime laceratur, seseque veluti destrueret, si posset. Uterque hic dolor respicit iugem daemonis statum, uti in instanti in quo versatur: quare dici potest verti *in praesens*. - *c*) Si autem causa huius status perpenditur, fertur *in praeteritum*, et est animi affectus circa malitiam voluntariam, qua daemon seipsum reddidit infelicem. Qui quidem affectus non est talis, qui salutarem poenitentiam inspiret; haec enim est principium reordinationis, ac proin gaudii. Est tamen affectus ex quo daemon odio vertitur in semetipsum, uti in sui mali auctorem, licet causae sui mali obstinate adhaereat; unde sentit, se iugiter esse suum ipse carnificem. - *d*) In quantum vero daemon videt sortem suam esse irremediabilem, dolor eius vertitur *in futurum*, veluti in noctem densissimam nullo alboris radio temperatam.

Verbo possumus dicere, dolorem daemonum ab intrinseco esse maxime tristitiam de praesenti, desiderium de praeterito, timorem de futuro.

5) Adde iam poenam *ab extrinseco, accidentalem, secundariam*. Est scilicet dolor seu dolorum summa, quae obvenit daemoni ex iis, quae, - praeter Deum, cuius nexum cum creatura intrinsecus est et essentialis, - sunt extra ipsum daemonem. Sunt autem praesertim tria: creatura rationalis, universum visibile, cruciatus instrumentum.

a) Relate ad *creaturam rationalem*, sive angelicam sive humanam, daemones afficiuntur *invidia*. Invident enim Angelis bonis, qui in primaeva iustitia perseverarunt; invident hominibus, qui, inferioris licet naturae, ad sedes in caelo vacuas restituendas destinantur. Fructus huius invidiae est odium illud insatiabile, quo, custodum Angelorum ministerium impugnantes, insidiis homines ad malum detrahunt.

b) Relate ad *universum visibile* afficiuntur *confusione*. Sentiunt enim se destitui ab illo principatu, quem in universum visibile regendum divinitus receperant. Sinuntur quidem adhuc opera quaedam virtutis exercere; sed absque illa auctoritate veluti regia, qua olim in res sibi inferiores pollebant. Inde delectantur, at sine vero gaudio, in male vexando, dum boni Angeli vere gaudent benefice gubernando.

c) Relate ad *cruciatus instrumentum* afficiuntur *aversione*, Sive enim aër, sive ignis eos detineat, carceri materiali, vili

et angusto, se detineri summopere abhorrescunt. *Tristitia* insuper afficiuntur summa, si a vero igne verum dolorem igni proprium sustineant.

6) Porro de *igne* illo, quo daemones cruciantur, quaestio movetur praesertim triplex: *a*) estne ignis ille materialiter, an symbolice intelligendus? - *b*) quomodo agit ille ignis in spiritus puros? - *c*) agitne etiam, et quomodo in spiritus in mundo pervagantes? - De duabus primis quaestionibus in hoc articulo, de tertia in articulo sequenti verbulum dicamus, plura de hoc argumento dicturi, ubi *de Novissimis* erit disserendum.

a) Etsi definitum non est, daemones igne vere materiali torqueri, longe tamen probabilius et communius tenetur, ignem esse vere materialem. Et sane, si talis ignis credendus est damnatos homines cruciare, rationabilius id quoque de daemonibus tenetur iuxta verba Christi: « Discedite a me « maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et « angelis eius » [1]. Secus idem ignis diceretur quidem materialis pro hominibus, figurativus pro daemonibus, quod in eadem sententia vix est admittendum.

Non ideo tamen negari potest, tormentum, quod supra descripsimus, sensu verissimo vocari ignem. Si enim Beda noster febrim confert igni, quem secum circumfert aegrotus, quanto magis ille doloris spiritualis ardor nomen ignis meretur? Unde, iuxta S. Thomam, « nomine ignis frequenter in « Scriptura quaelibet poena figurari consuevit » [2].

b) Admisso autem igne materiali, quomodo cruciare daemones intelligendus est? Haec quidem quaestio non eamdem habet difficultatem pro damnatis hominibus, post recuperata corpora. Sed pro animabus separatis est eadem. Quare illam differimus ad tractatum *de Novissimis*. Sufficiat interim fateri, sat multum nobis arridere sententiam Toleti, Durandi, Soti, etc. affirmantium, igne illo ita torqueri daemones, qualiter torquerentur, si corpora sibi haberent coniuncta. Hoc sane sentiebat S. Augustinus. Qui etiam admissa pura spiritualitate angelorum, haec scribit: « Cur etiam non dicamus, « quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorpo-

[1] MATTH. XXV, 41.

[2] II Sent. dist. XXXIII, q. 2, a. 1, ad 1.

« reos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum « etiam ipsi incorporei, et nunc potuerunt includi corporali- « bus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis « insolubiliter alligari? »

Et pergit mentem suam evolvens: « Adhaerebunt ergo .... « .... licet incorporei, corporis ignibus cruciandi: non ut ignes « ipsi, quibus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur, et « animalia fiant, quae constent spiritu et corpore; sed, ut « dixi, miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes « ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam: quia et iste « alius modus, quo corporibus adhaerent spiritus et animalia « fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine po- « test, ex hoc ipse homo est ». Haec profundissime dicta existimamus.

Augustini doctrinam [1] omnino secutus est S. Gregorius Magnus [2]; et, in aetate media, ut hos solos adducam, Guillelmus Parisiensis [3] et Rupertus [4]. Quam sententiam Petavius amplectitur his verbis: « Igitur exuri ab igne daemones et functas « corpore animas existimo; quicumque sit ille conflagrandi « modus, quem mirum sed verum existimat Augustinus » [5].

Equidem potius censerem, ignem quo daemones torquentur, esse intelligendum spiritualiter de eorum mala conscientia, uti contendebat Origenes [6], quem secuti sunt Theophylactus [7] et ipse S. Ambrosius [8]; quam admitterem ignem verum, at non vere, licet mire, ad modum ignis cruciantem.

[1] Verum quidem est, S. Augustinum non semper eodem modo esse locutum (Cfr. *De Gen. ad litt.* l. XII, cap. 32). Sed, ubi expressius argumentum tetigit, quam descripsimus sententiam tenuit; quin tamen alias omnino excluderet, scilicet quae docent aut ignem esse spiritualiter intelligendum, aut, etsi non mere spiritualiter, esse tamen aliqualiter incorporeum.

[2] *Dial.* IV, c. 29. *Moral.* IV, c. 29. — Nec in oppositum adduci possunt verba, quae solent legi alibi (ibidem XV, cap. 17). « At contra gehennae ignis, cum sit *incorpo-* « *reus*, etc. ». Nam, uti bene monet et probat Petavius *, legendum: « cum sit *corpo-* « *reus* ». — S. Isidorus Hispalensis pariter verum ignem esse docet (I Sentent. c. 31).

[3] In II-II *de Univers.* c. 17.

[4] *De Victor. Verbi*, l. II, c. 28.

[5] Loc. cit. n. 14.

[6] *Periarch.* l. II, c. 11. — Cf. S. Hieronymum, epist. 59 ad Avit. Apol.; II ctr. Rufinum.

[7] In cap. IX Marci.

[8] In Luc. l. IX, c. 14.

* Op. cit. l. III, c. 5, n. 4. — Lege hanc egregiam expositionem Petavii.

Licet tamen verus ignis dicatur, quatenus non est mere figurative intelligendus, non ideo debet dici omnino similis igni nostro corporeo, quem visibiliter cernimus. Hoc sensu S. Damascenus ignem aeternum ait: « non materialem, ut « est noster; sed qualem novit Deus » [1]. Discrimen inter nostrum illumque ignem egregie describunt Lactantius [2] et Gregorius Magnus [3]. At inter utrumque scriptorem hoc interest, quod Lactantius non videtur admittere in hoc igne potentiam daemones ad modum ignis cruciandi; quam potentiam Gregorius Magnus, uti diximus, Augustinum secutus, expresse fatetur.

Unum adhuc adiicere iuvat, modum scilicet quo S. Basilius interpretatur verba Domini de igne, « qui diabolo et « angelis eius paratus est ». Applicat scilicet huic igni verba Psalmistae: « Vox Domini intercedentis flammam ignis » [4]: « Ut, quoniam duae sunt in igne vires, urendi et illuminandi, « prior, quae est acerrima et ad puniendum idonea, iis attri- « buta sit, qui exustione digni sunt; illuminandi vero splen- « dida vis ad eos hilarandos, qui gaudio perfruuntur, atti- « neat » [5]. Quidquid haec interpretatio valeat, - ingeniosiorem, quam solidiorem dicerem, - demonstrat tamen S. Basilium et verum ignem admisisse, et veram adurendi virtutem ei tribuisse. Unde his adnumerandus est scriptoribus, qui in hac re cum Hipponensi sentiunt.

Et haec pauca pro scopo nostro satis sint. Plura de hoc argumento ad alium tractatum remittimus, ne praesentis voluminis moles nimis excrescat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit in daemonibus dolorem et gaudium de eodem in eodem, quod falsum est.

2. Obi. Confundit timorem salutarem Dei cum timore poenae futurae.

3. Obi. Confundit dolorem de malo culpae cum dolore de malo poenae; nec in dolore de malo culpae distinguit respectum ad Deum et respectum ad poenam a Deo inflictam.

[1] *De orth. fide* in fine.
[2] Lib. VII, c. 21.
[3] *Moral.* l. IV, c. 17.
[4] Ps. XXVIII, 7.
[5] Homil, I, in Ps. XXVIII.

Sed contra est. Adverte vim argumenti a fortiori. Quod argumentum a fortiori valet quoque de daemonibus inter se. Quare summo dolore afficietur ille, qui inter daemones malitia summa peccavit et igitur est summe malus. Ad argumentum enim praesens valent et verba Sapientiae: « Po- « tentes potenter tormenta patientur »[1].

In Corpore. En schema doctrinae:

- Dolor et timor sunt in daemonibus
  - I) non quidem in quantum sunt passiones: — quum supponant compositum ex materia et forma, repugnant in ente spiritu puro;
  - II) sed secundum quod dicunt actum voluntatis, deprecantis quod non vult, et quae vellet, non impetrantis:
    - 1) dolor de praesenti:
      - *a*) propter invidiam,
      - *b*) propter malum
        - α) non quidem culpae,
        - β) sed poenae;
    - 2) timor de futuro:
      - *a*) non quidem Dei ob reverentiam eiusdem voluntatis,
      - *b*) sed vindictae ob praevisam aeternitatem;
    - 3) utrumque pertinet ad punitionis aequitatem, ut in daemone et damnato malae voluntatis et malae ambitionis gaudium per dolorem et timorem compensetur.

Distinctio in initio posita ostendit, quo sensu admittenda sint verba Arnobii: « Quod sit immortale, quod simplex, nul- « lum posse dolorem admittere: quod autem sentiat dolorem, « immortalitatem habere non posse »[2].

ARTICULUS IV.

UTRUM AËR ISTE SIT LOCUS POENALIS DAEMONUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Daemones aliqualiter in aëre versari, constat ex Scripturis. S. Paulus enim vocat Satanam « principem potestatis aëris huius »[3]; et alibi scribit: « Non « est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed « adversus principes et potestates, adversus mundi rectores « tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in excel- « sis »[4]. Et sane multiplices obsessiones et infestationes daemonum, quae narrantur in Scripturis, insinuant daemones

[1] Sap. vi, 7.
[2] *Ctr. gent.* l. ii.
[3] Ephes. ii, 2.
[4] Ibid. vi, 12.

per aërem pervagari mundum occupando. Unde illi, de quibus S. Lucas, « rogaverunt Dominum, ut non mitteret eos in « abyssum » [1]. Et Ioannes narrat de Angelo: « Et apprehendit « draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas: « et ligavit eum per annos mille: et misit eum in abyssum » [2]. Undenam, nisi ex aëre, quem maleficiis infestabat? Aër ergo est daemonum locus.

2) Quaestio iam movetur subtilior, eaque duplex. *a*) Estne aër unicus locus poenalis daemonum? - *b*) Quousque et quo sensu daemones in ipso aëre poenas inferni circumferunt?

a) Aërem esse locum poenalem unicum definitivum, nullus scriptor catholicus docuit. Nimis enim aperte Scripturae exhibent infernum tanquam locum, in quem daemones sunt detrudendi, et ignem inferni tanquam diabolo et angelis eius praeparatum. Unde Leo XIII Michaëlem nos orare iussit, ut Princeps militiae coelestis Satanam angelosque eius pervagantes in mundo divina virtute detruderet in infernum.

At non ideo inter scriptores catholicos una fuit sententia de tempore, quo daemones infernalibus flammis sint cruciandi, nec de numero daemonum, qui eas inhabitent.

Non pauci e Patribus existimarunt, aërem esse unicum locum daemonum usque ad ultimum iudicium: « Aër caligi- « nosus, ait S. Augustinus, est quasi carcer daemonibus usque « ad tempus iudicii » [3]; idem expresse docet S. Gregorius Magnus [4], aliique non pauci, quos affert Petavius [5]. Existimabant enim hanc dilationem insinuari per sententiam ultimi iudicii, necnon per verba S. Petri: « Si enim Deus angelis peccan- « tibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tar- « tarum tradidit *cruciandos, in iudicium reservari* » [6]; et S. Pauli « in quibus (peccatis) aliquando ambulastis secundum « saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris « huius, qui nunc operatur in filios diffidentiae » [7].

[1] Luc. viii, 31.

[2] Apoc. xx, 2-3.

[3] *Super Genes.* iii, c. 10.

[4] *Moral.* iv, 14; xxxii, 10.

[5] Op. cit. l. iii, c. 4. Lege quoque vicissitudines huius opinionis, asperius quidem de more descriptas, apud Turmel (op. cit.).

[6] II. Petr. ii, 4.

[7] Ephes, ii, 2.

In media usque aetate haec sententia recurrit apud Hildebertum [1], Rupertum [2], Robertum Pullum [3], ipsumque S. Bernardum, qui ait: « Iam diabolo ignis paratus, etsi nondum « ille praecipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur « malignari » [4].

E magnis Scholasticis Hugo Victorinus rem dubiam reliquit, utrum necne daemones in infernum cruciandi ante iudicium crucientur [5]. Petrus Lombardus probabilius existimavit, daemones alternatim alligari inferno et aëri [6]. S. Bonaventura, problemate posito, utramque sententiam ita contrahit: « Licet nonnulli satis probabiliter senserint, malos angelos « ubique, et ante extremi iudicii diem infernali cruciatu tor- « queri, aliis tamen probabilior censetur sententia dicentium, « poenam ignis usque ad novissimum diem illis differri ». Et utraque sententia sat late exposita, hanc alteram tenet probabiliorem [7]. Sanctus Thomas autem, a Seraphico hac in re discedens, docet, angelos malos iam ante ultimum iudicium in infernum deiici, eosque, qui per aërem vagantur, infernali cruciatu non carere [8]. Quae sententia, tanti Doctoris auctoritate movente, semper magis magisque invaluit, ita ut nunc ab omnibus teneatur uti certa, licet non sit de fide. Et sane post S. Thomam adhuc Estius [9], Melchior Canus, quin et ipse Caietanus sententiam oppositam tenuerunt. En quomodo doctus Cardinalis eam ex Scripturis vindicat: « Servatos (daemones), seu servandos in iudicium, « quia adhuc non sunt extremae damnationi subiecti. Sed « hoc extremo iudicio reservatur. Unde et Dominus in Evan- « gelio dicit de igne aeterno, qui paratus est diabolo et « angelis eius; et non dicit, qui iam datus est diabolo et an- « gelis eius » [10].

Certitudo sententiae S. Thomae, hodie ab omnibus re-

[1] Serm. IX. — *P. L.* CLXXI. 387.
[2] *De Victor. Verbi* I, 17. — *P. L.* CLXIX, 1232.
[3] Sent. II, 5. — *P. L.* CLXXXVI, 723.
[4] Sermo in transitu S. Malach. — Cf. et Serm. LIV in Cant.
[5] Sent. II, 4.
[6] Sent. II, dist. VI, 5,
[7] In II Sent. dist. VI, art. 2.
[8] In hunc locum Lombardi.
[9] Idem.
[10] Comment. in 2 ep. Petri c. 2.

ceptae, augetur ex correlatione quae existit inter sortem daemonum et hominum ante ultimum iudicium. Et sane qui olim inter Patres et imo in media aetate tormentum ignis pro daemonibus usque ad ultimum iudicium differebant, idem pro damnatis hominibus opinabantur [1]; imo non defuerunt, qui de beatitudine pro beatis similem dilationem admitterent. Iam vero haec sententia amplius sustineri nequit [2]; ergo nec illa. Imo logice a fortiori [3]. Nam pro homine adest ratio dubitandi ex composito humano, quae pro daemonibus non habetur.

Concludamus ergo nostras faciendo tres conclusiones Cardinalis Toleti: « 1) Aliqui daemones sunt in aëre, in parte « ista inferiori extra infernum propter exercitium hominum; « nam homini ex victoria tentationis magnus obvenit spiri- « tualis fructus. - 2) Alii daemones sunt inclusi in inferno. - « 3) Post diem iudicii omnes damnati concludentur in in- « ferno ».

3) Superest quaestio utrum et quousque vel quomodo daemones in aëre circumvolantes inferni tormenta secum iugiter ferant.

Sane qui supplicium inferni daemonibus usque ad ultimum iudicium differebant, ignis tormentum a daemonibus in aëre sustineri negabant. Nec omnes qui daemones, etiam ante ultimum iudicium alios degere in inferno, alios in aëre putant, coguntur absolute etiam istos infernali igne censere cruciatos [4]. Possent enim levamen in aëre experiri ex quadam Dei bonitate et misericordia. Unde non pauci theologi, qui putant daemones aëri alligatos igne nihilominus infernali

[1] Cf. v. gr. S. Augustinum (*de Gen. ad litt.* l. XII), ac S. Bernardum (Serm. de Omn. Sanctis). Quam quaestionem differimus ad tractatum *de Novissimis*.

[2] Cf. S. Thomam (*Summa ctr. Gent.* l. IV, c. 91). — Cf. Concil. Florent. (DENZINGER, op. cit. n. 588, 591).

[3] Cf. S. Thom. in praesenti art. ad 3.m Optime tamen monet Petavius, definitionem Concilii Florentini non posse eodem iure ad sortem daemonum extendi. Quare de fide est quod hoc Concilium de sorte hominum definivit; non autem de fide conclusio, quae a pari fertur de sorte daemonum. (Op cit. l. III, c. 4, n. 21 sqq.). Monet insuper, dilato supplicio ignis usque ad finem mundi, non ideo daemones censendos esse dolore expertes, quum beatitudine caelesti se destitui sciant, et praeter ignem alios dolores perpeti possint. (Ibid. n. 22).

[4] Ita Lombardus non loquitur de ignis tormento, cui daemones per aërem subsint. (Loc. cit.).

torqueri, existimant tamen, hoc supplicium ipsis esse levius in aëre, quam in inferno [1].

Utrique tum qui negant daemones in aëre subire supplicium ignis, tum qui censent eos in aëre minus saltem igne torqueri, adducunt locum Lucae [2], ubi daemones rogant, ne in abyssum depellantur. Sed haec deductio nihil habet quod possit urgeri.

Communior sententia simpliciter docet, daemones in aëre pervagantes non minus quam inferno inclusos ignis supplicio cruciari [3]. De modo autem quo hoc igne in aëre afficiantur, non conveniunt. Qui ignem inferni interpretantur in sensu spirituali, nullam hic difficultatem experiuntur. At non ita illi qui verum ignem, licet specialis indolis, admittendum esse contendunt [4]. Unde nil mirum si aliter et aliter rem explicent et invicem disputando impugnent. Obvia difficultas opponebatur. Quomodo, si daemones in aëre torquentur, non adurunt quidquid praesentia sua tangunt? Beatus Albertus Magnus obiectionem solvit dicendo, ignem hunc ex Dei voluntate non agere nisi in daemones. Quod, si Deus velit, nullus sanae mentis impossibile dicet. Supponit tamen providentiam quamdam specialissimam, vix sine solido fundamento admittendam. Quare S. Thomas duas alias solutiones suggerit. In Commentario Lombardi recurrit ad actionem ignis in distans: « Unde dicendum quod semper igne infernali ardent, « non tamen eis semper praesente secundum locum; quia « non agit corporali modo calefaciendo et dissicando, sed « modo spirituali, unde non requiritur determinata distantia, « sicut in actione corporali » [5]. Heic in *Summa* rem explicat per alligationem iugiter debitam. « Licet daemones non actu « alligentur gehennali igni, dum sunt in aëre isto caliginoso: « tamen ex hoc ipso, quod sciunt illam alligationem sibi « deberi, eorum poena non diminuitur ». Quae responsio sane

[1] Ita Alexander Halensis, Richardus a Med., Dionysius Carthus., Henricus Gandavensis.

[2] Cap. VIII.

[3] Cf. dicta in art. seq.

[4] Iam olim S. Beda adduxerat comparationem de febricitante ardorem sui mali quocumque secum ferente. Quam comparationem a Walafrido Strabone Glossae insertam, urget Albertus Magnus (Sent. II, dist. VI, 7).

[5] II Sent. dist. VI, q. 1, art. 3, ad 6.m

non valet nisi pro illo, qui supplicium ignis daemones et animas separatas cruciantis in alligatione formaliter ponit. Neque tunc omnino rigorosa dicenda est. Unde Suarez fortius eam impugnat, et, reiecta pariter sententia Alberti, priori solutioni Angelici subscribit [1]. Estius e contra, hac depulsa, probat alteram [2]. Quo magis autem iuxta S. Augustini doctrinam vera vis urendi conceditur igni daemones torquenti, eo magis ad sententiam S. Bonaventurae accedendum existimo.

Caeterum in huiusmodi quaestionibus modeste opinandum est, ne ultra limites scientiae humanae, etiam revelatione illustratae, appositos curiosius excurratur [3].

4) Ex dictis apparet, quomodo aër sit daemonibus non solum locus, eo utique sensu quo spiritus locari posse, superius exposuimus; sed *locus poenalis*. Licet enim daemones ad perdendas animas per aërea spatia pervagentur, et in hoc nocivo opere qualitercumque delectari possint, imo et proterve gloriari; nihilominus aër iste ipsis est locus poenalis, idque tripliciter: tum *a*) quia ei veluti cuidam carceri alligantur, etsi cum quadam facultate spatiandi; tum *b*) quia in aërem sunt superne deiecti a sublimioribus sedibus in poenam extorres; tum *c*) quia in ipso aëre gehennalibus non carent tormentis.

Secundam hanc rationem S. Bernardus, commentans illud Cantici: « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles » [4], eloquenter evolvit: « In poenam siquidem suam « locum in aëre isto medium inter coelum et terram de coelo « cadens sortitus est, ut videat et invideat, ipsaque invidia « torqueatur, Scriptura dicente: " Peccator videbit et irasce- « tur, dentibus suis fremet et tabescet ". Quam miser, cum « suspicit coelos, in quibus innumeros montes intuetur divina « claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes « in gloria, abundantes in gratia. Quam miserior, cum re- « spicit terram, montes nihilominus quam plurimos de populo « acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate

[1] *De Angelis* VIII, VII, 35.

[2] Op. cit. II, VI, 14 in fin.

[3] Bene laudatus Rossi: « Il discendere a troppe minute particolarità, senza fon- « damento certo nella rivelazione o nella ragione, non so qual onor possa recare a « Dio o alla religione ». (Op. cit. p. 162).

[4] CANT. II, 8.

« spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus re-
« fertos, de rore coeli tanquam de saltu sponsi quotidianam
« capientes benedictionem. Cum quanto putamus dolore et
« rancore adspiciat ille cupidissimus gloriae istos in circuitu
« suo tam gloriosos montes, cum se et suos e regione in-
« cultos, tenebrosos, bonis omnibus infoecundos despiciat, ita
« ut se sentiat esse opprobrium hominum et Angelorum, qui
« omnibus exprobrat, secundum illud in psalmis: " Draco iste
« quem formasti ad illudendum ei " » [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Praeterit ea quae superius de spirituum locatione dicta sunt.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) arguit, - quod S. Thomas addere potuisset, - ac si daemonum locus non esset etiam infernus; - *b*) non attendit ad distinctionem naturalem inter hominem et daemonem.

3. Obi. Antiqui non pauci negabant maiorem usque ad finem mundi, in quam negationem ipse S. Bonaventura erat pronus. - Posset etiam simpliciter distingui secundum quod daemones versantur in inferno vel in aëre. - S. Thomas autem concedit maiorem, sed distinguit in minore. Albertus vero concedit maiorem.

Sed contra est. Aër iste, cui daemones alligantur, caliginosus passim a scriptoribus sacris vocatur in oppositionem ad aërem sublimiorem, superiore luce refertum. Placet audire S. Augustinum [2], uti doctrinae sui temporis testem. « Aër a
« confinio luminosi coeli usque ad aquarum et nuda terra-
« rum pervenit. Non tamen totum spatium eius exhalationes
« humidae infuscant, sed usque ad eum finem, unde incipit
« etiam terra nominari, secundum illum psalmum ubi dici-
« tur: " Laudate Dominum de terra " [3]. Superior vero pars
« aëris, propter puram tranquillitatem coelo, cui collimatur,
« communi pace coniungitur, et eius vocabulo nuncupatur ».

[1] Serm. in Cant. LIV, n. 7.

[2] In eo est Hipponensis, ut haec duo conciliet: daemones veluti aërea animalia vel uti incorporeos spiritus deiectos aërem occupare, et nihilominus aërem esse simul sedem volucrum ex aquis productarum. Locus iste classicus est ad ostendendam haesitationem, quam Augustinus, tunc saltem temporis, circa puram spiritualitatem Angelorum patiebatur.

[3] Ps. CXLVIII, 7.

Daemones igitur « post peccatum in istam sunt detrusi caliginem » [1].

In corpore. Doctrina huius *Corporis,* imo totius articuli, hoc schemate contrahi potest.

- Angelorum malorum seu daemonum duplex est locus poenalis:
  - I) infernus:
    - 1) in aeternam poenam peccati,
    - 2) cuius poenas semper secum ferunt;
  - II) aër iste caliginosus:
    - 1) ad exercitium hominum:
      - *a*) Angeli boni aërem occupant in ministerium;
      - *b*) angeli mali in probationem hominum;
      - *c*) inde cedunt in bonum electorum;
      - *d*) quin tamen ipsi cessent poenas inferni etiam in aëre perpeti;
    - 2) ita ut aëri contra voluntatem suam, veluti carceri alligentur,
    - 3) usque ad consummationem civitatis electorum.

In commentario Lombardi S. Thomas aliam, praeter exercitium hominum, rationem affert, cur daemones aëri alligentur: habitudinem scilicet aëris turbulenti ad puniendum daemonum peccatum. Tria enim Angelicus tum in daemonibus, tum in aëre distinguit: « in quantum (aër) est diaphanus per « naturam lucis, consonat eorum naturae perfectae », - (" quae « in eis remansit, quamvis obtenebrata per peccatum "); - « quantum autem ad turbulentiam, competit eis ut poenalis « contra culpam; in quantum vero propinquus nobis, com- « petit ad exercitium. Sed inferni locus competit eis contra « culpam, in quantum est horridus et tenebrosus; nostra au- « tem habitatio competit eis propter nostrum exercitium » [2].

S. Bonaventura doctrinam suam his paucis comprehendit: « Sicut patet ex Scripturis, locus daemonum post lap- « sum usque ad diem judicii non est locus subterraneus, « quem vocamus infernum, sed aër caliginosus, in quo gene- « raliter daemonum multitudo habitat. Utrum autem aliqui « detrusi sint in infernum, hoc ego nescio, nec invenio a « Sanctis determinatum. Hoc autem bene credo, quod aliqui « descendunt ad torquendas animas, secundum quod habent

[1] *De Gen. ad litt.* III, c. 9, n. 14. — *P. L.* XXXIV, 285.

[2] II Sent. dist. VI, q. 1. a. 3. sol.

« deputata inter se maledictionis officia ». Ostendit autem fusius quantopere iste aër caliginosus sit locus daemonibus aptus, « tum quantum ad statum peccati, tum quantum « ad statum exercitii sive belli. Aër enim caliginosus propter « caliginem convenit tenebrositati culpae; sed propter nobi « litatem et subtilitatem convenit velocitati angelicae » [1].

Corollarium. - Etsi teneatur, daemones iam nunc partim in infernum detrudi, partim tormentum inferni secum per aërem ferre, non ideo non potest admitti, mitius nunc esse daemonum supplicium quam erit in consummatione saeculi, ubi vindictae divinae plenitudo in creaturas rebelles exercebitur [2]. Hoc quoque sensu explicari possunt haec verba daemonum ad Christum: « Quid nobis et tibi, Iesu fili David? « Venisti huc ante tempus torquere nos? » [3]. Et Gregorii Magni: « Aliud est quod nunc (antiquus hostis) patitur; aliud quod « in fine patietur » [4].

Quaestio connexa de certa cognitione suae damnationis, quam habent daemones. - Doctrina, quam in his duobus imo tribus articulis exposuimus, supponit, daemones certitudinaliter scire se esse damnatos. Imo qui obstinationem daemonum cum schola Suareziana partim repetit a praevisione certa aeterni supplicii, sine hac certa cognitione hanc obstinationem explicare nequit. Et sane de hac certa cognitione hodiedum nulla amplius haesitatio inter theologos viget. At non semper ita fuit. Quin non pauci scriptores sacri antiquitus de hac cognitione dubitaverunt; imo eam aperte inficiati sunt. Etenim, ut scribit Petavius, « fuit haec eadem « antiquorum illorum opinio, qui diabolum ante Domini adven« tum blasphemare ausum non esse dixerunt, quia nondum « sciret damnationem suam. Cum autem ex Christi et Apo« stolorum sermonibus didicisset, aeternum sibi ignem esse « praeparatum, eum, a quo se condemnatum intellexerat,

[1] Loc. cit. a. 2, q. 1. — Censent editores operum Doctoris Seraphici, discrimen inter S. Thomam et S. Bonaventuram quoad conditionem praesentem daemonum consistere « in diversa sententia de principio passionis in Angelis ». Vix me videre fateor, quonam solido fundamento hoc affirmetur.

[2] Cf. Petavium (op. cit. l. III, c. 4).

[3] Matth. VIII, 29.

[4] *Moral.* IV, c. 10.

« Deum blasphemari per suos haereticos coepisse ». Ita, v. gr., putaverunt Iustinus, Irenaeus, Epiphanius, Œcumenicus, Isidorus Pelusiota [1]. Quos duos ultimos audire placet. Prior haec habet. « De his autem numquam intermissis insidiis et « diligenti ad nos circumveniendos calliditate agens, Iusti- « nus sanctissimus martyr, et illius causam exponens, ait, « diabolum ante adventum Domini, non tam manifeste sciisse « vim damnationis suae, cum eam divini prophetae obscure « ac per aenigmata significassent... Postquam autem adve- « niente Domino, perspicue audit, diabolo reservatum esse « ac paratum ignem aeternum, et Angelis eius, fidelibus insi- « diari non desinit, multos habere volens defectionis suae « socios. » [2] Isidorus autem ait: « Postquam e coelo venit « salutare Verbum, nobis quidem caelestis vitae generis do- « cumenta ferens, diabolo vero per eas minas, quas in pec- « catores intendebat, poenam, quae ipsum manebat, prae- « nuntians, - dicebat enim: " ite in ignem, qui paratus est dia- « bolo et angelis eius ", - tum vere communis ille omnium « hostis..., cum condemnationis suae decretum audiisset, acris « adversum nos spiravit, atque haereses in lucem prodiit » [3]. Quasi ipsa proteparentum tentatio non satis demonstraret, diabolum fuisse ab initio homicidam, quia ab initio sciens se in aeternum a superna sede deiectum, ab initio quoque invidia in homines secum perdendos arsit [4].

Haec e scriptoribus illis depromenda duximus, tum ut antiquorum mens sincere exhiberetur, tum ut in hac quaestione, haud secus ac in multis aliis, progressio angelologiae manifestior appareret.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) In daemonibus remansit quidem post lapsum intellectio naturalis, imo de Deo, licet versa in noctem; quin et

[1] Cf. Petavium (op. cit. l. iii, c. 4).

[2] In fine comment. in ep. I Petri.

[3] Lib. ii, epist. 90.

[4] Sententiam hanc apud antiquos sat receptam Suarez nimis obtegere conatus est (Op. cit. viii, ii, 3); Bellarminus vero apertius agnovit *(De beatitud. Ss.* vi, 1); Petavius autem (loc. cit.), Mathoud *(in Rob. Pull. observ.* ii, 5), et Huetius *(Originiana* ii, 2, 23) absque ambagine exposuerunt.

experimentalis cognitio iugiter in eis augetur. De cognitione vero supernaturali per gratiam, servant quaedam speculative mentem illustrantia, at lapsu obtenebrata; quidquid autem effective producit amorem, quantum habuerint per peccatum totaliter amiserunt (art. 1).

2) Sunt autem daemones in mala voluntate obstinati, non quidem ex ipsa inspecta indole peccati, nec mere ex defectu divinae misericordiae, sed ex conditione termini, et ex natura propter ipsam suam perfectionem, objecto, cui tota deliberationis virtute adhaeserunt, immobiliter adhaerente (art. 2).

3) Afficiuntur daemones dolore et timore, non in quantum sunt passiones, cum pura spiritualitate incompatibiles, sed in quantum dicunt affectum voluntatis. Dolent scilicet de praesenti, quia malo immerguntur et invident aliorum bono; timent de futuro tormenta vindictae aeternae. Qui dolor et timor, respondentia gaudio malae voluntatis et ambitionis, culpae uniuscuiusque daemonis commensurantur (art. 3).

4) Duplex autem est daemonum assignatus locus: infernus, in quem post ultimum iudicium detrudentur in aeternum omnes; aër iste medius, per quem in hominum exercitium usque ad mundi finem nonnulli pervagari sinuntur (art. 4).

SECTIO II.

DE ANGELORUM MINISTERIO.

(Q. CVI. – Q. CXIV).

Accedimus iam ad Sectionem alteram huius tractatus, quae de Angelorum ministerio tractat. Quum autem tria entium genera relate ad Angelos considerari possint: ipsi Angeli, creatura corporalis, homines, Sectio ista in tria Membra dispescitur iuxta sequentem tabellam.

- Quaeritur de Angelis, quomodo moveant
  - I) in *Angelos:* (I Membrum)
    - 1) de illuminatione Angelorum (Q. CVI);
    - 2) de locutione Angelorum (Q. CVII);
    - 3) de ordinatione Angelorum
      - *a*) bonorum (Q. CVIII);
      - *b*) malorum (Q. CIX);
  - II) in *creaturam corporalem* (Q. CX) (II Membrum).
  - III) in *homines:* (III Membrum)
    - 1) de actione Angelorum in homines (Q. CXI);
    - 2) de missione Angelorum ad homines (Q. CXII)
    - 3) de ministerio
      - *a*) custodiae Angelorum bononorum (Q. CXIII);
      - *b*) impugnationis angelorum malorum (Q. CXIV).

Pulchritudo tripartitionis S. Thomae in ipsa *Summa* plene elucet, quum in antecedentibus de tripli genere creaturarum eodem ordine egerit. In nostro autem tractatu, etsi minor apparet, quum ea quae de homine tractant, ad proximum volumen distulerimus, adhuc tamen magnam speciem servat.

Brevius hanc Sectionem, utpote passim facilius argumentum, absolvemus, interdum vix aliud de textu Aquinatis praeter doctrinae schemata exhibendo, integrasque Quaestiones, uti iam non semel fecimus, paucis conclusionibus contrahendo.

MEMBRUM I.

DE MINISTERIO ANGELORUM IN IPSOS ANGELOS.

Uti tabella praecedens ostendit, hoc Membrum tribus Capitibus constat, in quibus agitur de *illuminatione,* de *locutione,* de *ordinatione* Angelorum ad invicem [1].

CAPUT I.

DE ANGELORUM ILLUMINATIONE.

QUAESTIO CVI.

Ordo Quaestionis seu Capitis hoc schemate exhibetur:

Quaeritur:	1) *quid* Angelus in alio moveat:	*a*) utrum intellectum (a. 1);
		b) utrum voluntatem (a. 2);
	2) *quis* quem illuminet:	utrum inferior superiorem (a. 3);
	3) quoad *quae* illuminet:	utrum superior inferiorem de omnibus quae scit (a. 4).

Ordinis species est manifesta.

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELUS ILLUMINET ALIUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) In Angelorum agminibus duplex potest veluti vita considerari: vita uniuscuiusque cum Deo immediate cognito et amato; vita ut ita dicam socialis Angelorum ad invicem.

Evidens est, Deum solum agnitum et amatum sufficere posse, ut radio suae lucis et ardore suae charitatis unum-

[1] Billuart prius agit de locutione, dein de illuminatione. Nescio utrum felicius.

quemque Angelum ad mirabiles illas perducat ascensiones, quae constituunt aeternam angelicae vitae voluptatem. Ast Deus condendo Angelos ad modum harmoniosae cuiusdam societatis, sicuti inter illos constituit ordines infinitis veluti gradibus sapienter distributos, quorum varietatem et nexum mox investigabimus, ita voluit ut Angeli agerent in Angelos, tanquam divini luminis et ardoris ministri.

2) Iam vero, si iam inter homines datur magisterium, quo, qui plus sciunt, aliis sunt medium cognoscendi; ita superiores intellectu Angeli illustrant inferiores. Interest tamen inter magisterium humanum et angelicum multipliciter. *a*) Omnes homines, sicuti sunt unius naturae, ita sunt radicaliter unius capacitatis intellectualis, quatenus omnes homines ab eodem lumine evidentiae procedunt ad omnes cognitiones ope discursus intellectus ad obiecta sese applicantis. Angeli autem sunt ex natura sua distincti quoad ipsam intellectualem virtutem; lux enim ipsis ab instanti creationis inserta est maior vel minor, pro maiori minorive nobilitate naturae. *b*) Homines inter se differunt, quatenus unus alio est facultate expeditior, licet facultas sit radicitus eadem, sicuti eadem est natura. Angeli e contra habent quidem facultatem differentem, sed omnes perfecte in gradu suo expeditam. *c*) Quapropter magisterium humanum versatur unice circa intelligibilem speciem manifestandam. Magisterium autem angelicum praeter hoc versatur circa ipsam potentiam corroborandam per maioris potentiae approximationem. - *d*) Imo in ipsa speciei intelligibilis manifestatione interest inter magisterium angelicum et humanum. Angelus superior speciem ampliorem connaturalem sibi decomponit usque dum minori amplitudini Angeli inferioris commensuretur, qui tunc sine discursu illuminationem accipit. Homo alium docens decomponit quidem doctrinam ad captum mentis discipuli, at doctrinam quam tum ipse discursu accepit, tum discipulus discurrendo in doctrinam componit. Unde patet, longe perfectiorem esse illuminationem Angeli ad Angelum quam hominis ad hominem.

3) Haec autem illuminatio versari potest circa veritates utriusque ordinis naturalis et supernaturalis. Imo harmoniosius secundum utrasque haberi dicenda est, si, iuxta S. Thomae sententiam superius indicatam, praestabilita adfuit pro-

portio inter perfectionem naturae et dona gratiae unicuique Angelo ab initio divinitus collatae. Proprius tamen intelligitur illuminatio circa veritates ordinis supernaturalis.

4) Si ulterius modus huius illuminationis investigatur, inter theologos etiam S. Thomae addictos non habetur consensus. Alii, cum Bannez et Zumel, existimant illuminationem hanc per utrumque produci, tum per propositionem objecti ad captum intellectus inferioris, tum per unionem luminis superioris cum lumine inferiori; alii e contra, cum Billuart, censent illuminationem fieri unice per primum. Equidem existimo, si ex auctoritate Angelici res sit dirimenda, argumentum huius *Corporis* militare in favorem prioris sententiae; nec alios textus, quos Billuart in oppositum adducit [1], vindicare oppositum. Negat enim in illis S. Thomas, illuminationem fieri per productionem novi luminis in Angelo illuminato; at non inde, praeter propositam obiecti unionem, excludit vim intellectus superioris intellectum inferiorem corroborantis. Unica igitur quaestio superest: quousque haec corroborans actio sit distincta a propositione obiecti.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 1; nec distinguit inter modum quo omnia sunt in Deo, et quo in Deo a vidente Deum cognoscuntur.

2. Obi. Confundit duo valde distincta: tradere lumen, quod solius est Dei; et confortare lumen, quod est et illuminantis.

3. Obi. Non considerat locum medium quem illuminatio occupat inter duplicem respectum Dei ad mentem rationalem. Deus enim est mentis rationalis principium uti causa exemplaris, finis vero uti ultima forma completiva. Inter utrumque datur illuminatio, tanquam ad ultimam formam completivam disponens.

In Corpore. Huc faciunt verba Psalmistae, in quibus exhibentur Angeli alios interrogantes et responsum accipientes: « Quis est iste rex gloriae? - Dominus virtutum ipse est rex « gloriae » [2].

De hac illuminatione S. Gregorius Nazianzenus [3] intel-

[1] Hoc loco ad 2.m; *De Verit.* q. IX, a. 1. ad 2m.

[2] Ps. XXIII.

[3] Serm. XL.

ligit illud alterum dictum Psalmistae: « Illuminatio a mon-
« tibus aeternis » [1].

Placet autem audire ipsum Dionysium propter auctoritatem specialissimam, qua in argumento deinceps involvendo gaudet [2]. Ordinationem divinam, qua homines divina accipiunt ab Angelis, ipsique superiores Angeli illustrant inferiores, hisce verbis describit: « Quinimo sapienter etiam « theologia docet, eam per Angelos ad nos dimanasse, quasi « id ordo divinae legis sanxerit, ut per superiora, ista quae « inferiora sunt, ad divinum Numen adducantur. Etenim non « solum superioribus inferioribusque mentibus, verum etiam « aequalibus, seu coordinatis a supersubstantiali rerum « omnium primordiali ordine lex ista constituta est, ut per « singulas hierarchias primi essent, ac medii, novissimique « ordines ac virtutes, inferioribusque diviniores mystae essent, « ac manuductores ad divinum accessum et illustrationem

[1] Ps. LXXV, 4.

[2] Nolumus hic specialem controversiam movere de authentia scriptorum nomine Dionysii Areopagitae vulgatorum. Iam olim Tillemont * fatebatur, se non intelligere, quomodo vir in legibus criticae non peregrinus hanc posset authentiam tueri. Vix mitius locuti sunt Morin, Daillé, modernique plurimi iudicant; licet et nostris temporibus authentia patronis non caruerit sane conspicuis, uti sunt Darboy **, Freppel ***, ipseque Cl. Ern. Commer, quem, inter alia, movent visiones, quibus Areopagitam sibi apparuisse narrat Dionysius Carthusianus, vir sane aequa sanctitate et doctrina inclytus. Negantium argumenta praecipua sunt silentium Eusebii et Hieronymi in catalogo scriptorum ecclesiasticorum; necnon silentium primorum scriptorum de ipso Dionysio. Quod silentium, praesertim S. Athanasii et S. Cyrilli ****, tanquam apocryphae originis documentum olim a catholicis opponebatur Eutychianis, imprimis Severianis, qui auctoritate Dionysii abutebantur ut haeretica sua placita comprobarent *****. Adde argumentum intrinsecum desumptum ex terminologia, quae saeculum V prorsus sapere videtur ******.

Quidquid sit, constat opera Dionysii eius nomine a mediante saeculo VI esse cognita *******. Gregorius Magnus ea novit ********. Saeculo VIII Paulus papa regi

* *Hist. eccl.* II, not. 4 de Dionys. Areop. p. 567.
** *Œvres de S. Denys* l'Aréop.
*** S. Irénée et son temps.
**** Cf. LABBE IV, 1767.
***** Ipse Severus Dionysium adduxit in Concilio Tyrensi, ann. 515 (Cf. *Harnack Dogmengesch.* II, 414); Severiani autem Areopagita abusi sunt in congressu anno 531 Constantinopoli habito.
****** Sunt qui epocham compositionis operum Dionysiorum determinare conentur ex similitudine quadam inter philosophiam Areopagitae et Procli, necnon ex influxu quem Dionysius a Plotino accepisse videtur. Sed huiusmodi argumenta cautius adducenda sunt (Cf. P. STIGLMAYER, *Histor. Jahrbuch* 1895). Abusus enim similium rationum internarum modernam criticam, maxime apud Germanos, non parum inficit; et sane, nisi prudentissime criterium istud adhibeatur, ad quaecumque praeconcepta placita subiectiva conducere solet.
******* Cf. *De sectis.* act. IV, 1. — *P. G.* LXXXVI, 1213.
******** Cf. Homil. in Evang. XXXIV, 12.

« atque communionem »[1]. Et paulo inferius haec habet: « Hoc « igitur theologi perspicue declarant, ut inferiores quidem « coelestium essentiarum ordines, a superioribus divinorum « operum scientiam convenienti modo percipiant; ii vero « qui omnibus antecellunt, ab ipsamet Deitate summa, uti « fas est, sacris disciplinis illustrantur »[2]. Lex enim generalissima hanc oeconomiam regit: « Hoc enim universim divina « ordinatione statutum, ut quae secunda sunt, per prima « divinas participent illuminationes »[3].

Hanc illuminationem Albertus Magnus, Dionysii textum commentans, existimat fieri virtute luminis a superiori Angelo divinitus recepti. Quod ope comparationis illustrat. « Angeli simul illuminantur a Deo conversi in ipsum, et illu- « minant alios: sed hoc nec actu proprio, sed virtute divini « luminis recepti; sicut etiam luna dum illuminatur a sole, « virtute luminis recepti, (quod est diffusivae virtutis) illuminat « terram, non tanquam propria actione; et sic est etiam « de illuminatione spirituali »[4]. Quod puto vere dictum de illuminatione circa illa, quae supernaturali lumine a superiori Angelo cognoscuntur; non autem de ea, quae fit circa veritates naturali lumine ab Angelo superiori cognitas. Has enim superior Angelus illuminando communicat vi actus proprii, licet recepti eo sensu, quo habet vim cognoscendi et scientiam eidem proportionatam cum ipsa natura a Deo receptam.

S. Bernardus de gradibus Angelorum discurrens, ait: « Putamus Cherubim ex ipso sapientiae fonte ore Altissimi « haurientes et redundantes fluenta scientiae universis civi- « bus suis; et vide ne is sit, quem Propheta loquebatur " flu- « minis impetus laetificans civitatem Dei " »[5].

Pepino dono dedit exemplar operum Dionysii, quae Scotus Erigena, rogante Carolo Calvo, latino sermone additis commentariis vertit *. Inter scriptores Latinos, qui summa veneratione Dionysium prosecuti sunt, eminet S. Thomas **.

[1] *De caelest. hierarch.* c. 4, n. 3. — *P. G.* III, 182.

[2] Ibid. c. 7, n. 3. col. 210.

[3] Ibid. c. 8, n. 2. col. 239.

[4] *De caelest. hierarch.* in hunc locum. — Edit. Vives. t. XIV, col. 234, sq.

[5] Ps. XLV, — *De Consid.* l. V, c. 4.

* Cf. REN. TAILLANDIER, *(Scot. Erig.* p. 73).

** Cf. TURMEL *L'angéologie depuis la faux Denys l'Aréopagite (Revue d'Hist. de litter. relig.* IV, 1899. 217, sqq.).

In corpore. En argumentum schemate contractum.

- Illuminationis angelicae
  - I) *factum* probatur
    - 1) ex auctoritate Dionysii et traditionis;
    - 2) ex ratione:
      - *a*) illuminare est veritatem manifestare,
      - *b*) quare decet ut, qui plus sciunt, opitulentur his, qui sciunt minus;
  - II) *modus* explicatur: illuminatio haec fit
    - 1) fortificando virtutem intellectivam:
      - quod facit localis propinquitas inter corpora, id facit conversio intellectualis inter spiritus;
    - 2) manifestando speciem rei intelligendae (in ordine tum naturae, tum gratiae, tum gloriae):
      - qui cognoscunt per species universaliores, illuminant inferiores easdem distinguendo.

ARTICULUS II.

UTRUM UNUS ANGELUS POSSIT MOVERE VOLUNTATEM ALTERIUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Articulus iste est veluti parenthesis. Exposito influxu, quo superior Angelus intellectum Angeli inferioris per illuminationem movet, quaeritur utrum similis omnino hierarchicus motionis influxus existat inter Angelorum voluntates.

Et sane Angelum superiorem posse aliqualiter movere voluntatem Angeli inferioris, patet ex ipsa illuminatione. Nam qui intellectum movet illuminando, movet ipsam voluntatem, quippe quae in ente recto sequitur lumen intellectus. Sed haec motio non est nisi indirecta. Quaestio igitur est, utrum unus Angelus possit tam directe movere alterius voluntatem quam intellectum.

2) Iam vero id negandum est, quia intellectus et voluntas non se habent omnino eodem modo ad eum a quo moventur. Proprium enim est voluntatis ut moveat seipsam, non autem intellectus. Quare potest quidem Angelus agere in voluntatem alterius proponendo obiectum cui necessario adhaereat, si tale sit obiectum quod, utpote bonum summum, necessario ipsum trahat [1]; at non potest agere in ipsam poten-

[1] Hypothetice loquimur; hypothesis autem, ut ex *Corpore* patet, est neganda.

tiam volendi, qua pollet Angelus, nisi suadendo. Iam vero suasio potest carere effectu, quo non potest illuminatio, ubi agitur de ente recto ad intelligendum aptissime disposito.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si illuminatio, purgatio et perfectio Angeli eodem modo dicerentur de Deo ac de Angelo superiori; quod esset demonstrandum. Deus enim illuminat directe intellectum et purgat directe voluntatem; ac ideo quoad utrumque directe perficit; Angelus vero directe quidem illuminat, at purgat et perficit indirecte, scilicet per ipsam illuminationem. Cf. addenda in resp. sequenti.

2. Obi. Arguit ac si nullus alius esset modus ad amorem provocandi quam movendo voluntatem; quod falsum est; adest enim etiam persuasio, quae inducit voluntatem ut ipsa se moveat.

3. Obi. Procedit ab imaginatione falsa, quasi voluntas Angeli superioris se habeat ad voluntatem Angeli inferioris sicut in eodem subiecto ex anima et corpore composito appetitus superior se habet ad appetitum inferiorem.

Sed contra est. Noli infirmare vim huius argumenti ex hoc quod Angeli non amplius iustificari possunt, quia sunt in malo ex natura sua firmati. Vis argumenti est generalis. Motio voluntatis directa, proprie dicta illius est, qui potest iustificare. Atqui hoc non potest nisi Deus. Et sane abundant Scripturae loca, in quibus haec in corda potestas soli Deo vindicatur, iuxta illud Pauli: « Deus qui iustificat » [1], et Psalmistae: « Cor mundum crea in me Deus » [2].

In Corpore. Doctrina sequenti schemate exhibetur.

- Angelus voluntatem alterius movere,
  - I) ex parte obiecti,
    - 1) motione proprie dicta non potest:
      - *a*) nec ut obiectum - solus Deus bonum absolutum;
      - *b*) nec ut manifestans obiectum;
    - 2) inclinatione tamen potest:
      - *a*) tum uti obiectum, ratione propriae excellentiae,
      - *b*) tum uti manifestans, ratione illuminationis;
  - II) ex parte potentiae non potest:
    - 1) solus ille movet, qui solus est auctor voluntatis,
    - 2) quique solus potest iustificare: Deus.

[1] Rom. viii, 33.
[2] Ps. l, 3.

Corollarium. - Ex hac doctrina recte intellecta intellige, iuxta sanam philosophiam S. Thomae, motionem, qua Deus movet voluntatem, esse intrinsece efficacem, quin ullum inde detrimentum obveniat libertati. Quae sane motio, tum ob Dei sanctitatem, tum ob influxum activum, non potest haberi nisi in bonum. Unde istud principium nondum solvit totum problema de motione divina, seu, si placet, de motione illa, quam Thomistae vocaverunt praemotionem, imo praedeterminationem physicam. Nam ubi agitur de motione in malum, in varias partes abeunt ipsi Thomistae [1].

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELUS INFERIOR SUPERIOREM ILLUMINARE POSSIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ut haec quaestio lucide solvatur, oportet distinguere inter cognitionem naturalem et supernaturalem; pariter inter ordinem ordinarium et extraordinarium.

Quum Angeli ex natura et ab originali naturae evolutione sint alii aliis intellectu et scientia praestantiores; quumque repugnet, doctiorem illuminari a minus docto, consequens est, in his quae sunt scientiae naturalis, Angelum inferiorem non posse illuminare superiorem.

In his autem quae spectant ad cognitionem supernaturalem, non adest a priori eadem repugnantia. Ast si admittitur, dotes supernaturales Angelorum per miram quamdam harmoniam praestabilitam commensurari perfectioni eorumdem naturali; eadem lex viget quoad illuminationem de rebus supernaturaliter cognitis.

[1] Ex iudicio, quod non unus criticus vir * de praecedentibus meis voluminibus tulit, comperi, parum placuisse nomen Bannesianorum, quod, absque ulla offensionis nota, rigidioribus Thomistis dari posse censebam. Quum displiceat nomen, ab eo deinceps abstinebo. Puto tamen, et hoc sane licebit, istud nomen nihil iniuriosi haberi in ore illius, qui censet, Bannezium et eius asseclas non semper genuinam mentem S. Thomae esse assecutos; ac proin in his, in quibus excedere censentur, nomen Angelici non amplius pleno iure vindicare. Hinc noster loquendi modus, si minus in reverentiam huius scholae rigidioris, ut certo in reverentiam ipsius Aquinatis cedit. Quis autem, quaeso, theologo S. Thomae addictissimo ius adimet existimandi, quosdam re vera ultra Angelici mentem esse quandoque progressos, quum inter ipsos Thomistas non una de hisce problematibus sententia vigeat?

* Cf. Cl. Mich. Glossner in iudicio, caeteroquin urbanissimo atque faventissimo, quod de tomo V meae *Summae theologicae* tulit in *Jahrbuch für Philos. und specul. Theol.* (Tom. XIX, fasc. 1 p. 11).

2) Quae lex est in mundo angelico tam firma, ut non patiatur illas exceptiones, quae in ordine rerum physico constituunt miracula. Non quasi Deus ordine superiori angelico a se stabilito magis teneatur, quam ordine hoc inferiori mundano. Nullus enim ordo potest totius ordinis Auctorem vinculare. Sed rationes illae, quae prostant interdum, ut Deus leges inferioris naturae suspendat aut veluti immutet, non existunt in natura superiori. Unde non ob minorem Dei libertatem, sed ob indolem ipsius mundi angelici, exceptiones hic ordo non accipit.

3) Obiicies: quid saltem de libera voluntate Angelorum? Sane voluntarie et radicitus libere Angeli superiores illuminant inferiores. Unde possent immediate illuminare infimos; qui infimi, utpote maiori lumine dotati, possent illuminare medios, quos superiores praetermisissent; ac ita superiores ab inferioribus illuminarentur. Sed haec ordinis praetermissio, utpote contra divinam voluntatem, in Angelis bonis haberi non potest propter eorum sanctitatem perfectamque conformitatem cum voluntate divina. Ad summum talis ordinis perversio possibilis esset inter daemones. Sed vix apparet ratio cur daemones in hac inversione, quae naturam ordinis angelici offendit, delectarentur.

4) Admissa tamen huiusmodi illuminatione, evidens est, Angelum inferiorem non posse illuminare superiorem confortando eius virtutem intellectivam; neque appropriando species acceptas indoli eiusdem intellectus: potest quidem superior Angelus speciem ampliorem decomponere in magis minutam, non autem magis minutam potest Angelus inferior reddere amplitudine simpliciorem. Restat igitur ut haec illuminatio fieret unice proponendo speciem, qualem inferior accepit, et quam superior pro indole suarum specierum acciperet. Quare huiusmodi propositio non posset habere rationem illuminationis, nisi de his rebus, quae sunt ordinis supernaturalis, ac proin excedunt per se vim intellectivam Angeli superioris haud secus ac inferioris.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit gratuito ex imperfectionibus hierarchiae ecclesiasticae.

2. Obi. Non considerat discrimen expositum n. 2).

3. *Obi.* Abstrahit a rectitudine voluntatis angelicae.

Sed contra est. Ob defectum huiusmodi legis in hierarchia ecclesiastica falso procedit comparatio in obiectione prima adducta.

In Corpore. En argumentum totius articuli tabella comprehensum.

- Angelum inferiorem numquam illuminare inferiorem, probatur
  - I) per ordinem supremum a Deo intentum:
    - 1) inversio ordinis naturae in rebus corporalibus potest interdum reduci in ordinem superiorem propter bonum hominis;
    - 2) at non ita in ordine a Deo instituto inter ordines angelicos;
  - II) per perfectionem ipsius hierarchiae angelicae:
    - 1) hierarchia Ecclesiae terrestris in multis est imperfecta, nam saepe alius est ordo
      - *a*) dignitatis,
      - *b*) sanctitatis,
      - *c*) scientiae;
    - 2) hierarchia angelica harmoniose conspirat:
      - Angelus superior in nullo inferior.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELUS SUPERIOR ILLUMINET INFERIOREM DE OMNIBUS SIBI NOTIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Restat ut de obiecto quaeramus illuminationis angelicae. Iam vero si, uti in superioribus ostensum est, Deus ita gradus angelicos disposuit, ut per supereffluentiam descendentem inferiores a superioribus acciperent, nulla ratio apparet ob quam illuminatio angelica ad aliqua obiecta, seclusis aliis, limitaretur. Haec enim ratio inveniri potest nec in Deo, nec in Angelis, nec in ipsis rebus.

2) Non in Deo: nam ipse Deus hanc oeconomiam statuit. Ergo nisi a Dei voluntate ostendatur limitatio, gratis ponitur. Non ideo tamen repugnat ut Deus, maxime in ordine supernaturali, quaedam ab exordio temporum superioribus Angelis revelaverit absque intentione ut iam tunc per illuminationem ea inferioribus communicarent. Imo quis certo affirmabit, de mysteriis salutis, maxime de Incarnatione, non huiusmodi fuisse quasdam revelationes initialiter supremis gradibus, vel imo supremis supremi gradus reservatas?

3) In Angelis autem ipsis nulla limitationis ratio inveniri potest. *a*) Non in Angelis superioribus: etenim α) ex una parte, voluntati divinae adhaerent firmissime; β) ex altera, nullam superiores experiuntur de excellentia superbiam, nullam avaritiam. Unde de Angelis inferiores illuminantibus valet maxime illud Sapientiae: « sine invidia communico »[1]. *b*) Non in inferioribus: nam, uti superius exposuimus, recipiunt a superioribus iuxta conditionem suam, simpliciores radios, fractis veluti coloribus, ad mensuram proprii luminis accipientes, suosque facientes.

4) Demum ratio limitationis non potest reperiri in ipsis obiectis. Nam si haec ratio valeret, valeret de omnibus. Etenim si unum obiectum a superiori Angelo communicari potest, et omnia possunt; eo utique modo, quo superius diximus: modum manifestationis accommodando gradui intel lectionis. Quare *a*) nulla contra hanc universalem illuminationem adduci potest ratio, quasi differentiam graduum inter Angelos tolleret; quod falsissimum est: supponit enim talem esse inter Angelos illuminationem, quae reddat intellectionem illuminati intellectioni illuminantis aequalem; quod non est verum. Illuminatur utique inferior, sed ita ut modo suo inferiori, quod sibi manifestatur, intelligat.

Nec *b*) obiici potest numerus limitatus obiectorum manifestandorum, unde illuminatio dato tempore cessare deberet. Nam α) ubi illuminatio fit servatis intellectionis gradibus, fit quoque per iugem contactum intellectivae virtutis; insuper β) sicut Deus semper novis obiectis supremos gradus illustrat, ita superefluentia illuminantis rivuli nunquam inferiores gradus irrigare cessat. Huc faciunt et sequentia Sapientiae verba: « Infinitus est thesaurus »[2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 4) *a*).

2. Obi. Praetermittit progressionem in cognitione eiusdem mysterii. - Non ideo tamen spernendum quod n. 2 monuimus.

3. Obi. Negligit dicta n. 4) *b*) β).

[1] Sap. vii, 13.
[2] Ibid. 14.

In Corpore. En schema argumenti.

Angelus superior illuminat inferiorem de omnibus quae scit:	I) id exigit lex caritatis perfectae:	*a)* suadetur ex bonitate Dei diffusiva sui, *b)* ex monitu Apostoli inter Christianos perfectos, - quanto magis inter Angelos;
	II) quin inde tollatur ordo angelicae hierarchiae: inferiores enim	*a)* sciunt a superioribus, *b)* et quidem minus perfecte, quia minus universaliter, *c)* imo iugiter de novis revelationibus superioribus factis participant.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli vide, quantopere civitas angelica sit exemplar perfecti ordinis in perfecta diffusione charitatis. Quod exemplar utinam humanas quoque civitates regeret! non quidem per stultum aequalitatis somnium: sine gradibus enim et conditionibus diversis nequit haberi societas, sicuti sine patre et matre et liberis, natura certe non aequalibus, nequit adesse familia; sed per sensum illum generosum, quo, qui plus est vel plus habet, sive divitiarum, sive honorum, sive doctrinae, agnoscat actibusque demonstret, se in ordine Providentiae non eminere aliis, nisi ut, providus ipse, aliis prosit, in bonum communitatis dispensans quidquid non sibi modo, sed et aliis prae aliis accepit.

Quam felices forent hac foecunda charitatis charta gubernatae civitates! Esset communissimus altior, non ille atheus, vere belluinus, per stragem et ruinas aequalitatem desolationis et inertiae parans; sed Christianus, imo et angelicus, gradus a Deo ipso distinctos, in omnium bonum ordinans ac regens! [1]

Quaeres. - Solent theologi, duce Dionysio, distinguere tria officia superiorum Angelorum erga inferiores Angelos: *purgandi, illuminandi* et *perficiendi.* Quid inter haec tria interest? Haec tria pro entibus culpa carentibus, non sunt nisi triplex respectus eiusdem rei, quatenus purgatio dicit terminum a quo, illuminatio viam, et perfectio terminum ad quem. « Quantum ad remotionem privationis, ait S. Thomas, est « purgatio, quantum ad influentiam luminis est illuminatio; « sed quantum ad cognitionem consequentem, in quam diri- « git lumen sicut in ultimum terminum, est perfectio » [2].

[1] Huc facit pulchre dictum CAESARIS CANTÙ: « La carità è il solo tesoro che « aumenta col dividersi ».

[2] II Sent. dist. IX. q. 1, art. 2.

In operatione autem Angelorum custodum ad homines haec tria sunt revera distincta, licet ad eamdem operationem terminative pertineant. Indigemus enim ut a culpis ac vitiis purgemur, paulatim illuminationem accipimus, usquedum perfectionem attingamus.

Quum schemata parvo intervallo argumentum nitide comprehendant, ab huius Quaestionis synopsi abstinemus, quod et deinceps brevitatis causa non semel faciemus.

CAPUT II.

DE LOCUTIONE ANGELICA.

QUAESTIO CVII.

Praeter illuminationem datur inter ipsos Angelos, imo inter Angelos et Deum, *locutionis* commercium; de quo iam paucis est disserendum.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

- De locutione Angelorum quaeritur:
  - I) *factum* locutionis:
    - 1) Angeli ad Angelum:
      - *a*) an detur (a. 1),
      - *b*) quis, cui (a. 2);
    - 2) Angeli ad Deum (a. 3);
  - II) *modus* locutionis:
    - 1) quoad localem distantiam (a. 4),
    - 2) quoad indolem privatam (a. 5).

I. DE IPSA QUAESTIONE.

1) **I. Prop.** - *Angeli utuntur ad invicem commercio intellectuali, quam vocamus locutionem, quae est veluti genus, cuius illuminatio dici potest altior species.* - (Cf. art. 1 et 2).

1) Quotiescumque homines inter se, sive signis, sive verbis cogitationes suas vel volitiones et affectus communicant, colloqui dicuntur. Similiter de Angelis ad invicem dicendum est. Secus existerent simul, quin tamen consortio mutuo fruerentur, quod est omnino absonum. Si enim ex Scripturis constat, Angelos saepe collocutos esse cum hominibus, quanto magis inter se locutione uti dicendi sunt?

Haec autem locutio talis est, quae purae Angelorum spiritualitati respondeat. Unde sicuti a divino Verbo in sinu

Trinitatis augustissimae prolato semovendum est quidquid simplicitatem divinam dedecet; ita a commercio spirituali Angelorum ad invicem sedulo arcendum est quidquid spiritualitatem puram offendit. Possunt quidem Angeli, imo debent assumere sensibilia media quando loquuntur cum hominibus; sed inter se colloquentes nullatenus debent, imo nec proprie possunt.

Ad hanc ergo locutionem non requiritur signum externum, sensibile. Sed neque sufficit actualis praesentia conceptus seu volitionis in ipso Angelo; quae nullomodo locutio est, sed mera locutionis materia. Imo neque sufficit actio Angeli eisdem in semetipso utentis, semetipsum veluti supra proprias cogitationes reflectendo; quae iam locutio dici potest, sed soliloquium Angeli cum semetipso. Ut ergo cum alio Angelo Angelus loqui dicatur, oportet ut actionem suam manifestativam per voluntatem ordinet ad alterum, qui vicissim ad hanc manifestationem recipiendam per voluntatem sese ordinet. Subtilius de modo, quo hoc fit, solent investigare theologi scholastici [1]. Evidens est, huc redire quaestiones de modo, quo Angeli nova cognoscunt, et quo se invicem praesentes sciunt aut constituunt. Quare remittimus ad doctrinam superius de modo cognitionis Angelorum expositam, quam per locutionem Angelorum corroborari putamus.

2) Est igitur locutio angelica genus commercii Angelorum ad invicem, cuius generis illuminatio est altior species [2]. Et sane quaevis illuminatio est locutio; at non e converso quaevis locutio est illuminatio proprie dicta. Etenim superior Angelus illuminat inferiorem; at inferior Angelus potest cum superiori loqui.

Nihilominus, improprie loquendo, potest et omnis locutio illuminatio quaedam vocari, quatenus eo sane tendit, ut aliquid manifestet, quod secus alter, non hoc saltem modo, sciret. Secus, quaeso, quo spectaret locutio? Quum iam iste modus pendeat a voluntate loquentis, et quivis Angelus prae alio habeat suae voluntatis dominium, loquens Angelus, in quantum manifestat aliquam rem cuius dominus est, est veluti

[1] Cf. Billuart hoc loco.

[2] Hac sane motus ratione Billuart prius de locutione tractat, dein de illuminatione.

superior illi quocum loquitur, etsi simpliciter et absolute ei inferior sit.

II. Prop. - *Angeli cum ipso Deo colloquuntur, non ei ignota manifestantes, sed iugiter eum laudantes, et pro opportunitate lumen ab eo expetentes.* (Cf. art. 3).

Quod modo dicebamus, inferiores Angelos posse cum superioribus loqui, quam maxime valet de Angelis relate ad Deum. Quid enim monstruosius esset, quam creaturam intellectu et voluntate dotatam tali commercio cum suo Creatore destitui? At hic magnum apparet discrimen, imo duplex.

1) Angeli inter se loquendo illuminant, aut certo aliqualiter nondum nota manifestant. Deus autem est intellectus et voluntatis angelicae tam subtilis perscrutator, ut nihil ipsum latere possit. Quemadmodum enim interdum Deus nos rogat quod scit, uti de Christo in Evangelio apparet; ita Angeli loquendo semper dicunt Deo quae Deus novit.

2) Angeli ad invicem non loquuntur semper; a divino autem colloquio nunquam desistunt, quia nec uno instanti abstinent ab illa extasi perenni, qua Deum iugiter intuentes, in laudem Dei iugiter prorumpunt.

Nihilominus praeter hanc laudem nunquam intermissam, speciali interdum modo loquuntur cum Deo, quotiescumque consilio divino specialius indigent. Quod tunc eis contingere dicendum est, quando novo munere incipiunt fungi, aut in iam accepti muneris exercitio illustrari ad novas actiones exoptant.

Quare, sicut optime monet S. Thomas, Angeli cum Deo colloquentes non se habent ut agentes ad patientem, sicut accidit de Angelis loquentibus ad invicem, etiam quando inferior loquitur superiori; sed ut patientes ad agentem, quod et de nostra cum Deo locutione a fortiori est dicendum.

III. Prop. - *Quum locutio Angelica sit pure spiritualis, dependens a loquenti voluntate, distantia localis nullo modo in locutionem angelicam influit, quin tamen ideo omnes eam cognoscere debeant.* (Cf. art. 4 et 5).

1) Relatio Angeli ad locum vere dictum pendet, uti supra vidimus, ab operatione angelica in loco vel circa locum.

Quando autem operatio angelica est independens a loco, localis distantia nihil in eam influere potest. Iam vero talis est locutio Angelorum ad invicem, licet non talis sit locutio Angelorum nobiscum. Ex quo sequitur, nonnisi metaphorice intelligendas esse illas expressiones Scripturarum, quae in locutione Angelica relationem ad distantiam exprimere videntur. Clamare enim dicitur aliquis, non solum quia maiori vocis intensitate distantiam maiorem superare conatur; sed insuper quia vox fortior symbolum est fortioris affectus, vel sublimioris argumenti.

2) Ast falso inde deduceretur, quum distantia localis nulla obsit, ideo omnes Angelos debere locutionem unius ad alium cognoscere. Hoc consequens esset verum in his, quae nata sunt per distantiam localem impediri. Nihil autem valet in his, quae sunt supra influxum huius distantiae, quia ordinis altioris.

Quare recurrendum est ad locutionis principium. Quod principium, quum sit libera voluntas, a libera Angeli loquentis voluntate pendet, utrum quae loquitur, velit ab omnibus, an ab aliquibus tantum, aut imo ab uno solo intelligi. Quare si rationes adesse possint, cur haec voluntas restringatur, cur non restringeretur et ipsa Angelorum locutio? Secus enim dicendum esset, maiorem esse hominum inter se colloquentium libertatem quam Angelorum, quod est absonum nimis.

Ex quo iam patet discrimen alterum inter locutionem angelicam et illuminationem. Haec enim quum a Deo per gradus ordinetur ad omnes, et voluntas Angeli illuminantis divinae voluntati sancte conformetur, illuminatio, per gradus utique passim, sicuti spectat ad omnes, ita ab omnibus cognita ad omnes derivatur.

II. AD TEXTUM S. THOMAE.

Ad Art. I. - « *Utrum unus Angelus alteri loquatur* ».

1. Obi. Arguit ac si grossities corporis unum esset obstaculum, quod cogitationes et volitiones occultat; quod falsum est: datur enim alterum princeps: ipsa voluntas, quae et in Angelis, imo magis, potest cogitata et volita abscondere.

2. Obi. Non distinguit inter locutionem internam secum et locutionem cum alio per signa sensibilia: scilicet locutionem cum alio quidem, at sine signis sensibilibus.

3. Obi. Duo praetermittit: *a*) Angelos se invicem videre in Verbo, ac per consequens ad invicem semper in Verbo esse intentos; *b*) in ipso naturae ordine Angelos, sicuti loquuntur sine signis sensibilibus, ita nec sensibili signo indigere, ut se significent velle cum alio loqui.

Sed contra est. Praeter locum hic a S. Thoma allatum, alii adduci possunt. Et sane verba psalmi: « Quis est iste « rex gloriae » [1], locutionem quoque indicant. Isaïas audivit Seraphim, qui « clamabant alter ad alterum et dicebant: « Sanctus, etc. » [2]. Daniel audivit virum, Angelum sane, clamantem: « Gabriel, fac intelligere istam visionem » [3]. Apostolus quoque Iudas haec habet: « Cum Michaël Archangelus cum « diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, dixit: « imperet tibi Dominus » [4]. Quid insuper fuit nisi magna fortisque locutio illud: « Quis ut Deus? » unde princeps ille nomen accepit? Praeterea, uti iam diximus, quoties Scripturae exhibent Angelos nobiscum colloquentes, toties insinuant spirituale commercium, quo ad invicem sane non possunt destitui.

In Corpore. En argumenti schema.

Quum loqui sit per voluntatem conceptus ad alium ordinare, Angelus loquitur alteri
- 1) non quatenus habitualiter cognita habet in se praesentia intellectui: ad hoc nihil facit voluntas;
- 2) nec quatenus actu his sibimet utitur: ita loquitur quidem, sed sibi, non alteri;
- 3) sed quatenus vult conceptum ad alium ordinare:
  - *a*) non quidem medio sensili, sed conversione, seu illuminatione, lingua metaphorice dicta;
  - *b*) quam linguam alter intelligit ope virtutis spiritualis et voluntatis utrimque agentis, ut ad invicem se convertant.

Ad Art. II. – « *Utrum inferior Angelus superiori loquatur* ».

1. Obi. Non distinguit inter duplex principium: Deum, ad quod principium respicit illuminatio; voluntatem, a qua pendet locutio.

[1] Ps. XXIII.
[2] Is. VI, 3,
[3] Dan. VIII, 16.
[4] Iud. 9.

2. Obi. Eodem vitio laborat.

3. Obi. Procedit ex falsa comparatione. Ideo praecise Deus non loquitur nisi illuminando, quia ex toto, quoad veritatem non minus quam quoad voluntatem, creaturae supereminet.

Sed contra est. Locus iste continet exemplum tum locutionis in interrogatione Angelorum inferiorum: « Quid est « iste rex gloriae? » tum locutionis simul et illuminationis in responsione superiorum: « Dominus virtutum ipse est Rex « gloriae ».

In Corpore. En doctrinam schemate contractam.

Inferior Angelus superiori loquitur	1) non quidem locutione quae sit illuminatio:	*a*) provenit enim a relatione cognitionis ad principium, quod est Deus, *b*) unde de ea locutione loquendum sicut de illuminatione;
	2) sed locutione quae pendet a mera ordinatione voluntatis, nam	*a*) haec ordinatio non perficit proprie scientiam illius, quocum Angelus loquitur, *b*) iuxta hanc voluntatem quisque Angelus est alteri superior, utpote actuum suorum dominus.

Ad Art. III. - « *Utrum Angelus Deo loquatur* ».

1. Obi. Arguit ac si omnis locutio deberet esse manifestativa, et quidem rei ignotae illi, ad quem fit sermo. Quod patet esse falsissimum.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) non distinguit in locutione Angeli ad Deum elementum quod nunquam desinit, et elementum quod potest cessare et reassumi; - *b*) non attendit quomodo Angelus, etsi Deum iugiter intuens, potest tamen simul cum alio Angelo loqui. Si haec duo non possent stare simul, vel Angeli numquam, vel nonnisi cum maximo supplicio, cum momentanea scilicet carentia visionis divinae, cum aliis loquerentur.

Sed contra est. Corroboratur haec doctrina per librum Iob. Si enim ibi diabolus exhibetur cum Deo loquens, a fortiori haec locutio est Angelis concedenda. Et sane cum quonam loquebantur Seraphim visionis propheticae, nisi cum ipso Deo? [1]. Pariter illustratur ex doctrina de Angelis custodibus, qui certe intercedendo pro nobis de rebus nostris cum

[1] Io. VI. — Cf. Praefationem Missae.

Deo colloquuntur. Et sane Raphaël ille iunioris Tobiae comes declarat, se Tobiae senioris orationes obtulisse Domino [1]. Inde orat Ecclesia: « Princeps gloriosissime, Michaël Archangele, « esto memor nostri: hic et ubique semper precare pro nobis « Filium Dei » [2].

In Corpore. Accipe schema argumenti:

- Angelus Deo loquitur
  - 1) non quidem manifestationis causa, ut agens ad patientem: talis ordinatio repugnat, Deus enim scit
    - *a*) omne verum,
    - *b*) omne volitum.
  - 2) sed ut aliquid accipiat - sicut passivum ad agens:
    - *a*) ad laudandum Deum (semper),
    - *b*) ad consilium petendum (ratione novi muneris, seu actionis).

Ad Art. IV. - « *Utrum localis distantia operetur aliquid « in locutione angelica* ».

1. Obi. Non attendit, locutionem angelicam esse interiorem, a locali distantia independentem. Effatum Damasceni veritatem servat, sive agatur de operatione interna, sive de externa; sed modus praesentiae, indicatus per « ubi est », alius est iuxta alium operandi modum. Ergo ex hoc effectu nihil contra thesim sequitur.

2. Obi. Dupliciter peccat: *a*) non considerat, multa in Scripturis dici per figuram; *b*) supponit, clamorem unice emitti ad hoc, ut vox a magis distante percipiatur.

Sed contra est. Corroboratur doctrina praesens per modum quo Isaias describit visionem Seraphim. Audit illos ad invicem clamantes: multum forsan ab invicem distantes? Absit; sed adorationis et amoris ardorem clamore exprimentes.

In Corpore. En argumenti schema.

- In locutione angelica localis distantia nihil operatur, nam
  - 1) locutio angelica est operatio pure intellectualis, ac proin independens a tempore et a loco;
  - 2) locutio angelica est interior, ergo non magis locutio angelica dependet a loco quam visio;
  - 3) nihilominus improprie clamare dicitur
    - *a*) ob magnitudinem rei dictae,
    - *b*) ob magnitudinem affectus.

[1] Tob. xii, 12.

[2] In festo dedic. S. Mich. Arch. antiph. ad Magn. II Vesp.

Ad Art. V. - « *Utrum locutionem unius Angeli ad omnes,* « *omnes cognoscant* ».

Hic articulus veluti instantia est: ac si ex praecedentis articuli consequens sequatur, unius Angeli locutionem omnibus patere. Sed superius ostendimus, hunc arguendi modum esse fallacem.

1. Obi. Maior argumenti caret omni virtute: in locutione interna, spirituali, non attendit loquentis voluntatem.

2. Obi. Eodem prorsus vitio laborat.

3. Obi. Abstrahit a divina voluntate, quae illuminationem, uti à Deo procedentem, ad omnes Angelos destinat. Cave autem, ne falso heic intelligas effatum Angelici. Dicit quidem, illuminationes esse omnibus communes; sed non dicit, eas esse omnibus communes immediate. Gradatim enim descendunt per luminosam effluentiam in praecedenti Quaestione illustratam.

Sed contra est. Est argumentum a priori solidissimum, ex quo sequitur, animas quoque separatas loqui posse ad invicem pro libera voluntate, quin ex corporis defectu dominium commercii intellectualis minuatur.

In Corpore. En schema doctrinae.

Locutio angelica	1) quae est simul illuminatio, communis est ad omnes;	
	2) quae autem non est illuminatio, sed mera ordinatio conceptus ad alium, potest non esse communis. nam	*a*) pendet a mera voluntate; *b*) ratio adesse potest, cur haec voluntas ordinetur ad unum non ad alium; *c*) homo potest loqui ad unum, a fortiori et Angelus, si velit.

Corollarium. - Quemadmodum in illuminatione Angelica exemplar contemplati sumus societatis iuxta Dei providentiam ordinatissimae; ita ex Angelorum locutione stimulum accipere possumus illius beati commercii, quod in terris iam veluti praeoccupat caelum. De quo S. Paulus sapienter ac pie discipulos monebat: « Nostra conversatio in coelis est » [1]. Quae enim S. Ignatius dicere solebat: « Quam vilescit mihi « tellus, dum caelum intueor », possunt et hoc modo verti: « Quam silent terrena, dum in caelis cum Deo, eiusque An- « gelis ac Sanctis conversor! ».

[1] Bil. III, 20.

CAPUT III.

DE ORDINATIONE ANGELORUM.

Superest ut de Angelorum ordinatione dicamus, utpote quae est illuminationis Angelicae fundamentum. Quae ordinatio considerari potest in Angelis tum bonis tum malis. Inde bipartitio huius Capitis.

§ I. - DE ORDINATIONE ANGELORUM.

QUAESTIO CVIII.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur.

- Quaeritur de ordinatione Angelorum bonorum
  - I) in seipsis:
    - 1) utrum sit ordinatio:
      - *a*) per hierarchias (a. 1),
      - *b*) per ordines (a. 2),
      - *c*) plures Angeli in singulis (a. 3);
    - 2) quomodo sit:
      - *a*) quoad fundamentum (a. 4),
      - *b*) quoad proprietates et nomina (a. 5),
      - *c*) quoad invicem (a. 6),
      - *d*) quoad durationem (a. 7);
  - II) relate ad homines sanctos: utrum homines ad ordines angelicos assumantur (a. 8).

Eodem quo praecedentem modo hanc Quaestionem exponemus.

I. - DE IPSA DOCTRINA.

Antequam propositionibus a magis certis ad minus certa procedentibus argumentum contrahamus, placet pauca de ipso hierarchiae vocabulo et conceptu praemittere.

Hierarchia, - graece ἱεραρχία - idem sonat ac sacer principatus. Duo in se continet: ordinationem plurium, ab uno et ad unum, idque in his quae sunt a Deo et ad Deum.

Monet recte S. Bonaventura, hierarchiam posse, iuxta triplicem definitionem Dionysii, distingui in increatam et creatam. Increata hierarchia est ipsa SSm̃a Trinitas, quae divi-

nam pulchritudinem continet et exprimit. Cui respondent verba Dionysii: « Hierarchia est divina pulcritudo, ut simplex « et optima, ut consummata vel consummativa ».

Creata autem hierarchia considerari potest secundum egressum a Deo, vel secundum regressum ad Deum. Priorem potius exprimit altera definitio Dionysiana: « Hierarchia « est ordo divinus, scientia et actio, deiforme quantum pos- « sibile similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes pro- « portionaliter in Dei similitudinem ascendens ». Dixi potius, nam ultima verba iam indicant regressum in Deum; iuxta quem potius describitur haec tertia definitio Dionysii: « Hie- « rarchia est ad Deum, quantum possibile est, similitudo et « unitas, ipsum habens scientiae sanctae et actionis ducem, « et ad suum divinissimum decorem immutabiliter definiens; « quantum vero possibile est, reformat suos laudatores ». Quae ultima verba S. Bonaventura ita explicat: « in hoc scilicet, « quod non solum sibi, sed etiam propter plenitudinem cari- « tatis et gratiae potens est alios adiuvare » [1].

Hoc tertio maxime sensu heic sumimus hierarchiam, quae quidem duplex est, angelica et terrestris. De terrestri hierarchia sermo recurret in tractatu de Ecclesia et de Romano Pontifice, necnon de Ordine; de angelica heic nobis est investigandum, praemittendo certiora.

I. Prop. - *Ex Scripturis, traditione et ratione theologica certum omnino est, dari quamdam angelicam hierarchiam.*

1) Et sane *Scripturae* id manifeste inculcant. *a*) Sufficeret ad hanc thesim demonstrandam ipsa vox *Archangelus,* quae in Scripturis bis recurrit: minus determinate apud Paulum: « Quoniam ipse Dominus Iesus in iussu et in voce Archan- « geli, et in tuba Dei descendet de caelo » [2]; proprio nomine addito apud Iudam: « Cum Michaël Archangelus cum diabolo « disputans, altercaretur.... ». Quae vox « Archangelus » eo manifestius gradum hierarchicum (utrum specialem, infra discutiemus) designat, quod alibi vox « Angelus » per alios subsequentes gradus determinatur ad standum pro gradu inferiori. Talia sunt verba Pauli: « Certus enim quia neque

[1] II Sent. dist. IX, praenot.
[2] I Thess. IV, 16.

« mors neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque « Virtutes.... » [1]. Quibus ex verbis confici potest sequens argumentum. Angeli distinguuntur contra alios gradus; secus enim legendum esset: « neque Angeli, id est, neque Princi- « patus, neque Virtutes ». Ergo vox « Archangelus » designat non modo superioritatem inter Angelos, sed gradum super simplices Angelos. – *b*) Eadem doctrina confirmatur per omnia testimonia in quibus occurrit enumeratio talis, quae distinctionem hierarchicam involvat. Praeter locum modo citatum S. Pauli habemus alterum ex eodem Apostolo: « In ipso « condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invi- « sibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, « sive Potestates » [2]. Adde alium locum, ubi Christus dicitur a Patre exaltatus « super omnem Principatum et Virtutem « et Dominationem, etc. » [3]. Quibus in locis vocabula *sive, et* omne dubium tollunt. Dantur igitur inter Angelos generice sumptos, - imo praeter Angelos, specifice sumptos, quos gradum distinctum efformare iam demonstravimus, - plures alii gradus indolis hierarchicae. - *c*) Probabile igitur est, tales quoque gradus exprimi per vocabula Seraphim et Cherubim, qui in Antiquo Testamento pluries occurrunt. Seraphim audit Isaias Dei laudem alterum ad alterum concinnentes [4]; Cherubim armati gladio ardenti protoparentes a reditu in paradisum arcent [5]; quos et Ezechiel in celebri visione cernit [6]. Imo propter sublimitatem utriusque visionis nonne insinuatur Seraphim et Cherubim indicare gradus sublimiores? [7] Sed haec conclusio iam praeoccupat argumentum articuli sequentis, et limites scripturisticae conclusionis absolute certos excedit. Stat igitur firmissime ex modo loquendi Scripturarum, Angelos in gradus hierarchicos distingui.

[1] Rom. viii, 38. — Eadem vis non adest aliis locis, in quibus nonnisi Angeli nominantur, uti v. gr.: Matth. xviii, 10; Ioann. v, 4.

[2] Col. i, 16.

[3] Eph. i, 21.

[4] Is. vi.

[5] Gen. iii, 24.

[6] Ezech., x.

[7] Idem dic de *thronis,* quae Daniel in celebri visione vidit, quique sat probabiliter viventes, Angeli scilicet Deo propinqui, sunt intelligendi (Dan. vii, 9).

2) Hanc conclusionem *universalis traditio* Ecclesiae confirmat. Ut e sola *Liturgia* Latina quaedam documenta depromam, ecce in hymno *Te Deum* canitur: « Tibi omnes « Angeli, tibi caeli et universae potestates; tibi Cherubim et « Seraphim incessabili voce proclamant ». - Praefatio clauditur passim his verbis: « Per quem maiestatem tuam laudant « Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Caeli « coelorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exultatione « concelebrant ». - In festo S. Michaëlis Archangeli canitur: « Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus et « Potestates, Virtutes caelorum, laudate Dominum de caelis ». Et in Omnium Sanctorum solemnitate: « Angeli, Archangeli, « Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Vir- « tutes caelorum, Cherubim et Seraphim, intercedite pro no- « bis ». De quibus invocationibus in proximo articulo sermo recurret.

Patres autem tam universali concordia gradus hierarchicos in Angelis agnoscunt, ut testimonia coacervare supervacaneum sit prorsus. Aliter quidem et aliter ordinum tum numerum, tum gradationem illustrarunt; dari autem hierarchiam inter Angelos, nullus quidem vocavit in dubium.

Placet tamen ex antiquissimis Christianis scriptoribus duos afferre praestantissimos. S. Ignatius Martyr haec scribit ad Trallianos: « Ego vero non quia vinctus sum, et intel- « ligere possum caelestia et angelicos ordines: nec non « Angelorum et Exercituum differentias; ac Virtutum et « Dominationum discrimina; Thronorumque et Potestatum « varietates; Æonum magnitudines; Cherubim et Seraphim « excellentias,... haec inquam, quia cognosco, non praeterea « penitus sum perfectus » [1]. Irenaeus ait: « Dicant nobis, quae « sit invisibilium natura, enarrent numerum Angelorum et « ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacra- « menta, et doceant diversitatem Dominationum, Principa- « tuum, Potestatum atque Virtutum » [2]. Antiquissima igitur est de Angelorum ordinibus doctrina ex modo loquendi Scrip-

[1] *Ad Trall.* De hoc textu mox rursus dicemus. Interim observa, numerum esse novem ordinum, at nomina esse in duobus diversa: desunt Archangeli et Principatus, quorum loco habentur Exercitus et Æones.

[2] Lib. II, c. 51.

turarum desumpta. Unde apparet, quam impudenter Beza, commentans sententiam S. Pauli ad Ephesios, vocet « inepte « curiosos, qui ex hoc loco et similibus occasionem accipiunt « garriendi de Angelorum ordinibus ».

3) *Ratio* demum angelicam hierarchiam facile suadet, si prae oculis habetur ex una parte multitudo immensa exercitus angelici, et ex altera parte lex universalis sapientiae divinae, quae, sicut in sublimiori gradu creationis constituit Angelos, veluti splendidam scalam ab homine ad sanctuarium divinitatis pertingentem, ita quoque in ipso Angelorum numero harmoniosam distributionem negligere non potuit, cuius ope ab inferioribus gradibus ad celsitudinem supremam sub Deo perveniatur. Quae distributio, licet iam haberi potuerit per differentiam perfectionis et meritorum provisam inter singulos Angelos, longe tamen efficacius et nitidius elucet, si, praeter has differentias, maior habetur gradatio ordinum.

II. Prop. - *Non aeque certus est numerus ordinum, quibus hierarchia angelica constat. Doctrina autem hodie receptissima de novem ordinibus, est in Scripturis rationabiliter fundata, necnon vetusta traditione et publica Ecclesiae agnitione suffulta.*

Cautius hic incedendum est, ne, quod devotio universaliter receptum suadet, scientifice nimis urgeatur.

Notissima quidem sunt verba, quibus iam tempore suo S. Gregorius Magnus doctrinam de novem Angelorum ordinibus testimonio Scripturarum illustrabat: « Novem Ange- « lorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro « eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, « Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Sera- « phim ». En affirmationem; audi iam ex Scripturis demonstrationem: « Esse namque Angelos et Anchangelos, pene « omnes sacri eloquii paginae testantur. Cherubim vero atque « Seraphim saepe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. « Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad « Ephesios enumerat, dicens: " Supra omnem Principatum, « et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem ". Qui rursus « ad Colossenses scribens, ait: " Sive Throni, sive Domina- « tiones, sive Principatus, sive Potestates ". Dominationes

« vero et Principatus et Potestates iam ad Ephesios loquens « descripserat. Sed ea quoque Colossensibus dicturus, prae- « misit Thronos, de quibus nondum quidquam fuerat Ecclesiis « locutus. Dum ergo illis quatuor, quae ad Ephesios dixit, « id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus atque Domi- « nationibus, coniunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui « specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli et Archangeli, « Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio no- « vem esse Angelorum ordines inveniuntur » [1].

Posita traditione de novem ordinibus angelicis, optima esset haec argumentatio seu analysis ad novem istos ordines in Scripturis reperiendos. At non habet nisi vim suasivam ad distributionem Angelorum in novem ordines demonstrandam. Et sane ut argumentum S. Gregorii esset apodicticum, tria constare deberent. 1) Omnia ista nomina esse nomina distinctiva alicuius ordinis; - 2) nullum ex his novem nominibus esse synonymum alterius; - 3) praeter hos ordines non dari et alios. Iam vero haec tria certo non constant.

1) Non primum: nam, licet ex superius allata sententia S. Pauli ad Romanos probari possit, Angelos dici sensu generico et specifico, quo sensu distinguuntur ab Archangelis [2]; non adest locus Scripturae sufficiens ad demonstrandum, Archangelorum nomen esse non solum generice distinctivum ab Angelis, sed insuper unius ordinis specificum. Imo appellatio Archangeli data Michaëli, ob inclytam dignitatem principis caelestis militiae, potius suggerit sensum alium quam nomen ordinis dignitate penultimi.

2) Nec apodictice probatur secundum. Etenim *a*) nomina Cherubim nunquam occurrunt, ubi habentur alia nomina ordines significantia. *b*) Conferendo duas sententias S. Pauli ad Ephesios et ad Colossenses, habemus quidem utrimque quatuor ordines, et utrimque ex his quatuor tres eosdem: Dominationes, Principatus et Potestates; at pro Thronis in uno loco habentur in altero Virtutes. Porro quis demonstrabit, haec duo vocabula non designare eumdem ordinem Angelorum, qui Throni dicantur, quatenus sustentant divinae

[1] Homil. 34.

[2] S. Augustinus dubitat num Archangeli hoc sensu dicantur et Virtutes. (Cf. textum p. 908).

Maiestatis sedem; Virtutes autem, ad significandum robur quo id praestant? Imo quis certo demonstrabit, non eosdem esse Thronos et Cherubim, quia aliunde de Deo dicitur: « Qui sedet super Cherubim? » [1]. Quo admisso, enumeratio S. Pauli ad Romanos, in qua tres habentur gradus, totum breviter diceret: Angeli, Principatus et Virtutes, quatenus Principatus continerent etiam Potestates et Dominationes, quae nomina absque dubio valde sunt propinqua; Virtutes autem essent simul et Throni et Cherubim, quibus et Seraphim sunt veluti apex adiungendi.

Haec saltem dixerim ad demonstrandam argumenti S. Gregorii Magni inefficaciam apodicticam ex defectu secundae conditionis.

3) Tertia conditio pariter deest. Etenim *a*) nullus est locus Scripturae, qui omnes ordines contineat, vel saltem dicat, omnes ordines in paginis sacris exhiberi. *b*) Unus ex uberioribus locis clauditur formula tali, quae veluti suggerat, enumerationem adhuc ulterius posse, imo longius protrahi, sed scientiam nobis deesse, qua protrahatur: « et omne nomen quod « nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro » [2]. Unde et S. Chrysostomus, contra Anomaeos disputans, hunc locum adducit ad inculcandam modestiam, qua decet nos divina perscrutari. Iuvat hunc locum integrum etsi longiorem adducere. « Sunt enim, sunt et aliae virtutes, quarum « ne nomina quidem novimus. Cogitate animo quanta sit « haereticorum insolentia. Servorum ne appellationes quidem « scimus; et illi Domini substantiam curiosius inquirunt. Sunt « enim Angeli et Archangeli, et Throni, et Dominationes, et « Principatus, et Potestates. Sed non soli isti sunt coetus in « caelis: verum infinitae gentes, et nationes ineffabiles, quas « nulla explicare potest oratio. Et unde constat, plures illis « alias esse virtutes, quarum ne vocabula quidem novimus? « Nimirum qui illa dixit Paulus, et hoc asseveravit alterum, « cum sic de Christo loquitur.... [3]. Videtis uti sint aliqua no- « mina quae manifesta illis erunt, cum sint ignota modo. Nam

[1] Ps. XCVIII. 1; cf. Ps. LXXIX, 2; Is. XXXVII, 16.
[2] Citat EPH. I, 21.
[3] EPH. I, 21.

« propterea dixit, non solum quae nominantur in hoc saeculo, « sed etiam in futuro » [1].

c) Non omnino constat, omnia Angelorum nomina, quae in Scripturis habentur, in hoc numero novenario contineri. Et sane Ignatius Martyr, in sacris Litteris versatissimus, ordinibus angelicis adscribit Exercitus, Sabaoth et Æonas (saecula), utique ex Scripturarum usu [2].

Ex modo dictis apparet veritas propositionis nostrae, quatenus argumento Gregoriano adimit vim demonstrativam a priori, sed ei concedit vim illustrativam, aut confirmativam a posteriori. Secus enim qui possent intelligi verba S. Augustini, qui certe omnia testimonia a Gregorio allata fideli docilique memoria volvebat? « Quomodo se habeat beatis- « sima illa et superna societas, quae ibi sint differentiae prae- « posituranum, ut, cum omnes tamquam generali nomine « Angeli nuncupentur, ... sint tamen illic Archangeli: et « utrum iidem Archangeli appellentur Virtutes, atque ita « dictum sit: " Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum « omnes Virtutes eius " [3]; ac si diceretur: Laudate eum « omnes Angeli eius, laudate eum omnes Archangeli eius; - « et quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus uni- « versam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus esse « complexus, dicendo: " sive Throni, sive Dominationes, sive « Principatus, sive Potestates [4] ", dicant qui possunt, si tamen « possunt probare quod dicunt; ego me ista ignorare con- « fiteor » [5].

Igiturne fundamento solido carere dicenda est distributio illa, quam S. Gregorius Magnus tanta certitudine describit? Nullatenus, et quidem ob tres rationes. *a*) Primo quia, uti modo expositum est, si non potest ex Scripturis apodictice demonstrari, magnam tamen ex Litteris sacris auctoritatem derivat. - *b*) Secundo quia haec doctrina non caret venerabili antiquitate. - *c*) Quia inde a Dionysio et Gregorio est in

[1] Homil. 4 de *Incomprehens.*

[2] Deus *Sabaoth* dicitur quoque relate ad exercitum stellarum; quatenus intelligitur de exercitu Angelorum, Sabaoth est nomen genericum, Angelorum simul numerum et hierarchicam distributionem exprimens.

[3] Ps. CXLVIII, 2.

[4] COL. I, 1.

[5] *Enchir.* n, 58. — *P. L.* XL, 259, sq.

Ecclesia acceptissima et publica traditione sacrata. Primam rationem iam satis illustravimus; duas ultimas rationes breviter adhuc evolvere lubet.

1) Verum est, Patres modo omnino diverso de numero ordinum angelicorum esse locutos. Quod ex rei indole facile intelligitur. Non enim ex professo de hoc argumento tractare solebant, sed potius per transennam, ut inde argumentum princeps illustrarent. Ita, ut uno exemplo utar, Didymus vindicans Spiritus Sancti divinitatem, arguit ex inhabitatione, quae ipsi tribuitur. Ait enim, « Spiritum Sanctum non solum « seiunctis a se hominibus praesto esse; sed et singulis qui- « busque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus « inhabitatorem assidere: ac non dici, plenum esse quem- « quam Angelo, Throno, Dominatione » [1]. Inde pauci sunt Patrum textus e quibus certo deduci possit, qualem praecise numerum ordinum angelicorum tenuerint. Et sane apud eosdem variae enumerationes occurrere solent, uti apud ipsum Paulum modo vidimus. Ita S. Cyrillus Alexandrinus in uno loco enumerat octo ordines [2], omissis Dominationibus, quas tamen alibi [3] nominat.

Dantur nihilominus quaedam sententiae principaliores, quas ad quinque redigere lubet. *a*) Prima sententia est eorum Patrum qui censent, omnes enumerationes ordinum angelicorum esse imperfectas, quum, teste Paulo, sint et alia nomina nobis impervia. Praeter S. Chrysostomum, superius allatum, hanc sententiam diserte exponunt Origenes [4], S. Basilius [5], Theodoretus [6], et S. Hieronymus. Qui ultimus enumerat: « Ar- « changelos, Angelos, Thronos, Dominationes, Potestates, « Cherubim, Seraphim: et omne nomen quod nominatur, non « solum in praesenti saeculo, sed etiam in futuro » [7]. En, omissis Virtutibus et Principatibus, septem recenset, affirmans tamen dari plures, at nobis ignotos. Quin et ipse Dionysius, novenarii numeri praecipuus fautor, hunc numerum fatetur

[1] De Spir. l. I.
[2] Lib. I in Gen.
[3] Orat. ad Theod. imper.
[4] In Ioann; *Periarch.* I.
[5] *De Spir. S.* 16.
[6] Comm. epist. ad Ephes.
[7] *Ctr. Jovin.* 2.

non esse certo completum: « Quot quidem sint et quales sublimiorum caelo substantiarum ordines; et quemadmodum illorum hierarchiae perficiantur, soli illi sacrorum principatui, per quem divini fiunt, exacte dico esse perspectum » [1].

b) Secunda est sententia eorum qui, ob auctoritatem S. Pauli gemino in loco quatuor ordines recensentis, existimant, omnia ordinum nomina redigi posse ad quatuor. Id probabile S. Augustinus existimavit, uti patet ex loco superius allato, ubi quaerit: « quid distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus esse complexus » etc. [2]. Hunc numerum pariter tenuisse videtur Theophilus Alexandrinus [3].

c) Accidit eorum sententia qui tenent numerum septenarium [4]. Disertius hunc vindicat Caesarius scribens: « Septem sunt ordines », et omnes citat, omissis Cherubim et Seraphim [5]. Eamdem enumerationem eodem ordine expressam, eisdemque omissis, iam fecerat Irenaeus [6]. Similis omnino enumeratio occurrit apud S. Basilium [7], qui eumdem alibi numerum habet, at nominat Seraphim et omittit Dominationes [8]. Eumdem numerum exhibet S. Epiphanius; sed, dum Ministros necnon Seraphim nominat, omittit Virtutes, Potestates et Dominationes [9].

d) Octavarius quoque numerus patronis non caruit. S. Athanasius octo ordines recenset, Thronos omittens [11], quos tamen in eodem libro commemorat [12]. S. Gregorius Nyssenus eumdem numerum habet in loco, in quo, Angelos et Archange-

[1] Op. cit. c. 6.

[2] *Enchir.* c. 58.

[3] *Lib. pasch.* 2.

[4] Haec sententia, praeter ipsum septenarii numeri symbolum, suaderi potest per verba: « Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum », utpote, tanquam principes ex omnibus ordinibus delegati. (Tob. xii, 15).

[5] Dial. 1.

[6] Lib. 2, c. 54.

[7] Homil. de Fide.

[8] *De Spir. S.* c. 16.

[9] *Haeres.* 64.

[11] Forsan quia Thronos identificabat cum Cherubim, propter locum psalmi superius allatum. Quam identificationem, ibi ab Augustino suggestam, tenuerunt quoque Theodoretus (Comment. in cap. 1. epist. Ephes.), et in quodam loco Gregorius Nyssenus (*Adv. Eunon.* l. i.), qui tamen alibi inter utrosque distinguit.

[12] Ep. ad Serap.

los omittens, nominat Ministros, quos imo, si ascendens sit gradatio, post Cherubim supremo loco collocat. Cyrillus Alexandrinus pariter enumerat octo, omissis Dominationibus, quas tamen, ut diximus, adducit alibi.

e) Demum est sententia novem ordines enumerans. Quae sententia, inde a Dionysio apud Graecos et a Gregorio Magno apud Latinos semper magis magisque recepta, iam apud tres antiquos scriptores recurrit. Modo adduximus textum S. Ignatii Martyris. Eo magis notandus est numerus in quo sistit, quod, omissis Archangelis et Principatibus, adducit Exercitus et Æones, sive saecula [1]. Cur id egit, nisi quia ad numerum novenarium pervenire volebat? Similis intentio videtur conduxisse S. Gregorium Nazianzenum, qui enumerat « Ange-« los, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Pote-« states », et his sex addit et alios tres: « Splendores, Ascen-« siones, intelligentes Virtutes vel Intelligentias », numerum novenarium attingens. S. Chrysostomus eumdem ordinum numerum recenset his verbis: « Si ad invisibiles virtutes « venias, et animum intendas ad Angelorum exercitus, Ar-« changelorum, caelestium Virtutum, Thronorum, Dominatio-« num, Principatuum, Potestatum, Cherubim, Seraphim, quae « mens, quae oratio ad eloquendam inexplicabilem ipsius « magnitudinem par esse possit? » [2]. Quibus si addis Irenaeum, Basilium et Caesarium, qui septem gradus enumerant omissis Cherubim et Seraphim, de quibus tamen est tam manifesta in Scripturis praedicatio, fatendum est, numerum novenarium ordinum angelicae hierarchiae Patrum traditione sat solide fulciri; eo magis quod, ex una parte, uti monebamus ab exordio, pauci sint loci in quibus scriptores ea mente ordines angelicos enumerant, qua constet, omnes se gradus recensere voluisse; ex altera vero, Irenaeus, Basilius, Caesarius et Chrysostomus ordines prorsus eosdem, - adiunctis pro tribus primis Cherubim et Seraphim, - eodem nomine exhibent, quibus Dionysius novenarium suum numerum confecit. Quare non sine exaggeratione a certis scriptoribus affirmatur, Dionysium ex

[1] Hoc nomen suggerebatur per verba S. Pauli: « per quem fecit et saecula » (Hebr. c. 1). S. Hilarius pariter Æonas sive Saecula ordinibus angelicis adnumerat: « Ar-« changeli nesciunt, Angeli non audierunt, Saecula non tenent ». (Libr. II)

[2] Homil. 4 in Gen.

praeconcepta synthesi triplicis ternarii, quaedam ordinum nomina reliquisse, alia distinxisse. At longe verius est affirmare, eum illa novem nomina recensuisse, utpote prae aliis per Scripturam et traditionem commendata [1].

2) A Dionysio igitur novenarius numerus tum in Oriente tum in Occidente semper magis invaluit; ita ut nullus amplius theologus detur, qui alium ordinem commendet; licet alii fortius, alii minus forte auctoritatem huius doctrinae ac certitudinem vindicent. Quare negari vix potest, traditionem Ecclesiae hunc novenarium numerum veluti sacrasse. Iam tempore suo Caesarius testabatur: « divini sacerdotes ad Deum « exclamant: Te celebrant laudibus Angeli, Archangeli, « Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes » [2]. Et sane adhuc hodie ita sonat ordo in antiphona quae canitur in festo S. Michaëlis Archangeli. Adde Cherubim et Seraphim, quos a remotis saeculis publice invocatos esse constat, et habes novem ordinum cultum vetusta precum auctoritate publice sancitum. Eodem modo, adiunctis utique duobus ultimis gradibus, Ecclesia orat in Omnium Sanctorum festivitate [3]: Quae solemnis invocatio traditionem Ecclesiae quotannis proclamat ac sancit.

S. Hieronymus quaerit, « ubi Apostolus haec quatuor no- « mina, Principatum loquor et Potestatem, Virtutem et Domi- « nationem scripta repererit, et in medium unde protulerit ». Et censet, - « non enim fas est eum, qui divina lectione fuerat « instructus, aliquid locutum putare, quod in Sanctis volumi- « nibus non habetur », - « illum aut de traditionibus Hebraeo- « rum ea, quae secreta sunt, in medium protulisse, aut certe, « quae quasi iuxta historiam scripta sunt, cum intelligeret « legem esse spiritualem, sensisse sublimius: et quod ex regi- « bus, atque principibus, ducibus quoque, tribunis et centu- « rionibus, in Numeris et in Regnorum libris refertur, ima- « ginem aliorum principum, regumque cognovisse; quod « scilicet in caelestibus sint principatus, sint potestates, sint

[1] Placet hic referre sententiam cuiusdam Hebraei scriptoris, R. Moysis ben Majemon, qui decem Angelorum gradus ex Scriptura distinguit: animalia sancta, rotas, electra, seraphim, angelos, nuntios, deos, filios deorum, cherubim et viros. — Cf. PETAVIUM (op. cit. l. II, c. 1 in fine).

[2] Loc. cit.

[3] Cf. textum superius allatum.

« dominationes atque virtutes, et caetera ministeriorum voca-
« bula, quae nec nos possumus nominare, nec ipsum Paulum
« puto, ut in gravi corpusculo constitutum, enumerare va-
« luisse » [1]. S. Bonaventura idem sciscitatus, existimat simplicius, Paulum haec nomina per revelationem accepisse [2].

III. Prop. - *Non certo constat gradatio in novem ordinibus angelicis servanda. Ordo liturgicus, ordo Dionysii et ordo Gregorii prae aliis aequali prope titulo videntur commendandi.*

Dari quidem inter novem ordines angelicos dispositionem firmam iuxta dignitatis gradum, de hierarchiae ipsiusque ordinis essentia est. At non ideo ista gradatio tam certo constat ac ipse ordinum numerus. Quod ex Scripturis et ex theologica traditione manifesto liquet.

1) Si in uno Scripturarum loco ordines occurrerent numerati omnes, fundamentum solidum gradationis haberetur, quia censendi essent, nisi aliud constaret, iuxta dignitatem numerati. At nullus prostat huiusmodi locus. Cherubim et Seraphim non occurrunt nisi seiunctim; pariter Archangeli. Angeli autem bis occurrunt cum duobus aliis ordinibus, cum Principatibus vel Potestatibus et Virtutibus [3]; reliqui quinque ordines nunquam recurrunt omnes simul, sed ter duo soli: Principatus et Potestates [4]; bis tres, uti modo diximus; duabus aliis vicibus quatuor, ita ut, ubi enumerantur quatuor, tres bis occurrant: Principatus, Potestates et Dominationes [5], et duo semel: Throni et Virtutes [6].

En statum quaestionis iuxta Scripturas. Quid inde legitime erui potest? Sane, ex una parte, Angeli et Archangeli [7] propter nomen communius, et ex altera parte propter gemi-

[1] Comment. in epist. ad Ephes.

[2] Cf. textum inferius afferendum.

[3] Rom. viii, 38; I Petr. iii, 22.

[4] Ephes. iii, 10; Coloss. ii, 10; et, de daemonibus utique, ibid. 15.

[5] Apertum relinquimus utrum dominatio occurrat in sensu ordinis angelici in Iud. 8 et simili II Petr. ii, 10.

[6] Non desunt tamen, qui eos alibi collocent. Ita v. gr. S. Athanasius eos ponit immediate post Angelos et Archangelos (ep. ad Serap.).

[7] Archangelos quadruplici nomine sumi, est manifestum: 1) pro primis ex ordine Angelorum: ita S. Petrus Damianus olim Desiderium Cassinensem Abbatem, dein Victorem tertium, veluti Angelicae familiae praepositum salutavit Archangelum;

nam visionem sublimem, Cherubim et Seraphim, primos et ultimos in scala ascendente locos tenere putandi sunt [1]. Qua in scala, si manifestissime primum Angeli, non ita manifeste Seraphim ultimum occupant. Chrysostomus enim Cherubim praeponit Angelis, diserte eos dicens Seraphim superiores. Generaliter tamen, ob nominis symbolum, Seraphim superiorem locum tenere creduntur.

Quid autem de caeteris quinque? Constantissime Principatus et Potestates hoc ordine occurrunt, et quidem veluti per modum unius; pariter Virtutes occurrunt post Principatus, imo post Principatus et Potestates; ita ut ex Scripturis istos tres habeamus hoc ordine: Principatus, Potestates, Virtutes.

Supersunt Dominationes et Throni. S. Paulus uno loco [2] eos praemittit Principatibus et Potestatibus, qui solus locus est N. T., in quo occurrunt Throni; at alio in loco [3] ponit Dominationes post Virtutes. Quae sane duo quomodo concilientur, ego non video, nisi dicendo, gradationis intentionem in S. Paulo non esse urgendam. Sed tunc criterium gradationis in Scripturis vix habetur. Ex quibus sat apparere putamus, Scripturas nullam certam inculcare gradationem, qua omnes angelici ordines sint enumerandi.

2) Si iam consulimus Patres, nihil certius obtinemus. Ita modo allatus S. Athanasius Cherubim et Seraphim ponit tertio loco et quarto. E contra S. Ignatius eos ultimo modo collocat, praecedentibus immediate Angelis et Archangelis.

Si autem omnes Patres conferuntur, ordo frequentius admissus est, ut iuxta gradationem dicantur Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim et Seraphim. Ita diserte Chrysostomus [4]; ita quoque, adiunctis duobus ultimis, Irenaeus et Caesarius. Quem ordinem admisit utraque antiphona liturgica festi S. Michaë-

2) pro ordine superiori prae ordine Angelorum, uti passim in hierarchica enumeratione; 3) pro ordinibus qui sunt super Angelos: unde in pluribus enumerationibus desunt; 4) pro supremis omnium Angelorum: ita, iuxta non paucos, Michaël hoc nomine vocatur.

[1] Homil. 3 de *Incomprehens.*

[2] Coloss. 1, 16.

[3] Eph. 1, 21.

[4] Loc. cit.

lis Archangeli et solemnitatis Omnium Sanctorum. Nec mirum, quum hic ordo, primo saltem intuitu, maxime consonus Scripturis videatur. Nam, praeter geminos primos et ultimos, « Throni, Dominationes, Principatus et Potestates », hoc ordine expresse enumerantur [1]; ipsaeque Virtutes post Principatus bis occurrunt [2], et bis post Potestates [3]. Verum est, in uno ex his ultimis locis eas praeponi Dominationibus [4]; sed hae ipsae Dominationes alibi praeponuntur Principatibus et Potestatibus, quarum primis postponuntur in eodem loco, quo praeponuntur Dominationibus. Quare, quum impossibile sit tali gradatione ordines disponere, cui respondeant omnes enumerationes S. Pauli, gradatio in utraque antiphona liturgica servata variis textibus, primo saltem intuitu, magis conformis dici potest.

Nihilominus Dionysius parumper aliter gradus Angelicos distribuit, ponendo Virtutes post Dominationes, iuxta ordinem S. Pauli ad Ephesios; et collocando Thronos immediate ante Cherubim, forte ob significationem vocis, et sane propter hierarchiarum et officiorum synthesim, quam moliebatur. De qua synthesi in conclusione proxima dicemus.

At Gregorius Magnus, aliter parumper gradationem disposuit, relinquendo Thronos sub Cherubim, invertendo autem ordinem Virtutum et Potestatum. Ratio est, quia enumerationem S. Pauli ad Colossenses intellexit decrescentem: « sive « Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potesta- « tes » [5]; unde ita putavit diversas enumerationes Scripturarum, apparenter contradictorias, facilius posse conciliari [6].

Consequens est, quinque ordines intermedios gradatione omnino opposita enumerari apud S. Gregorium Magnum et

[1] Coloss. I, 16.

[2] Rom. VIII, 38; Ephes. I, 21

[3] I Petr. III, 22; Ephes. loc. cit.

[4] Ephes. l. c. — Cf. dicenda mox de interpretatione gradationis descendentis.

[5] Sane potius locus ad Colossenses exhibet gradationem decrescentem, quam textus ad Ephesios, ubi gradatio est manifestissime ascendens. Imo in priori textu verba « in caelis et in terra » indicarent expresse gradationem descendentem, nisi alia verba immediate sequentia « visibilia et invisibilia » exhiberent ordinem ascendentem. Quare distributio gradationis in textu ad Colossenses est dubia; in loco autem ad Ephesios non potest intelligi nisi ordine ascendente, uti fecit Dionysius.

[6] Turmel (op. cit.) putat, Gregorium enumerationem Dionysii, de qua in Oriente apocrisiarius audierat, memoria non bene retinuisse. Explicatio nostra est simul in Scripturis fundatior et dignitati huius Doctoris longe magis consona.

apud illos antiquiores scriptores, necnon in antiphonis liturgicis festi Omnium Sanctorum et S. Michaëlis Archangeli.

Apud Graecos S. Damascenus ordinem Dionysii recepit [1]. Apud Latinos alii Gregorio Magno, Dionysio alii palmam dederunt. S. Isidorus Hispalensis [2] et S. Bernardus [3] sequuntur simpliciter Gregorium. Hugo Victorinus in Sententiis suis adhaeret ordini Gregorii, at amplectitur ordinem Dionysii in opere de Sacramentis [4]. Lombardus Hugonum Gregorio adhaerentem quasi transcribit [5].

B. Albertus Magnus coepit curiosius circa angelicos ordines et hierarchias inquirere. In commentario ad opus Dionysii his verbis confert inter se ordinem Gregorii (qui et Bernardi) ac Dionysii. « Gregorius et Bernardus consideraverunt ordines secundum conformitatem Ecclesiasticae hierarchiae, in qua principes et praelati superiores sunt illis qui virtutes operantur. Dionysius autem melius ordinavit secundum proprietates ipsorum ordinum: quia Virtutes habent potentiam non limitatam, cum supra leges naturae operantur, eis non adstricti in operando; Principatus autem potentiam limitatam circa unam gentem, et ideo inferiores sunt, cum omnis limitata potentia sit infra non limitatam ». Ingeniose sane; utrum autem aeque solide, peritior dicat. Reiicit autem Albertus interpretationem, sane gratuitam, eorum qui utrumque ordinem conciliant dicendo, Virtutes Gregorii esse Dionysii Principatus, et e converso. In Commentario autem Lombardi [6], Albertus ordini Dionysiano fortius adhaeret: « In ista parte credendum est Dionysio, quem et Gregorius in commendationem suorum dictorum adducit: et quia creditur, quod ipse a Paulo hoc didicerit » [7].

[1] *De fid. orth.* II, 3.

[2] Sent. I, 10, 15. — *P. L.* LXXXIII, 555.

[3] *Consid.* V, 4.

[4] *Sacram.* I, 5, 30.

[5] Sent. II, dist. IX, 1.

[6] II Sent. dist. IX. art. 4.

[7] Verba quibus Dionysius suam contemplationem de ordinibus angelicis in tres hierarchias distributis inducit, vix videntur auctoris in primo aevo Christiano scribentis: « Nos quidem nihil motu proprio dicemus, sed quae angelica spectacula sanctis theologis visa fuerint, edocti, pro viribus exponemus. Substantias caelestes omnes theologia novem explanatoriis nominibus appellavit ». *(De cael. Hierarch.* c. 6 in principio).

S. Bonaventura, brevius hoc argumentum tangens, enumerat ordines iuxta gradationem S. Gregorii, licet Dionysio similem illustrationem tribuat, asserens, nomina angelicorum ordinum fuisse revelata, uti beato Paulo et Evangelistae Ioanni; « et ideo ipsi potuerunt denominare et alios « erudire, sicut Paulus erudivit Dionysium » [1].

S. Thomas maxime contulit in Dionysii ordinem illustrandum; quem cum ordine S. Gregorii conferens, ait: « Ordinatio Dionysii est rationabilior: quia ipse distinguit « secundam hierarchiam a tertia secundum universale et « particulare, non limitatam et limitatam: et ideo Virtutes « ponit in secunda et Principatus in tertia. Gregorius autem « non multum intendit ordinare, sed numerare ». Et pergit adducens rationem, quam modo ab Alberto M. accepimus [2]. At in *Summa theologica* longe fusius argumentum pertractans, in eadem linea posuit ordinem Gregorii et Dionysii; tum quia *a*) uterque fulcitur textu Scripturae: ordo Dionysii, gradatione ascendente epistolae Pauli ad Ephesios [3]; ordo Gregorii, ordine descendente epistolae Pauli ad Colossenses; tum *b*) quia uterque potest rationabiliter illustrari [4].

Quid ergo? *a*) Ex tribus enumerationibus antiquior illa, quam et Liturgia tenuit, primo intuitu, uti diximus, magis consonat textui S. Pauli ad Colossenses; sed minus attendit, hanc enumerationem esse probabilius descendentem, nec salvat ordinem in aliis locis manifesto ascendentem. - *b*) Enumeratio Dionysii habet pro se ordinem manifesto ascendentem, qui occurrit in epistolis ad Ephesios et ad Romanos, necnon in I epist. S. Petri; sed minus congruit ordini decrescenti epist. ad Colossenses. - *c*) Enumeratio autem S. Gregorii, praeter quam quod reproducit gradationem descendentem epist. ad Colossenses, ponit simul tria nomina, quae certo videntur magis similia: Potestates, Principatus, et Dominationes; insuper magis coniungit Angelos et Virtutes iuxta textum Psalmi: « Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Vir-

[1] II Sent. Dist IX. art. unic. q. 4, ad 1m.

[2] II Sent. Dist, IX, q. 1. art. 3 ad 7m.

[3] Qui ordo ascendens corroboratur per ordinem pariter manifeste ascendentem, qui occurrit in locis citatis epist. ad Romanos et epist. S. Petri.

[4] Hoc loco art. 6. in corp.

« tutes eius » [1]. Quibus omnibus inspectis, in praeferendum ordinem S. Gregorii me fateor satis inclinari.

Prop. IV. - *Probabile est, novem Angelorum ordines gradatim ita distribui, ut triplicem hierarchiam efforment.*

Subitilius iam investigandum est de modo quo se habent ad invicem isti novem angelici ordines. Gradationem inter eos haberi, et in hac ipsa gradatione unitatem ratione habitudinis unius ad alterum, est manifestum. At superest quaestio, utrum in hac ipsa gradatione distributio quaedam princeps sit tenenda, ratione cuius alii ordines strictiori vinculo, alii remissiori ad invicem colligentur, secundum quod in perfectione et in munere maiorem vel minorem similitudinem exhibent.

In hac investigatione fatendum est, minorem dari certitudinem quam in praecedentibus; quod facile apparet, sive Scripturae, sive traditio, sive ipsa ratio theologica consulantur.

a) Ægre ex *Scripturis* ad novenarium ordinum numerum pervenimus; gradualem autem distributionem eorumdem determinare, non potuimus. Quomodo ergo ex Scripturis elucidaretur, utrum necne isti novem ordines, quorum nec ipsa gradatio est manifesta, quadam insuper speciali hierarchia inter se distinguantur?

Imo, si agitur de hierarchia terna, unaquaque tres aeque ordines complectente, fateor Scripturas ducere potius in oppositum. Et sane, sint aliqualiter magis ab aliis distantes et arctius inter se uniti Angeli et Archangeli, ex una parte; ex altera, Cherubim et Seraphim; at certo quinque alios, qui ordine diverso apparent in Scripturis, quomodo ex eisdem demonstrabis esse tales, ut unus ad duos priores, alter ad duos ultimos hierarchice pertineant? Quare si posset ex Scripturis suaderi, ordines angelicos terna hierarchia distribui, haec distributio, potius quam trium ordinum pro unaquaque (3 + 3 + 3), ita esset concipienda, ut extremae hierarchiae duobus, media quinque ordinibus constaret (2 + 5 + 2). Sed neque hoc esset ullo modo urgendum, quum Angeli in

[1] Ps. CXLVIII, 2; cf. Ps. CII, 20, 21.

una ex enumerationibus Paulinis et in enumeratione S. Petri primum locum teneant. Saltem hoc legitime concludi potest: ternam hierarchiam, imprimis ordinum numero aequalem, ex Scripturis demonstrari non posse.

2) Nec plus valet in hac re *traditio* theologica primorum saeculorum. Quum pauci scriptores sacri, ante vel saltem praeter Dionysium, in primis saeculis novem ordines, neque ex praeconcepto proposito, enumerarint, frustra apud eos in hisce ordinibus alia hierarchia quaereretur, quam ipsa ordinum gradatio.

Imo et post Dionysium doctrina de terna ordinum hierarchia vix apparet ante Hugonem Victorinum. S. Gregorius de terna hierarchia tacet; pariter S. Isidorus et S. Bernardus. Hugo vocem quidem non adhibet, sed describit tria terna, quae tribus ordinibus constent, unde novem ordines distribuantur in superiores, inferiores et medios [1]. Penitius hierarchias perscrutatus est Albertus Magnus [2]. Quem S. Thomas magistrum est secutus.

3) *Ratio* autem theologica in hoc sublimi argumento apodictice incedere nullatenus valet. At nihilominus potest considerationes adducere vere suasivas. Et sane, si novem sunt Angelorum ordines, quorum distributio graduata creaturam inferiorem semper magis Deo coniungit, vel a Deo ad creaturam inferiorem pertingit; rationabile est, in hac gradatione dari veluti triplicem divisionem maiorem, iuxta quam alii sint Deo, alii creaturae inferiori propinquiores, alii in medio positi. Iam vero in hoc consistit hierarchia terna. A penitiori autem huius hierarchiae investigatione libentius abstinemus. Sufficiunt quae in expositione textus S. Thomae infra exponemus. Non quasi argumentum sublimitate careat; quin imo ob ipsam suam celsitudinem conceptus nostros nimis excedit; nec suppeditant elementa revelata, quibus certa possit doctrina confici. Etenim si Apostolus alia subaudit Angelicorum ordinum nomina, quae terrestris vox humana enuntiare nequit, quomodo de universa ordinum caelestium synthesi certum aliquid effari possimus? Huc pertinent verba S. Chrysostomi superius allata: « Quae mens, quae oratio

[1] Sent. II, 5.
[2] Loc. cit.

« ad eloquendam inexplicabilem ipsius magnitudinem par « esse possit » [1] hierarchiae angelicae? Necnon illa tam candida Augustini: « Dicant qui possunt, si tamen possunt pro- « bare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor » [2].

Prop. V. - *Hierarchia angelica, - utpote constans excedentia, influentia et imperio, - quoad graduum distinctionem destructo hoc saeculo non peribit, etsi quoad partem officiorum quae exercet, cessabit.*

Superest ut inquiramus de ratione et duratione hierarchiae angelicae.

1) Hierarchia, ut terminologia S. Bonaventurae utar [3], constat *excedentia, influentia* et *imperio* [4]. *a*) Superiores enim Angeli inferioribus praesunt, quia eos tum in perfectione naturali, tum in proportionatis donis gratiae excedunt. Haec excedentia est fundamentum totius gradationis inter angelicos choros; cuius excedentiae elementum praeliminare est specifica natura, completivum atque proprium, est gratia, seu gratuita gratiae dona. - *b*) Ex hac excedentia, quae facit ipsam graduum distinctionem, procedunt Angelorum officia, quae ad duo possunt redigi: ad influentiam et ad imperium, α) Influentia, quae et inter ipsos Angelos imprimis exercetur, est ipsa illuminatio, de qua superius egimus. Recte dicitur influentia, quia superiorum ordinum lumen veluti a supernis gradibus effluens, in inferiores gradus influit. Potest haec influentia etiam considerari relate ad homines, quos interdum Angeli superiori quadam luce collustrant. - β) Imperium autem maxime exercetur circa homines ex auctoritate per Angelorum ministeria in bonum dirigendos.

2) Hac praemissa bipartitione quoad indolem ipsius hierarchiae, iam patet solutio quoad eius durationem. *a*) In quantum scilicet hierarchia fundatur in excedentia, non minus est quam haec ipsa excedentia aeterne duratura. Quis enim putabit, post ultimum iudicium aut Seraphim esse detrahen-

[1] Homil. 4 in Genes.

[2] *Enchir.* c. 58.

[3] Loc. cit. 9. 6. concl.

[4] Haec trilogia in perfecta hierarchia terrestri quoque reperitur; imo quo magis haec habet simul, eo perfectius praeest, qui vocatur praelatus.

dos ad perfectionem simplicium Angelorum, aut hos Angelos esse ad Seraphicam celsitudinem provehendos? Inter instans finis mundi et talem transformationem, - etiamsi possibilis esset, - nulla datur activa proportio. - *b*) Si autem fit sermo de officiis, quae huic excedentiae respondent, alia quaestio est. Haec enim officia sunt, uti vidimus, influendi et imperandi, habentque respectum ad Angelos et ad homines.

α) Si officium influendi consideratur simpliciter in Angelis ut talibus, vix percipitur nexus inter finem huius saeculi et finem huius officii. Nam Angelorum, ut ita dicam, profectus per illuminationem, non alligatur spatio evolutionis huius mundi sensibilis. Quare influentiae officium dicendum est aeternum, non quatenus Angeli inferiores a superioribus nova in aeternum recipiunt, sed quatenus in aeternum manet influentia recepta, tanquam in aeternum sustentans cognitionem illi superstructam [1]. Datur tamen respectus illuminationis, qui cum evolutione huius mundi intime connectitur: scilicet, influentia Angelorum superiorum in inferiores relate ad ea, quae concernunt custodiam hominum.

β) Hinc facilis est transitus ad officium imperii. Hoc enim officium proprie respicit homines in Deum dirigendos. Quare simpliciter concedendum est, hunc respectum praelationis angelicae post iudicium non amplius esse duraturum. In aeternum tamen remanebit relatio quaedam, radicitus hierarchica, inter custodes Angelos eorumque clientes, quos ad beatitudinem efficaci iuvamine conduxerint; quae relatio tener erit ex una, gratus ex altera in aevum affectus.

Prop. VI. - *Probabile est, omnibus angelicis ordinibus quosdam homines sanctos insertum iri; at non apparet ratio cogens, ut id affirmetur de omnibus; nec ideo caelestis Ierusalem unitas minuetur.*

Demum investiganda est conditio futura beatorum hominum relate ad Angelorum ordines.

[1] Hac in re non omnino concordant S. Bonaventura (hoc loco) et S. Thomas. S. Bonaventura magis concedit simpliciter, praelationem influentiae cessare post iudicium. Ratio est, quia S. Bonaventura hanc influentiam magis considerat uti tendentem in eos, homines scilicet, quibus Angeli ministrant.

Ut haec inquisitio recte incedat, tria praemittenda sunt omnino certa. 1) Certum est, beatos homines non transire in Angelos, uti somniabat Origenes; ac proin aeternum inter Angelos et homines manere diversae naturae genericum discrimen. - 2) Certum est, Angelos et beatos homines, etsi naturae genere diversos, eadem visione beatifica frui, quatenus ipsam essentiam Dei, sine ullo medio, licet cum gradibus diversis, contemplantur. - 3) Certum est, discrimen naturale inter Angelos et homines beatos non obesse, quominus caelestis illa civitas, Angelis et hominibus constans, sit civitas una, harmoniose et organice constituta, utpote opus summae sapientiae divinae.

His praemissis, quaeritur de modo, quo haec mirabilis unitas sit obtinenda. Quam quaestionem per sequentes gradus illustrare iuvat. *a*) Possent omnes homines in caelo efformare ordinem specialem, decimum scilicet, quin inde unitas caelestis Ierusalem in periculo foret. Nam pulchritudo huius civitatis hunc quoque decimum gradum complecteretur, et nexus sane intimus inter hunc ordinem et infimum Angelorum aliosque existeret. - *b*) Ex opposito possent omnes homines inseri ordinibus angelicis, non iuxta gradum perfectionis naturalis, sed iuxta mensuram donorum supernaturalium. Imo haec sententia sat logice fluit ex alia hypothesi, utique non impossibili, imo a nonnullis propugnata, de numero beatorum commensurando numero Angelorum lapsorum, ut ita per homines beatos amissae a daemonibus sedes impleantur. - *c*) Nihil obstat omnino, quominus beati homines in duas partes dividantur, quarum altera comprehendat Beatos Angelicis ordinibus ob maiorem sanctitatem insertos; altera, beatos hunc altiorem sanctitatis gradum non assecutos.

Quaenam ergo ex his tribus sententiis potest validiori argumento fulciri? Sane prima sententia (*a*) habet contra se α) sublimem sanctitatem, ad quam Sancti maiores pervenerunt, imprimis B. V. Maria, super omnes Angelorum choros elevata. β) Habet et contra se oeconomiam Redemptionis. Si enim Christus, Deus-Homo, celsissimos Seraphim longe superexcedit, estne probabile, omnes Angelorum ordines esse percurrendos, usquedum ad Christi fratres, beatos homines perveniatur? - γ) Habet contra se ipsum detrimentum per

daemonum lapsum caelesti Hierusalem illatum. Etenim estne probabile, sedes illas, quas illi divino lumine fulgentes olim tenebant, in aeternum sedentibus fore orbatas? Ob has rationes parum probabilem ducimus sententiam primam.

Sed nec secunda (*b*) nobis firmiter suaderi videtur. Sane nullus est angelicus ordo, qui non gloria praecelsa splendeat, quum sublimis sit angelica natura, et harmonia existat praestabilita inter Angelorum perfectionem naturalem et supernaturalem. Iam vero, estne solide probabile, tantam fore etiam ultimi ex hominibus beatis sanctitatem, quae talem gloriae gradum adaequet? Verumtamen, quum ipse S. Thomas in hanc sententiam pronus fuisse videatur, cum reverentia sane tractanda est.

Placet ergo magis sententia tertia (*c*), quam S. Bonaventura vocat satis probabilem: quod scilicet, ut ait ipse, « supra « novem ordines Angelorum addetur ordo decimus ex his, « qui in vita ista non pervenerunt ad tantam meritorum « excellentiam, ut exaltentur in ordines Angelorum, sed me- « ritis Christi salvati, decimum tenent gradum » [1]. Hunc decimum ordinem drachmam decimam Evangelii vocant.

At si hanc sententiam puto probabiliorem, non assentior illis, qui putant, nonnisi virgines fore ordinibus angelicis adnumerandas, iuxta textum: « erunt sicut Angeli Dei » [2]. Nam, ut optime monet S. Bonaventura, decima drachma designat homines omnes, etiam virgines; insuper non pauci Sancti, licet non virgines, uti Maria Magdalena et Petrus, maiorem prae multis virginibus sanctitatem sunt adepti.

Est igitur ipse sanctitatis gradus, utique a Deo praedestinatus, qui determinat utrum beatus homo sit ipsis Angelorum ordinibus inserendus, an inferiori gradu, decimo, consistere debeat.

Qua sententia admissa, nullus angelicus gradus, ne Seraphicus quidem, - uti ex relevatione quadam de S. Francisco Assisiensi constare dicitur, - ab ista insertione excludendus est; modo adsit in Beato correspondens gratiarum mensura.

[1] Hoc loco, art. unus art. 7.

[2] MATTH. XXII. Hic textus non est ultra suum scopum urgendus. Non enim hic quaestio est de hominum aequalitate cum Angelis quoad ipsos angelicos ordines, sed quoad vitam virginalem omni carnali commercio expertem.

I. AD TEXTUM S. THOMAE.

Ad Art. I. - « *Utrum Angeli sint unius hierarchiae* ».

1. Obi. Arguit ac si Angelorum per ordines distributio tolleret eorum unitatem sub uno principatu divino.

2. Obi. Confundit id iuxta quod, servata tamen differentia graduali, omnes Angeli in unum conveniunt, visionem scilicet essentiae divinae, et id iuxta quod distribuuntur per ordines, respectum scilicet ad creaturam.

3. Obi. Non attendit ad differentiam specificam quae existit inter Angelos, dum e contra omnes homines unius sunt hierarchiae. Admissa autem unitate specifica Angelorum, obiectio solvitur vel negando paritatem propter longe maiorem numerum Angelorum prae numero hominum, qui simul constituunt hierarchiam terrestrem; vel distinguendo in hierarchia sensum magis latum et magis pressum.

Sed contra est. Potuisset S. Thomas incedere via inversa, quaerendo prius de ipsis novem ordinibus angelicis, dein de terna hierarchia in eisdem existente. Et sane, quum non eadem habeatur de utraque quaestione certitudo, a magis certis iuvat plerumque ad minus certa pervenire.

Sed speculative argumentum considerando, terna hierarchia praecedit ipsos gradus, quibus unaquaeque constat, sicuti in conficienda tabula vel statua magnae prius lineae sive moles disponuntur, antequam ad singulas formas perveniatur. Hoc igitur modo, prae altero, incedit S. Thomas.

In Corpore. En schema doctrinae.

- Hierarchia, sive sacer principatus,
  - I) si consideratur ex parte *principis*, una est, nam
    - 1) omnes Angeli, simul et homines sunt ad modum unius multitudinis ad Deum principem ordinatae,
    - 2) in ipso Deo, ratione Trinitatis, habetur quidem ordo naturae, non autem hierarchiae;
  - II) si consideratur *modus* ordinationis multitudinis sub principe, *duplex* imprimis habetur:
    - 1) hierarchia *humana:* omnes enim homines, unius speciei, percipiunt divinas illuminationes per sensibilium similitudines;
    - 2) *angelica* eas percipit in intelligibili puritate, et quidem *triplici* rursus hierarchico gradu:
      - *a) primus gradus,* percipit entium rationes secundum quod procedunt a primo principio universali;
      - *b) secundus gradus,* secundum quod dependent ab universalibus causis creatis;
      - *c) tertius gradus,* secundum quod hae rationes applicantur singulis rebus.

Ad Art. II. - «*Utrum in una hierarchia sint plures ordines*».

1. Obi. Confundit duplicem sensum vocis *ordinis:* alter est synonymus hierarchiae, alter dicit hierarchiae gradus.

2. Obi. Confundit possessionem et modum possidendi.

3. Obi. Duo praetermittit: *a*) angelicam hierarchiam ibi incipere ubi terrestris desinit; ac proin *b*) operationes distinctas hierarchiae terrestris posse simul exerceri ab omnibus ordinibus angelicis; at modo hierarchico iuxta eorumdem ordinum perfectionem.

Sed contra est. Recole quae in conclusione quarta diximus de ordinum enumerationibus, quae in Scripturis habentur, relate ad doctrinam de terna hierarchia novem ordines complectente.

In Corpore. En schema doctrinae.

- In quavis hierarchia veluti in tot civitatibus habentur tres ordines:
  - 1) Quemadmodum in civitatibus, sine unitatis praeiudicio habentur tres maxime ordines
    - *a*) supremus, optimatum,
    - *b*) medius, populi honorabilis,
    - *c*) infimus, vulgi;
  - 2) ita in triplici hierarchia habentur tres gradus, non quidem secundum purgationem, et illuminationem et perfectionem, sed iuxta munerum diversitatem:
    - *a*) in prima hierarchia
      - α) Seraphim,
      - β) Cherubim,
      - γ) Throni;
    - *b*) in secunda
      - α) Dominationes,
      - β) Virtutes,
      - γ) Potestates;
    - *c*) in tertia
      - α) Principatus,
      - β) Archangeli,
      - γ) Angeli.

Vides S. Thomam heic simpliciter afferre enumerationem Dionysii. Comple hanc expositionem per articulum sextum eiusdem Quaestionis.

Ad Art. III. - «*Utrum in uno ordine sint plures Angeli*».

1. Obi. Confundit aequalitatem omnimodam, cum aequalitate secundum communem similitudinem.

2. Obi. Efficaciter difficultatem urget, quatenus ostendit insufficientiam cognitionis, quam habere possumus de officio uniuscuiusque Angeli in eodem ordine; at non ideo demonstratur, hanc officiorum distinctionem adesse non posse. Quare S. Thomas limites cognitionis nostrae candide fatetur.

3. Obi. Arguit ac si omnes omnium ordinum Angeli aequaliter ab invicem gradatim separentur, sicut habetur inter

centena, quibus constituitur mille: quod simpliciter dictum est erroneum. Confundit enim proprietatem naturae cum idoneitate ad munera implenda.

Sed contra est. Potest etiam haec doctrina efficacissime demonstrari per numerum ipsum Angelorum in genere sumptorum [1]; insuper per appellationem pluralem a Scripturis ordinibus datam; quare? nisi quia, v. gr., Throni complectuntur plures Angelos ad hunc ordinem pertinentes.

In Corpore. Argumentum hoc schemate contractum accipe.

- Plures Angelos in ordine uno dari,
  - 1) indirecte probatur ex Scriptura;
  - 2) suadetur ex nostro modo cognoscendi ordines:
    - *a*) ordines enim distinguimus iuxta quasdam munerum diversitates a nobis perceptas:
      - α) in quibus conveniunt omnes Angeli huius ordinis,
      - β) licet specie distincti,
      - γ) imo, qui in confine, magis natura similes vicinis alterius ordinis;
    - *b*) Deus autem,
      - α) quum omnia numera usque ad singula cognoscat,
      - β) tot in eis agnoscit ordines, quot sunt Angeli, quia tot species, cum munere proprio.

Ad Art. IV. - « *Utrum distinctio hierarchiarum et ordinum « sit a natura in Angelis* ».

1. Ob. Abstrahit a perfectione naturali in quantum est substratum perfectionis supernaturalis.

2. Obi. Arguit ex nomine; sed pari vitio laborat.

3. Obi. Non attendit ad discrimen inter homines, qui sunt omnes unius speciei, et Angelos, qui specifice ab invicem distinguuntur.

Sed contra est. Confirmatur doctrina praesens per ea quae superius diximus de Angelis ex omni ordine angelico lapsis. Etenim quum ante lapsum nondum essent in charitate et in charismatibus muneribusque consummati, ipsa diversa naturalis perfectio in eis fuit fundamentum, ob quod ad varios ordines, ac proin radicaliter ad hierarchicam gradationem pertinuisse dicendi sunt [2].

[1] Cum distinctione tamen inter numerum ordinum in mente Dei et relate ad cognitionem nostram.

[2] Cf. LOMBARDUM (II Sent. dist. IX).

Bene S. Bonaventura rem paucis verbis complectitur: « Ordo et est a natura et est a gratia; sed a natura tanquam « a praeambula dispositione; a gratia tanquam a complexiva « perfectione » [1]. Hanc autem praeambulam dispositionem non eodem modo intelligunt Seraphicus et Angelicus. Hic eam reponit in specifica differentia; ille, in gradu perfectionis intra unitatem eiusdem speciei. « Quemadmodum, ait S. Bonaven- « tura, in hominibus sunt gradus et ordines et quoad na- « turalia et quoad officia commissa, sive dignitates, et quoad « gratuita, salva tamen unitate speciei; sic intelligendum est « in Angelis » [2].

In Corpore. En doctrinam schemate contractam.

Quum hierarchia sit ordo multitudinis sub principatu existentis	1) secundum finem naturalem, Dei viribus suis amandi et cognoscendi,	Angeli distribuuntur iuxta dona naturalia;
	2) secundum finem supernaturalem, Deo per gratiam fruendi, distribuuntur	*a*) dispositive per dona naturalia (propter initialem harmoniam), *b*) completive per dona gratuita.

Ad Art. V. - « *Utrum ordines Angelorum convenienter « nominentur* ».

Obiectiones procedunt contra singula nomina.

1. Obi. Simul impugnat nomina *Angelorum* et *Virtutum*, utpote communia. Non distinguit in nomine Angelorum sensum communem et proprium, quia proprius fundatur in absentia specificae dignationis seu muneris altioris. - In virtutibus non distinguit communem omnibus virtutem, mediam scilicet inter essentiam et operationem, et specificam quamdam fortitudinem maiorem.

2. Obi. Arguit contra *Dominationes*, ac si hoc nomen involveret negationem supremi dominii Dei, quod est absonum.

3. Obi. Arguit ex ratione synonymica nominum *Dominationum, Principatuum* et *Potestatum*. (Cf. quae ex hac ipsa ratione diximus in favorem enumerationis Gregorianae). Vide in ipso textu S. Thomae discrimen inter haec tria nomina. Explicatio Principatuum bene convenit principali loco, quem

[1] Ibid. art. unic. q. 2 concl.
[2] Ibid. q. 1. concl.

occupant in enumeratione Dionysiana, utpote primi in illa hierarchia, quae executiva est.

4. Obi. Arguit ex contradictione, utique iuxta enumerationem Dionysianam, inter nomina *Archangelorum* et *Principatuum.* Unde S. Thomas aliter argumentum solvit iuxta Dionysium et iuxta Gregorium.

5. Obi. Arguit contra nomina *Cherubim* et *Seraphim,* utpote significantia dona omnibus Angelis communia. Solutio patet, sicuti supra pro *Virtutibus.*

6. Obi. Solutionem praecedentis argumenti urget contra *Thronos,* utpote a Cherubim et a Seraphim non distinctos.

Sed contra est. Tanta est Dionysii apud S. Thomam auctoritas, ut eius enumeratio simpliciter tanquam argumentum adducatur.

In Corpore. Doctrina huius *Corporis* et responsionum ita contrahitur.

Praemissa triplici convenientia nominis	1) per proprietatem	= quae exaequat,
	2) per excessum	= qui exsuperat,
	3) per participationem	= quae deficit,

lex sternitur sequens: convenientia nominum ordinibus angelicis tributorum desumenda est iuxta proprietatem, quatenus omnia conveniunt superioribus per excessum, inferioribus per participationem, sed ipsi dumtaxat ordini per proprietatem. His praemissis, iam quaedam sint de singulis, uti in solutione obiectionum occurrunt.

Angeli vocantur infimi ordinis,	*a*) tum quia ad ipsos spectat simplex manifestatio sine excellentia,
	b) tum quia immediate nobis divina manifestant;
Virtutes,	*a*) non quatenus virtus est media inter essentiam et operationem (hoc omnibus commune),
	b) sed propter quemdam excessum fortitudinis, quacum divina sibi commissa aggrediuntur;
Dominationes,	*a*) non absoluto modo, qui solius Dei est,
	b) sed relativo, ad significandam: α) libertatem a quavis servitute, β) inflexibilem gubernationem, γ) participationem dominii Dei.

Iam vero haec gubernatio aliter et aliter pertinet ad plures ordines: ad *Dominationes,* ratione subiectionis, qua alii

eis inferiores sunt; - ad *Potestates*, ratione iussionis circa agenda, iuxta quae inferiores ex divina ordinatione reguntur; - ad *Principatus*, ratione prioritatis in mandatorum executione.

Archangeli vocantur medii inter Angelos et Principatus,
- *a*) sive quia uti medii: respectu Angelorum Principes, respectu Principatuum Angeli,
- *b*) sive (ita Greg.) quia nuntiant Angelis maiora; habentes tamen super se Principatus, quasi primos hierarchiae, quae divina iussa implet;

Seraphim vocantur ab igne, quia sicuti ignis
- *a*) sursum moventur in Deum,
- *b*) in omnes ordines angelicos per suum ardorem potenter agunt
- *c*) inextinguibili luce alios illuminant;

Cherubim vocantur a perfecta scientia,
- *a*) ratione perfectae visionis,
- *b*) plenae susceptionis divini luminis,
- *c*) contemplationis pulchritudinis universi,
- *d*) copiosae per illuminationem in alios diffusionis;

Throni vocantur
- 1) relate ad alios ordines
  - *a*) inferiores, propter maiorem propinquitatem,
  - *b*) superiores, propter communionem in hac hierarchica proprietate, quae non impedit eis superesse excellentiorem scientiam et ardorem;
- 2) in seipsis,
  - *a*) quia de throno habent elevationem situs,
  - *b*) ex opposito, quia per Deum sibi insidentem firmentur,
  - *c*) quia Deum in se recipiunt et quasi ad inferiores deferunt,
  - *d*) quia promptissimi sunt ad eum suscipiendum, ipsique famulandum.

Ad Art. VI. - *1. Obi.* Abstrahit a relatione ordinum ad Deum, quae potior est. - Observa rursus tria nomina, quae hic coniunguntur, ita quoque coniungi in gradatione sancti Gregorii.

2. Obi. Non solum solvitur, sed retorquetur.

3. Obi. Non considerat dignitatem maiorem quae prae intellectu obvenit voluntati, quando id quod diligitur, nobilius est cognoscente et diligente.

4. Obi. Quid haec obiectio valeat, iam superius diximus.

In Corpore. Duplici parte constat expositio doctrinae.

1) S. Thomas exhibet gradationem ordinum angelicorum iuxta S. Gregorium et S. Dionysium, ostendens utriusque gradationis fundamentum ex Scripturis.

Ordo Gregorii Magni:		Ordo Dionysii:	
Angeli, Archangeli, *Virtutes*, Potestates, *Principatus*, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphin.	«Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates». (Coloss. I).	Angeli, Archangeli, *Principatus*, Potestates, *Virtutes*, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphin.	«Super omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem». (Eph. I).

2) Dein S. Thomas utrumque ordinem exponit.

a) Illustrat enumerationem Dionysianam:

I. Hierarchia respiciens rationes rerum in ipso Deo, considerat ipsum finem:	1) *Seraphim*, principi per amorem immediate adhaerent (plena ad finem adhaesio; maxime propinqui ad Spiritum Sanctum); 2) *Cherubim* per scientiam decretorum principis participes (perfecta finis cognitio); 3) *Throni* (quorum nomen genericum hierarchiae) familiares aulae (finis consideratio).	Tria nomina dicunt respectum *ad Deum*, uti finem.
II. Hierarchia respiciens rerum rationes in causis universalibus, disponit universalia de agendis:	1) *Dominationes* distinguunt agenda, vel iubenda (immediate circa gubernanda illuminantur a Thronis); 2) *Virtutes* praebent facultatem implendi iussa; 3) *Potestates* ordinant iussorum impletionem.	Tria nomina dicunt *gubernationem* in finem.
III. Hierarchia respiciens determinationem ad speciales effectus, applicat ad operis exsecutionem, divina annuntiando:	1) *Principatus*, veluti praecinendo, vel ducendo, immediate docentur de agendis a Potestatibus; 2) *Archangeli*, veluti medii; 3) *Angeli* (quorum nomen genericum huius hierarchiae) simpliciter exsequendo.	Tria nomina designant operis *executionem*.

b) Vindicat enumerationem Gregorianam:

Dominationes praesunt omnibus ordinibus, ad quos spectat divina ministeria exercere:	1) *Principatibus*, qui bonis spiritibus praesunt (quo loco Dionys. ponit Virtutes, et sat congruit); 2) *Potestatibus*, per quas arcentur spiritus mali; 3) *Virtutibus*, quae guadent facultate operandi miracula in mundo corporali (quo loco Dionys. ponit Principatus, nec multum differt); 4) *Archangelis*, qui annuntiant magna rationi impervia; 5) *Angelis*, qui annuntiant minora.

Ad Art. VII. - « *Utrum ordines remanebunt post diem « iudicii »*.

1. Obi. Non considerat in ordinibus nisi id, quod tendit ad consecutionem finis.

2. Obi. Non attendit ad cognitorum nexum et fundamentum; et unice considerat novas cognitiones acquirendas. Caeterum nec de his videtur omnino concedenda obiectio.

3. Obi. Eodem quo prima vitio laborat.

Sed contra est. Argui hic quoque potest ex temporis praesentis exiguitate in comparatione ad aeternitatem. Quare a priori non est admittendum, admirabilem illam hierarchiam qua Angeli distribuuntur, post praesens saeculum non esse permansuram. Quod adhuc minus suasibile est prae oculis habenti, angelicorum ordinum distributionem nullatenus ad homines unice, sed maxime ad ipsos inter se Angelos spectare.

In Corpore. En schema doctrinae.

- Post diem iudicii ordines angelici
  - I) quantum ad *distinctionem graduum* remanebunt:
    - 1) tum quoad differentiam naturae, quae nequit mutari nisi per destructionem corruptionis;
    - 2) tum quoad differentiam gloriae, super meritum ex gratia fundatae;
  - II) quantum ad *executionem officiorum* partim remanebunt, partim cessabunt:
    - 1) cessabunt quae pertinebant ad conducendum in finem;
    - 2) remanebunt quae conveniunt cum obtentione finis,
      - *a*) sive ratione ipsius triumphi,
      - *b*) sive ratione fundamenti.

Ad Art. VIII. - « *Utrum homines assumantur in ordines « Angelorum »*.

1. Obi. Dupliciter deficit: *a*) non attendit ad proportionem praestabilitam inter Angelorum dona naturae et gratiae; - *b*) non considerat, hierarchiam angelicam complecti Angelos iam in termino suo firmatos.

2. Obi. *a*) Non attendit ad discrimen naturae inter Angelos et nos; *b*) insuper nimis generaliter concludit, non attendendo ad ministeria specialia quibusdam Angelis collata.

3. Obi. Falso concludit ad daemones, quasi sanctis hominibus tribueretur talis in ordines Angelorum transitus, unde et Angeli fierent.

Sed contra est. Varias sententias de hoc argumento vide superius in sexta nostra propositione expositas.

In Corpore. En schema doctrinae S. Thomae.

- Homines assumi ad ordines angelicos,
  - 1) alii simpliciter negant ob diversam naturam;
  - 2) alii affirmant solum de summis
    - *a*) de perfectioribus, seu maioribus sanctis, concedunt;
    - *b*) de aliis negant.
  - 3) melius, propter auctoritatem Scripturae affirmatur, at cum distinctione:
    - *a*) non quidem quoad naturam, eiusque dotes: haec remanet diversa et inferior;
    - *b*) sed quoad gratiam, quae in Angelis quidem commensurata est naturae, non autem in hominibus: unde una erit gloriae civitas ex Angelis et hominibus constans (Aug.)

§ II. - DE ORDINATIONE MALORUM ANGELORUM.

QUAESTIO CIX.

Ordo Quaestionis ita contrahi potest.

- Quaeritur de ordinatione angelorum malorum:
  - 1) an sit (a. 1);
  - 2) quomodo sit:
    - *a*) ad invicem,
      - α) quoad praelationem (a. 2),
      - β) quoad illuminationem (b. 3);
    - *b*) ad Angelos bonos (c. 4).

I. DE IPSA QUAESTIONE.

Prop. I. - *In daemonibus remanent non solum ordines, sed et hierarchia, imo sacra, ex omnibus probabilius ordinibus constans; non quidem quoad statum gratiae, sed mere quoad statum naturae; unde non amplius vocantur his ordinum nominibus, quae directius gratiam exprimunt.*

Ad rectam intelligentiam huius propositionis quaedam recolenda sunt in superioribus exposita. 1) Vidimus, Angelos lapsos esse probabiliter ex omnibus ordinibus hierarchicis, nec iterandae sunt heic rationes quibus hanc opinionem data opera vindicavimus. - 2) Ordo hierachicus Angelorum duplici elemento constat: natura veluti praeambulo, gratia veluti ratione formali. - 3) Per lapsum Angeli mali amiserunt totaliter quidquid in ordine pertinet ad gratiam, at non ideo amiserunt suam perfectionem naturalem.

1) Ex his tribus praemissis sequitur, remanere in Angelis lapsis hierarchicam distributionem in ordines, imo in omnes, in quantum ad eorumdem ordinum fundamentum in natura.

2) Quae quidem hierarchia, radicalis utique, potest adhuc vocari sacra; non sane quantum ad spiritus quibus constituitur: ii enim sunt a Deo aversi, et ipsam suam hierarchicam ordinationem in Deum mala sua voluntate dirigunt, regnum Dei per suum regnum impetere conantes; sed *a*) quatenus Deus est conditor naturarum angelicarum, eisque veluti sigillum sacrum impressit; *b*) quatenus eadem hierarchia, nolentibus daemonibus, Deus utitur in manifestationem suae gloriae. Quemadmodum enim ipsa daemonum damnatio cedit in gloriam Dei, ita quoque hierarchia in daemonibus remanens a Deo in propriam suam gloriam dirigitur.

Scriptura doctrinam hanc confirmat. Quando enim S. Paulus dicit, nobis esse colluctationem « adversus principes et « potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum » [1]; sane nobis insinuat, daemones dari ex ordine principatuum et potestatum. Nonne forsan et « fortis armatus » de quo Christus loquitur [2], de virtutum ordine est intelligendus?

3) Attamen non ideo omnia ordinum nomina eis convenire dicendi sunt. Etenim nomina quaedam dantur, quae tam directe exprimunt perfectionem gratiae, qua ordo completur, ut malitiae daemonum non amplius conveniant. Talia sunt nomina Cherubim et Seraphim. Adde et Thronorum nomen, quod nimis expresse dicit beatitudinis locum per approximationem ad ipsam maiestatem divinam.

Nec ideo nomen, quod ordini angelico datur, si de daemone recurrit, semper hunc ordinem in daemone designat. Ita quando Christus dicit: « Nunc princeps huius mundi eiicietur « foras » [3], non putandus est locutus de daemone ad ordinem Principatuum pertinente. Quemadmodum enim Archangelus vocari potest Michaël, licet, uti probabilius tenetur, de ordine Seraphim; ita quoque princeps vocari potest inter daemones ille Lucifer, cui omnes subduntur.

[1] Ephes. vi, 12.
[2] Luc. xi.
[3] Ioann. xii, 31.

Prop. II. - *Vi hierarchiae inter daemones non sublatae datur in daemonibus superioribus quaedam erga inferiores praelatio; at sub Deo, imo sub Angelis etiam natura inferioribus; exercetur autem daemonum praelatio in daemones sine illuminatione proprie dicta.*

Triplici parte haec propositio constat.

1) Dari quamdam inter daemones praelationem, sequitur ex ipsa doctrina propositionis praecedentis. Et sane quum demonstratum sit, quamdam inter daemones hierarchiam remanere, quo spectaret haec hierarchia inter spiritus viventes, nisi per actiones sese exprimeret; quomodo autem sese exprimeret per actiones, nisi vi cuiusdam praelationis? Secus enim haec ipsa hierarchia, quae est fundata in natura, per exercitium eiusdem naturae destrueretur. Hinc ille idem, qui vocatur princeps mundi, princeps quoque daemoniorum in Scripturis appellatur [1].

Non inde tamen putandum est, inter hosce spiritus nequam vigere aliqualem charitatis harmoniam. Quin et odio se invicem prosequuntur; sicut inter homines malos, etsi contra bonos infernali consortio coniungantur, mutuus datur internus despectus. Sed quum maiori in Deum aversione moveantur, malunt in Deum conspirare efficacius, quam, rebellando in invicem, Dei causam inertiori invidia promovere.

Et sane si iam homines videmus, etsi superbos, quo validius bonos impugnent, aliorum iugum tolerare, quum tamen omnes homines unius natura conditionis existant; quanto magis daemones in Deum agunt hierarchica conspiratione, fundata in ipsa natura?

2) Ast haec praelatio inter daemones, licet in Deum, nullomodo se substrahit a Deo. Deus enim ipse est auctor hierarchiae angelicae, cuius vestigia in daemonibus non destruuntur. Quomodo ergo dominium Dei aliquid amitteret ab opere suo? Imo, casum diaboli sicuti Deus potuisset impedire, si voluisset; ita non potuit permittere, nisi eum in suam ipsius gloriam esset conversurus. Iam vero non ultima est gloria, quam Deus de hierarchia diabolica iugiter reportat: tum *a*) eam, ne nimis noceat, cohibendo; tum *b*) quae damna

[1] Matth. xii, 24.

inferre sinitur, in altius bonum dirigendo; tum *c*) ipsam hierarchiam daemonum angelicae hierarchiae submittendo.

Etenim daemones sub potentiori manu Dei et ab Angelis reguntur, iuxta id, quod legitur in libro Tobiae: « Raphaël « Angelus apprehendit daemonium, et relegavit illud in de- « serto superioris Ægypti » [1]. Imo Angelis subduntur daemones non solum inferioris ordinis superioribus, sed etiam superioris ordinis inferioribus. Licet enim naturale discrimen inter Angelos et daemones remaneat, tamen charitas seu coniunctio cum Deo facit Angelos infimi ordinis superiores esse daemonibus ex ordine superiori. Quod et poenam daemonum singulariter auget. Unde credendum est, Deum per simplices Angelos saepius imperare supremis daemonibus, quo durius in istis fiat subditionis tormentum, et elucescat magis, quantopere obedientia loquatur victorias [2].

3) Praelatio illa, qua superiores daemones vi naturae perfectioris pollent in inferiores, exercetur sine illuminatione proprie dicta. Ratio patet, eaque duplex. *a*) Vidimus enim, illuminationem proprie dici de supereffluentia divini luminis supernaturali, quod a Deo supremis Angelis manifestatum, veluti per tot exundantias ad infimos usque pertingit; iam vero quidquid daemones superiores inferioribus communicant, nullam supernam illustrationem novam supponit. *b*) Insuper nervus illuminationis divinae est docilis et amorosa ordinatio in Deum; quatenus superiores Angeli ex sublimi charitate communicant gratiae lumina divinitus accepta, ut ita per amoris et charitatis consortium in Deum auctorem grato dilectionis concentu redundent. Iam vero in daemonibus nihil habetur huiusmodi. Unde, etiamsi superiores daemones divinitus illustrarentur, non ideo inferiores illuminarent.

Aliqualiter tamen superiores daemones illuminare inferiores dici possunt: quatenus, sicut superius diximus omnem locutionem latiori sensu posse vocari illuminationem, ita et daemones, non solum colloquendo, sed praesertim majores minoribus cogitationes et volita communicando dici possunt alii alios illustrare.

[1] Tob. viii, 3.
[2] Prov. xxi, 28.

II. AD TEXTUM S. THOMAE.

Ad art. I. - « *Utrum ordines sint in daemonibus* ».

1. Obi. Abstrahit a bono, sine quo nec malum potest haberi.

2. Obi. Non attendit in principatu sacro respectum ad Dei ordinationem, qui respectus in daemonibus, etsi non a daemonibus servatur.

3. Obi. Confundit fundamentum perfectionis naturalis cum complemento perfectionis supernaturalis. Quare nomina, quae hunc alterum expressius indicant, de solo primo dici non possunt.

Sed contra est. Adde textum in quo S. Paulus exhibet triumphum, quem Christus per mortem de daemone retulit: « Filius quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod « erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens « illud cruci: et expolians principatus et potestates, traduxit « confidenter, palam triumphans illos in semetipso » [1].

In Corpore. En schema doctrinae:

- Daemones
  - I) quoad statum *gratiae*
    - 1) *perfectae,* sive gloriae, numquam inter ordines angelicos fuerunt;
    - 2) *imperfectae,* sive meriti, fuerunt quidem, sed fuit eis bonum, subiectum mali;
  - II) quoad statum *naturae* remanent in ordinibus:
    - 1) sunt enim eis bonum, subiectum mali;
    - 2) imo hierarchia sacra:
      - *a)* a parte Dei ea utentis,
      - *b)* non a parte malae voluntatis daemonum;
    - 3) et quidem ex omni gradu:
      - *a)* quoad substratum gradus,
      - *b)* non autem quoad nomina.

Ad Art. II. – « *Utrum in daemonibus sit praelatio* ».

1. Obi. Abstrahit a respectu ad Deum hanc ipsam daemonum praelationem in triumphum iustitiae ordinantem.

2. Obi. Arguit ac si commune odium non posset esse principium conspirationis. Quod quam falsum sit, demonstrat historia Ecclesiae, iuxta illud psalmi: « Astiterunt reges ter- « rae et principes convenerunt in unum, adversus Dominum « et adversus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum, « et proiiciamus a nobis iugum ipsorum » [2].

3. Obi. Dupliciter deficit: *a)* non considerat, fundamentum praelationis esse in daemonibus a natura; *b)* non attendit,

[1] Coloss. II, 14, 15.

[2] Ps. II, 2, 3.

praelationem, quae malo animo exercetur, redundare in malum eam exercentis.

Sed contra est. Huc faciunt locutiones Scripturae, in quibus daemon Beelzebub vocatur princeps daemoniorum [1]. Pariter et verba Iudicis supremi: « Ite, maledicti, in ignem « aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius! » [2].

In Corpore. Doctrina sequenti schemate exhibetur.

- In daemonibus dari praelationem,
  - I) probatur:
    - 1) dantur ordines naturae assistentes; ergo actiones his ordinibus respondentes; ergo praelationes;
    - 2) sapientia divina non sinit aliquid in universo relinqui inordinatum;
  - II) illustratur:
    - 1) respectu ad Deum:
      - *a*) fundatur in iustitia Dei,
      - *b*) non in iustitia daemonum;
    - 2) respectu ad ipsos daemones:
      - *a*) sibi invicem subduntur, non ex amicitia,
      - *b*) sed ex communi odio
        - α) in Deum
        - β) in homines;
    - 3) respectu ad homines:
      - *a*) hominum praelatio non fundatur in natura;
      - *b*) at daemonum,
        - α) non quidem in bonum superiorum,
        - β) sed in eorum malum.

Ad Art. III. – « *Utrum in daemonibus sit illuminatio* ».

1. Obi. Non considerat, illuminationem proprie dictam dici de veritatis communicatione in ordine ad Deum.

2. Obi. Negligit elementum illustrationis supernaturalis.

Sed contra est. Duplex elementum: supernae charitatis et ordinationis in Deum, exprimitur per haec verba cantici Zachariae: « Illuminare his, qui in tenebris et in umbra « mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis » [3].

In Corpore. Schema sequens doctrinam totius art. exhibet.

- Quum illuminare involvat ordinem ad Deum, in daemonibus
  - 1) non datur illuminatio proprie dicta, nam
    - *a*) omnia agunt cum intentione se subducendi a Deo,
    - *b*) nec illuminatione indigent ad cognitionem naturalem;
  - 2) datur tamen improprie dicta sive locutio
    - per manifestationem conceptus unius ad alterum ad nutum voluntatis.

[1] Loc. cit.
[2] Matth. xxv, 41.
[3] Luc. i, 79.

Ad Art. IV. - « *Utrum boni Angeli habeant praelationem « super malos* ».

1. Obi. Dupliciter peccat: *a*) arguit ac si praelatio nonnisi per illuminationem exerceri possit, quod falsum est; - *b*) non attendit ad ea, quae Angeli possunt manifestare daemonibus, ea ordinando ad Deum, et ita illuminando daemones, quin tamen daemones, ob eiusdem ordinationis defectum, vere dici possint illuminati.

2. Obi. Non attendit ad regulam ministerii angelici: divinam sapientiam, quae, sicuti multa sinit mala fieri, utique in bonum, ita non vult, Angelos, etsi fidelissimos, omnia mala impedire.

3. Obi. Unice arguit ex perfectione naturae, non attendens ad elementum princeps: ad perfectionem charitatis et gloriae.

Sed contra est. Doctrina huius articuli illustratur per illud Apocalipseos: « Apprehendit draconem serpentem anti« quum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per « annos mille, et misit eum in abyssum » [1]. - Corroboratur per verba, quibus Christus in se credituris potestatem promisit in daemones: « In nomine meo daemonia eiicient » [2]. Et sane, si fides in Christum hanc potestatem confert hominibus adhuc in terra degentibus, nonne a fortiori haec potestas tribuenda est spiritibus angelicis, Deo per amorem et visionem inseparabiliter adhaerentibus? Hinc Leo XIII nos Michaëlem invocare iussit: « Tuque Princeps militiae « caelestis, Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad per« ditionem animarum pervagantur in mundo, divina vir« tute in infernum detrude ». Virtus scilicet, qua Angeli daemonibus imperant, vere divina est; quare nil obstat, quominus Angelus ordine inferior potestatem supernam etiam in spiritum natura sibi superiorem exerceat. Insuper ob gratiam et gloriam, uti iam diximus, Angeli, etsi ordinis inferioris, longe supereminent daemonibus; quod et de beatis hominibus pariter valet.

In Corpore. En doctrinam schemate expressam.

[1] Apoc. xx, 2, 3.
[2] Marc. xvi, 17.

- Praelationem super daemones
  - I) Deus habet
    - *a*) primo,
    - *b*) originaliter;
  - II) Angeli participant a Deo, unde
    - 1) daemonibus revelant, quae ad impletionem divinae voluntatis pertinent, at sine illuminatione;
    - 2) regunt eos, sub divina sapientia,
      - *a*) non quidem omne malum impediendo,
      - *b*) sed ad bonum ordinando;
    - 3) imo inferiores Angeli regunt daemones ordinis superioris
      - *a*) non quidem ob superioritatem naturae,
      - *b*) sed virtutis divinae se confortantis.

Quaeres. – Estne hierarchia diabolica in aeternum duratura, an unice usque ad ultimum iudicium?

Solvenda est haec quaestio ad modum, quo similem superius quaestionem de hierarchia angelica solvimus. 1) Æterne duratura est hierarchia diabolica *a*) quatenus fundamentum eius est aeternum: perfectio scilicet naturalis, qua daemones gradibus distinguuntur; *b*) quatenus haec hierarchia in aeternum habebit unde exerceatur: scilicet in damnatos sine fine torquendos. – 2) At finietur ultimo iudicio, quatenus *a*) tunc claudetur illa potestas quae diabolo conceditur ut Ecclesiam eiusque filios insidiis impugnet; imo *b*) quatenus illa daemonum, licet ad invicem odiosorum, conspiratio in Deum et in Christum eius, post ultimam Christi de regno infernali victoriam veluti destruetur, et ita odio undique irrumpente, « domus supra domum cadet » [1].

Conclude, minus aeternam fore ordinationem, quae inter daemones existit, quam hierarchiam angelicam, quia vinculum praelationis et illuminationis, quo Angeli inter se coniunguntur, aequali amore in aeternum perdurabit, imo, si fieri possit, in aeternum augebitur; dum vinculum, quo daemones inferiores superioribus subsunt, rupta concordia quoad bellum Christo per haec tempora gerendum, per odium aeternum veluti abrumpatur.

[1] Luc. xi, 17.

MEMBRUM II.

DE PRAESIDENTIA ANGELORUM SUPER NATURAM

QUAESTIO CX.

Ordo Quaestionis hoc schemate contrahitur.

Praesidentiae Angelorum super naturam corporalem
- 1) *factum* statuitur (a. 1);
- 2) *modus* et *gradus* investigantur:
  - *a*) utrum ad nutum simpliciter (a. 2);
  - *b*) utrum ad nutum quoad motum (a. 3);
  - *c*) utrum possint facere miracula (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM CREATURA CORPORALIS ADMINISTRETUR PER ANGELOS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Aliter longe et aliter philosophus de praesenti argumento sentire debet, secundum quod vel Materialismo, vel Pantheismo, vel Deismo dat nomen. *a*) Pro viro materialista quaestio praesens omni sensu caret. Negat enim omne, quod praeter materiam puram existere dicitur. Et sane qui nec humanam animam admittunt, quid de actione Angelorum in res corporales essent solliciti? - *b*) Pantheistae, praeter nudam hanc materiam ut talem consideratam, admittunt iam aliquid, sane indefinibile, quod sit veluti anima mundi, cuncta in evolutionem mirabiliter regens. Sed, sicuti nec Angelos agnoscunt veri nominis, ita nec de eorum actione in corpora sollicitantur. - *c*) Deista autem, distinguens inter creaturam et Creatorem, affirmat omnia corpora, uti creari, ita et regi. Sed non ideo affirmat, hoc fieri per Angelorum ministerium, quippe qui nec necessario admittit existere Angelos.

2) Deista vero Christianus, praeter Deum et mundum hunc visibilem agnoscens invisibilem mundum spiritualium creaturarum, cogiturne admittere, omnia corporalia per spi-

rituales creaturas regi? - Cogitur utique, ex Scripturis universaque traditione, admittere virtutem et missionem, quibus Angeli saepe in corporalem creaturam egerunt. At nullum videtur prostare argumentum, quo necessitas huius actionis sive motionis angelicae in omnibus demonstretur.

Etenim, ex una parte, Deus potest immediate praestare quidquid creaturae corporali deest ut se moveat; et ex altera parte, leges naturis entium corporalium insitae, sub isto activo praemovente concursu divino, sufficiunt ut machina mundi materialis et singula corpora iuxta proprias suas leges agant et harmonice conspirent.

3) Igiturne fundamento destituitur doctrina, quae in mundi corporalis gubernio Angelis magnam partem tribuit? Nullatenus. Etenim ex una parte, quae de angelica actione in corpora per Scripturas cognoscimus, iure conducunt ad actionem illam latius extendendam. Ex altera, lex hierarchicae actionis, quae inferiores angelicos ordines superioribus subdit, legitime conducit ad similem dependentiam totius universi sensibilis relate ad agentes invisibiles. - Modo tamen necessitas huius actionis non ultra limites superius expositos extendatur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Valet quidem responsio quatenus primi moventis necessitatem ostendit; non puto autem eam valere ad necessitatem ostendendam iugis motionis per Angelos.

2. Obi. Responsio S. Thomae iure contrahitur ad illas motiones, quae superant proprias vires moti.

3. Obi. Non considerat, sub uno ordine multa contineri, quae tamen ob communem quamdam generaliorem rationem uni ordini subduntur.

Sed contra est. Caute in hoc argumento ex auctoritate procedendum est, quum multa dicantur a primis Christianis scriptoribus iuxta philosophicos conceptus tunc passim receptos, quin tamen ideo certa sint habenda.

Placet ipsa S. Augustini verba audire: « Quemadmodum « corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora « quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum « vitae, et spiritus vitae irrationalis per spiritum vitae ratio-

« nalem, et spiritus vitae rationalis desertor atque peccator « per spiritum vitae rationalem pium et iustum [1], et ille per « ipsum Deum, ac sic universa creatura per creatorem suum, « ex quo et per quem et in quo etiam condita atque insti- « tuta est [2]; ac per hoc voluntas Dei est prima et summa « causa omnium corporalium specierum atque motionum » [3]. Vide, quam bene Augustinus arguat ex harmonica lege universi sub omnipotenti dominio Conditoris ipsius universi.

In Corpore. En schema doctrinae totius articuli.

- Creaturam corporalem administrari per Angelos, constat
  - I) ex auctoritate:
    - 1) Philosophorum:
      - *a*) sunt rationes et species sensibilium corporum (Plato);
      - *b*) sunt summi motores corporum caelestium (Arist.);
      - *c*) est unica substantia spiritualis praesidens sensibilibus. (Avic.);
    - 2) Patrum, qui dicunt Angelorum ministerio regi
      - *a*) non solum corpora caelestia,
      - *b*) sed mundum terrenum;
  - II) ex ratione:
    - 1) factum: nam ordo universi vult ut, sicuti Angeli superiores praesunt inferioribus, ita inferiores praesunt mundo visibili;
    - 2) modus:
      - *a*) corpora quidem habent suas leges, non ita tamen, ut non indigeant motore;
      - *b*) nec corpora caelestia, ab Angelis mota, sufficiunt ad omnes motus explicandos;
      - *c*) applicatio autem virtutis angelicae ad inferiores corporum ordines non est ob mensuram dignitatis eorumdem, sed ob ordinem divinae sapientiae.

ARTICULUS II.

UTRUM MATERIA CORPORALIS OBEDIAT ANGELIS AD NUTUM.

I. De ipsa Quaestione. - Superest ut amplitudinem determinemus illius actionis, quam Angelis circa corpora tribuen-

[1] Coloss. I, 16.

[2] Vides, doctrinam Quaestionis praecedentis per hoc Augustini testimonium eloquenter corroborari.

[3] *De Trin.* l. III, c. 4, n. 9. — *P. L.* XLII, 873.

dam esse vidimus. Iam vero in corporalibus tria consideranda occurrunt: quod generentur aut saltem immutentur, quod moveantur, quod insolita patiantur. Quid ergo circa haec tria valet Angelorum motio sive actio? En argumentum horum trium articulorum.

1) Corpora per exstantes novas formas generari seu produci, compertum est. Quaestio igitur ponitur, utrum Angeli possint has formas producere. Et sane, si talis esset actio Angelorum in corpora, ut haec non essent nisi illorum instrumenta, quatenus id quod in actione instrumentali est principalis agentis, esset ipsa forma producendi compositi, dicendum re vera esset, Angelos ipsas producere formas utendo corporibus uti instrumentis ad nutum sibi parentibus.

Sed hic conceptus falso supponit, formas compositi produci tanquam aliquid existens per se; dum e contra dicendum est, totum compositum produci a composito. Quare Angeli applicant quidem corpora, ut haec iuxta indolem suam transformentur et nova generentur; at formas ipsas producere non possunt nisi Deus, et, sub Deo, ipsa composita per virtutem sibi a Deo cum propria natura inditam.

2) Nec ideo sequitur, Angelos, licet superiores, minus tamen in efformanda corpora posse. Nam, etsi non possint agere idipsum quod est compositi, tamen aliud aliquid agunt, applicando et movendo compositum. Secus dicendum esset, et Deum ipsum minus posse, quia non potest agere sicuti compositum in compositum.

3) Quod modo diximus de actione compositi in formas, quibus exstantibus nova oriuntur composita, valet etiam in compositis de actione tum formae in materiam, tum materiae in formam. Agunt quidem Angeli tum in materiam, tum in formam; at non eo modo, quo haec elementa compositi agunt ad invicem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 3.

2. Obi. Non considerat dictum n. 2.

3. Obi. Procedit a falsa comparatione. Negligit exposita n. 1.

Sed contra est. Ultima verba citationis continent vim. Ostendunt enim, rationem ob quam Augustinus hanc pote-

statem ad nutum denegat daemonibus, non esse quod daemones sint, sed quod non sint Deus; quae ratio sane valet et pro Angelis bonis.

In Corpore. En doctrinam schemate expressam.

- Substantiis spiritualibus materiam corporalem ad nutum obedire,
  - I) ponunt quidam philosophi:
    - 1) Plato de immaterialibus formis, causis omnium formarum,
    - 2) Avicenna, de conceptione intelligentiae:
      - fingebant formas rerum produci per se.
  - II) sed negandum est:
    - 1) formae rerum corporalium non fiunt per se, sed compositum;
    - 2) fiunt autem a simili:
      - *a*) quoad esse compositi (ab agente corporali),
      - *b*) quoad virtutem (a Deo);
    - 3) non autem ab Angelo, nisi indirecte:
      - *a*) movendo causas,
      - *b*) ita ut sint agentes superiores,
      - *c*) capaces movendi etiam in his, in quibus agentia corporalia non sufficerent.

ARTICULUS III.

UTRUM CORPORA OBEDIANT ANGELIS AD MOTUM LOCALEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Motus localis potest causari ab intrinseco vel ab extrinseco. Ab intrinseco causatur, si procedit a forma, uti motus animalis se moventis. Ab extrinseco causatur, si procedit ab alio agente, uti sagitta emittitur a sagittante. Iam vero, quum Angelus non ita insit corporalibus uti forma aut ut formam sustentans, motus quem imprimit corporibus, non potest esse nisi ab extrinseco. Non quasi Angelus, dum movet, debeat esse extra rem a se motam: est enim in ipsa re quam movet; sed movet eam tanquam movens ab extrinseco.

2) Motus autem localis dicitur esse inter motus corporales perfectior, quia per se non dicit potentiam nisi ad extrinsecum. Coniungitur quidem saepe cum potentia ad intrinsecum, imo radicaliter semper; per se tamen, seu directe, eam non involvit.

3) Iam vero si corpora quoad motum localem non moverentur ab Angelis ad nutum, sub Deo utique, esset vel quia inter Angelos et corpora non datur quoad motum localem nexus dependentiae; vel quia corpora sunt nimiae resistentiae, quam ut ab Angelis moveantur. Prius dari nequit: quia secus periret harmonia universi, quum imo ipse motus localis corporum sit nexus, per quem a spirituum motibus ad motus intrinsecos corporales perveniatur. Nec alterum dari potest: nam, etsi supra diximus, extensionem praesentiae Angelorum in loco per applicationem virtutis commensurari ipsi virtuti praesentis, non inde sequitur, corpora non moveri ad Angelorum nutum. Sunt enim propriae virtutis sapienter conscii; unde repugnat ut localiter velint movere molem, quae virtutem eorum excedat.

4) Ex hac doctrina vides, id, quod in praecedenti articulo proprie negabatur, iam per praesentem articulum eminentiori modo compensari, quum virtutes intimas rerum indirecte regere dicendus sit, qui ipsas res ad nutum localiter a se motas applicat actioni aut subtrahit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Deficit in maiori; nam multi sunt locales motus, qui a formis moti non derivant.

2. Obi. Non attendit dictum n. 4.

3. Obi. Falso a pari arguit a motu locali compositi viventis ad omnem motum ab externo agentis. Quod falsum apparet in ipso movente vivente, qui seipsum quidem vitaliter movet, at non ideo contrahitur ad non movendum nisi seipsum.

Sed contra est. Auctoritas hic allata demonstrat quidem, Angelos quaedam posse movere ad nutum, non autem valet ad integram doctrinam illustrandam. Quod fit per principium heic in *Corpore* et superius n. 2 illustratum.

Angelos autem localiter movere corpora, saepius in Scripturis apparet, imo localiter a daemone se moveri passus est Christus. Apparet quoque ex multiplicibus vexationibus quibus subsunt energumeni, inde praecise vocati, quod aguntur et moventur a daemone potius quam a semetipsis.

In Corpore. En doctrinae schema.

Quum motus localis sit perfectior, utpote involvens esse in potentia non nisi ad extrinsecum,
- 1) Angeli movent corpora localiter:
  - *a*) id iam docent Philosophi,
  - *b*) et illustratur per animam moventem corpus;
- 2) quin ideo frustra sint corporum formae:
  - *a*) sunt multi motus locales, qui non continentur in virtute formae determinatae;
  - *b*) per motus locales datur et actio in formas;
- 3) nec movet solum corpus coniunctum, - uti anima, qua mediante reliqua corpora non coniuncta movet; - sed et non coniunctum, - quod anima non potest.

Resp. ad 3.m Collige ex hoc responso duplex discrimen inter motum quo anima et quo Angelus corpora movet localiter: *a*) anima non movet immediate nisi corpus coniunctum; *b*) alia corpora per corpus vitaliter coniunctum mediate movet, sed tamen movet per virtutis applicationem immediatam, saltem in corpus corpori immediate coniunctum.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELI POSSINT FACERE MIRACULA.

I. **Ad Textum.** - 1) Miracula dici solent propria, quoad se, vel impropria, quoad nos. Propria, quoad se, sunt effectus miri, qui fiunt praeter ordinem totius naturae; impropria, quoad nos, sunt effectus miri, qui fiunt praeter ordinem naturae a nobis cognitum.

2) Angelos et daemones multa posse miracula facere improprie dicta, quoad nos, patet ex hoc ipso quod longe maiori quam nos gaudent tum scientia legum naturae, tum virtute circa movenda corporalia. Unde mira possunt efficere multa, quae tamen sunt consona ordini naturae in sua relatione ad naturalem virtutem angelicam.

3) At miracula quoad se, proprie dicta, efficere non possunt propria virtute, quum sint et ipsi in ordine naturae inclusi, et nihil possint propria virtute, quod sit supra ipsam suam naturam. Possunt tamen talia agere per participationem virtutis divinae, sicut et Sancti homines possunt; imo ex charismate gratis dato posset contingere etiam in homine non iusto, sed virtute Christi summe Iusti operantis.

4) Solus Christus, utpote Deus-Homo, ob virtutem theandricam ipsi omnino singularem ex unione hypostatica effluentem, potuit virtute propria operari miracula proprie dicta. Et sane id interest, ex ipsis Scripturis, inter miracula Christi et Apostolorum, quod miracula Christus virtute propria, quia Deus ipse, patrabat, Apostoli autem nomine Christi operabantur.

5) Collige, maiorem esse in Angelis bonis quam in daemonibus quoad miracula potentiam. Daemones enim non possunt, sive per se, sive per magos, nisi miracula patrare quoad nos; propria enim miracula operari, a Deo non sinuntur; Angeli autem, licet propria virtute miracula quoad se operari non possint, tamen, uti ministri Dei in operandis mirabilibus, vera miracula saepius operati leguntur.

II. Ad **Textum**. - *1. Obi.* Confundit potestatem propriam cum potestate ministeriali.

2. Obi. Non distinguit inter miracula quoad se et quoad nos.

3. Obi. Valet quidem ad probandam in Angelis potestatem operandi miracula quoad nos, non autem quoad se.

4. Obi. Confundit ordinem naturae corporalis et ordinem totius naturae.

Sed contra est. Tota doctrina huius articuli continetur in historia Moysis cum Magis Pharaonis in aula certantis. Miracula quoad nos potuerunt quidem magi daemonum virtute producere multa et valde mirabilia; at nulla miracula quoad se, qualia Moyses nomine Dei patravit.

Huc facit prodigium, teste Ioanne [1], quod Hierosolymis in probatica piscina lege veluti constanti fieri solebat: « Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in « piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in « piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque « detinebatur infirmitate » [2].

[1] Ioann. v.

[2] Equidem scio, exegetas rationalistas, a quibus et Catholici non semper satis abhorrent, hoc factum tanquam naturale phaenomenum explicare voluisse, quasi aqua huius piscinae specialissima quadam at naturali fuerit virtute dotata. Et sane specialissima prorsus; quippe quam *a*) non exercebat, nisi specialiter ab Angelo Domini mota, *b*) ad unum tantum infirmum curandum, *c*) a quacumque detinebatur infirmitate. Factum reiiciat, qui a priori miracula spernit, esto! At quid per

Porro potestatem prodigiose operandi in Angelis a Deo derivari, patet ex Apocalipsi, ubi Angeli describuntur uti Dei ministri, ad nutum beneplaciti divini agentes et ab agendo cessantes.

Idem liquet ex Sanctorum historia. Quam pulchre sonant verba, quibus S. Benedictus virtutem pueruli a mortuis evocandi a Deo impetravit: « Domine, non adspicias peccata « mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum « rogat, et redde in hoc corpusculum animam, quam abs- « tulisti! » [1].

In Corpore. En doctrinae schema.

- Angeli miracula facere
  - I) proprie dicta non possunt:
    - 1) Deus solus potest facere aliquid praeter ordinem naturae totius;
    - 2) Angelus autem miraculo concurrere potest, sicut et homo justus,
      - *a*) sive impetrando a Deo,
      - *b*) sive ei per ministerium cooperando;
  - II) improprie dicta possunt:
    - 1) etenim multa potest agere, quae sunt supra ordinem naturae particularis, ex virtute nobis incognita;
    - 2) quod et de daemonibus quoque valet (servato ordine Providentiae), et de hominibus ex pacto cum daemone inito.

Cave, ne perperam intelligas mentem S. Thomae in exemplo de lapide sursum proiecto. Sane, si lapis sursum tenderet nulla manu proiectus, miraculum esset. At non puto quod sit contra naturam lapidis, ut sursum proiectus, sursum petat; imo miraculum esset, si sursum virtuose proiectus,

conamina factum, uti historicum admissum, ad naturalem licet miram naturae virtutem detrahendi, vera scientia sanaque exegesis proficiant, fateor me prorsus latere. Adhibeantur quidem criteria prudentia, nihil sanius; sed non praeter limites boni sensus communis urgeantur. Dubitetur, si placet, de naturali virtute remedii, quo Tobias iunior, consulente angelico comite, patris caecitatem curavit; haec dubia forsan patitur argumentum. At in miraculo probaticae piscinae omni prudenti fundamento carere videntur. Criterium firmum maneat sequens: Quidquid ab auctore sacro uti miraculosum narratur, tale agnoscatur oportet. Quare displicent conatus omnes, qui ab hoc criterio recedunt; uti recens illa explicatio prolongationis diei, quam Iosue precibus obtinuit, ac si nonnisi lux solis, post densissimam grandinem veluti rediens, illusionem protractae diei effecisset. Quid per huiusmodi tentamina scientia acquirat, ignoro; quid autem fidei sensus amittat, probe cerno.

[1] *Vita S. Bened.* Dial. II S. Greg. M. cap. 32.

caderet deorsum. Sufficit ergo ad miraculum ut aliquid fiat praeter ordinem alicuius naturae particularis, si hoc non contingit virtute ordinis alterius cuiusdam naturae particularis, quae de priore iuxta ordinis gradum triumphat.

Monitum de arte magica.

Connexa huic articulo est quaestio de arte magica. Quum tamen alibi reditura sit opportunitas tractandi de hac arte, ubi agemus de Spiritismo, satis sit hic breviter quaedam pauca monere.

Certa ab incertis hac in re discernere iuvat.

Certum est: 1) multa daemones non solum posse, sed et agere, quae vires particularis ordinis excedunt. Constat diserte ex Scripturis: « Cuius (Antichristi) est adventus secundum « operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis « mendacibus » [1]. – « Surgent enim pseudochristi et pseudo- « prophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in erro- « rem inducantur (si fieri potest) etiam electi » [2]. - Constat ex narrationibus evangelicis, ex historia, ex testimoniis Patrum.

2) Certum est, dari genus hominum, qui commercio cum daemonibus utuntur, sive ad futura praesagienda, sive ad portentosa patranda. Ex Scripturis, Patribus atque viris historicis res est manifesta. Nec ad antiquas fabulas haec esse remittenda docent, quae et hodiedum in regionibus, ubi regnum Satanae nondum Christianae cessit veritati, adhuc cerni missionarii passim testantur.

3) Minus certum est, utrum necne detur vera *ars magica.* Ars enim supponit certas methodos sive vias; quare praeter potestatem daemonibus tribuendam supponit duo: Deum permittere ut modo consequenti, durabili, daemones hac potentia utantur; ipsosque daemones pacto secum inito fideliter stare.

4) Adhuc minus constat limes actioni diabolicae assignandus; quia hic limes nequit certo definiri, nisi certo sciatur quousque pateant ipsae naturae vires [3]. In quo ab utroque

[1] II Thess. II, 9.

[2] Matth. XXIV, 24.

[3] Cave, ne ideo omnem vim demonstrativam demas apologetico argumento ex miraculis desumpto, uti incaute, imo erronee et contra ipsa Christi verba conten-

cavendum: ne nimiae credulitati cedatur, - quemadmodum nuper in fraude Dianae Vaughan contigisse, prudens quisque deplorat [1]; - neque omnis manifestatio diabolica, sive per spiritismum sive per magnetismum, explodatur. E contra Satanismum eo instantius hodie invehere, quo magis a sensu catholico receditur, multiplex experientia docet. Unde Dr. Georges Surbled, in recenti opere cui titulus: « Spiritualisme « et Spiritisme », exclamat: « Le Spiritisme, voilà l'ennemi! ».

dunt quidam moderni catholici, novae viae apologeticae propugnatores dicam, an efficacioris vetustae impugnatores. Et sane, nisi argumentum verum vera signa praestarent, quomodo Christus a signis ad suam divinitatem per signa manifestatam provocare potuisset? Num forsan resurrectio Lazari ipsiusque imprimis Christi resurrectio, uti in Scripturis narrantur, per absconditas naturae vires unquam explicabuntur? Sed de hoc argumento alibi fusius.

[1] Caute tamen tales fraudes sunt excipiendae. Quando agitur de hoste pessimo, in fraudis agnitione timenda est nova fraus. Quaenam in casu? Ne vera cum falsis simul proiiciantur, ac ita a veris sceleribus mens avertatur tanquam a falsis. Si Troianus olim dixit: « Timeo Danaos et dona ferentes », liceat et dicere: Timeo massones et fraudem confitentes!

MEMBRUM III.

DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES.

Hoc membrum, quo tractatus noster absolvitur, triplici Capite constat. Agendum enim est de Angelorum *actione, missione* et *ministerio* relate ad homines - Cf. tabellam p. 880.

CAPUT I.

DE ANGELORUM ACTIONE IN HOMINES.

QUAESTIO CXI.

Ordo Quaestionis est manifestus: per analysim graduatam quaeritur, quid Angeli possint in hominum *a*) *intellectum* (a. 1), *b*) *voluntatem* (a. 2), *c*) *imaginationem* (a. 3) et *d*) *sensum* (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELUS POSSIT ILLUMINARE HOMINEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Solutio huius argumenti facilis est post ea, quae superius de illuminatione Angelorum dicta sunt. Et sane, si modus quo haec illuminatio producitur, est talis, qui possit et hominibus omnino applicari, eodem prorsus modo Angelus illuminabit hominem, quo superior Angelum inferiorem. Si autem in illuminatione angelica est aliquid, quod homini illuminando non omnino convenire potest, secundum hoc utraque illuminatio differet.

2) Iam vero vidimus, - licet non omnes theologi, etiam boni nominis, in hoc concordent, - illuminationem angelicam produci tum per intellectualis luminis corroborationem, tum per congruam obiecti accommodationem.

Porro *a*) sat facile apparet, quoad prius elementum dari in utraque illuminatione paritatem. Etenim sub Deo, totius virtu-

tis intellectualis auctore et conservatore, potentior vis creata potest per suam approximationem corroborare virtutem minorem. Ad quod sane parum refert, utrum facultas corroboranda sit angelica an humana, maxime si omnes Angeli specie differre dicuntur. Imo facilius est Angelo superiori corroborare virtutem intellectualem hominis, quam Angeli inferioris.

b) At non idem dicendum de altero elemento. Hic enim genus naturae intellectualis influit in modum proponendi obiectum. Angeli enim, quum sint puri spiritus, conveniunt omnes in hoc, quod sine phantasmate cognoscant, intelligendo per species plures vel pauciores, quo magis sunt particulares vel universales. Homo vero, in hac saltem vita, nonnisi per phantasmata cognitiones accipit. Unde non sufficit Angelo ut species sibi proprias magis decomponat, ita captui intellectus humani adaptandas; oportet insuper ut illas per sensibiles similitudines indoli processus humani appropriet.

3) Evidens est, manifestationes istas angelicas posse ordinis esse naturalis vel supernaturalis, speculativi vel practici. Quum autem totum ministerium angelicum in supernaturalem hominum finem dirigatur, passim ad eumdem ordinem, sive de credendis, sive de agendis, angelica illuminatio pertinere dicenda est.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit in fide propositionem credendorum menti illucentem, et gratiam interne ad assensum moventem.

2. Obi. Deficit quoad utrumque elementum, scilicet tum quoad mentis corroborationem, tum quoad veritatis ostensionem; quod utrumque elementum agit sub Deo, vi ministerii a Deo recepti.

3. Obi. Dupliciter peccat: *a*) confundit rem intellectam cum eo qui eam proponit; *b*) non distinguit inter rem intellectam et vim qua intelligitur.

Sed contra est. Huc faciunt quotquot in Scripturis exercentur angelica ministeria ad homines illuminandos. Ita, ut gemino exemplo ex Evangeliis utar, Angelus illuminavit Zachariam de mirabili uxoris faecunditate; Angelus illuminavit Mariam de divina sua maternitate. Ut autem appare-

ret, hanc illuminationem salvare illuminati libertatem, Zacharias illuminanti Angelo credere recusavit, Maria maiora longe nuntianti humilem assensum praebuit.

In Corpore. En doctrinam schemate contractam.

- Angeli superiores, sicuti inferiores, ita et homines illuminant,
  - I) quantum ad elementum corroborationis, similiter:
    - ratio naturalis, condita a Deo, corroboratur ab Angelo ut fortius intelligat;
  - II) quantum ad elementum manifestationis, diversimode:
    - *a*) superiores Angeli se accommodant inferioribus distinguendo species universaliores;
    - *b*) hominibus utendo similitudinibus sensibilibus,
      - *a*) tum ad illuminationem fidei,
        - α) quantum ad propositionem,
        - β) non quantum ad voluntatis motionem;
      - *b*) tum ad agendorum manifestationem.

ARTICULUS II.

UTRUM ANGELI POSSINT IMMUTARE VOLUNTATEM HOMINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Heic quoque applicanda est doctrina superius exposita quoad actionem Angelorum in Angelorum voluntatem. Convenit rursus actio in voluntatem hominis cum actione in voluntatem Angeli quoad partem, at quoad partem discrepat; aliter tamen ac in articulo praecedenti.

2) Convenit, quatenus utrimque Deus solus habet dominium internum voluntatis a se creatae, quam movere potest, salva utique eius natura, at nihilominus potenti actione interna.

3) Discrepat autem, non quatenus modus movendi utrimque diversus est, sicuti erat in articulo praecedenti de modo proponendi obiectum intellectui; sed quia, praeter modum unicum movendi voluntatem angelicam, datur insuper alter modus movendi voluntatem humanam.

4) Et sane hominis voluntas non solum moveri solet per propositionem obiecti intellectum illuminantis, sed et per appetitum sensibilem, qui excitatus movere solet et voluntatem. Utraque autem motio non excidit limitem suasionis; nisi de tali obsessione sermo sit, qua rationis usus tollatur, quod in Angelo in bonum movente repugnat; potest autem,

Deo permittente, reperiri in daemone vexante ad malum. Sed ubi incipit tolli conscientia actus, ibi quoque cessat ratio praesentis quaestionis, utpote quae talem supponit motionem, sub qua vera maneat voluntas.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter motionem agentem necessario et agentem per modum persuasionis.

2. Obi. Simili vitio laborat. Adverte sententiam S. Thomae: « usus cogitativae virtutis subiacet voluntati ». Applicata enim facultate obiecto, intellectus nequit non cogitare; quod autem se velit obiecto applicare, pendet a voluntate.

3. Obi. Comparatio adducta partim recte incedit, partim claudicat. Iam vero a parte quae claudicat, argumentum petitur; ergo claudicat et argumentum.

Sed contra est. Textus heic allatus maxime corroborat doctrinam superius expositam de actione Angelorum in voluntates angelicas. - Quod nihilominus Angelus suasive agere possit in hominis voluntatem, directe potest et indirecte per Scripturas illustrari. *a*) Indirecte, nam si serpens ille antiquus valuit primos nostros parentes trahere in peccatum, quanto magis concedenda est bonis Angelis virtus ut ad bonum nos movere possint? - *b*) Directe, per exempla in Scripturis occurrentia. Sane Angelus ille, qui de nocte apparuit Ioseph, efficaciter eius voluntatem movit, ut, Dei monitum exsequens, puerum eiusque matrem secum sumptos duceret in Ægyptum.

In Corpore. En argumenti schema.

- Movere voluntatem
  - I) ab interiori, — solus Deus potest, idque tum quoad Angelum, tum quoad hominem; utpote solus auctor interni motus voluntatis;
  - II) ab exteriori,
    - 1) a bono apprehenso per intellectum (unicum medium pro Angelo):
      - *a*) efficaciter, solus Deus;
      - *b*) suasive
        - α) Angelus,
        - β) homo;
    - 2) (insuper pro homine) a passione excitante circa appetitum sensitivum
      - *a*) Angelus et homo, - imo daemon;
      - *b*) non autem necessitando, sed mere incitando.

ARTICULUS III.

UTRUM ANGELUS POSSIT IMMUTARE IMAGINATIONEM HOMINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ulterius investigandum est quid Angeli possint in facultates inferiores hominis. Difficultas petitur ab ipsa natura vitali harum facultatum; quas facultates, ut tales, sane Angelus mutare non potest, nec eorum actus vitales directe provocare, nec ipse exercere.

2) Solutio est in actione magis remota, cuius effectus nihilominus aeque ad imaginationem et ad perceptionem sensibilem pertingit. Quae actio est in motione eorum elementorum seu principiorum, quae ad exercitium facultatum sive imaginativae sive sensitivae conducunt. De hac ultima dicetur in articulo sequenti. Hic de priori pauca sint.

3) Remittimus ad proximum tractatum investigationem penitiorem circa ipsam memoriam. Satis hic erit animadvertere, quomodo dispositio corporalium spirituum et humorum in imaginationem influat. Quod maxime apparet in somno, in quo excitati humores, imaginationes correspondentes ac ita somnia producunt. Etenim talis nexus habetur inter istos humores et imaginationem, ut interdum imaginatio sit eorum causa, interdum effectus, interdum simul causa et effectus. *a*) Radicitus imaginatio est dispositionis istorum humorum causa; quod apparet in caeco, qui, si caecus natus est, nunquam valebit sibi imaginari colores. - *b*) In dormientibus imaginatio est humorum istorum effectus. - *c*) Causa simul et effectus est in eo, qui in vigilia quaedam sibi per imaginationem repraesentat, unde humores excitantur, qui rursus alias secum imaginationes evocant.

4) Applicatio ad Angelos patet. Quum Angeli possint movere humores, quorum nexum cum imaginatione exposuimus, possunt ita indirecte imaginationes producere, idque sive in homine a sensibus abstracto, sive in homine sensibus utente. Has imaginationes possunt insuper interna illuminatione illustrare; ita ut qui eas accipit, fundamentum verum earumdem percipiat. Tunc Angeli ope imaginationis excitant simul et docent. Si autem non simul mentem collustrant, excitare dumtaxat dicendi sunt; quo casu possunt

se permissive habere ad quidquid de his imaginationibus iudicat ille, in quo eas excitaverunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Vere procedit, quatenus dicit, phantasiae principium esse a sensu secundum actum; sed falso inde concludit, supposito hoc actu, Angelos non posse agere in imaginationem ope humorum, vi nexus inter eosdem et imaginationem per praecedentes actus productam.

2. Obi. Falso supponit, Angelos imprimere directe formas imaginarias nondum perceptas.

3. Obi. Negligit commixtionem mediatam per effectum.

4. Obi. Falso incedit, quod dilemmate ostenditur. Nam vel Angelus simul mentem illuminat, et tunc, nedum adsit deceptio, habetur doctrina; - vel non illuminat, et tunc, si ille in quem Angelus agit, recte de acceptis similitudinibus iudicat, nulla deceptio; secus, habetur quidem deceptio, sed ad quam Angelus se habet dumtaxat permissive.

Sed contra est. Huc faciunt omnia somnia, quae per Angelorum ministerium immissa leguntur. In somnio autem Ioseph videtur Angelus insuper virum Mariae illuminasse: secus vix intelligitur quomodo, evigilans, sine ulla mora, quae iussa in somnio audierat, factis impleverit.

Nexus intimus inter ea, quae per somnia et quae in vigiliis vere percipimus, apparet in historia S. Petri per Angelum a carcere liberati. « Et exiens sequebatur eum, et nesciebat « quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat « autem se visum videre » [1].

In Corpore. En doctrinae schema.

- Angelus etiam malus potest immutare imaginationem hominis. Etenim
  - 1) Angelus potest agere in res corporales per motum;
  - 2) iam vero per motum humorum multa produci possunt in imaginationem,
    - *a)* sive cum alienatione a sensibus corporeis,
    - *b)* sive sine hac alienatione;
  - 3) quin tamen haec operatio
    - *a)* imprimat aliquam formam nondum prius acceptam,
    - *b)* neque deceptionem involvat:
      - α) certe nullam, si simul Angelus mentem illustrat;
      - β) neque secus, si ad ignorantiam rei significatae se permissive habet.

[1] Act. xii, 9, cf. 11.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELUS POSSIT IMMUTARE SENSUM HUMANUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Principium solutionis dubii praecedentis ad hanc quoque solvendam quaestionem valet. Quare pauca verba sufficient.

Etenim, licet perceptio sensilis sit actus vitalis a composito ex anima et corpore elicitus, ac proin non possit directe attingi ab agente extrinseco, sed tantum ab agente intrinseco, cui subsint ipsae formae rerum, qui Deus est; nihilominus, quatenus iste actus vitalis provocatur per dispositionem et activitatem organorum, potest in ipsum sensus actum agere ille, qui potest agere in organa sensus.

2) Haec autem actio est duplex: alia ab exteriori, alia ab interiori. *a*) Ab exteriori agit in sensum, qui obiecta sensui praebet; *b*) ab interiori, qui internam dispositionem organi mutat.

Iam vero utrumque potest Angelus. *a*) Primum est omnino manifestum. Nam si iam homo hoc modo potest agere in sensum hominis, cur non poterit et Angelus, quippe qui potest movere obiecta externa, et imo assumere formas externas, quae sensum hominis moveant? - *b*) Altero quoque modo potest Angelus agere in sensum. Si enim, uti vidimus, potest ita agere in humores, ut per eos in imaginationes influat, poterit quoque tali modo agere in organa sensuum, ut influat in ipsos sensus.

3) Dubium poterit interdum esse, utro modo Angelus usus sit ad producendum effectum in sensum, utpote qui gemina via obtineri possit. Ita potest aliquis caecitate percuti, vel per subitaneam oblationem obiecti nimis fulgidi, quod oculus sustinere non possit, vel ab intrinseco ita immutato organo, ut non amplius aptus sit ad videndum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad duplicem modum, quo organum, licet vitaliter agens, potest attingi.

2. Obi. Falso incedit, quia non attendit ad modificationem organorum, quibus virtutes tum sensitivae, tum nutritivae utuntur.

3. Obi. Non considerat potentiam, qua pollet Angelus, operandi miracula improprie dicta, utendo scilicet creaturis tali modo, quo homo eis uti non valet, ac proin producendo affectus mirabiles, utpote potentiam humanam excedentes.

Sed contra est. Cave, ne urgeas vim huius argumenti. Demonstrandum enim esset, Angelos non solummodo per operationem a Deo impetratam, sed propria aliqua virtute hoc praestitisse, quod de eis narratur. Et sane, in exemplo ob similitudinem allato, Elisaeus non ipse caecos fecit hostes, quibus cingebatur; sed, uti ait Scriptura: « Percussit eos Do-« minus, ne viderent, iuxta verbum Elisaei ».

In Corpore. En doctrinam schemate contractam.

- Sensum humanum Angelus potest mutare,
  - I) non quidem directe, immutando ipsum principium intimum, seu potentiam sensitivam;
  - II) sed indirecte:
    - 1) ab exteriori:
      - *a*) agendo exterius in sensus;
      - *b*) ad quod non requiritur miraculum absolute dictum, sed sufficit secundum quid:
    - 2) ab interiori, immutando humores, qui ad rectam perceptionem sensilem concurrunt.

Corollarium. Ex dictis apparet, dupliciter differre modum quo Angeli et quo homines agunt in sensum humanum. *a*) Homines agunt in sensum aliorum ab extrinseco, producendo modo omnino naturali phaenomena per colorem, per sonum, per tactum, etc., in sensus aliorum agentia. Angeli ad talia phaenomena producenda debent adhibere media, quae utique naturalem ipsis vim non excedunt, at nihilominus nobis, pari virtute non gaudentibus, prodigiosa videntur, et re vera constituunt miracula quoad nos.

b) Homo non potest agere in ipsum sensum aliorum ab intrinseco, nisi laedendo ipsam integritatem corporis humani; Angelus potest, quia ipse agit tam facile intus quam foris, utpote praesens non per localem situm, sed per applicationem virtutis.

CAPUT II.

DE MISSIONE ANGELORUM AD HOMINES.

QUAESTIO CXII.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

Quaeritur de missione
- 1) ipsum *factum* (art. 1);
- 2) *modus* facti quoad missos:
  - *a*) an omnes mittantur (art. 2),
  - *b*) an simul sint assistentes (art. 3),
  - *c*) an omnes non assistentes (art. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM ANGELI A DEO MITTANTUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In tractatu *de Deo trino,* agentes de missione Filii et Spiritus Sancti, vidimus, notionem missionis duo continere: in misso processionem, et in termino missionis novum modum existendi.

2) Iam vero haec duo ad Angelos applicando apparet, missionem Angelis ob utrumque optime convenire. Etenim *a*) procedunt a Deo, cui tanquam administratorii spiritus subsunt ad nutum; tamque naturalis et intima est inter Angelos et ministerium relatio, ut ab ipso ministrando nomen acceperint, iuxta interpretationem vulgatam textus Psalmistae: « Qui facis Angelos tuos spiritus » [1].

b) Porro quo spectat Angelorum ministerium, nisi ut novo modo ibi existant, ubi missionem suam exercent? Sunt quidem Angeli supra localem praesentiam. At quando exercent missionem, incipiunt agere circa ea ad quae mittuntur, applicando suam virtutem, ac proin inexistendo his rebus modo tali, quo prius eis non inexistebant. Qui modus, sicuti per missionem incipit, ita, eadem expleta, cessat.

3) Et sane Scriptura de Archangelo Gabriele, Incarnationis nuntio, missionem diserte proclamat: « Missus est Ange-« lus Gabriel a Deo in civitatem Galileae ad Virginem » [2].

[1] Ps. CIII, 4.
[2] Luc. I, 26.

In quibus verbis tria continentur expresse distincta: mittens Deus, missus Angelus, terminus missionis localis et personalis. Quae tria S. Bernardus eloquenter evolvit in primo suo sermone *Super Missus est.* Alibi quando Angeli, divinarum rerum nuntii, simpliciter apparere dicuntur [1], se per haec ipsa quae nuntiant, comprobant missos. Unde ipsum nomen *Angelus Domini,* in Scripturis frequentatissimum, exprimit totum.

4) Noli tamen credere, Angelos qui mittuntur, dum missionem suam exercent, carere beatifica visione essentiae divinae. Quemadmodum enim haec visio, qua omnia in Deo cernuntur, non impedit Angelos, quominus et naturali sua cognitione iugiter utantur; ita nec visio impedit missionem, nec missio visionem. Id clare docent haec verba Scripturae: « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cae- « lis est » [2]. Iam vero si faciem Patris vident semper, et si missio impedit visionem, quomodo, aut ad quem finem isti dicuntur pusillorum Angeli?

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit in actione intellectuali nisi principium quod; negligit terminum ad quem.

2. Obi. Non considerat caelum empyreum, qualecumque sit, habere suam dignitatem ex hoc ipso quod sit Angelorum locus; non e converso; ac ideo Angelos nihil amittere dignitatis, si ratione missionis alibi praesentiam per operationem exerceant.

3. Obi. Negligit dicta n. 4.

4. Obi. Non perpendit dignitatem missionis ob dignitatem mittentis.

Sed contra est. Praeter dicta n. 3, et textum hic allatum, placet adducere verba Angelorum a Deo Sodomam ad perdendam urbem missorum: « Delebimus locum istum, eo quod « increvit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut « perdamus illos » [3]; - pariter verba Raphaëlis Archangeli: « Tempus est ut revertar ad eum qui me misit » [4]; necnon ipsius Christi: « Mittet filius hominis Angelos suos » [5].

[1] Ibid. 11.
[2] Matth. xviii, 10.
[3] Gen. xix, 13.
[4] Tob. xii, 20.
[5] Matth. xiii, 41.

In Corpore. En schema doctrinae:

- Angeli mittuntur
  - I) a Deo; nam
    - 1) procedunt a Deo (prima conditio missionis),
    - 2) et destinantur ad locum ubi novo modo sint (secunda conditio):
      - *a*) non enim sunt ubique;
      - *b*) ibi sunt, ubi specialiter agunt;
      - *c*) licet per se supra locum existant;
  - II) in ministerium: nam
    - 1) mittuntur a Deo ad aliquid, quod redeat in Deum;
    - 2) quin ideo
      - *a*) nec amittant contemplationem suam,
      - *b*) nec fiant nobis inferiores;
        - α) nam primario, ministrantur Deo,
        - β) secundario nobis, utpote Deo unitis.

Corollarium. Ex doctrina in ultimo responso exposita, collige stimulum reverentiae, qua Angelos nostros colere debemus, et sanctae aemulationis, qua contemplationi vel orationi cum ipsis incumbere nos oportet. Bene S. Bernardus: « Attendite principes vestras, quum statis ad orandum « vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina, et « gloriamini quia Angeli vestri quotidie vident faciem Pa- « tris » [1]. Propter hunc nexum intimum inter Deum et Angelos Deum iugiter intuentes, S. Benedictus, disciplinam psallendi describens, iam dixerat: « Ergo consideremus, qualiter « oporteat nos in conspectu Divinitatis et Angelorum esse, et « sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci « nostrae » [2]. Et sane, si homines nonnisi cum magna reverentia solent in faciem adspicere alterius coelestem visionem contuentis, quanto maiori reverentia respicere nos decet ad principes illos aulae caelestis, qui, dum adstant nobis, divinam maiestatem contemplari non cessant.

ARTICULUS II.

UTRUM OMNES ANGELI IN MINISTERIUM MITTANTUR.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Famosa est in scholis disputatio, utrum in ministerium mittantur Angeli omnes, an solum Angeli hierarchice inferiores. Qua de re triplex sententia

[1] Sermo 7 in Cant.

[2] *Reg. S. Ben.* cap. 19.

viget: *a*) Alii dicunt, ministerium simpliciter pertinere ad omnes Angelos, quatenus omnes sunt ex officio ad Dei nutum administratorii spiritus. - *b*) Alii dicunt, communiter non mitti nisi Angelos inferiores, quin tamen excludatur ut, praeter morem, ob munera quaedam celsiora, mittantur et superiores. - *c*) Alii negant simpliciter, Angelos superiores mitti, nisi in ministerium improprie dictum. Patronos praecipuos habet prima sententia S. Bernardum et Alexandrum Halensem [1]; secunda, Albertum Magnum et Scotum [2]; tertia Dionysium, - qui ministros seu missos dicit esse dumtaxat e tertia hierarchia, - S. Thomam et S. Bonaventuram.

2) Primae sententiae patroni arguunt maxime ex Scripturis et ex oeconomia fidei. Quorum argumenta cum moderamine recepta patronos secundae sententiae pariter movent.

a) Ex Scripturis adducunt factum quod narratur de propheta Isaia: « Et volabat ad me unus de Seraphim, et in « manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari », etc. [3]. Unde ita arguunt. Seraphim constituunt Angelorum gradum supremum; atqui Seraphim in ministerium missus exhibetur; Ergo omnes etiam supremi Angeli in ministerum mittuntur. - β) Et sane S. Paulus expresse de Angelis dicit: « Nonne « omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi « propter eos, qui haereditatem capient salutis ? » [4] δ) Inde Michaël et Gabriel et Raphaël, etsi de primis, tamen ministeria implevisse narrantur.

b) Œconomia fidei id pariter insinuat. Etenim, aiunt, si Deus misit Filium suum in mundum, quomodo non mitteret et Angelos etiam supremos, sane Filio suo longe inferiores? Ita diserte, allatis S. Pauli verbis, arguit S. Bernardus: « Neque id cuiquam incredibile videatur, quando « quidem ipse Creator et Rex Angelorum venit non mini- « strari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis. « Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedi-

[1] Huic sententiae Hugo Victorinus in uno loco subscribit (*Summ. Sent.* II, 6); at alibi anceps haeret (*De Sacram.* I, v. 33).

[2] Haec sententia tali modo potest explicari ut a prima vix differat, et vicissim. Unde non semper facile dixeris quis primae, quis secundae sententiae sit adscribendus

[3] Is. VI, 6.

[4] Hebr. I, 14.

« gnetur, in quo praecedit eos, cui in excelsis tota cum avi-
« ditate et felicitate ministrant? » [1].

3) Tertiae sententiae patroni arguunt ex ipsa ratione hierarchica, qua per Angelorum ordines humana divinis coniunguntur. Unde legem a Dionysio statutam S. Bonaventura exprimit his verbis: « Superna illa agmina ab intimis nunquam « recedunt, quoniam ea, quae praeeminent, usum exterioris « officii nunquam habent » [2].

Corroborant autem suam sententiam per verba Danielis: « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena « millia assistebant ei » [3]. Ecce, aiunt, non solum indicatam gradationem inter ministrantes et assistentes; sed longe excedentem numerum assistentium; ergo nonnisi inferiores Angeli ministrant, iique prae universo caelesti agmine numero longe minores.

Argumenta autem a patronis praecedentis sententiae ex Scripturis deprompta aliter et aliter solvunt. Textum S. Pauli alii ita explicant, ut contrahatur ad Angelos in sensu specifico sumptos; alii, distinguendo, iuxta S. Thomam et S. Bonaventuram, inter ministerium internum et externum [4]; quae tamen distinctio, uti verborum ludus, displicet Suarezio [5].

Seraphim autem Isaiae dicunt nonnisi mediate, per ministerium internum, id praestitisse quod narrat propheta; quare, ut ait Dionysius, non fuit Seraphim, sed Seraphim figura. Imo in ipsis Isaiae verbis id insinuari contendunt per verba « in manu eius », quatenus ille Angelus inferior, missionem externam executus, fuit veluti manus Seraphim interne eum ad hanc missionem illustrantis [6]. Ingeniose sane; utrum solide, nescio.

[1] In festo S. Mich. serm. I, n. 2; — Cf. *Super Missus est,* serm. I, n. 2.

[2] II Sent. dist. x, a. 1. q. 2. — Cf. Dion. *Caelest. hier.* c. 7, 9, 13.

[3] Dan. VII, 10.

[4] Scotus *, qui in hac sententia, - idem dic de Durando **, - a Dionysiano se vinculo liberavit, admittit quidem distinctionem inter missionem internam et externam; sed nihilominus inclinatur in sententiam mediam quoad ipsam missionem externam: « videtur, quandoque ».

[5] *De Angelis,* IX, 16.

[6] Hanc interpretationem Dionysii et S. Thomae probat et Suarezius (Op. cit. x, 8).

* II Sent. dist. x. 1.
** Ibid.

Difficultates petitas ex Angelis Michaël, Gabriel, et Raphaël, aliter et aliter solvunt. Sed de hoc sermo redibit in art. 3. Quaestionis sequentis.

Ad Textum. - *1. Obi.* Arguit ex textu S. Pauli; solvitur ope distinctionis inter missionem internam et externam.

2. Obi. Arguit ex Seraphim ad Isaiam misso. Solvitur vel *a*) intelligendo nomen in sensu aequivoco; vel *b*) recurrendo ad distinctionem positam in obiectione praecedenti.

3. Obi. Arguit ex missione divinarum personarum. Solvitur per distinctionem inter missionem simpliciter dictam et missionem in ministerium.

4. Obi. Arguit retorquendo; quatenus, si non omnes mitti possunt, non potest mitti nisi infimus. Solvitur per ministeriorum gradus.

Sed contra est. S. Gregorius non semper eodem modo de hoc argumento loquitur [1]. Et in applicatione doctrinae a Dionysio recedit, quatenus Dionysius ministerium externum restringit ad tertiam hierarchiam, dum Gregorius eam usque ad quinque ordines protrahit. Cf. art. quartum huius Quaestionis.

In Corpore. En doctrinae schema.

- Angelos in ministerio mitti
  - I) *proprie dictum,*
    - 1) aliqui affirmant
      - *a*) de regula communi non omnes, sed inferiores tantum,
      - *b*) sed interdum ex divina dispensatione etiam superiores;
    - 2) sed melius negatur:
      - *a*) ordo providentiae postulat in his hierarchiam servari,
      - *b*) nec valet in his ratio dispensationis:
        - α) hierarchia est ordo gratiae, cui nullus alius superior;
        - β) nulla datur missio, quam non digne possit exercere. Angelus ex ordinibus inferioribus.
  - II) *improprie dictum,* omnes dici possunt:
    - 1) sive quatenus interius superiores illuminant inferiores;
    - 2) sive quatenus exterius inferioribus virtutem praestant, et cum virtute nomen (Cherubim?).

[1] Cf. *Moral.* XVII, 18.

Valde notandum duplex argumentum, quo S. Thomas doctrinam suam fulcit [1) 2) *b*) α, β].

Modus autem, quo primum argumentum illustrat, solide confirmat doctrinam de virtute apologetica miraculorum: « Ordo naturae in operatione miraculorum praetermittitur « propter fidei confirmationem ».

Utrum autem haec duo argumenta sufficiant ad confutandam primam e tribus sententiis a nobis superius expositis, quaestio est, vix ab eiusdem sententiae patronis affirmative solvenda. Etenim admittunt illi, tum ordines hierarchicos per gratiae munera constitui, tum ordinem gratiae nullum sibi habere superiorem; quin ideo sententiam suam relinquere cogantur. - Alterum autem argumentum, ex dignitate Angelorum et Archangelorum petitum, potius invertunt, dicentes, nullum, neque supremum Angelum nimis dignum esse, quam ut ad munus excelsum a Deo digne mitti possit.

Et sane, si tanta est celsitudo finis hominibus reservati, ut sint ex eis praedestinati ad omnes ordines angelicos, cur Angelo ad sublimiorem etiam gradum pertinente esset indignum mitti ad hominem eidem gradui per gratiam inserendum?

Equidem puto, ex una parte, Scripturae, saltem obvio sensu intellectae, magis esse consonam sententiam primam; at ex altera parte, rationes theologicas sat graves in favorem tertiae militare censeo. Quare in hoc argumento malo haerere dubius, quam de re dubia alterutram sententiam propugnare uti certam, aut certitudini proximam. Media autem sententia a prima sententia discrete intellecta vix differre videtur.

ARTICULUS III.

UTRUM OMNES ANGELI, QUI MITTUNTUR, ASSISTANT.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Locus Danielis superius allatus fundamentum praebet notissimae in angelologia distinctioni inter Angelos assistentes et administratores. De qua distinctione duplex praesertim quaestio moveri potest: *a*) utrum iidem sint Angeli, qui iuxta circumstantias sint modo assi-

stentes, modo ministratores; *b*) utrum ministratores, dum ministrant, simul assistant.

2) Prioris quaestionis solutio pendet a solutione quaestionis in articulo praecedenti discussae. Etenim si vera sit sententia prima, dicendum est, Angelos omnes posse modo assistere, modo ministrare. Nec contraria est sententia Danielis. Propheta enim vidit Angelos alios ministrantes, alios, eosque plures, assistentes; sed non adiungit, in duas veluti species, iuxta utrumque munus, Angelos distribui.

3) Sed, etiam in hac prima sententia, superest investigandum, utrum ministrantes sint simul assistentes. Solvitur autem quaestio ope distinctionis. Assistere enim dici possunt Angeli triplici ex ratione: *a*) ratione visionis divinae; *b*) ratione loci; *c*) rationi loci et officii. *a*) Ratione visionis, quum omnes Angeli, etiam terram ob munus sibi commissum peragrantes, non desinant videre essentiam Dei, utpote universi immensitatem implentis. - *b*) Ratione loci potest dici et assistens Satanas, qui in narratione libri Iob exhibetur tanquam inter Angelos assistentes instrusus. - *c*) Ratione loci autem simul et officii non dicuntur assistentes nisi illi, qui propinquiores adsunt divinae maiestati, utpote primos divinae lucis radios excipientes, sublimioresque ei laudes decantantes. Unde hoc ultimo sensu, maxime in sententia a S. Thoma in articulo praecedenti vindicata, Angeli qui ministrant, licet ministrantes Dei essentiam contemplari non disinant, simul tamen non assistunt; nisi in sensu latiori, quatenus, iuxta aliam sententiam, sunt ex ordine assistentium.

Exemplum desumi potest a Curia EE. Cardinalium. Etenim Cardinales, qui in Urbe degunt, peculiari modo assistentes dici possunt; nec ideo ille Purparatus, qui in longinquam regionem a Summo Pontifice legatus mitteretur, per legationis tempus hunc titulum amittere dicendus esset.

II. **Ad Textum**. - *1. Obi.* Procedit iuxta primam rationem assistentis.

2. Obi. Locum istum S. Thomas, in hoc sibi constans, interpretatur iuxta eumdem modum assistendi. Aliter hanc sententiam explicant, qui putant, Angelos e superioribus quoque gradibus mitti. Imo isti ex hac Raphaëlis sententia magnum

argumentum desumunt. Et re quidem vera, cur se diceret Raphaël unum ex septem adstantibus, nisi speciali modo adstaret?

3. Obi. Arguit ex secundo sensu superius explicato 3) *b*).

4. Obi. Est argumentum omnino ex opposito respondens obiectioni quartae articuli praecedentis. Solvitur vi eiusdem principii ad primam hierarchiam applicati.

Sed contra est. Adverte, ex hoc textu nihil sequi contra primam sententiam in articulo praecedenti expositam.

In Corpore. En schema huius doctrinae.

Angeli qui mittuntur,	1) non assistunt, si intelligitur assistentia de dignitate speciali superioris hierarchiae:	*a*) omnes sunt Deo proximiores, *b*) in gradibus utique suis, *c*) unde vocantur assistentes;
	2) assistunt, si intelligitur simpliciter de praesentia in conspectu Dei per visionem:	*a*) omnes vident essentiam Dei, *b*) at inferiores ad ministeria deputantur, *c*) unde vocantur administratorii.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANGELI SECUNDAE HIERARCHIAE MITTANTUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Superest ut limes determinetur inter assistentes Angelos et ministrantes, saltem iuxta sententiam eorum, qui existimant, superiores Angelorum gradus non esse ministrantium; verbo, iuxta sententiam, quam S. Thomas in articulo secundo huius Quaestionis praetulit.

2) Etenim iuxta hanc sententiam extra controversiam est, ex una parte, Angelos hierarchiae superioris, id est, Seraphim, Cherubim et Thronos esse assistentes, ac proin non esse ministratorios; ex altera parte, compertum est, Angelos, Archangelos et Virtutes (in enumeratione Gregoriana), vel Principatus (in enumeratione Dionysiana), esse ministratorios.

3) Quid autem de Angelis secundae hierarchiae? Equidem fateor, iuxta ternae hierarchiae synthesim superius ex Dionysio acceptam, Angelos secundae hierarchiae non posse dici mitti in sensu stricto vocis; unde non sunt vere ministrantes, nisi Angeli hierarchiae tertiae. At aliter se habet res in distributione S. Gregorii, quam S. Thomas heic potius sequi

videtur. Unde ex secunda hierarchia sunt quidem ministrantes Angeli: secundi et tertii ordinis; sed non primi, scilicet Dominationes, quippe quorum nomen non convenit ministerium exercenti.

4) Sane non recuso doctrinam. Sed, quaeso, nonne haec doctrina valde inficit synthesim triplicis hierarchiae Dionysianae? Si enim inter novem Angelorum ordines quatuor sunt assistentes, quinque ministrantes, quidni dividuntur potius in geminam hierarchiam assistentium et ministrantium? Aut si revera non nisi infima hierarchia respicit ordinem executionis, quidni ministrantes ad hanc hierarchiam limitantur? Haec, sincere dicta, confirmant quod superius monebamus: Gregorium non modo doctrinam triplicis hierarchiae non propugnasse, sed imo Angelorum ministeria per ordines distributa ita illustrasse, ut cum hac triplici hierarchia vix concordet.

5) Fatendum tamen est, S. Thomam concordiam in doctrina sua sat bene servare dicendo, Dominationes non esse quidem directe ministrantes, sed tamen ministrantibus immediate praeesse; unde possunt pertinere ad novam hierarchiam, distinctam ab hierarchia assistentium.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 5.

2. Obi. Procedit iuxta interpretationem sat arbitrariam S. Gregorii Magni. Sane textus Danielis si urgeatur iuxta distinctionem absolutam inter assistentes et ministrantes, ostenderet, proportionem inter assistentes et ministrantes esse sicut mille ad unum; quod videtur excessivum, si intelligitur de proportione inter assistentes et ministrantes ordinibus separatis distributos; potest tamen facilius accipi, si Angeli dicantur ministrantes vel assistentes, non quatenus ad unos vel alios absolute pertinent, sed quatenus de facto ministrant vel assistunt.

Placet audire ipsum Gregorium: « Aliud est assistere, « aliud ministrare. Assistunt enim procul dubio Potestates, « quae ad quaedam hominibus nuntianda non exeunt. Mini« strant vero hi, qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. « Sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non rece« dunt. Et quia plures sunt qui ministrant, quam hi qui prin-

« cipaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, « ministrantium vero infinitus ostenditur » [1].

Equidem non puto, ex hoc loco deduci posse doctrinam S. Gregorii consonam doctrinae Dionysii et S. Thomae. Etenim Gregorius heic non dicit, ex quonam ordine desumantur ministrantes. Imo quum plures dicat esse ministrantes quam assistentes, potius insinuat, ministrantes a pluribus saltem ordinibus sumi. Nec urgenda est alia sententia Gregorii: « Hi qui minima nuntiant, Angeli; qui vero summa annun- « tiant, Archangeli vocantur » [2]. Nam aliud est esse ministrum, aliud nuntium.

Imo ipse Gregorius indicare videtur, Angelos posse indiscriminatim in officio mitti, ubi ait: « Sancti illi caelestis « patriae spiritus semper quidem sunt spiritus; sed semper « vocari Angeli nequaquam possunt; quia tunc solum sunt « Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur » [3].

Sed contra est. Esto, iuxta Dionysium, Dominationes non pertinere ad ministrantes; sed, nonne iuxta synthesim hierarchicam eiusdem, ministrantes proprie contrahendi sunt ad hierarchiam tertiam?

In Corpore. En doctrinae schema.

- Quum nomina Angelorum significent eorum habitudinem ad ministerii munus,
  - I) non mittuntur *Dominationes,* nomen enim dicit oppositum;
  - II) mittuntur autem
    - 1) e secunda hierarchia
      - *a) Virtutes*
      - *b) Potestates*
      - nomina vim exprimunt ad agendum;
    - 2) omnes tertiae hierarchiae
      - *a) Principatus* - primi in agendo;
      - *b) Archangeli* - nuntii maiores;
      - *c) Angeli* - nuntii minores.

Ob rationes superius allatas a brevissima totius Quaestionis abstinemus.

[1] *Mor.* XVII, c. 9.

[2] Homil. XXXIV in Evang.

[3] Ibid. - Eodem prorsus modo arguit auctor Commentarii ad epist. ad Hebr., olim S. Ambrosio adscripti, arguens ex verbis superius citatis S. Pauli.

CAPUT III.

DE MINISTERIO ANGELORUM.

Duplici parte hoc Caput constat: quaeritur enim de ministerio Angelorum tum bonorum, tum malorum.

1) DE CUSTODIA BONORUM ANGELORUM.

QUAESTIO CXIII.

Ordo Quaestionis sequenti schemate illustratur.

- Quaeritur
  - I) *factum* (art. 1);
  - II) *modus* facti:
    - 1) quoad custodientes et custoditos:
      - *a*) an singuli singulos (art. 2),
      - *b*) an ex ultimo dumtaxat ordine (art. 3),
      - *c*) an omnes homines (art. 4);
    - 2) quoad modum custodiendi:
      - *a*) quando custodia incipiat (art. 5),
      - *b*) an constans (art. 6),
      - *c*) an cum dolore de cliente perdito (art. 7),
      - *d*) an cum lucta inter custodes (art. 8).

ARTICULUS I.

UTRUM HOMINES CUSTODIANTUR AB ANGELIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Inter ministeria Angelis commissa adnumerandam esse hominum custodiam Angelis demandatam, patet disertissimis testimoniis Scripturarum, expressa traditione Ecclesiae, et ratione theologica.

1) *Scriptura* tam aperte hanc veritatem proclamat, ut ad fidei depositum pertinere sit dicenda. Sane, ut gemino testimonio et facto utar ex utroque Testamento desumpto, - in psalmo XC haec leguntur: « Angelis suis mandavit de te: ut « custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt « te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum » [1]; et S. Pau-

[1] Ps. xc. 11, 12.

lus, rationem huius minutissimi ministerii exponens, dicit: « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi « propter eos, qui haereditatem capient salutis » [1]. Factum vero ostendunt tum peregrinatio Raphaëlis Tobiae divinitus in comitem dati [2], et liberatio Petri per Angelum a carcere erepti [3]. Plura testimonia Scripturarum inferius adducemus, ubi extensionem angelicae custodiae investigabimus.

2) *Patrum* consensum hac de re ostendere supervacaneum est. Nullus enim est qui hanc veritatem ut dubiam exposuerit; imo disertissime hanc veritatem proclamarunt. « Magna dignitas animarum, exclamat S. Hieronymus, ut « unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui « Angelum delegatum » [4]. Dubia quidem mota sunt, utrum Angeli mittantur ex omnibus ordinibus, singuli ad singulos homines custodiendos, eosque omnes; at in genere Angelos in hominum custodiam mitti, nemo unquam in incertum vocavit.

Quare et *Liturgia* hanc veritatem uti inconcussam exhibet. Satis sit primam afferre stropham hymni festi SS. Angelorum custodum:

« *Custodes hominum psallimus Angelos,*
« *Naturae fragili quos Pater addidit*
« *Caelestis comites, insidiantibus*
« *Ne succumberet hostibus* ».

S. Bernardus, cuius sermo 12. in ps. XC in eodem festo legitur, adductis verbis superius allatis, eloquenter exclamat: « Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre « devotionem, conferre fiduciam: reverentiam pro praesentia, « devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia ». Et pergit unctuose evolvens haec tria, de quibus infra sermo recurret, ubi officia nostra in Angelos custodes breviter exponemus.

Caelestibus hisce deputatis plura nomina Patres tribuunt ad varia eorum munera exprimenda. Appellant eos φύλακες,

[1] Hebr. I, 14.
[2] Tob. passim.
[3] Act. XII.
[4] In Matth. XVIII, 10.

παιδαγωγοί, παιδονόμοι [1], διδάσκαλοι [2], episcopos, pastores gregum [3], pedissequos [4].

Imo non deerant scriptores Christiani, qui doctrinae ethnicorum forsan nimium imbuti, multiplicabant officia Angelorum etiam ante illorum nativitatem quorum curam erant gestaturi. Ita Tertullianus describit Angelos formationi foetus in utero materno praepositos [5], quos γενεθλίους δαίμονας Graeci philosophi vocare solebant [6].

3) *Ratio* theologia hanc custodiam evincit. Etenim *a*) si revera constat Angelos ad terram mitti, non possunt non mitti ad homines, imo propter homines. Nam sicut homo est praeter Angelos nobilissima omnium creatura, ita totum ministerium Angelorum circa mundum debet ad hominum custodiam maxime ordinari. Oportet igitur ut de hominum sorte Angeli sint solliciti, ex mandato de custodiendis hominibus divinitus recepto.

b) Adde iam, uti vidimus, homines ad Angelorum consortium destinari [7]. Quomodo ergo possent Angeli esse indifferentes circa futuros suos concives gloriaeque comparticipes?

Vicissim ex revelata doctrina de Angelorum custodia, argumentum efficacissimum deduci potest ad consortium supernaturale inter homines et Angelos vindicandum. Eloquenter Bossuetius in exordio concionis de Angelis custodibus, - quae esset ob singularem ubertatem doctrinae ex integro citanda, - hanc relationem evolvit: « Puisque nous voyons « ces esprits bienheureux, destinés à notre conduite, venir « converser avec les hommes et se faire leurs compagnons « et leurs frères; puisque l'amour chaste qu'ils ont pour les « hommes leur fait quitter le ciel pour la terre, et trouver

[1] S. Bas. *(De vera virg.; de Spir. S.* c. 13).

[2] *Lib. de commun. essent.*

[3] S. Ambrosius (In Luc. ii, c. 2); S. Hieronymus (In Is. c. 14); Eusebius *(Dem. Evang.* l. iv).

[4] S. Bernardus (*In Cant.* serm. 31).

[5] *De anim.* c. 37.

[6] Ex haec doctrina ex praeiudicio Platonico male intellecta, Philo Iudaeus tribuebat ipsis Angelis totam formationem creativam hominum, quippe natura sua malorum nimis, quam ut conditorem immediatum haberent ipsum Deum *.

[7] Hanc rationem pulchre illustrat S. Augustinus (In Ioann. tr. xxiii, n. 5).

* *De confus. ling.*

« leur paradis parmi nous, ne devons-nous pas reconnaître « qu'il y a quelque chose en l'homme qui l'approche de ces « esprits immortels, et qui est capable de les inviter à se « réjouir de notre alliance? » Et sane hanc communionem caelestis haereditatis S. Paulus uti rationem assignat ob quam Angeli hominibus ministrent.

Mirum inde non est, et ethnicos philosophos hanc veritatem aperte agnovisse, hominibus singulis Genios tribuentes in tutelam. « Genius est Deus, cuius in tutela, ut quisque « natus est, vivit » [1]. Ita Censorinus quocum concordant passim tum Graeci tum Latini; quorum plures mox afferemus. Imo tantopere hos deos multiplicabant de omni re sollicitos, ut in hanc exaggerationem Prudentius satirico carmine invexerit.

« Quamquam cur Genium Romae mihi fingitis unum?
« Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
« Adsignare suos Genios, perque omnia membra
« Urbis, perque locos Geniorum millia multa
« Fingere, ne propterea vacet angulus ullus ab Umbra » [2].

Sed hi excessus, et ipsi caute cohibendi, doctrinam sanam de Angelorum custodia nedum infirment, potius supponunt ac indirecte fulciunt.

Ex dictis patet, quam vere dicere potuerit Paschasius Ratbertus: « Nulli dubium esse credo, et ex auctoritate divinarum « Scripturarum firmatum, Angelos in ministerio esse positos « eorum, qui haereditatem recepturi sunt aeternae vitae » [3].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Exaggerat dominium humanae libertatis, et insitam virtutem ingenii humani. Cf. addenda in *Sed contra est.*

2. Obi. Est instantia, quatenus, etsi solutio praecedentis obiectionis demonstrat custodiam homini necessariam; nondum tamen probat necessitatem ut per Angelorum ministerium praestetur. S. Thomas solvit obiectionem distinguendo id quod Deus facit immediate, infundere scilicet gratiam et virtutem; et id quod praestat per Angelos: non

[1] *De die natali,* c. 3.
[2] *Ctr. Symm.* II.
[3] In MATTH. l. VIII.

quasi id non posset praestare per se, sed quia harmoniose ita fluit ex organica compagine universi.

3. Obi. Arguit ex perditione tot peccatorum, ac si deberetur custodibus. Si valeret haec argumentatio, valeret contra ipsam providentiam Dei.

Sed contra est. Vide textus allatos in initio tractatus de Angelis, et in principio huius articuli; necnon in decursu huius Quaestionis addendos.

In Corpore. De Patrum doctrina iam aliquid diximus, plura in sequentibus addemus. « Angelos in omnibus actionibus « nostris fautores habemus, ait S. Cyprianus » [1]. Et S. Ambrosius: « Mittit Dominus Angelos suos ad defensionem eorum, « qui haeredes futuri sunt promissionum caelestium » [2]. Nec ullus e Patribus de hac doctrina dubitat, quin tamen omnes eadem eam ubertate proponant. Quare non sine iniuria nuper scripsit Turmel [3], Augustinum fuisse in doctrinam de Angelis custodibus minus propensum, propter suum systema de gratia infallibiliter victrici; Cassianum vero, propter suum semi-pelagianismum, doctrinae de Angelorum custodia novum impulsum dedisse. Qui scripta Augustini attente pervolvit, huic assertioni subscribere nullatenus potest [4]. Nonne, v. gr. in libro *de Correptione et Gratia* Hipponensis Doctor totus est in hoc, ut efficaciam gratiae internae cum vera utilitate correptionis componat? Nonne idem de Angelorum custodia dicendum est? Imo quo magis urgetur debilitas hominis sibi relicti, eo magis praedicatur utilitas ut a superiori virtute firmitatem accipiat.

Quod autem in Cassiani doctrina corripit Prosper, nullatenus est ipsa custodia angelica, sed modus quo exhibetur. Cassianus enim non solum dicit, iuxta Pastorem Hermae, unicuique homini adesse spiritum malum sicuti et bonum; sed hominem inter hos duos spiritus positum per vires proprias, vi liberi arbitrii eligere bonum vel malum, ita ut in electione boni non satis tribuat gratiae [5]. « Et idcirco, ait,

[1] Epist. 44.

[2] Serm. 1. in Ps. CXVIII.

[3] *Hist. de l'Angel. des temps apostol. à la fin du* V : s. - p. 534, sqq.

[4] Cf. textus S. Augustini afferendos in Appendice de cultu Angelis debito.

[5] Hoc ultimum non satis perspexit Henricus Cuyckius in suis adnotationibus in Cassianum.

« manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam « Dei possit negligere vel amare » [1]. Unde iure merito reprobat Prosper, ita « omnem hominem naturali iudicio et « propriae discretioni esse commissum, ut ei non plus a Deo « praesidii, quam a diabolo sit periculi ». Ibi vitium. De ipsa autem Angelorum custodia inter Cassianum et Prosperum, tanquam de re extra omnem controversiam posita, conveniebatur.

In Corpore. Accipe argumenti schema.

- Homines ab Angelis custodiri, probatur
  - I) ex auctoritate
    - 1) Scripturae,
    - 2) Patrum,
    - 3) Ecclesiae;
  - II) ex ratione:
    - 1) ex ordine universali:
      - *a*) decet mobilia per immobilia firmari,
      - *b*) ita corpora superiora, et ratio per principia firmantur;
    - 2) ex conditione hominis:
      - *a*) custoditur homo
        - α) immediate a Deo quoad infusionem virtutis,
        - β) mediante Angelo quoad manifestationem agendorum;
      - *b*) indiget hac custodia
        - α) ob passiones animae,
        - β) ob ignorantiam legis, saltem in particulari;
      - *c*) sub hac custodia
        - α) liber manet,
        - β) quare eius perditio est ipsi, non Angelo tribuenda.

De officiis Angelorum plura dicemus in articulo quinto.

ARTICULUS II.

UTRUM SINGULIS HOMINIBUS SINGULI ANGELI AD CUSTODIAM DEPUTENTUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - Iam alterius premenda est doctrina in praecedenti articulo exposita, investigando primo utrum haec custodia angelica sit aliquo modo generalis; an insuper talis, quae singulis hominibus singulos Angelos assignet. Quam quaestionem illustrabimus ex Scripturis, ex Patribus, ex Liturgia, ex ratione theologica.

[1] *Collat.* XIII, c. 12.

1) Scriptura sat clare indicat, custodiam Angelorum non esse dumtaxat generalem, sed ita peculiarem, ut personalis et singularis dici possit.

Sane, si verba psalmi XC premantur, potius suadent, singulis hominibus plures dari Angelos, quam e converso. Angeli enim ibi ponuntur in plurali, homo autem custodiendus in singulari. Sed intentio psalmistae est manifesta. - In Novo Testamento, si verba S. Pauli ad Hebraeos non sufficiunt ad praesentem instantiam apodictice demonstrandam, hoc evincunt verba Christi: « Videte, ne contemnatis unum « ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in « caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est » [1]. Cur ne unus quidem ex his pusillis scandalo potest exponi, nisi quia unusquisque habet suum Angelum, utique suum, quia custodem? Sane haec est huius loci interpretatio naturalis et obvia. Quae evadit adhuc certior, si hic locus cum altero loco psalmi confertur.

Quare putamus, Calvinum vim huius sententiae Christi sat leviter impugnasse, ubi ait, « infirmum esse quod hunc « locum ita quidam accipiunt, quasi Deus singulis fidelibus « proprios Angelos attribuat. Neque enim sonant verba Chri- « sti, Angelum unum huic vel illi perpetuo addictum esse; « idque cum tota Scripturae doctrina pugnat, quae testatur « Angelos castra metari in circuitu piorum, et non nisi tan- « tum Angelo, sed plurimis mandatum esse, ut quemque « fidelium tueantur » [2].

Sed si doctrina de custodibus singulis pro singulis hominibus esset contra Scripturam, quomodo tam vulgata fuisset apud primaevos Christianos, ut de Petro a carcere mirabiliter liberato dixerint [3]: Angelus eius est? [4] Et sane Patriarcha Iacob Angelum suum agnovit dicens: « Angelus, « qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis » [5].

[1] Matth. xviii, 10.

[2] Hanc doctrinam de Angelis custodibus, qualem Ecclesia tenet, passim agnoverunt Deformatores saeculi XVI, uti, praeter ipsum Lutherum, ex Ariminianis Grotius, e Socinianis Wolzogenius, e Calvinianis Hieronymus Zanchius.

[3] Act. c. xii.

[4] Gen. xlviii, 16.

[5] Iud. xiii, 20. Fateor tamen, hunc locum esse minus efficacem, nam ad opus extraordinarium custos quidam specialis deputari potuit. Unde optime fieri potest

Iudith pariter proclamat se per totum iter ab Angelo custoditam, cur non suo? [5].

Concludamus dicendo, doctrinam de singulis custodibus pro singulis hominibus ex Scripturis, si non omnino apodictice demonstrari, validissime tamen erui.

2) Porro *Patres* ita Scripturas illustrarunt. Praeter testimonia in praecedenti articulo allata, quorum plura, uti verba S. Hieronymi, praesentem quoque doctrinam illustrant, iuvat quaedam alia adducere. Origenes, arguens ex verbis « Ange- « lus eius est », ait: « Ergo intelligitur esse alius Pauli Ange- « lus, sicut et Petri, et alius alterius Apostoli et singulorum « per ordinem » [1]. Et alibi idem ait: « Adest unicuique no- « strum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus « bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui guber- « net, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus « exposcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in caelis « est » [2]. – S. Methodius affirmat, « unumquemque curatori- « bus Angelis committi » [3]. Diserte idem docet S. Basilius: « Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus, tanquam « paedagogus aliquis et pastor, vitam gubernans, nemo con- « tradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: " Ne « contemnatis etc. " Et Psalmista dicit: " Castrametabitur « Angelus Domini in circuitu timentium eum etc. " » [4]. Ecce S. Basilius arguit ex hoc ipso loco, quem Calvinus adducit ut ostendat, doctrinam Patrum hac in re Scripturis adversari.

Corroboratur haec Patrum doctrina per omnia testimonia, in quibus, - ethnicos philosophos nimis facile sequentes, - affirmant, unumquemque habere a nativitate duplicem assidentem spiritum, bonum alterum, alterum malum. Quam doctrinam a Pastore Hermae mutuatus est [5] Origenes, qui haec habet: « Quod (haec scilicet de gemino spiritu doctrina) si cui dis-

plures Angelos de eodem homine esse sollicitos, quin inde negandum sit, singulis custodiendis assignari singulos custodes.

[1] Homil. 11 in Num.

[2] Homil. 20 in Num. — Alibi ex verbis ps. CIV.: « Benedic anima mea Dominum, « *et omnia quae intra me sunt nomini Sancto eius* » arguit ad ostendendum, unumquemque habere plures in se virtutes seu Angelos custodes.

[3] *Sym. de castit.* apud Damasc. tit. 53.

[4] *Ctr. Eunom.* III.

[5] Adde excessus libri Henoch.

« pliceat, transeat ad volumen, quod titulo Pastoris scribi-
« tur, et inveniet, cunctis hominibus duos adesse Angelos,
« malum, qui ad perversa exhortatur; et bonum, qui ad optima
« quaeque persuadet » [1]. Quae doctrina appellatur a Gregorio Nysseno: « Sermo ex maiorum traditione fidem sibi vin-
« dicans »[2]. Auctor imperfecti operis in Matthaeum expresse ait: « Duo sunt Angeli permanentes cum hominibus, scili-
« cet bonus et malus ». Et pergit utriusque actionem ita describens: « Quamdiu circa nos est Angelus bonus, nun-
« quam nos in tentationem potest impellere Angelus malus.
« Secundum dispensationem autem Dei recedit aliquantulum
« Angelus bonus; magis autem non recedit, sed abscondit se,
« invisibilem se reddens ante diabolum: quoniam, nisi volue-
« rit Angelus bonus, a diabolo non videtur. Substrahit ergo
« se ut det diabolo licentiam tentandi, et stans expectat ten-
« tationis eventum » [3]. Iam vidimus quomodo Cassianus sub influxu huius gemini spiritus liberum arbitrium hominis salvet. Haec non dicta sint ad doctrinam de hoc gemino spiritu vindicandam, sed ad inde demonstrandum, quantopere concordes scriptores sacri unicuique homini spiritum bonum tribuerint.

Quae sane erat et doctrina Philosophorum. Ex Graecis Menander ait: « Unicuique Genius viro adstat - statim nato,
« mystagogus vitae - bonus » [4]. Et Orpheus duos praedicat:
« da emonemque divinum, et daemonem noxium mortalibus » [5]. E Latinis Seneca affirmat, hanc esse Stoicorum doctrinam:
« Unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem
« ordinarium; sed hunc inferioris notae, ex eorum numero
« quos Ovidius ait de plebe deos ». Geminum autem genium bonum et malum singulis adesse, breviter dicit Servius:
« Quisque suos patimur manes » [6].

3) *Liturgia* in festo SS. Angelorum Custodum sat expresse doctrinam exhibet de singulis Angelis ad singulorum custodiam missis. Vocantur enim naturae fragili a Patre additi

[1] Homil. 81 in Luc.
[2] *De vita Mos.*
[3] Homil. 5.
[4] Ap. Euseb. *(Praepar. evang.* l. 12).
[5] *Hymn. ad Mus.*
[6] In 6 Æneid.

« comites; insidiantibus ne succumberet hostibus ». Inde oratur:

« *Huc custos igitur pervigil advola,*
« *Advertens patria de tibi credita,*
« *Tam morbos animi quam requiescere*
« *Quidquid non sinit incolas* » [1].

Et Deo dicitur:

« *Tuusque nobis Angelus*
« *Signatur ad custodiam*
« *Hic adsit a contagio*
« *Qui criminum nos protegat* » [2].

Quae sane omnia insinuant, divinitus dari singulis singularem costodem. Adde iam sermonem S. Bernardi in hoc festo recitandum, qui hanc doctrinam eloquentissime illustrat [3].

4) *Ratio theologica* eamdem veritatem corroborat. Et sane quum, ex una parte, multitudo Angelorum, iuxta superius dicta, longe superexcedat numerum hominum simul in stadio viae existentium [4], et, ex altera parte, dignitas uniuscuiusque hominis, propter animam immortalem ad Dei consortium una cum Angelis destinatam, sit aliquid supereminens omnem creaturam materialem, non apparet ratio, cur, posita veritate custodiae hominum Angelis demandatae, non singuli homines a divina bonitate haberent sibi addictos custodes singulos.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit. *a*) Non distinguit inter custodiam hominis uti singularis, et hominis uti partis cuiusdam collegii [5]; - *b*) non attendit ad occultam rationem, ob quam unusquisque homo est quoddam totum, cui specialis custodia debeatur.

[1] Hymn. ad Vesp.

[2] Hymn. ad Laudes.

[3] Serm. 12 in ps. xc. Hic sermo integer esset adducendus, dignus plane non attenta dumtaxat lectione, sed frequenti meditatione.

[4] Hoc sufficit, nam quid prohibet, unum eumdemque Angelum plures habere non simul, sed successive clientes? Unde nec valet ratio ex numero Angelorum petita, etiam in sententia S. Gregorii M., iuxta quam numerus Angelorum exaequat numerum electorum. Difficultatem ex numero Angelorum collato cum numero electorum, iam moverunt Hugo Victorinus * et Lombardus **. Augetur sane in sententia eorum, qui custodiam ad inferiores ordines limitant, uti S. Thomas; qui tamen, uti mox videbimus, difficultatem ex numero petitam facile solvit.

[5] De hac custodia generaliori in proxima appendice data opera agetur.

* Sent. II, 6; *De Sacram. I*, v. 31 in fine.
** II Dist. XI, 3 in fine.

2. Obi. Iam bis vidimus difficultatem sub hac forma positam. Solvitur obiectio per comparationem cum ipsa interna vita hierarchiae angelicae.

3. Obi. Praetermittit inaequalitatem hominum ex parte donorum divinorum et praedestinationis.

Sed contra est. Ob concordiam traditionis de praesenti argumento Paschasius Radbertus, in sententia, cuius prima verba in praecedenti articulo attulimus, affirmat, esse extra dubium Angelos in custodiam mitti, « in tantum ut et sin- « guli suos habeant Angelos » [1].

In Corpore. En doctrinae schema.

- Singulis hominibus singulos Angelos deputari,
  - I) docet auctoritas:
    - 1) Scripturae,
    - 2) Patrum,
    - 3) usus Ecclesiae;
  - II) suadet ratio:
    - 1) homo habet defectibilitatis rationem non solum uti species, sed uti individuum;
    - 2) quare sicuti ad varias species rerum corporalium, ita se habent Angeli ad singulos homines;
    - 3) quin et unus homo potest habere sibi plures Angelos deputatos:
      - *a*) ratione personae,
      - *b*) ratione collegii;
    - 4) nec obest inaequalitas custodum, nam custoditi sunt
      - *a*) aequales quidem natura,
      - *b*) sed inaequales donis et praedestinatione.

ARTICULUS III.

UTRUM CUSTODIRE HOMINES PERTINEAT SOLUM AD INFIMUM ORDINEM ANGELORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duo supersunt quaerenda: *a*) utrum deputentur omnes Angeli custodes; *b*) utrum ad omnes homines custodiendos. De priori quaestione in praesenti articulo agitur, de altera in sequenti breviter tractabitur.

1) Solutio quaesiti partim pendet a solutione data superius quaesito de Angelorum missione. Quum enim custodia sit species missionis, si non mittuntur nisi Angeli ordinum

[1] Cf. *Catechism. Rom.* (P. IV, c. 9, n. 4).

inferiorum, id est, - iuxta S. Thomam, - ordinum quinque inferiorum, evidens est, non omnes Angelos mitti in custodiam. Quare non superest in hac sententia nisi quaestio, utrum ex omnibus istis quinque ordinibus in custodiam mittantur, an solum ex ordine inferiori. Et S. Thomas solvit quaesitum distinguendo inter custodiam singularem et universalem. Singularis custodia, iuxta S. Doctorem, restringitur ad Angelos proprie dictos; generalis extenditur ad Angelos aliorum quoque ordinum, excepta prima hierarchia. Unde latius patet custodia generalis quam missio: quatenus Dominationes, etsi non mittuntur, habent tamen custodiam, sed bonorum spirituum. - Quid autem in Scripturis et apud Patres fundamenti habeat distinctio inter custodiam particularem et generalem, in fine articuli ostendemus.

2) Aliter autem praesens quaestio sese offert in sententia eorum, qui admittunt, Angelos in ministerium mitti omnes, etiam ex ordinibus supremis. Illi enim ultro pariter concedere possunt, Angelos omnes mitti in custodiam. Facile sibi desumunt argumentum ex verbis S. Pauli ad Hebraeos. Non enim solum dicit Apostolus, omnes Angelos esse ministratorios spiritus, sed expresse addit, « propter eos, qui haeredi- « tatem capient salutis », quod est praecise angelicae custodiae opus ac finis. Unde Gersonius putabat, esse haereticum « dicere, non omnes Angelos administratorios esse spiritus, « in ministerium pro hominibus, qui haereditatem adepturi « sunt salutis, datos » [1].

Corroboratur haec sententia per ea quae in Scriptura narrantur de Angelo Raphaële, qui se dicit unum ex septem qui adstant ante thronum; ergo, licet assistens, et quidem e supremis, nihilominus in custodiam est missus. Gabriel pariter se dicit adstare ante Deum [2]. Michaël autem passim vocatur princeps, ob praecelsam inter Angelos dignitatem [3]. Seraphim quoque ad Isaiam missus, de supremo ordine fuisse videtur.

En argumenta ex Scripturis deprompta a patronis alterius sententiae, quam certe et Patrum verbis non aegre fulciunt.

[1] *Trilog.*
[2] Dan. viii, 16.
[3] Dan. x, 13, 21; xii, 1.

Didymus, allata sententia Apostoli, ait: « Licet non omnes « singillatim invisibiles creaturae missae sint, tamen, quia « eiusdem generis et honoris aliae missae sunt, quodammodo « et ipsae possibilitate sunt missae » [1]. Ergo ex omni ordine mittuntur in custodiam. Nec aliter censent Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Teodoretus [2]. S. Hieronymus videtur in eadem fuisse sententia. De visione enim Isaiae haec scribit ad Damasum: « Quidam Graecorum in Scripturis « apprime eruditus, Seraphim virtutes quasdam in caelis esse « exposuit, quae ante tribunal Dei assistentes laudent eum, « et in diversa ministeria mittantur, maximeque ad eos, qui « purgatione indigent, et ob pristina peccata, aliqua ex parte « suppliciis purgari merentur » [3].

Auctor Commentarii epistolae ad Hebraeos, Ambrosio adscribi soliti, diserte affirmat, hic intelligendos esse non solos Angelos in sensu specifico infimi ordinis, « sed omnes virtu- « tes ministeriis supernis fungentes ». Primasius, obiectione contra assertum Paulinum mota ex distinctione, iuxta Danielem, inter Angelos ministrantes et assistentes, respondet: Angelum, dum mittitur non desinere a munere assistendi, quia « quocumque mittatur, intra Dominum currit, Domi- « numque semper praesentem habet, ideoque, ipsi qui mit- « tuntur, ipsi etiam et assistunt ei ». Et allato Didymo, concludit: « Omnes mittuntur, quia ex omnibus ordinibus mit- « tuntur, eiusdemque dignitatis sunt, qui mittuntur, cuius qui « assistunt » [4]. Inde dicit S. Bernardus, Isaiam vidisse Cherubim stantes et non sedentes; qui omnes sunt administratorii spiritus propter homines in ministerium missi [5].

Ex dictis patere censemus, sententiam quae dicit, ex omni ordine Angelos in custodiam mitti, sat valide ex Scripturis et ex Patribus corroborari. Nec puto contra hanc sententiam stringens posse afferri argumentum ex ratione theologica desumptum. Etenim dantur custodiae angelicae, sive particulari, sive generali, obiecta tam praecelsa, quae ministerium

[1] *De Spir. S.* I.
[2] Cf. Petavium (op. cit. l. II, c. 6. n. 11, 12).
[3] Epist. 152.
[4] Lege integrum locum ap. Petavium (l. c. n. 13).
[5] Serm. de S. Bened.

angelicum e summo quoque gradu non dedeceant. Sane num humanitati Christi ministrare, fuit indignum spiritibus Seraphicis? [1] Num de caelis mitti ad Christum in altaris mysterio adorandum, est infra dignitatem Thronorum vel Cherubim? Nonne potius tam expresse in Praefatione Missae invocantur, ut superne illapsi sacerdotis devotionem ardenti sua adoratione corroborent?

Si de Christo ad B. Virginem transitum facimus, num Reginae Angelorum ministrare, supremos etiam choros caelestes dedecet? [2] Quid de Ecclesia, Christi sponsa? Imo, si supremis quoque ordinibus caelestibus inserendi sunt Sancti sublimiori praedestinatione dotati, num indecens erit, ex eisdem choris Angelos futuris suis custodiâ patrocinari concivibus?

Equidem existimem, elevationem ad finem supernaturalem et consortium Dei-Hominis tantam humano generi contulisse dignitatem, ut, ob gratiae dona et gloriae praemia, proportio adsit inter homines et Angelos, non modo infimos, sed et superiores, servata gradatione per divinam Providentiam utrimque praefixa.

Haec tamen investigando potius quam docendo dicta velim, ob reverentiam debitam alteri sententiae, magna sane auctoritate suffultae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Petitur ex auctoritate S. Chrysostomi. Solutio S. Thomae magis est ad mentem Dionysii quam ipsius S. Doctoris.

2. Obi. Modus ponendi hanc obiectionem iam contrahitur ad doctrinam superius a S. Thoma expositam de Angelorum ministerio. Solutio petitur a distinctione inter custodiam generalem et peculiarem.

3. Obi. Solvitur ope distinctionis inter munus proprium et participatum.

Sed contra est. Haec argumentatio supponit, vocem « An« gelos » in hoc psalmo contrahi ad standum pro Angelis gradus infimi. Quod esset praecise demonstrandum.

[1] Quo sensu et quousque humanitas Christi custodem Angelum habuerit, mox videbimus.

[2] Haec sublimis excellentia B. M. Virginis una ex rationibus est, quae Immaculatam eius Conceptionem exigunt ac vindicant.

In Corpore. En doctrinae schema.

- Custodire homines
  - I) custodia *singulari*, pertinet
    - 1) ad solos *Angelos* proprie dictos:
    - 2) maiores vel minores iuxta hominum praedestinationem,
    - 3) ita ut de virtute superiorum participent quoad arcendos daemones, vel miracula patranda;
  - II) custodia *universali*, pertinet
    - 1) ad *Principatus* quoad humanam multitudinem,
    - 2) insuper ad *Archangelos*, at minori universalitate;
    - 3) ad *Virtutes* quoad omnes naturas corporeas,
    - 4) ad *Potestates* quoad daemones,
    - 5) ad *Dominationes* (vel Principatus) quoad inferiores Angelos.
    - (iuxta Greg. M.)

Appendix de custodia generaliori Angelis commissa.

Doctrina a S. Thoma in hoc articulo exposita supponit, Angelis non modo commissam esse custodiam singulorum hominum, sed etiam custodiam generaliori sensu intellectam. Placet igitur de hac custodia iuxta documenta Scripturarum ad mentem Patrum breviter disserere.

Ex Scripturis Patres passim docuerunt, Angelis committi, nomine Dei, gubernium non modo terrae universae, sed et singularum gentium, maxime autem populi Dei, ipsarumque Ecclesiarum.

1) Universam terram Angelis committi, Patres eruerunt ex verbis Danielis: « Videbam in visione mea nocte, et ecce « quatuor venti caeli pugnabant in mari magno » [1]; et Iobi: « Deus, cuius irae nemo resistere potest, et sub quo curvan- « tur qui portant orbem » [2]. Unde dicit Hieronymus: « Qua- « tuor ventos caeli quatuor arbitror angelicas potestates, qui- « bus principalia regna commissa sunt » [3]. Et alibi latius conceptum exprimens, Angelos ait « fundamenta terrae portare » [4]. Ruffinus haec habet: « Ab initio Deus, quum fecisset mun- « dum, praefecit ei et praeposuit quasdam virtutum caele-

[1] Dan. vii, 2.

[2] Iob. ix, 13. — Cf. Verba Pauli de Christo: « portans omnia verbo virtutis suae ». (Hebr. i, 3).

[3] In vii Danielis.

[4] In cap. xliv Isaiae.

« stium potestates, quibus regeretur et dispensaretur morta-« lium genus » [1]. Angelis istis, veluti cardinalibus mundum sustentantibus, ex opposito respondent illi, quos in excidium mundi, numero aequali, missos descripsit Ioannes [2]. Hoc sensu iam dixerat Philo Iudaeus, « columnis esse illos similes, quae « totas domus sustinent. Sic divinae illae virtutes mundum « universum et in humano genere id quod optimum ac Deo « carissimum est, fulciunt » [3].

2) Porro quod in universa terra regendum imprimis habent Angeli, sunt ipsi homines in populos iuxta Dei ordinationem divisi. Huc facit interpretatio communissima verborum cantici Mosaici: « Quando dividebat Altissimus gentes, « quando separabat filios Adam, constituit terminos populo-« rum iuxta numerum filiorum Israël » [4]. Iam diximus, LXX ultima verba huius loci vertisse: « κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ »; dum Symmachus, caeterique interpretes, iuxta hebraicum בְּנֵי יִשְׂרָאֵל habere υἱῶν Ἰσραήλ. Inde trita apud Patres doctrina, Deum totidem Angelis commisisse populorum gubernium [5]; quam doctrinam Origenes hoc axiomate contraxit: « pro meritis unicuique genti Angelorum statui principatum » [6].

Haec doctrina de populis Angelorum moderationi commissis illustratur egregie per visionem Danielis, in qua apparent Michaël, princeps populi electi, et principes Persarum atque Graecorum inter se colluctantes [7]. Verum est, quosdam Patres [8] principes istos Persarum atque Graecorum intellexisse de daemonibus, iuxta modum loquendi S. Pauli de sapienta, « quam nemo principum huius saeculi « cognovit » [9].

Sed plerique, cum S. Basilio et Gregorio Magno, dictum existimant id de Angelis bonis, ad invicem pacifice pugnantibus in favorem populorum sibi commissorum. Caeterum a

[1] *In symb. apost.*
[2] Apoc. vii.
[3] Lib. i in q. in Gen.
[4] Deuter. xxxii, 8.
[5] Lege plura testimonia a Petavio collecta (op. cit. l. ii, c. 8).
[6] Homil. 16 in Genes.
[7] Dan. x.
[8] Cf. Cassianum (coll. viii, c. 13).
[9] I Cor. ii, 8.

Clemente Alexandrino [1] haec doctrina de Angelis populorum custodibus apud Patres est omnino recepta. Unde Paschasius Radbertus eam extra omne dubium esse dixit [2].

3) Inter nationes autem angelico patrocinio divinitus commissas eminet prae omnibus electus populus Israël. Si enim nulla fuit alia natio tam grandis, quae deos tantopere sibi appropinquantes habuerit [3], nulla pariter fuit quam tanta cura, ut pupillam oculi, per Angelorum ministerium custodierit. Id significant verba illa prophetica Moysis: « Ecce ego mittam « Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et « introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi « vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittam « cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si au- « dieris vocem eius et feceris omnia quae loquor, inimicus « ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, praecedetque te « Angelus meus » [4]. Quae verba lucidissime totum munus exponunt Angeli custodis Israël. Et sane in decursu historiae huius populi saepius Angeli apparent contra inimicos Israël validissimo gladio pugnantes. Nec aliud significabat illa duplex columna nubis et lucis, quae per diem et noctem populum in itinere comitabatur, nisi validissimam Dei tutelam populum suum angelico ministerio iugiter foventem et saeculorum decursu ad Messiae tempora fide conducentem.

Iam vero maiori patrocinio Synagogae haeredem divinitus protegi Ecclesiam, quis dubitet? Quare Michaël ille, quem Daniel Israëlis propugnatorem audivit, potentiori virtute Ecclesiam contra hostes Christi tueri putandus est.

4) Nec satis. Haec angelica tutela extenditur ad Ecclesias singulas singulis custodibus speciali modo commissas. Id significant illi Angeli septem Ecclesiarum, de quibus loquitur Scriptura. « Secundum ea quae Ioannes in Apocalypsi « scribit, ait Origenes, unicuique Ecclesiae generaliter An- « gelus praeest » [5]. Et ne ab hac Scripturae expressione

[1] *Strom.* VI, 17; cf. S. HIER. (in *Dan.* X, 13); ORIG. (in Gen. hom. IX, 3); S. AUG. (in ps. LXXXVIII, 3).

[2] Loc. cit.

[3] DEUT. IV, 7.

[4] EXOD. XXIII, 20, sqq.

[5] Homil. 20 in Num. Minus probanda sunt verba sequentia: « qui vel collaudatur « pro bene gestis populi, vel etiam pro delictis eius culpatur ».

Episcopus excludatur, binos ait in Ecclesiis esse Angelos, invisibilem alterum, alterum visibilem [1]. Angelos praesse Ecclesiis, passim docent Patres. « Non solum Episcopos ad tuen- « dum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos desti- « navit ». Ita S. Ambrosius [2]. Et Gregorius Nazianzenus ait: « Nec enim mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum « praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi « Ioannes me docet » [3].

Porro, sicut Ecclesiae ita quoque Angelorum tutelae civitates committi, Patres existimant.

Non placet modus, quo Turmel de hac doctrina loquitur: « Avec la charge des nations et des villes les Anges reçu- « rent également la charge des églises. L'Apocalypse était « dès la fin du 1er siècle entrée dans cette voie » [4]. Imo plura in hac sententia parum decenti displicent. *a*) Apocalypsis non est ingressa in hanc viam, quasi arbitrariam et novam; sed inspirato sermone hanc veritatem expressit. – *b*) Angeli non receperunt haec munera a scriptoribus, quibus proprio capite placuerit haec illis tribuere; sed Scripturarum interpretatores haec Angelorum esse munera existimarunt. – *c*) Cura Ecclesiarum non est dumtaxat evolutionisticum consequens curae nationum et civitatum Angelis prius tributae; sed expressio veritatis, quae sub hac forma explicitiori in Scripturis occurrit.

5) Quin et ad ecclesias materiales, ad templa Deo dicata hoc patrocinium a Patribus declaratur extensum. Et iure quidem. Si iam olim in Sancto Sanctorum templi Hierosolymitani Cherubim arcae Legis veluti in figura supervolitabant; quanto magis sanctiora sanctuaria christiana decet patrocinio decorari angelico? Refert Iosephus [5], in excidio Urbis sanctae auditas esse voces Angelorum exclamantium: « Migremus « hinc! » Quo melius migrasse putandi sunt, quam in templa Ierusalem novae, id est Ecclesiae? Æquum igitur est existimari cuivis templo, dum ritu solemni Deo sacratur, Angelum quoque assignari custodem.

[1] Homil. 13 in Luc.

[2] In Luc. l. II.

[3] Orat. 32. Cf. Petavium (op. cit. loc. cit. n. 14).

[4] Cf. *Clemens Alex.* (loc. cit.); Greg. Naz. (*Poëm. dogm.* VII, 25).

[5] Op. cit. p. 539.

A templis haec custodia extensa est ad omnes Christianorum domus, utpote quas, iuxta orationem Completorii, Angeli sancti inhabitant.

6) Sed imprimis dum in templis peraguntur sacra, Angeli speciali modo advolare pie creduntur; ita ut nullus sacerdos altare conscendat Victimam divinam litaturus, quin, praeter proprium custodem, Angelo sacrificii stipetur. Nonne hic est forsan Angelus, quem post consecrationem sacerdos orat, ut hostiam sacrosanctam usque ad Dei thronum deferat? Quam pulchre sonant verba Liturgiae Iacobi Apostoli: « Christus Deus noster progreditur ut immoletur, ac detur in « cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori « cum omni Principatu et Potestate, Cherubim multicoli et « Seraphim sex alarum, facies velantia et cum clamore cla- « mantia hymnum » [1]. Quibus verbis ultima pars Praefationis apud Latinos respondet. Inde solemni assertione S. Ambrosius ait: « Non dubites assistere Angelum, quando Chri- « stus assistit, quando Christus immolatur » [2]. Et Chrysostomus eleganti sermone hos inducit Angelos pro nobis orantes: « Sic et Angeli tunc pro ramis oleaginis, ipsum corpus « Domini praetendentes, Domino supplicant pro humana na- « tura, ita fere loquentes: Pro his oramus, quos ipse prior « sic amare dignatus es, ut vel animam pro ipsis impen- « deres; pro his supplicationes effundimus, pro quibus san- « guinem effudisti; pro his oramus, pro quibus corpus hoc « sacrificasti » [3].

Ex quibus considerationibus, ad pietatem non parum conferentibus, patet quod, si iam Psalmista cecinit: « in conspectu « Angelorum psallam tibi », sacerdos potiori iure dicere possit: « in conspectu Angelorum tibi sacrificabo ipsam Ho- « stiam reconciliationis et laudis ».

[1] Inde symbolicum illud instrumentum, in quo Cherubim figurantur, et cuius dulcis sonus tempore sacrae actionis a ministris pulsatur, ad subtilem Angelorum praesentiam et suavia cantica significanda.

[2] Comm. in Luc.

[3] Homil. 3 *de Incomprehen.* Quam splendidum sit hoc testimonium ad fidem in praesentiam realem corporis et sanguinis Christi in Sacramento eucharistico demonstrandam, neminem fugit. — Cf. Tertull. (De orat. c. 12), et S. Basilium (in ps. xxviii).

Et haec de generaliori custodia Angelis commissa pro scopo nostro satis [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM OMNIBUS HOMINIBUS ANGELI AD CUSTODIAM DEPUTENTUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - Superest ut ambitum custodiae angelicae consideremus relate ad ipsos homines. Vidimus enim homines custodiri ab Angelis, imo singulos a singulis. Restat investigandum utrum isti singuli homines custodiendi, sint omnes homines, an solum quaedam pars magis privilegiata. De qua quaestione rursum Scripturas et Patres consulere iuvat, antequam theologicas rationes ponderemus.

1) *Scriptura* universalitatem huius custodiae insinuat per hoc ipsum quod formulis utitur generalibus eisque nullibi limitationem apponit. Sane verba Christi de pusillorum Angelis ita sunt generalia, ut nullum ex his pusillis excludant. Iam vero cur ex aliis pusillis quidam excluderentur? Nec argui potest, ad beneficium hoc restringendum, ex verbis S. Pauli « in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient « salutis » [2]. Nam qui nimis probat, nihil probat. Etenim stando sensui restrictivo verborum, nonnisi ad eos custodes deputarentur, qui re vera haereditatem capient salutis, id est, ad solos praedestinatos. Quod intolerabiliter dici, mox ostendemus. Ergo sensus sententiae Paulinae est, omnes Angelos ad homines deputari, quia homines, utpote destinati ad consortium caelestis haereditatis, ab Angelis sunt adiuvandi ut hunc finem felici exitu consequantur. Haec autem interpretatio optime componitur cum universalitate custodiae angelicae; imo exigit omnes homines ab Angelis custodiri, quia omnes ad finem caelestis beatitudinis destinantur.

Ex Scripturis igitur, nedum limitatio custodiae angelicae valide demonstretur, universalitas eiusdem efficacius eruitur.

[1] Mittimus sententiam Eusebii *, qui putat, Angelis omnibus universi custodibus praepositum esse, uti principem, unigenitum et primogenitum Verbum. Quae sententia Arianam haeresim nonnihil redolet.

[2] Hebr., loc. cit.

* *Demonstr.* evang. iv, c. 6.

2) Si *Patres* de hoc argumento consulimus, triplicis generis sententias apud eos reperimus, quarum aliae simpliciter, sine ulla restrictione, affirmant omnes homines ab Angelis custodiri; aliae hoc affirmant de fidelibus seu baptizatis; aliae dubie incedunt.

a) Ad primam classem pertinet sententia superius a S. Hieronymo allata, necnon Methodii dicentis: « unumquemque cu« ratoribus Angelis committi » [1]; Eusebii affirmantis: « Ange« lis unicuique ad custodiam datum » [2]; Gregorii Nysseni, et Cassiani, qui Angelum pariter assignat unicuique [3].

b) Ad secundam classem pertinent verba Didymi: « San« ctos ab lucidis Angelis custodiri; improbos autem a tene« bricosis » [4]; necnon verba S. Basilii: « Quod autem unicui« que fidelium adsit Angelus, » etc. [5]; et: « Unicuique fide« lium affixus est Angelus, dignus qui Patrem, qui in caelis « est, conspiciat » [6]. Huc pariter faciunt verba, quibus Paschasius Radbertus locum iam non semel allatum claudit: « Qua« propter nec negandum, quod unusquisque renatus in Chri« sto suum habeat Angelum custodem » [7].

c) Uti dubia habenda est, v. gr., sententia Origenis: « Con« stat ergo multos esse virtutes intra nos... » [8]; quum non appareat, quo sensu istud *nos* sit intelligendum, utrum intra nos baptizatos, an nos homines simpliciter. Ad priorem tamen sensum haec forma contrahitur in altera sententia eiusdem scriptoris: « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt « in Ecclesia Dei, Angelus bonus » [9].

Conclude, Patres non expresse hac de re sententiam suam exposuisse; aut saltem non omnes in eadem sententia fuisse. Animadvertendum tamen est, sententias in forma strictiori affirmantes, non ideo esse sensum universaliorem negantes.

3) *Ratio theologica* quaestionem solvit potius in favorem sententiae, quae angelicam custodiam ad omnes homines

[1] *Eclog.* ap. Damasc. *(Sumps. de castit.* 53).
[2] *De praepar. evang.* l. XIII.
[3] *De vita Mosis; Collat.* VIII, c. 17.
[4] Apud Damasc. ibid.
[5] Ctr. EUNOM. 3.
[6] Hom. in ps. XLVIII.
[7] In MATTH. l. VIII.
[8] Hom. 20 in Iosue.
[9] Homil. XX in Numer.

extendit. Et sane, ex una parte, omnes homines custodia ista indigent; ex altera, omnes destinantur ad finem supernaturalem. Quare, nisi restringatur Angelica custodia ad illos homines, qui sunt finem beatum assecuturi, logicum est magis ut ad omnes omnino homines extendatur. Iam vero, si gratiae divinae, quae ad vitam aeternam ordinant, non restringuntur ad solos homines, quos Deus scit ad beatitudinem esse perventuros, cur huiusmodi limitatio esset admittenda pro custodia Angelorum?

II. **Ad Textum.** - Obiectiones procedunt contra universalitatem duplici ex parte: *a*) ex inutilitate, propter nimiam perfectionem, de Christo et de Adamo innocente; *b*) ex inutilitate, propter exclusionem a regno, de praescitis, de infidelibus et de Antichristo.

1. Obi. Non attendit in Christo custodiam ministerii.

2. Obi. Non considerat in Adamo innocente periculum quod ei poterat obvenire ab extrinseco.

3. Obi. Procedit unice a parte finis non obtenti. Praeterit oeconomiam generalem ordinis gratiae, et plura mala, a quibus possunt in tempore liberari etiam illi, qui tamen non assequuntur finem.

Sed contra est. Cf. dicta superius de Scripturis et de Patrum traditione.

In Corpore. En argumenti schema.

- Omnes homines
  - I) quamdiu sunt viatores, indigent ab angelo custodiri:
    - 1) omnes enim in finem dirigi indigent et a laqueis viae servari;
    - 2) etiam Christus:
      - *a*) non ut homo, regebatur a Verbo,
      - *b*) nec ratione animae, erat comprehensor,
      - *c*) sed ratione corporis passibilis: ministerium humilitatis;
    - 3) etiam Adamus innocens:
      - *a*) non ob periculum interius,
      - *b*) sed exterius, scilicet Satanae;
    - 4) etiam qui non salvantur:
      - *a*) ob bonum Providentiae communis,
      - *b*) ut saltem a maiori malo praeserventur;
  - II) in termino autem
    - 1) vel gloriae habent Angelos concives;
    - 2) vel perditionis habent daemones tortores.

Resp. ad 1.um Adverte, custodiam humanitatis Christi, Michaëli Archangelo, uti nonnulli putant, commissam, fuisse consequens illius exinanitionis, quam Filius Dei in sua conditione passibili pro nobis subire dignatus est. Quare in ministerio, quod hic a S. Thoma admittitur, non est dumtaxat agnoscendus honor, quo Angeli Christum circumdabant adorabundi; sed et verum ministerium, quod Verbo pro nobis egeno facto praestabant [1].

Resp. ad 2.m Hanc responsionem ad Evam quoque innocentem esse extendendam, manifestum est; quin tamen inde inter utrumque protoparentem in originali innocentia conditum tollatur discrimen illud, quod secum fert ipse sexus. Quare nonnisi per Evam serpens est Adamum aggressus.

Quaeres. - Quid de custodia Evae secundae, B. V. Mariae? - Parumper aliter de hac custodia loquendum est, secundum quod dignitas moralis Deiparae maior vel minor praedicatur. Magis enim in B. Virgine requirebatur angelica custodia ob indigentiam, si, quod aliqui Scholastici putabant, B. V. M. non fuit peccati originalis ab ipso suo initio expers. Sed haec doctrina iam est contra fidem.

Quare, praemissa immunitate B. Virginis ab omni originali culpa, dicendum est, B. Virginem magis indiguisse angelica custodia quam Evam quoad conditionem mortalem, in qua degebat; minus autem quoad dignitatem moralem, qua Evam longe superabat.

Honorem custodiae B. M. Virginis quidam assignant Archangelo Gabrieli.

ARTICULUS V.

UTRUM ANGELUS DEPUTETUR HOMINI AD CUSTODIAM A SUA NATIVITATE.

I. **De ipsa Quaestione.** - Iam de tempore quo custos angelicus homini deputetur, investigandum est. Quae quaestio pendet tum ab *extensione* huius custodiae, tum ab *officiis* custodibus commissis [2].

[1] Non desunt tamen, qui cum S. Bonaventura teneant, Christum nullum habuisse Angelum custodem. (I Dist. XI, art. 1, q. 3).

[2] Lege de hoc argumento elegans opusculum CHARDON, cui titulus: « *Mémoires d'un Ange gardien* ».

1) Quoad *extensionem* iam vidimus, Angelos deputari non solum ad homines baptizatos, sed ad omnes et singulos. Quare non est ratio cur dicatur, Angelos homini nonnisi deputari ab instanti baptismatis; licet ab hoc tempore cum maiori sollicitudine incipiant deposito pretiosiori invigilare.

2) *Munera* autem custodum [1] alia respiciunt corpus, alia vero animam. *a*) *Quoad corpus*, Angeli arcent pericula externa, possuntque interne valetudini prodesse, humores felici modo disponendo, uti superius expositum est. De ista custodia corporali dicitur in psalmo: « In manibus portabunt « te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum » [2]. Unde Iacob grate memorat Angelum, qui eripuit eum « de omni- « bus malis » [3].

Ad hoc genus custodiae potest reduci sanatio senioris Tobiae, necnon iuvamen quod angelicus comes in rebus saecularibus Tobiae iuniori praestitit [4].

b) *Quoad animam* iuvant multipliciter. α) Illustrant intellectum et movent affectum eo sensu et modo, quo supra diximus. Sicut enim Christus in agonia nocturna ab Angelo est confortatus, simili ministerio custodes Angeli saepe opitulantur. - β) Arcent tentationes: α') cohibendo daemones earumdem instigatores; β') ita regendo clientes, ut pericula tentationum ab eis amoveant; γ') intus quoque humores, qui tentationes provocare solent, moderando [5]. - γ) Orationes no-

[1] Ista munera pulchre ita exponit S. Franciscus Salesius: « Ils présentent nos « oraisons à la divine Bonté pour les faire exaucer; si nous sommes lasches ils excitent « notre cœur à l'amour de la vertu pour nous la faire embrasser, il nous fortifient « et nous obtiennent la force et le courage à fin que nous la prattiquions; si nous « sommes tristes et en adversité, ils sont auprès de nous pour nous rejouir et exhor- « ter à la patience. En fin ils ne cessent de nous donner des inspirations pour le « salut et perfection de nostre âme en la dilection de l' amour divin, jusques à ce « que nous parvenions en la patrie celeste pour demeurer éternellement en leur com- « pagnie ». (Sermon de profession pour la fête de l'archange S. Michel. - 29 sept. 1617. - *Œuvres de S. François de Sales*. t. IX, Annecy 1897).

[2] Ps. XC.

[3] GEN. XLVIII, 16.

[4] TOB. Optime monet Tanquerey *, integrum hunc librum esse legendum, utpote in quo multiplex ministerium Angelorum graphice illustratur.

[5] Cf. hymnum Completorii, in quo aliquid rogatur ab Angelo custode facile praestandum.

* Op. cit. t. I, p. 305.

stras ad Deum offerunt, uti se fecisse testatus est Raphaël [1]. - δ) Imo interdum nomine Dei salutares infligunt poenitentias, quae animum avocent a peccato; aut afflictiones, quae Sanctos probent, reddantque sanctiores. - ε) In fine vitae animam supremo veluti auxilio validius assistunt [2], fidelemque in manus Dei reconsignant [3].

Hoc munus Ioannes in Apocalypsi celebrat his verbis: « Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum « de manu Angeli coram Deo » [4].

3) Iam vero, si solum ministerium Angelorum esset illuminare mentem et arcere tentationes, posset deputatio Angelicae custodiae differri usque ad tempus, quo homo incipit esse rationis compos. Sed alia ministeria istud tempus ita praeveniri expostulant, ut ab ipsa nativitate iuvet Angelos hominibus deputari.

4) Dubium unicum superest, utrum custodia angelica debeat insuper anticipare prolis editionem, et incipere ab eius conceptione. Etenim Angelus matris custos videtur sufficere posse ad custodiam materialem prolis, utpote quae cum ipsa matre unum efformare censetur. Aliunde tamen nonne distinctio suppositorum praebet sufficiens fundamentum distinctae custodiae?

Mirum non est, ipsum S. Thomam de hoc argumento non semper eodem omnino modo scripsisse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Petitur a baptismate. Solvitur ex ratione universalis providentiae, quae Angelos deputat hominibus. Cf. n. 1.

2. Obi. Petitur ab usu rationis. Solvitur per ea Angelorum officia, quae rationis usum in cliente non exigunt. - Cf. n. 2 et 3.

[1] Tob xii, 12.

[2] Cf. Newman *(Dream of Gerontius).*

[3] Hoc Angelorum ministerium, de quo pluries fit sermo in liturgia agonizantium et defunctorum, modo generaliori tribuitur Archangelo Michaëli, quem Deus, uti canitur, constituit principem super omnes animas suscipiendas. (Fest. S. Mich. Arch.).

[4] Apocal. viii, 4. Pulchre exclamat Bossuetius: « Voyez comme elles montent de « la main de l'ange: admirez combien il leur sert d'être présentées d'une main si « pure. Elles montent de le main de l'ange, parce que cet ange se joignant à nous, « et aidant par son secours nos faibles prières, leur prête ses ailes pour les élever, « sa force pour les soutenir, sa faveur pour les aimer ». (*Sermon des Ss. Anges gardiens,* 2 p.).

3. *Obi.* Urget responsionem, concludendo ad Angelorum custodiam ab ipso instanti prolis conceptae. Solvitur iuxta dicta n. 4.

Sed contra est. Sententia S. Hieronymi est manifesta [1]. Alii scriptores, quos superius vidimus Angelorum ministerio committere ipsam formationem prolis in utero materno, possunt in oppositam sententiam adduci. Ita Tertullianus, ubi ait Angelis committi « hominis in utero serendi, struendi, « fingendi paraturam », potest censeri hominibus ab ipsa conceptione custodes Angelos assignare.

In Corpore. En argumenti schema.

- Angelus deputatur homini
  - I) non solum in baptismate:
    - *a*) haec sententia supponit, hanc custodiam ad fideles limitari;
    - *b*) vidimus, eam pertinere ad Providentiam Dei erga totam humanam naturam;
  - II) sed a nativitate:
    - 1) certo scilicet ab editione in lucem,
    - 2) utrum iam ante,
      - quum nondum editus puer sit velut adhuc pars matris, ad modum fructus in arbore, idem Angelus videtur et matris et prolis custodiae sufficere.

Sententiam quam hic profert S. Thomas, propugnat quoque Suarez [2].

Corollarium. Ex humili ministerio, quod Angeli erga homines ratione adhuc destitutos exercere non erubescunt, opportune deducitur non modo animarum dignitas, sed et horum spirituum humilis obedientia. Pulchre S. Franciscus Salesius exclamat: « Mon Dieu, qui n'admirera l'humilité « des Esprits angéliques, en les voyant abaissés en des offi « ces si vils que de servir des hommes, non seulement ceux « qui sont capables de correspondre à leurs inspirations, « mais encore les petits enfants? O qu'ils ont bien compris « la leçon de leur Maîstre: " Apprenez de moy que je suis « doux, debonnaire et humble de cœur. " Ils ne desdaignent « pas de s'humilier, le voyant tant abaissé et humilié jusques « à la mort, voir la mort de la croix » [3].

[1] Alibi S. Hieronymus strenue convellit exaggerationes, quae de Angelorum custodia leguntur in libro Henoch (*In Habac.* I, 14).

[2] Op. cit.

[3] Ibid.

ARTICULUS VI.

UTRUM ANGELUS CUSTOS QUANDOQUE DESERAT HOMINEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Praemissa distinctione inter praesentiam realem et praesentiam opitulationis, multipliciter quaestio hic mota potest intelligi. 1) Receditne interdum Angelus custos, ut ad contemplationis gaudia se recipiat? - Et negandum est; quia, uti patet ex Christi verbis, et superius ostendimus, ministerium custodiae non distrahit a visione beatifica.

2) Receditne Angelus interdum, ut quae clientis sunt, referat Deo, rursus adventurus, quando opitulatione eum cernit indigere? - Iterum negandum est; nam *a*) Deus est ubique praesens, cui possit Angelus manifestare quae velit; *b*) Angelus praesens est modo superlocali, nec tempore indiget ut praesentiam suam efficaciter manifestet.

3) Receditne Angelus interdum a suo cliente, sive in protectionem eius, sive in poenam?

Hic iam est cum distinctionibus respondendum. Prima distinctio est inter clientem in gratia stabilem et clientem a gratia delapsum. *a*) A cliente docili Angelus nunquam recedit in poenam. At minori interdum diligentia custodit clientem, qui, etsi gratia nondum orbatus, sinit tamen se teporis nebula veluti circumcingi atque velari. Ferventem autem clientem tuetur sedulius; licet aliquando, ad nutum Dei, a probationibus eum tueatur minus, in maiorem utique virtutis manifestationem meritique augmentum [1].

b) Parumper aliter se habet res pro cliente in custodiam rebelli vitiisque dedito. Quem Angelus custos non quidem ex toto deserit, numquam amplius ei opitulaturus; attamen veluti a longe ei deservit, sinens, in praevaricationis poenam, praevalere in ipsum spiritus malos, utpote quorum instigationes perversas angelicis consiliis infelix ille stulte praetulit.

[1] Hoc sensu dixit auctor Imperfecti operis in Matthaeum: « Secundum dispensa-« tionem autem Dei recedit aliquantulum Angelus bonus; magis autem non recedit, « sed abscondit se, invisibilem se reddens ante diabolum; quoniam nisi voluerit An-« gelus bonus, a diabolo non videtur. Substrahit ergo se, ut det diabolo licentiam « tentandi, et stans expectat tentationis eventum ». (Homil. 5).

Nec mirum si illi, qui censent Angelum custodem deputari in ipso baptismate, existiment, a malis Christianis Angelos recedere prorsus. Ita S. Basilius ait: « Fieri etiam potest, ut, cum « unusquisque nostrum habeat sanctum Angelum, qui castra« metatur in circuitu timentium Dominum, in peccatis de« prehensus, huic plagae quam minatur fiat obnoxius, et « muro [1] privetur, hoc est sanctarum Virtutum tutela » [2].

4) Adverte tamen, rationem cur homo in peccatum labatur, non in minori tutela Angeli custodis esse reponendam, sed in mala voluntate peccantis; licet homo in bono perseverans angelicae custodiae perseverantiam suam tribuere debeat. De custodia enim angelica aliquatenus loquendum est sicut de perseverantia sive de praedestinatione. Qui praedestinatus perseverat, dono divino gratias agere debet; qui vero non perseverat et a praedestinatione excidit, tribuere id debet sibi. Bonum enim salutare auctorem habet Deum; malum autem causatur a voluntate creata.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Duae primae obiectiones non distinguunt inter derelictionem simpliciter et secundum quid.

2. Obi. Non attendit ad modum quo Angelus fit opitulatione praesens.

Sed contra est. Argumentum hic allatum valet pro hominibus iustis, qui indigent ab insidiis diaboli angelica opitulatione defendi; vix autem pro peccatoribus iam diabolo deditis.

In Corpore. En argumentum schemate contractum:

- Angelus custos hominem
  - I) *totaliter* numquam deserit: — quemadmodum Providentia Dei circa creaturam numquam deserit ex toto (esset rerum reditus in nihilum), ita Angelus providentiae minister numquam ex toto deserit clientem;
  - II) secundum quid autem deserit:
    - 1) quatenus permittit, iuxta iudicia Dei,
      - *a*) ut tribulationi subiaceat,
      - *b*) imo in culpam labatur;
    - 2) non autem quatenus recedit loco:
      - *a*) non indiget praesentia locali, ut, quae clientis sunt, cognoscat;
      - *b*) nec tempore, ut praesens ei opituletur.

[1] Agebat de exponendis verbis Isaïae, « Et auferam sepem eius ». (Is. v, 5).
[2] In hunc locum.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli agnosce, quam late pateat officium fraternae charitatis. Dum fratricida Cainus, de scelere suo a Deo monitus, dure respondit: « Num « custos fratris mei sum ego? » [1], qui vera Dei charitate flagrat, custodes Angelos imitatus, consideret se uti rationem quoque de fratribus suis redditurum. Unde consiliis, aliove personali iuvamine, si potest, opituletur eis; secus, oratione saltem eos et exemplo ad Deum conducere studeat. Nec peccatis terreatur, in quae miseros sese prorumpere videt; memor bonitatis divinae, qua ipse a Deo misericordiam est consecutus; necnon et patientiae, qua, immemor licet vel imo ingratus, ab Angelo nihilominus suo fideliter est custoditus.

ARTICULUS VII.

UTRUM ANGELI DOLEANT DE MALIS EORUM, QUOS CUSTODIUNT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum Angeli sint in beatitudine summa firmati, voluntatemque habeant divinae voluntati arctissime coniunctam, repugnat Angelos de infelici exitu suorum clientum vero dolore affici. Non ideo tamen indifferenter se habent ad eumdem exitum; quin imo voluntate sua particulari, sicuti illum exitum felicem optabant vero charitatis affectu; ita de eodem non obtento dolerent, si locus eis esset dolori.

Quare de Angelis dicit eleganter S. Franciscus Salesius: « Ils sont si jaloux de notre bonheur, qu'ils se réjouissent, « quand ils voyent que nous sommes fidelles à Dieu et que « nous correspondons à son amour; et quand nous ne le « faisons pas, s'ils pouvoyent avoir du desplaysir, ils en au- « royent » [2].

2) Unde hoc interest inter modum, quo de felici et de infelici exitu clientum afficiuntur, quod de hoc altero ob nimiam beatitudinem vere dolere non possint, de priori autem veram sentiant laetitiam. Etenim beatitudo caelestis dolorem expellit proprie dictum, non autem laetitiae augmentum secundarium seu accidentale.

[1] Gen. iv, 9.
[2] Ibidem.

3) Quadruplex igitur in angelica custodia potest inveniri stimulus charitatis: *a*) in Deum, qui cupit homines fieri angelicae beatitudinis participes; – *b*) in clientes sibi commissos, ad aeternae gloriae consortium destinatos; - *c*) in angelicam civitatem beatitudine Sanctorum instaurandam atque complendam; - *d*) in semetipsos custodes, ob laetitiam de felici sorte clientis percipiendam.

4) Primus autem stimulus tantopere alios vincit, ut, sicuti clauso viae stadio iustitia Dei succedit misericordiae, ita quoque Angelus a custode fit testis et cum Iudice iudex. Pulchre Bossuetius: « Ces mêmes habitants du ciel que vous « avez vus y porter nos vœux, sont aussi obligés d'y por- « ter nos crimes; c'est la doctrine de l'Ecriture, c'est la doc- « trine des Saints Pères. C'est eux qui seront un jour pro- « duits contre nous, comme des témoins irréprochables; ce « sont eux qui nous seront confrontés pour vaincre notre « perfidie ». Unde damnatam animam inducit exclamantem: « Quoi! vous aussi, mon gardien fidèle, vous prenez aussi « parti contre moi! » [1].

Hanc veritatem iam expresserunt nervose Augustinus et Tertullianus: Prior affirmans, dicit: « Reatus tanquam in chi- « rographo scriptus, in notitia spiritualium potestatum, per « quas poena exigitur peccatorum » [2]. Adhortans monet alter: « Ne illae litterae negatrices in die iudicii adversus vos « proferantur, signatae signis iam advocatorum, sed Angelo- « rum » [3].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit in hac sententia inter sensum litteralem, allegoricum et anagogicum. In duobus primis locus datur fletui proprie dicto; in allegorico, nonnisi fletui metaphorico.

2. Obi. Non distinguit inter voluntatem particularem et universalem.

3. Obi. Procedit comparatione dupliciter falsa: tum *a*) quia beatitudo Angelorum non ita excludit incrementum veri gaudii accidentalis, sicuti verum excludit dolorem; tum *b*) quia

[1] Ibid.
[2] *Cfr. Iul.* l, vi, c. 19, n. 62.
[3] *De idolat.*, n. 23.

conformitas cum divina voluntate facit redundare in gaudium ea ipsa, quae, attenta voluntate particulari, et praecisione facta a beatitudine consummata, parerent dolorem.

4. Obi. Procedit a falsa sententia Origenis, quam S. Thomas benignius interpretatur. Cf. Corollarium II.

Sed contra est. Argumentum idque inconcussum S. Thomas desumit ex perfecta Angelorum beatitudine, quae reddit Angelos comparticipes felicitatis divinae. Unde, sicuti Deus, licet hominum salutem amore magno prosequens, - cuius amoris testis est ipse Filius Dei in mortem pro redemptione nostra ab ipso Patre traditus [1], - nihilominus de damnatione peccatorum non proprie dolet; quin imo de ea gaudet, quatenus per sanctitudinem et iustitiam de illis triumphat; ita quoque dicendum est de Angelis.

In Corpore. En doctrinae schema.

- Angeli de malis eorum, quos custodiunt,
  - I) proprie loquendo non dolent, quod probatur:
    - 1) indirecte ex Angelorum statu: sunt perfecte beati: iam vero dolor contrariatur beatitudini;
    - 2) directe ex Angelorum affectu:
      - *a*) dolor est de non impleta voluntate: iam vero Angelorum voluntas normam habet ipsam voluntatem divinam;
      - *b*) quare, quatenus Deus vult permittere malum clientum, Angeli de eodem non dolent;
  - II) improprie loquendo dolent:
    - 1) quatenus ipsis, quemadmodum et Deo, doloris passio metaphorice tribuitur;
    - 2) quatenus malum clientum contrariatur eorum voluntati particulari, si minus universali.

Corollarium I. Ex doctrina huius articuli vides, quomodo homines beati, licet de sorte suorum ex intima charitate solliciti, non tamen proprio dolore afficiantur de perditione eorum quos maxime diligunt. Nam ex una parte sunt in beatitudine perfecta firmati; ex altera parte vident, hanc perditionem esse aequissimam et redundare in Dei gloriam, quam super omnia amplectuntur et amant.

Corollarium II. Pariter ex hoc articulo vides, quam graviter hac in re erraverit Origenes; quippe qui non solum

[1] Cf. Ioann. iii, 16.

in Angelis admisit dolorem de perditione clientum, sed et Angelorum custodum felicitatem saluti clientum subordinavit. Commentans enim verba Christi de pusillorum Angelis, qui semper intuentur faciem Patris, haec sane mira habet: « Quam ob causam Angeli pro bonis solliciti sunt, scientes « quod, si nos bene gubernaverint et ad salutem usque per- « duxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem Pa- « tris. Quomodo enim si per curam eorum et industriam « salus hominibus comparatur, faciem Patris semper atten- « dunt: sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam « periculi rem esse non nesciunt. Et sicut homo Episcopus « et optimus Ecclesiae dispensator scit sui meriti esse atque « virtutis, si oves gregis sibi crediti fuerint custoditae; ita « intellige et de Angelis. Ignominia Angelo est, si homo « iustus creditus fuerit, et peccaverit; et e contrario gloria « est Angelo, si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fue- « rit. Videbunt non aliquando, sed semper faciem Patris, qui « est in caelis, cum alii semper non videant. Secundum enim « meritum eorum, quorum Angeli sunt, aut semper aut nun- « quam, vel parum, vel plus, faciem Dei Angeli contemplan- « tur » [1]. Fundamentum huius falsae doctrinae est error Origenis de ipsa conditione Angelorum custodum, quos a nobiliori conditione lapsos considerabat, per fidele ministerium hominibus exhibitum in amissam beatitudinem redintegrandos.

ARTICULUS VIII.

UTRUM INTER ANGELOS POSSIT ESSE PUGNA SEU DISCORDIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Distinctio in praecedenti articulo facta inter universalem et particularem voluntatem Angelorum, continet solutionem praesentis quaesiti. Etenim quum Angeli omnes firmissime divinae voluntati adhaereant, Angelos repugnat inter se luctare voluntate illa absoluta, qua Dei voluntatem simpliciter amplectuntur. At quatenus habent singuli particularia bona sibi commissa, de quibus tuendis et

[1] Homil. 35 in Luc.; cf. et homil. 23. — Plura de hoc vide apud Sixtum Senensem (l. v. annot. 126; l. vi, annot. 142), et apud Petavium (loc. cit. cap. vii, n. 14, 15).

promovendis sunt ex officio solliciti; nec semper perfecte sciunt, quomodo se habeat de his bonis divina voluntas particularis, quatenus haec bona possunt esse in conflictu cum aliis bonis aliis Angelis commissis: potest zelus de propriis bonis movere Angelos ut opposita velint, ac ita, dum quod volunt, active prosequi conantur, inter se pugnent. Sed ista lucta non offendit mutuam eorum charitatem; nec turbat profundam pacem, in qua radicantur sicuti in amore beato.

II. **Ad Textum**. - Obiectiones non attendunt ad amplexum divinae voluntatis, quae facit pugnam non esse nisi in superficie *(obi. 1)*, illaesa charitate mutua *(obi. 2)*, servata utrimque perfecta iustitia *(obi. 3)*.

Sed contra est. Pugna quae in hoc loco Scripturae describitur, quosdam induxit scriptores sacros ut principem illum Persarum censerent esse daemonem, non Angelum. Sed haec sententia violentiam facit contextui; unde nonnisi a paucioribus est admissa.

In Corpore. Accipe doctrinam S. Th. schemate contractam.

Inter Angelos pugna esse potest	1) non quidem defectu	*a)* nec charitatis, *b)* nec iustitiae;
	2) sed ratione custodiae, sive singulorum hominum, sive regnorum:	*a)* quum enim ex hac custodia res habeant tuendas, inter quas potest dari colluctatio, *b)* nec semper sciant, quid de singulis disponat ordo Providentiae, *c)* consequens est, fieri posse ut Angeli velint opposita, ac ita inter se pugnent (quod et ex Dan. x, comprobatur).

Corollarium. Ex doctrina huius articuli melius intelligitur, quomodo tam saepe in historia appareant luctae inter homines etiam zelo ac sanctitate conspicuos. Sicuti enim non sine quadam pugna Paulus restitit Petro, ita, ut uno exemplo utar, inter Augustinum et Hieronymum non perfecta semper regnavit mentium harmonia. Hoc tamen interest inter pugnam Angelorum ad invicem et sanctorum hominum, quod Angeli inter se pugnantes ne minimam quidam charitatis laesionem patiuntur; dum sancti viri, utpote perfecta sanctitate nondum consummati, etsi ex charitate certantes, eamdem charitatem per excessum leviter offendere possunt. Absit ut dicam in praedicto certamine defectu charitatis ali-

qualiter peccasse Hieronymum; sed tamen charitatis palmam Augustinum tulisse, nemo negabit.

APPENDIX I.

De officiis nostris erga Angelum custodem.

Iuvat hanc Quaestionem absolvere pauca dicendo de officiis, quae nos decet erga Angelum custodem implere. Hic totus afferendus esset Paulus Segneri, qui de hac devotione egregie scripsit.

S. Bernardus ad tres affectus praecipuos hanc devotionem reducit. Allatis verbis Psalmistae: « Angelus suis mandavit « de te, etc. », exclamat: « Quantam tibi debet hoc verbum « inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? « Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, « fiduciam pro custodia ». Quae tria optimo sane ordine ponuntur, quatenus considerant Angelum *a*) praesentem, *b*) benevolum, *c*) ex benevola praesentia opitulantem. Placet ergo huic distributioni parumper immorari, singula membra breviter evolvendo.

1) *Reverentiam pro praesentia* nobis Angelum inculcare, manifestum est. Quod enim Scriptura ait de praesentia Dei: « Ambula coram me et esto perfectus » [1], potest et ad Angelum custodem extendi. Est enim spiritus purus, praeclarae dignitatis, sanctissimus.

Iam vero haec reverentia habet respectum negativum et positivum. *a*) Negativus respectus consistit in hoc, quod propter reverentiam Angelo custodi debitam abstineamus ab omni actione, quae praesentiam huius caelestis principis offendere possit. Bene S. Bernardus: « In quovis diversorio, in quovis « angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo « praesente, quod videnti me non auderes » [2]. Quam salutaris sit ista consideratio ad modestiam illam inculcandam, quae est veluti sepes castitatis, eiusdemque lilii fragantia, nemo non videt. Si enim Apostolus monet mulieribus, ut in ecclesia caput velent « propter Angelos » [3], ex eodem textu, -

[1] Gen. xvii, 1.
[2] Ibidem.
[3] I Cor. xi, 10.

qualiscumque sit eius sensus litteralis, - pudoris cultus iure inculcatur, ob reverentiam custodibus Angelis debitam.

b) Positivus respectus consistit in reverentiali cum Angelo custode habitudine ac veluti aulico colloquio. Quemadmodum enim praesentem principem non satis revereri dicendus esses, quem nullo quidem actu indecente offenderes, at tamen negligeres ad alia te convertens; ita non exhibent Angelo custodi positivam reverentiam ei iure debitam, qui, licet abstineant a prave agendo, vix tamen de eius praesentia cogitant, nec praesentem aequo prosequuntur honore. Porro hic honor consistit non solum in reverentiali agnitione praesentiae, sed et in divinae laudis aemulatione; maxime autem in imitatione virtutum: unde totum in se continet cultum Angelis debitum [1].

2) Hic honor potest veluti pars considerari *devotionis* Angelis debitae *pro benevolentia* [2]. Et sane quis pauper amicum fidissimum ad latus posset habere divitem, quin huius amici benevolentiae devotionis amore responderet? Nonne monstruosi pectoris esset dicendus, si erga talem amicum frigido corde se haberet? Absit ergo ut Christianus, nomine dignus, hoc se modo erga custodem Angelum gerat! Unde S. Bernardus, hanc amoris benevolentiam commendans, exclamat: « In ipso (Deo), fratres, affectuose diligamus Angelos « eius » [3].

3) Demum *fiduciam pro custodia* praestare nos Angelis oportet. Duo enim sunt quae fiduciam nutriunt erga ducem, cuius benevolentiam aliunde cognoscimus: fidelitas et potentia. Optime rursus Mellifluus Doctor: « Etsi tam parvuli su- « mus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et « tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodi- « bus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem se- « ducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. « Fideles sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? » Sed haec fiducia sese docili obedientia manifestet oportet. Unde subiungit: « Tantum sequamur eos, adhaereamus eis, in protectione

[1] Cf. addenda de hoc cultu in secunda appendice.

[2] Unde S. Bernardus de isto honore loquitur in parte suae concionis ubi secundum hunc devotionis affectum evolvit.

[3] Ibid.

« Dei coeli commoremur ». Et paucis interiectis haec aurea habet: « Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, « et tribulatio vehemens imminere; invoca custodem tuum, « doctorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in « tribulatione. Inclama eum et dic: " Domine, salva nos, « perimus! " [1] Non dormit neque dormitat [2], etsi ad tempus « quandoque dissimulet, ne forte periculosius ab illius te ma- « nibus ipse praecipites, si te eis ignoraveris sustentatum » [3].

Et sane haec fiducia gignit timorem, quatenus ille ipse Angelus, qui semper pronus est ad opitulandum ei, qui paret ipsius bonae voluntati, idem in rebellem reddet testimonium unde damnetur. Quare Scriptura ait: « Observa eum, nec « contemnendum putes! [4] »

Quam dulce commercium cum tam praecelso comite ac duce! Per ipsum et cum ipso laudes Deo agimus acceptiores; ipsi tribulationes et poenas tanquam compatientissimo amico veluti dividenda committimus; si solitudo taedium ingerit, ecce ad latus adstat, quocum intime loquamur; si tentatio premit, ecce adest, quo firmemur; si dubia haeret via, ecce consiliator, qui nos regat; si exilii nos tristitia premit, ecce patriae civis, qui laeta spe nos in superna trahat. Verbo, nulla est vitae circumstantia, in qua devotio in custodem Angelum non sit nobis fons multiplicis boni et adversus omne malum solamen. Quantas igitur grates reddendae sunt non istis modo caelestibus ducibus, sed imprimis Deo, qui tanto amore prosequitur homines, quibus aulae suae principes deputet duces atque ministros.

APPENDIX II.

De culto Angelis debito [5].

Non defuerunt, qui cultum in Ecclesia catholica Angelis exhiberi solitum papisticae insimularint idololatriae. Sed nihil iniquius nec stultius; quum ex una parte constet, hunc An-

[1] Matth. viii, 25.
[2] Ps. cxx, 3.
[3] Ibid.
[4] Cf. dicta n. 4, art. vii.
[5] Lege de hoc argumento inter alios Petavium (op. cit. c. ix, x).

lorum cultum omni ratione differre a supremo cultu Deo soli debito; et ex altera parte, Angeli titulos omnes possideant, qui verum, etsi non latriae, cultum sibi vindicant. Sunt enim dignitate ac sanctitate praecellentes, nostrique per iuvamen et intercessionem potentes apud Deum mediatores.

1) *Excellentiam* cultus fundamentum denegent Angelis, qui cum Tertulliano [2] fingunt homines Angelis superiores. Sed haec est falsa imaginatio. At quicumque admittit cum Dionysio Angelos « in vestibulo collocatos esse supersub- « stantialis Trinitatis » [3], legitimum eorum praedicet cultum oportet; modo hic cultus limites non excedat, distinctusque prorsus habeatur a cultu adorationis proprie dictae [4].

Obiciuntur quidem huic cultui verba Apocalypseos: « Et « cecidi (Ioannes) ante pedes eius (Angeli), ut adorarem eum. « Et dixit mihi: Vide, ne feceris, conservus tuus sum, et fra- « trum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora » [5]. Sed patet duplex responsum. Vel *a*) Ioannes de hac mysteriosa apparitione dubius, re vera putavit sibi loquentem esse Deum vel Christum, unde vera adoratione latriae se prosternere volebat. Quod satis explicatur per modum quo visio incepit, et insinuatur per ultima verba: « Deum adora »; ac si Angelus diceret: Noli mihi praestare cultum Deo soli debitum. - Vel *b*) Angelus voluit Ioannem docere novam dignitatem, qua homo, frater Christi, aequalitatem cum Angelis in Nova Lege accepit. Priorem rationem affert S. Augustinus: « Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari; « et ideo fuerat corrigendus adorator » [6]. Alteram S. Gregorius Magnus: « Angeli quos prius infirmos abiectosque de- « spexerant, iam socios venerantur. Hinc est enim quod Loth « et Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: « Ioannes vero in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit;

[1] Hanc calumniam iam Augustinus tempore suo indignabundus depellebat *(Ctr. Faust. Manich.* l. xx, c. 21).

[2] Ctr. Marc. l. ii, c. 8; hunc textum superius attulimus.

[3] *De div. nom.* c. 5.

[4] Improprio sensu adorationem in Scripturis non raro occurrere uti Angelis exhibitam, in confesso est.

[5] Apoc. xix, 10.

[6] QQ. l. i q. 61 in Genes. — Cf. S. Athanasium (Orat. 3 adv. Arianos).

« sed tamen idem hunc Angelus ne se debeat adorare, com-
« pescuit » [1].

S. Thomas utramque rationem accepit [2]. Equidem ultro pulchritudinem secundae rationis agnosco; priorem tamen existimo magis ad sensum contentus. Est insuper in re praesenti efficacior, quum ex hac interpretatione nihil prorsus concludi possit contra cultum Angelis sub Deo debitum.

Hic autem cultus, admirationem simul et imitationem continens, non singulos dumtaxat Angelos complectitur, sed universam angelicam civitatem mirabili ordine distributam.

Pulchre hanc ordinationem hierarchiae angelicae Bossuetius celebrat tanquam exemplar ordinis hierarchiae ecclesiasticae: « Considerons l'unité avec la beauté dans les chœurs « des Anges. La lumière s'y distribue sans se diviser; elle « passe d'un ordre à un autre, d'un chœur à un autre, avec « une parfaite correspondence, parce qu'il y a une parfaite « subordination. Les Anges ne dédaignent pas de se soumet- « tre aux Archanges, ni les Archanges de reconnaître les « puissances supérieures. C'est une armée où tout marche « avec ordre, et comme disait ce patriarche: " C'est ici le « camp de Dieu » [3]. C'est pourquoi dans ce combat donné « dans le ciel, on nous représente Michel et ses Anges contre « Satan et ses anges [4]. Il y a un chef dans chaque parti; mais « ceux qui disent avec Saint Michel: " Qui égale Dieu? " « triomphent des orgueilleux qui disent: " Qui nous égale? " « et les Anges victorieux demeurent unis à leur Createur sous « le chef qui leur est donné. O Jésus, qui n'êtes pas moins « le chef des Anges, que celui des hommes, regardez et « faites selon ce modèle [5]; que la sainte hierarchie de votre « Eglise soit formée sur celle des espirits célestes » [6]! Et citat pulcherrimam sententiam, in qua S. Gregorius Magnus maiorem ostendit necessitatem obedientiae, ubi pec-

[1] Homil. 8 in Evang.
[2] II-II. Q. LXXXIV, a. 1.
[3] GEN. XXXII, 2.
[4] APOC. c. XII, 7.
[5] EXOD. XXV, 40.
[6] *Sermon sur l'unité de l'Eglise.* Utinam magnus orator in hac ipsa concione catholicam unitatem contra Gallicanismum plenius defenderet!

catum in confusionem tendit, quam ubi sanctitas absque peccato regnat [1].

Laudandi sunt ergo a nobis Angeli sancti de fideli pietate, qua, de rebellibus triumphantes, suam ipsi beatitudinem immutabiliter adepti sunt et gloriam. Imitandi sunt in hac docili religionis constantia, ad eumdem cum ipsis finem sublimem in caelesti civitate adipiscendum.

2) Praeter excellentiam, Angelos patrocinii quoque seu *mediatoris* possidere titulum, ut cultum sibi viatores homines praestent, manifestum est; fluit enim abundanter ex ipso custodiae ministerio Angelis a Deo commisso, iuxta sententiam S. Ambrosii: « Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, « qui nobis ad praesidium dati sunt » [2]. Quare quidquid dicitur de mediatione Sanctorum sub mediatione suprema Christi, de Angelorum quoque mediatione valet [3].

Strenue hanc mediationem exponunt S. Hilarius et S. Augustinus. « Angeli pusillorum, inquit prior, praesunt fide- « lium orationibus. Praeesse Angelos, absoluta auctoritas « est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quo- « tidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cu- « ius desideria ac postulationes ad aeternum et invisibilem « Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio per- « vehuntur » [4]. Et S. Augustinus: « Putamus quam dulce est, « quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli, qui custodes « vitae nostrae sunt, ante conspectum divinae Maiestatis « obtulerint? » [5]. Imo Angelos dicit orationes nostras exaudire, non quidem absolute, sed quia intercessione sua potentique mediatione eas a Deo exauditas reddunt. « Nam et « cum exaudiunt Angeli eius, ipse in eis exaudit, tanquam « in vero, non manufacto templo, sicut in omnibus Sanctis « eius, quae temporaliter fiunt iussa, aeterna eius lege « conspecta » [6].

[1] Epist. 54.

[2] *De vid.*

[3] Multum interesse inter hanc mediationem Sanctorum et Angelorum ac mediationem qualem Pagani tribuebant diis minoribus apud Deum summum, superfluum est hic ostendere. (Cf. incertum auctorem commentarii in epistolas S. Pauli).

[4] Comment. sent. MATTH. XVIII, 10.

[5] Serm. 7 de temp.

[6] *De Civit Dei.* l. x. c. 12.

Eleganter Bossuetius [1] mediationem intercessionis Angelorum expressam invenit verbis Scripturae: « Amen amen dico « vobis, videbitis caelum apertum, et Angelos Dei ascendentes « et descendentes » [1]. Ascendunt Angeli, dum preces nostras ad Deum benigne attollunt; descendunt, dum fructum suae intercessionis nobis superne deferunt; vel etiam, ordine inverso, descendunt ad nos Dei dona deferentes, ascendunt vota nostra adferentes; imo, motu veluti continuo, descendunt, ascendunt, iterumque descendunt, rursus ascensuri, semper eumdem circulum vel eamdem scalam perficientes qua Deus hominibus, homines Deo coniunguntur. Hunc mediationis seu intercessionis cultum Ecclesia ratum habet, tum cum Angelis, maxime Michaëli caelestis exercitus principi, templa sinit dicari [2]; tum quando publice Angelorum suffragia, uti in Litaniis aliisque liturgicis precibus implorat.

Quod si gradum huius cultus quaeris, eadem Liturgia respondet, Angelorum cultum esse infra cultum B. M. Virginis [3], ac proin non esse cultum hyperduliae presse dictum; habere nihilominus aliquid, quo cultui Sanctorum praeemineat.

Placet utramque appendicem claudere verbis S. Francisci Salesii: « Soyons grandement devots à nos bons Anges et à « tous les Esprits angéliques, spécialement au glorieux S. Mi- « chel. Servons-les et les honorons; correspondons fidelle- « ment à leurs inspirations, les consolant et rejouissant par « l'amendement de notre vie et l'avancement de nos âmes « en la dilection et la pureté de l'amour divin. Imitons-les « autant qu'il nous sera possible en leur resolution cuite « sans la cendre de l'humilité et en leur stabilité au service « de Dieu, en la pureté de l'amour divin et denuement de « tout amour propre, en leur douceur, affabilité, charité et « support du prochain. Et si nous nous rendons semblables

[1] Ioann. i, 51.

[2] Sicuti duplex habetur latria, stricti et lati nominis; ita duplex templorum consecratio *. Stricto nomine non dicatur templum nisi Deo, quemadmodum non immolatur sacrificium nisi Deo; latiori autem sensu possunt altaria et templa dicari Angelis et Sanctis, seu, ut verbis Augustini utar, in eorum memoriam **.

[3] Excellentiam huius cultus eloquenter in Mariano Congressu Romae nuperrime habito, inter alios oratores, celebrarunt Emi Card. Vincentius Vannutelli et Card. Vives y Tuto.

* Cf. S. Aug. *ctr. Maxim.* l. i.
** *Ctr. Fustinn.* l. xx, c. 21.

« à eux en cette vie par le moyen de l'imitation de leurs « vertus, nous ferons chose fort agréable à Dieu et à ses « Saints, et nous nous rendrons dignes de parvenir à la « gloire et félicité éternelle » [1].

II. DE DAEMONUM IMPUGNATIONE.

QUAESTIO CXIV.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur.

Quaeritur
- 1) de *facto* (art. 1);
- 2) de *modo* facti:
  - *a*) quoad tentationem
    - α) in se (art. 2),
    - β) in effectu (art. 3),
  - *b*) quoad miracula (art. 4),
  - *c*) quoad victoriam de daemone ab homine relatam (art. 5).

Brevius hanc Quaestionem exponemus, plura de hoc argumento dicturi ubi de Spiritismo et de Exorcistatu.

ARTICULUS I.

UTRUM HOMINES IMPUGNENTUR A DAEMONIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Homines a daemonibus impugnari, abundantissime constat ex Scripturis et traditione; ipsaque theologica ratione facile illustratur.

1) *Scripturae* abundant sive factis, sive sententiis, sive parabolis, quae pugnam ostendunt acerrimam, quae de salute existit inter daemones a beatitudine deiectos et homines ad eamdem destinatos. Ut praecipua afferam, Satan, specie callidi serpentis, ipsum innocentiae paradisum invadit, primumque hominem per uxorem aggreditur; unde totam gentem humanam detrahit in ruinam; propter quod a Scriptura vocatur homicida ab initio [2]. Quid doceat historia Iob de diabolica impugnatione, liquet. Quin et vir dolorum, cuius figuram

[1] Ibid.
[2] Ioann. viii, 41.

gerebat, diabolicae tentationi subesse dignatus est [1]. Diabolus narratur ingressus in Iudam, quo velocius scelus suum compleret [2]. Quid significant parabolae de zizania [3], de seminante [4], de forti armato [5], nisi conamina daemonum ut corda pervertant? Unde Apostolus Petrus, ipse tempore passionis Domini tentatione daemonis victus [6], nos instantissime monet ut, sobrii et vigiles, insidias superemus diaboli tanquam rugientis leonis in praedam inhiantis [7]; a quo et superati Ananias et Saphira periisse leguntur [8]. Et Paulus proclamat, colluctandum nobis esse adversus aëreas diabolicas potestates [9]. Huc spectant omnes exorcismi, ut scilicet creatura rationalis ab impugnatione diabolica liberetur, sicut illa mulier peccatrix, e qua Christus septem daemonia eiecit [10].

2) *Patres* autem tantopere hanc veritatem inculcant, ut plures existimarint, unicuique, sicuti custodem bonum, ita et impugnatorem adesse angelum malum: « porro, ut verbis « utar Gregorii Nysseni, hominem in amborum medio consti- « tutum, alterutrius adstitum scopum ac propositum, alterius « proposito contrarium suopte momento validius reddere » [11].

Liturgia saepius ad hanc impugnationem diabolicam alludit, aut illam diserte exprimit, uti in Completorio, ubi verba S. Petri quotidie adducit.

3) *Ratio theologica* hanc impugnationem suadet et illustrat: *a*) Suadet, quia nihil magis est odio Satanae in hominem conforme quam ut impugnationibus eum a fine suo avertat; imo ipsa custodia angelica monet fraudes a daemone homini pertimescendas: ibi enim custos armatus viatori datur, ubi latrones insidias itineri sternunt. *b*) Illustrat autem ratio theologica hanc oeconomiam, dum ostendit altiores rationes, ob quas Deus homines permittit a daemone tentari: ut

[1] MATTH. IV.
[2] IOANN. XIII, 2.
[3] MATTH. XIII.
[4] MATTH. XIII,
[5] LUC. XI.
[6] LUC. XXII, 31.
[7] I PETR. V, 8.
[8] ACT. V.
[9] EPHES. VI, 12.
[10] LUC. VIII, 2.
[11] *De vita Mos.* - Cf. et textum superius allatum auctoris Imperfecti operis in Matth.

scilicet α) malo utatur in bonum; β) ipsa tentatio feliciter superata fiat meriti augmentum; aut, γ) gratia in peccatorum poenam subtracta, tentatus iusto Dei iudicio per culpam experiatur illud Psalmistae: « abyssus abyssum invocat »; unde, δ) si resipiscat, iam propria debilitate melius agnita, per humilitatis tramitem ad Deum perveniat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) confundit mittere daemonem ad hominem impugnandum, et permittere daemoni ut hominem impugnet; - *b*) non distinguit inter mittere ad tentandum, et mittere ad puniendum.

2. Obi. Procedit ex imperfecta comparatione: praetermittit enim a parte hominis auxilium gratiae, et opitulationem Angeli custodis.

3. Obi. Abstrahit a malitia daemonum; insuper non attendit carne et mundo daemones uti ad homines impugnandos.

Sed contra est. Pulchre S. Petrus Chrys. impugnationem daemonum describit: « Ille laqueos tendit, lapsus parat, fo-« veas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, « immittit iras, errores serit, discordias parit, pacem turbat »[1]. Concilii autem Tridentini Catechismus verba S. Pauli ad Ephesios commentans, haec ait: « Ex quo licet intelligere « magnas esse hostium vires, invictum animum, immane in « nos et infinitum odium; bellum etiam perpetuum eos ge-« rere nobiscum, ut nulla pax sit cum illis, nullae induciae « fieri possint »[2]:

In Corpore. Contrahe doctrinam hoc schemate:

I) ex *Scripturis* aperte demonstratur,

- Impugnatio daemonum
  - II) *ratione* illustratur:
    - 1) ipsa quidem impugnatio (secus ac ipsa custodia)
      - *a*) ad culpam, non est a Deo;
      - *b*) ad poenam, potest esse a Deo;
    - 2) ordo impugnationis est a Deo:
      - *a*) Deus utitur malo in bonum,
      - *b*) confortat hominem
        - α) per gratiam,
        - β) per custodiam angelicam;
      - *c*) triumphus de duplici hoste, carne et daemone, duplicat iustis coronam.

[1] Serm. 11.

[2] P. IV, fol. 6, 9.

Corollarium I. Collata doctrina praesentis articuli cum doctrina superius exposita de modo, quo Angeli agunt in hominum mentem, voluntatem, imaginationem et sensum, apparet etiam modus quo diabolus agit in eos, quos ad malum allicere conatur. In quo illud maxime monendum, tentatum suam non amittere liberam voluntatem sub influxu tentantis, nisi talis sit obsessio, quae reddat amentem veluti iners obsidentis instrumentum [1].

Quare Innocentius XI proscripsit plures propositiones Michaëlis de Molinos, in quibus libertas peccantis nimis deprimitur [2], unde in pessimum laxismum inducunt [3]. Hanc libertatem diserte proclamat S. Paulus his verbis: « Fidelis autem « Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; « sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis « sustinere » [4].

ARTICULUS II.

UTRUM TENTARE SIT PROPRIUM DIABOLI.

1. **De ipsa Quaestione.** - 1) Articulus iste se habet ad modum instantiae. Etenim, si diabolus est ille qui tentat, quo sensu potest dici, hominem a Deo, ab ipso homine, a mundo et a carne tentari?

2) Solutio pendet a vario sensu vocis tentare, et a subordinatione in ipsa tentatione.

a) Tentare est sumere experimentum ad sciendum. Unde dupliciter distinguenda est tentatio: α) quoad *scientiam,* quia magis proprie tentat, qui nondum perfecte scit id, quod ten-

[1] S. Bonaventura obsessionis rationes breviter contrahit dicendo: « Permittit « hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad « peccantis corruptionem, sive ad nostram eruditionem *.

[2] Cf. prop. 47-52.

[3] Cf. maxime prop. 47 omnino scandalosam. Ab hoc vitio non satis cavet auctor libri « *Die Ehe* », quando, loquens de peccatore pravae consuetudini contra castitatem dedito, haec scribit: « Die Willenskraft wird so geschwächt, dass der Unglückliche « sündigen muss, selbst wenn er nicht will (p. 45) ». Quod est saltem incaute dictum; sicut quaedam alia, quae hunc librum, caeteroquin bona mente confectum, imo in multis egregium, nonnihil periculosum reddunt.

[4] I Cor. x, 13.

* II Dist. viii, p. 2. a. 1. q. 1.

tatio reddet manifestum; improprie, ille qui iam id cognoscit, sed cupiens ut manifestetur, agit quasi nondum sciret. Hoc ultimo dumtaxat sensu Deum tentare, manifestum est; - β) quoad *finem* experimenti, quia potest esse vel ad opitulandum, vel ad nocendum: unde diabolus tentat ad nocendum, homo iuxta adiuncta ad alterutrum, Deus autem, - et quidem improprie, si agatur de tentatione circa culpam et non de poena, - ad opitulandum.

b) Porro ille qui tentat, potest, eo vario sensu iam exposito, tentare vel immediate, vel mediate. Talis autem est hominis conditio, ut potius mediate tentetur, ope scilicet illarum rerum, quae virtutem maiorem habent in eius naturam, praesertim lapsam, seducendam. Ita daemon ad hominem tentandum, utitur mundo, illo scilicet, quem Ioannes dixit totum positum in concupiscentia carnis et oculorum, et in superbia vitae. Inde etiam Christus exclamat: « Vae mundo « a scandalis » [1], quia est instrumentum a mundi principe adhibitum ad homines per peccata perdendos. Daemon igitur est causa principalis, mundus causa instrumentalis.

3) Quibus simul prae oculis habitis, iam plenius intelligitur verbum aliud Scripturae: « Nemo cum tantatur, dicat « quoniam a Deus tentatur: ipse autem neminem tentat, (pro- « prie, scilicet, ad nocendum per provocatam culpam, sive « ut peccetur), unusquisque vero tentatur a concupiscientia « sua (illa triplici) abstractus et illectus (instigante utique « passim vero et proprio tentatore diabolo) » [2].

Utrum vero et quousque diaboli tentatio sit extendenda ad omnia peccata, in articulo proximo videbimus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Quoad Deum peccat, non distinguendo sensum proprium ab improprio; quoad carnem et mundum, non distinguendo causam principalem a causa instrumentali.

2. Obi. Falso supponit, daemones scire interna hominis, maxime illa quae spectant ad libertatis usum.

3. Obi. Praetermittit media quibus daemon ad superiores hominis vires pervenit.

[1] Matth. xviii, 7.
[2] Iac. i, 13.

Sed contra est. Pondera ultima verba: « cuius est officium »: scilicet non iubente Deo, sed permittente et in bonum universi ordinante. Mirare pulchram definitionem diaboli: « ille « qui tentat », vero scilicet sensu; quippe cuius, inter culpam suam et hominis creationem ac saeculorum finem, actio in mundum hoc verbo contrahitur tota.

In Corpore. En totius articuli doctrinam schemate expressam.

- Quum tentare sit experimentum sumere ad sciendum,
  - I) *Deus* omniscius
    - *a*) proprie non tentat,
    - *b*) sed improprie, quatenus alios scire facit;
  - II) *homo* tentat:
    - *a*) tum ad opitulandum,
    - *b*) tum etiam interdum ad nocendum (minister boli factus);
  - III) *diabolus* tentat:
    - *a*) non ad opitulandum;
    - *b*) sed mere ad nocendum:
      - α) non quidem vim inferens voluntati interius,
      - β) sed suadendo exterius;
  - IV) *caro* et *mundus* tentant:
    - *a*) non formaliter,
    - *b*) sed instrumentaliter; nam criterium virtutis est
      - α) resistentia carni,
      - β) contemptus mundi.

De tota hac doctrina lege Catechismum Romanum [1].

ARTICULUS III.

UTRUM OMNIA PECCATA PROCEDANT EX TENTATIONE.

Quum in hoc articulo nulla occurrat specialis difficultas, satis sit eius doctrinam nitido schemate exhibere.

- Ex tentatione diaboli
  - I) *indirecte* peccata omnia procedunt:
    - *a*) ipse instigavit primum,
    - *b*) a quo cum natura corrupta omnia fluxerunt;
  - II) non autem *directe:*
    - 1) nam sine diabolo possunt movere ad peccatum:
      - *a*) liberum arbitrium,
      - *b*) carnis corruptio;
    - 2) quare magis directe prodest custodia Angelorum quam impugnatio daemonum:
      - *a*) nullum datur bonum nisi concurrente Angelo;
      - *b*) at datur malum non suadente diabolo.

[1] P. IV, c. 15, n. 10.

Etsi sine diabolica instigatione homo, praesertim lapsus, in peccatum incidere possit, non ideo tamen negandum est, in genere peccatores a diabolo vinci. Unde Ioannes simpliciter ait: « Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab « initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dis- « solvat opera diaboli » [1]. Et ipse Christus ad Iudaeos dixit: « Vos ex patre diabolo estis » [2].

Conclusio practica in promptu est, eaque duplex. *a*) Quum homo non indigeat daemone ad hoc ut ad peccatum trahatur, portans in se peccati fomitem, ipsam suam corruptam naturam, cui debilitata voluntas et obtenebratus intellectus nimis facile cedunt, decet ut homo a semetipso caveat, iugiterque vigilet orans, iuxta Domini verba: « Vigilate et orate, « ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus « est, caro autem infirma » [3]. – *b*) Quum plus nobis prosit Angelus custos quam, si velimus, noceat daemon impugnans, aequum est, magnam nos fiduciam erga custodem nostrum nutrire, ut non solum a daemone, sed a nobismetipsis efficaciter nos tueatur.

ARTICULUS IV.

UTRUM DAEMONES POSSINT HOMINES SEDUCERE PER ALIQUA MIRACULA.

Et iste articulus facilis est, post superius exposita de discrimine quod interiacet, quoad miracula facienda, inter potentiam Dei et potentiam Angelorum, sive bonorum, sive malorum. Imo minorem esse vidimus quoad haec potentiam daemonum quam Angelorum, propter ruptum subordinationis nexum cum Deo. Unde multa facere non sinuntur daemones, quae Angeli, Deo permittente imo et iubente, operantur.

Satis sit totam doctrinam sequenti contrahere schemate, alio loco plura de hoc argumento dicturi, quando de Spiritismo data opera tractabimus.

[1] I Ioann. iii, 8.
[2] Ioann. viii, 44.
[3] Matth. xxvi, 41.

- Daemones seducere possunt homines,
  - I) non quidem per miracula presse sumpta: haec enim sunt in solius Dei potestate; inde Deo amplus campus, ut contra daemones veritatem credibilem reddat;
  - II) sed per miracula large sumpta:
    - 1) probatur
      - *a*) ex Scripturis ac historia;
      - *b*) ex ratione: multa enim possunt daemones, quae excedunt ordinem particularem, et potentiam humanam;
    - 2) illustratur: talia miracula possunt dici vera vel falsa:
      - *a*) vera, quatenus
        - α) proveniunt a vera potentia diabolica,
        - β) producuntur per aliquid in se verum;
      - *b*) falsa autem,
        - α) quatenus non sunt nisi miracula large sumpta,
        - β) quatenus producuntur ope illusionum, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco,
        - γ) quatenus tendunt in mendacium, vel in opera mendacii

ARTICULUS V.

UTRUM DAEMON QUI SUPERATUR AB ALIQUO PROPTER HOC AB IMPUGNATIONE ARCEATUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Daemonem ab impugnatione arceri quando victoriose ei resistitur, dubium esse nequit. Patet enim ex Scripturis et suadetur ratione.

a) Ex Scripturis patet per historiam Christi. Postquam enim Christus tentationem triplicem triplici victoria superavit, « consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo » [1].

b) Ratio idem suadet: tum α) ex parte Dei, qui non permittit daemonem immediate instaurare bellum, ne luctantis deficiant vires; tum β) ex parte daemonis, qui non facile se novae cladi exponit.

2) At pariter ex Scripturis et ratione demonstratur, daemonem non recedere nunquam prorsus reversurum. Etenim *a*) ex Evangelio apparet, daemonem ad ipsum Christum impugnandum rediisse; unde modo allatis verbis Lucas addit:

[1] Luc. IV, 13.

« usque ad tempus » [1]. Quod aperte demonstratur per parabolam daemonis, qui, a domo sua expulsus, et vagandi taedio captus, exclamat: « revertar in domum unde exivi » [2].

b) Ratio id pariter suadet. Nam α) victoria relata non reddit hominem invulnerabilem; nec β) recepta clades adimit daemoni virtutem. Imo ex astutia interdum recedit diabolus, ut viribus suis nimis confisum otioque deditum repentino validior impetu superet.

3) Fieri tamen potest, ut tam praeclaram tentatus referat victoriam, praesertim de vitio circa quod crudelius impugnabatur, ut huic triumpho Deus ex bonitate securam possessionem virtutis oppositae firme concedat. Ita S. Gregorius narrat, S. Benedictum, postquam adolescens per cruenta spineti vulnera libidinosam tentationem heroice superasset, nunquam deinceps, ne minimam quidem carnis rebellionem esse expertum [3].

II. **Ad Textum.** – Contrahe doctrinam hoc schemate.

- Daemonem devictum ab impugnatione arceri,
  - I) alii absolute contendunt:
    - *a*) quoad quemvis hominem,
    - *b*) quoad quodvis peccatum;
  - II) alii distinguendo affirmant:
    - *a*) quoad eumdem hominem,
    - *b*) non quoad alios;
  - III) melius affirmatur cum alio temperamento:
    - 1) arcetur quoad tempus:
      - *a*) patet ex Scripturis;
      - *b*) suadetur ex ratione
        - α) ex clementia Dei,
        - β) ex astutia ipsius diaboli;
    - 2) non autem ad semper:
      - *a*) patet ex historia Christi,
      - *b*) ex aperta parabola de forti armato.

Ex dictis vides, non sine quodam excessu Origenem asseruisse simpliciter, « sanctos quosque repugnantes adversus

[1] Rediit Satan quando Petri ore Dominum voluit a studio passionis arcere *; quando ingressus est in Iudam **; imo forte quando ipsum Christum in Olivarum monte ad mortem usque taedio oppressit, et in cruce iam prope emortuum prae angustia exclamare fecit: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » ***.

[2] Matth. xii, 44.

[3] *Vita S. Ben.* c. 2. Tantam victoriam significant verba Christi: « Nunc prin« ceps mundi eiicietur foras » ****.

* Marc. viii, 33.
** Ioann. xiii, 2.
*** Matth. xxvii, 46.
**** Ioann. xii, 13.

« incentores peccatorum spiritus, et vincentes eos, atque « eorum unumquemque superantes, imminuere exercitum « daemonum, et velut quam plurimos eorum interimere » [1].

Quid autem ad arcendos daemones tentationesque superandas valeant sacramentalia, maxime aqua lustralis, alio loco videbimus, ubi de his argumentis data opera agemus.

Et haec pro scopo nostro de daemonum impugnatione impraesentiarum satis [2].

Appendix brevissima
de artistica repraesentatione Angelorum et daemonum.

Prae oculis habita dignitate naturali et supernaturali spirituum angelicorum, necnon eorum docili sub Deo custodia seu ministerio, patet iam, Angelos cum suprasensibili, in quantum fieri potest, pulchritudine simul et benevola agilitate esse repraesentandos. Ad has autem repraesentationes iuvant visiones, quae in Scripturis enarrantur: ubi modo Raphaël in figura formosi iuvenis, modo Isaiae apparent alati ad volandum et ad semetipsos coram divina maiestate obtegendos. Decet igitur Angelos figurari in forma iuvenili, ad significandam aeternam spiritus iuventutem. Alas gestent ad exprimendam velocitatem ministerii [3]. Corpora habeant velata stolaque lucida obtecta, ad indicandam incorporeitatem et splendorem gloriae. Nihil sensualitatis nec in facie, nec in statura, nec in gestu prae se ferant, quippe super omnia sensuum blandimenta castissime elevati.

Typos pulcherrimos in arte christiana exhibent angelicae repraesentationes confectae a Fesulano pictore iure vocato Angelico [4].

[1] Homil, 15 in Iosue.

[2] Interim ex modernioribus theologis, qui de impugnationibus seu obsessionibus aliisque diabolicis manifestationibus agunt, lege, v. gr. Cl. Paquet (op. cit. p. 247 sqq.); necnon Tanquerey (op. cit. p. 313, sqq., et auctores ibidem allatos); ex aliis scriptoribus, De Bonniot: *Le Miracle et ses contrefaçons* (II p. ch. 7), maxime opus celeberrimi Goerres: *Die Chrisliche Mystik*.

[3] Quam pulchre a Dante describitur Angelus alis veluti velis cursum naviculae stimulans, quae animas defert ad littus purgatorii!

[4] In arte moderna, sed ex antiqua deprompta, eminent sane Angeli duo quos pictores sculptoresque scholae Beuronensis, imprimis in turri Cassinensi, confecerunt. Quanta maiestate clarus est, v. gr., Angelus ille, qui S. Benedicto morituro, manu gestans coronam, splendidus adstat!

E contra nihil magis offendit reverentiam angelicae speciei ac dignitati debitam, quam figurae illae, eheu nimis frequentes! quae vel crasso, uti aiunt, verismo, vel sensuali mollitie mentem aspicientium nedum evehant, ad ima detrahunt; ut nihil dicam de repraesentationibus a pagana arte derivatis, quae, libidinosos ethnicorum evocantes Amores, inverecunda nuditate templa Deo dicata deturpant, fidelesque ad illicita potius quam ad sancta invitant.

Utinam tandem ars sacra ad angelicam puritatem reducatur! [1]

Porro daemon ita repraesentandus est, ut tum eius degradatio, tum eius odium in homines exprimantur. Inde figurari solet cornutus, in signum rebellionis contra Deum; alis ruptis, in symbolum casus; colore niger atque nudus, ad significandam spoliationem gratiae et turpitudinem malitiae. Oculis torvis et ore minax, unguibus instructus, appareat crudelis illa bellua inhians quem laceratum devoret, caudae nodis quaerens quem fraudibus implicet. Vitia facies, totusque habitus malum exprimant, ita ut sese intuenti horrorem sui et mali inspiret [2].

Verbo: talis sit repraesentatio daemonis, quae simul odium inculcet et sanctam vigilantiam excitet; Angelorum autem sit huiusmodi, ut a sensualibus detrahens, ad spiritualia conducat, nutriat pietatem, sanctumque stimulet desiderium intuendi faciem Patris.

[1] Placet afferre votum ad hunc finem a Congressu Mariano nuper habito Romae expressum: « Que le culte rendu dans les églises à Dieu et à sa Sainte Mère s'in« spire, pour les arts plastiques non moins que pour la musique, des principes esthé« tiques et religieux si admirablement formulés par N. S. Père Pie X dans son *Motu* « *proprio* sur la musique sacrée. — Que les fidèles, surtout les artistes chrétiens, « s'unissent pour réagir contre un arte néfaste, qui, sous le prétexte de l'art pour « l'art, cache les tendances les plus pernicieuses et ne vise à rien moins qu'à ruiner « la pudeur avec le idéal ».

[2] Cavendum est a repraesentationibus daemonis, quae vitium amabile reddant, unde ad malum alliciant potius quam ab eo avertant; uti sunt nonnullae « tentationes « S. Antonii », quae facile tentatio evadunt incauto spectatori.

EPILOGUS.

Ecce nostrum qualemcumque de Deo Creatore et de Angelis tractatum, Deo dante, absolutum.

Quae autem spectant ad creaturam ab ipso Creatore gubernatam, sive haec gubernatio consideretur in genere sive in specie, necnon de creaturarum immutatione a Deo, possent quidem, duce Aquinate [1], hoc loco utilissime adnecti; sed duae ad haec omittenda nos maxime impulerunt rationes. Prima petitur ab ipsa voluminis mole, iam sane conspicua satis; altera, ab indole tractatus proxime edendi.

Etenim de naturali hominis conditione acturi, opportunitatem habebimus exponendi non pauca, quae ad haec argumenta spectant. Alia autem complebimus tum in tractatu de gratia, in quo mens est quaestionem de motione divina investigare totam, incipiendo ab ordine naturae; tum in tractatione de vera Ecclesia, ubi de miraculis erit expresse agendum.

Unum interim monemus. Quo magis dependentia creaturae a Creatore attenditur in eius conservatione et gubernatione, eo evidentius elucet absurditas eorum, qui miraculi possibilitatem denegant, quasi hae ipsae naturae leges sine iugi Conditoris activo influxu conservante, movente, applicante, aliquid agere valeant; quanto minus Eidem resistere!

Quare si, agentes de potentia Angelorum in creaturas, plures angelicae actioni vidimus limites opponendos; ubi agitur de Omnipotentis in opera manuum suarum potentia, omnis limitatio stultitia, imo blasphemia est. Qui enim ad nutum suae voluntatis potest ex nihilo creare et in nihilum redigere, ad eiusdem nutum creata conservat, conservata regit, eisque eo utitur modo, quo in finem sapientissime intentum conducant. Est enim, uti canit Ecclesia, « Sapientia a fine usque

[1] Haec argumenta S. Thomas in hac parte tractat QQ., CIII, CIV, CV.

« in finem fortiter et suaviter disponens omnia » [1]: suaviter quippe mediantibus legibus a se statutis; praeter has leges, fortiter.

Ex quibus apparet, quam profunda sit sententia a S. Augustino pluribus in locis expressa, Deum non minus agere in his, quae fiunt iuxta leges seu cursum naturae, quam in his, quae praeter has leges facta mirationem provocant, indeque vocantur miracula. Utrorumque agens est idem ipse Deus, modo leges a se factas effectibus applicans, modo absque legibus effectus a se intentos producens. Sed de his, uti diximus, alibi fusior data opera movebitur discursus.

Itaque finem hisce paginis imponant verba Prophetae, Creatorem per universum et per Angelos pio corde celebrantis:

« Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et « superexaltate eum in saecula! »

« Benedicite Angeli Domini Domino! » [2].

I. O. G. D.

Nota. Typorum errata, quae, omnem curam eludentes, perpauca sane irrepserunt, benevolus ipse lector facile emendabit [3].

[1] Antiph. *O Sapientia!*

[2] Dan. iii.

[3] Quam modeste deceat huiusmodi mendas corripere, ostendit sat lepida experientia, quae nuper accidit Arthuro Titio, qui, postquam urbane dixerat, protestanticos auctores a me « mit Vorliebe falsch » conscribi, paucis interiectis sententiis, in eadem prope pagina, erravit ipse in nomine, licet notissimo, at parum protestantico, Card. Mazzella! (*Theol. Jahresbericht,* t. xxii, p. 1083).

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS.

ABAELARDUS. — Dixit Deum ea solummodo facere posse, quae fecit, 144.

ACTIO. — Actio immanens et transiens, actio formaliter immanens et virtualiter transiens, 140-141. — De actione Angelorum in homines, 951, sqq. — Cf. *Angelus*.

AEGIDIUS ROMANUS. — Rationes, quae afferuntur contra possibilitatem aeternae creationis, non iudicat demonstrativas, 200.

AENEAS GAZAEUS. — Ingens numerus Angelorum, 496.

AËR. — Quomodo locus poenalis daemonum, 869, sqq.

AHRENS. — Propugnavit panentheismum, 115.

ALARCON. — Quomodo Angelus sit in loco, 559.

ALEXANDER HALENSIS. — Quomodo differant Angeli inter se, 503. — Citatur saepius. — Doctrina eius de Angelorum missione, 962.

ALBERTUS M. — Potentia creativa prorsus est incommunicabilis, 156. — Interpretatio S. Augustini de diebus creationis rationi consentanea, 315, 334. — Angeli sunt puri spiritus, 478, 484. — Angeli sunt in gratia creati, 752. — In Angelis gratia praecessit meritum tempore, 762-763. — In Angelis gratia proportionatur naturae, 773. — Angeli beati iam non merentur, 781. — Angelus malus appetiit similitudinem cum Deo, 800-801. — Doctrina eius de modo quo ignis poenalis agat in daemones, 873. — Citatur, 885. — Confert inter se enumerationem Dionysianam et Gregorianam ordinum angelicorum, 916. — Penitius hierarchiam Angelicam scrutatus est, 919. — Doctrina eius de Angelorum missione, 962.

ALCIMUS AVITUS. — Qualis fuerit superbia diaboli, 807.

ALCUINUS. — Accedit ad allegoricam interpretationem cosmogoniae Mosaicae, 315.

ALIGHIERI (Dante). — Ideae exemplares divinae, 45. — Deus initium et finis, 56. — Ars humana cognata est artis divinae. 175. — Distincti sunt Angeli splendore et arte, 518. — Nullum gaudium extra Deum, 705. — Laudatur, 1019.

ALMARICUS. — Deum dixit formam omnium, 115.

ALPHONSUS (S.). — Anima nequit esse materialis, 534.

ALTRUISMUS. — Quidnam intelligant hac voce, 83-84.

AMBROSIUS (S.). — Dualismus Dei et materiae repugnat divinae omnipotentiae, 24. — Deus ex nihilo creavit, 139. — Quo sensu dicatur Deus in principio

creasse, 210-211. — Litterali sensu intelligenda est narratio Moysis de ortu rerum, 309. — Spiritus Dei qui ferebatur super aquas, 356. — Quare terra creata sit nondum perfecta, 358. — Primo die fecit Deus caelum superius, 367. — Sermo Dei est immediate efficax, 377. — Aquae super firmamentum temperant solis ardorem, 392. — Tertia die data est aquae virtus fluendi 402. — Omni creaturae quaedam admixtio materiae concedenda est, 480. — Quam ingens sit numerus Angelorum, 497. — Angeli voluntate Dei sunt immortales, 527. — Occulta cordium cognoscere, proprium est Dei, 665. — Angeli Christum dumtaxat in ascensione sua certo cognoverunt, 672-673. — Ante mundum visibilem creati sunt Angeli, 374. — Angeli ad finem supernaturalem creati sunt, 742-743. — Non posse naturaliter peccare, solius Dei est, 789. — Causa lapsus Angelorum, 803. — Citatur, 867. — Affirmat doctrinam de Angelis custodibus, 973, 987. — De cultu Angelis debito, 1005, sqq.

Anastasius Sinaita. — Angeli ab Ecclesia acceperunt relationem mysterii Incarnationis, 672.

Anaxagoras. — Intellectum induxit moventem in tempore mundum, 182, 217.

Angeli. — Angelus, nomen officii, 445-446. — Esse Angelos, innumeri Scripturarum loci testantur, 448-455. — Spiritualitas Angelorum, 469-494. — Numerus Angelorum, 494-501. — Num singuli differant specie, 501-522. — Sunt incorruptibiles, 523-528. — Quomodo corpora assumant, 529-549. — Quomodo sint in loco, 549-573. — Quomodo possint moveri, 573-597. — Intellectus Angelorum, 598-612. — Cognoscunt omnia per species, 613-629. — Cognoscunt immaterialia, 630-644. — Cognoscunt materialia et singularia, 644-681. — Modus cognitionis, 682-726. — Num creati sint ante mundum, vel simul cum eo, 727-738. — Creati sunt in gratia, 741-760. — Beatitudinem meruerunt, 760-773. — Angeli beati sunt impeccabiles, 775-780. — Angeli natura sunt defectibiles, 784-790. — Angeli mali superbia primo, deinde ex invidia peccaverunt, 791-819. — Daemon propria voluntate factus est malus, 819-847. — Quomodo Angeli illuminent invicem, 882. — Quid Angelus possit in voluntatem alterius, 886. — Illuminatio inter Angelos exemplar societatis perfectae, 892. — Triplex munus purgandi, illuminandi, perficiendi, 892. — De locutione Angelorum, 893, sqq. — De angelica ordinatione sive hierarchia, 901, sqq. — Quousque doctrina de terna hierarchia dicenda sit certa, 920, 924. — De duratione angelicae hierarchiae, 930, 931. — De habitudine Sanctorum ad ordines angelicos, 921, 931. — De utroque ordine Dyonisiano et Gregoriano, 930, sq. — De ordinatione Angelorum malorum, 932; cf. *Daemon.* — De praelatione Angelorum super daemones, 938, sq. — Comparatio inter utramque hierarchiam Angelorum et daemonum, 939. — De praesidentia Angelorum super naturam, 940, sqq. — De actione Angelorum in homines: quoad intellectum, 951, sq.; quoad voluntatem, 953, sq.; quoad imaginationem, 955, sq.; quoad sensum, 957, sq. — De Angelorum missione, 959, sqq. — De Angelorum custodia, 970, sqq. — De cultu Angelis debito, 1005, sqq. — Quomodo repraesententur, 1019, sq.

Anselmus (S.). — Pia contemplatione assurgit in Deum, xix, sq. — Summa Essentia omnia per seipsam produxit ex nihilo, 32-35, 37. — Omnia quae facta sunt, in Deo erant per modum formae exemplaris, 45-46. — Omnis creatura rationalis ordinata est et ad laudem sui Creatoris et ad beatitudinem propriam, 63-65. — Quomodo

intelligendum *ex nihilo* omnia esse creata, 131-133. — Aeternitas competere nequit creaturae, 198. — Mali nulla est natura, 241. — Homo creatus ad sedes Angelorum implendas, 283, 498. — Angeli omnes sunt eiusdem naturae, 509, 511-514. — Voluntas est potentia distincta a substantia animae, 603. — Daemones nesciunt futura contingentia, 660. — Angeli per Ecclesiam profecerunt in cognitione sapientiae Christi, 673. — Angeli simul cum creatura visibili conditi sunt, 737. — Angeli creati sunt in iustitia, 755. — Potestas peccandi non pertinet ad essentiam libertatis, 778. — Solus Christus fuit simul impeccabilis et in statu merendi, 790. — Diabolus peccavit volendo inordinate similis esse Deo, 809-812. — Angelus malus non praescivit suum lapsum, 812-814. — Nulla natura fit mala, nisi per malum usum liberi arbitrii, 821-823.

Archangelos. — Vide doctrinam de angelica hierarchia, 901, sqq., 928.

Ardigò. — Positivista, 75.

Aristoteles. — Minime negavit creationem, 131, 182, 188. — Distinxit materiam caelestium corporum a materia elementorum, 362. — De spiritibus separatis aliquid innuit, 460. — De motoribus caelorum, 500.

Arnobius. — Qua ratione omnia dicantur corporea, 481.

Arriaga. — Creaturae communicari posse virtutem creativam, probabile censet, 153, 156.

Assistens. — De Angelis assistentibus, 965.

Athanasianum Symb. — Tres personae divinae sunt unus Creator, 167.

Athanasius (S.). — Deus est creator etiam materiae, 24. — Angeli nequeunt creare, cum sint ipsi creati, 153. — Una est operatio divinarum personarum ad extra, 168. — Creaturae non possunt esse aeternae, 191-192. — Malum non est essentia quaedam, 239. — Pluralitas divinarum personarum innuitur in verbis « faciamus hominem », 307. — Angeli sunt incorporeae naturae, 475. — Angeli sunt omnes eiusdem speciei, 514. — Filius Dei factus est visibilis Angelis per suam Incarnationem, 674. — Angelus malus superbia peccavit, 795-796, 804. — Citatur, 884. — Recenset ordines angelicos, 910, 914.

Athenagoras. — Materia creata est a Deo, 15, 30. — Deus hominem fecit propter seipsum, non tamen quasi indigens alicuius, 54, 55. — Causa lapsus diaboli, 802.

Augustinus (S.). — Duplici via Deus esse cognoscitur, xiv. — Deus ipsam materiam de nihilo fecit, 25, 32, 126. — Deus omnia secundum rationem exemplarem continet, 43. — Voluntas Dei omnium quae sunt, ipsa est causa, 54. — Reditus in Deum est finis creaturae, 56. — Nulla necessitas creandi ponenda est in Deo, 59. — Beatitudo hominis non est nisi in Deo, 62, 146. — Deus auctor omnium quae sunt, in quantum sunt, 126. — Creare nulla creatura potest, 153, 156, 157. — Opera Patris et Filii sunt inseparabilia, 168. — Nihil Deo coaeternum esse potest, 186-187, 194-197. — Sine creatura non est tempus, 204, 205. — Quo sensu dicatur Deus in principio creasse, 212. — Totus ordo rerum est a Deo, 224-226. — Deus creavit omnia ut bona essent, 228-229. — Lex unitatis quae viget in mundo, 232-833. — Malum est privatio boni, 239-240. — Permixtio bonorum et malorum in mundo, 243-244. — Quomodo mala conspirent in bonum universale, 244-246. — Omnis natura in quantum est natura, bona est; in quantum est vitiosa, mala est, 248-249. — Malum non potest esse nisi in bono, 251-252. — Vita mortalium tota est poena, 255-256. — Non omnes afflictiones Iustorum sunt poenae peccati,

256. — Malum non habet causam efficientem, 263-265. — Quamquam omnia bona sunt, omnium utilitas non est nobis manifesta, 273-274. — Omnia sustentantur et conservantur a Deo, 292. — Prudenter adhibenda est Scripturarum auctoritas in rebus scientificis, 297-298. — Interpretationes diversae cosmogoniae Mosaicae, 309-315. — Spiritus Dei qui fertur super aquas, est 3ª persona Trinitatis, 356. — Materia non praecedit formam tempore, sed natura tantum, 357-358. — Tenebrae praecesserunt lucem, eo sensu quo informitas praecedit formationem, 368. — Tempus incepit cum moto sive corporeae sive spiritualis creaturae, 372-374. — Verbum non potest intelligi tanquam excipiens iussionem a Patre ad creandum mundum, 378. — Lux primo die creata videtur esse natura angelica, 380. — Vidit Deus quia creatura bona erat, eo sensu quod creatura ex sua bonitate processerat, 381. — Firmamentum quid sit, 390. — Aquae super firmamentum, 391. — Potentialiter natura herbarum et animalium in terra continebatur quando omnia simul creata sunt, 405. — Quae sit figura caeli, non docent Scripturae, 411-412. — Num sidera sint animata, 416. — Perfectio senarii numeri, 428-429. — Quo sensu die septimo Deus requieverit ab opere suo, 430-432. — Quare Deus sanctificaverit diem septimum, 432-433. — Septimus dies caret vespera, quia creatura perfecta non habet terminum, 433. — Angelus, nomen officii, non naturae, 445-446. — Fides nos docet esse Angelos, 457. — Angeli sepremum locum occupant inter creaturas, 458-459, 463. — Num subtile aliquod corpus tribui possit Angelis, 482-484, 533. — Numerus Angelorum, 497, 498. — Num specie differant Angeli, 501. — Angeli non sunt immortales sicut Deus, quia ex nihilo facti, 526. — Angeli assumunt corpora ut hominibus appareant, 538. — Quomodo assumant corpora, 542, 543. — Num in corporibus assumptis Angeli operae vitae exercere potuerint, 547-548. — Motus localis Angelorum, 581. — Agilitas Angelorum, 587. — Natura est simplex, in qua non est aliud habens, aliud quod habet 600. — Quomodo daemones alliciantur a creaturis sensibilibus, 606. — Distinctio inter animam et mentem, 609. — Cognitio qua Angeli cognoscunt res in Verbo, 624-626. — Angeli cognoscunt creaturas in seipsis, 650, 653. — Daemones cognoscunt futura coniecturaliter tantum, 657, 666, 667. — Deus administrat omnia secundum eorum naturam, 669. — Num daemones cognoverint Christum, 671. — Quo sensu ratio sit in Deo, 687. — Cognitio vespertina et matutina Angelorum, 688-690. — In Angelis nomina passionum ponuntur propter quandam operum similitudinem, 706. — Angeli in Genesi significantur per lucem, 722. — Angeli, etsi creati, dicuntur dei, 724, 725. — Num Angeli creati sint ante mundum visibilem, an simul cum eo, 734-736. — Angeli conditi sunt in caelo, 739. — Angeli conditi sunt in beatitudine nondum perfecta, 747. — Angeli per gratiam conversi sunt ad Deum, 749, 750, 754. — Angeli meruerunt suam beatitudinem, 763. — Quomodo Angelus peccare potuerit, 787. — Omnis natura defectibilis, 790. — Diabolus ex superbia et invidia peccavit, 798-799. — Angeli non potuerunt peccare ex amore mulierum, 803. — Diabolus voluit esse sicut Deus, 807. — Angeli creati sunt natura optimi, etsi defectibiles, 821. — Quo sensu ab initio suae creationis peccaverint angeli, 827, 830. — Diabolus, caput impiorum, 842. — Maiores numero sunt Angeli quam daemones, 846-847. — Daemones sunt in malo obstinati, 856. —

Judicat apocatastasim Origenis, 860. — Quid sentiat de igne daemones torquente, 866, sq. — Docet daemones aëri alligari, 870, 872, 875. — Dubia Augustini de angelicis ordinibus, 906, 908. — Angelos affirmat praesidere universo, 941, sq. — Consortium proclamat inter Angelos et homines, 972. — Quid de Angelorum custodia teneat, 974. — Angeli testes peccatorum, 999. — De controversia eius cum S. Hieronymo, 1002, sq. — De cultu Angelis debito, 1005, sqq.

Augustinus Eugub. — Caelum est splendor divinae substantiae, 740.

Aureolus. — Citatur, 855.

Averrhoes. — Aeternitatem mundi docuit, 183. — Posuit materiam caelestium corporum esse in potentia tantum ad ubi diversa, 362-363.

Avicebron. — Unam materiam omnium statuit, 362.

Avicenna. — Intelligentias successivas posuit inter Deum et mundum, 19, 151, 217, 218, 293. — Mundum aeternum putavit, 183.

Baco (Cancell.). — Citatur, 396.

Baius. — Statuit omnes iustorum afflictiones esse ultiones peccatorum ipsorum, 256. — Negat necessitatem gratiae, 751.

Balmes. — Laudatur, 2.

Baltzer. — Citatur, 338.

Bannez. — Laudatur, 2. — Mundus, uti nunc est, non potuit esse ab aeterno; creatio vero aeterna non repugnat, 201. — Num Angeli specie differant, 503. — Quomodo sint Angeli in loco, 560. — Citatur, 883.

Bannezianus. — Quo sensu hic terminus ab auctore adhibeatur, 888.

Barbieri (Illmus). — Laudatur, 234.

Barthold. — Laudatur, 351.

Bartolo (di). — Laudatur, 839.

Bascoul. — Citatur, 434.

Basilius (S.). — Aliquid ante praesentis mundi creationem fuisse docet, 27-28. — Creatio est operatio Patris et Filii, 167-168. — Creaturae nequeunt esse aeternae, 192. — In principio, hoc est in Verbo, Deus creavit, 210, 211. — Conciliatio cosmogoniae Mosaicae cum disciplinis naturalibus, 308. — Quis sit Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, 356-357. — In initio Deus creavit caelum lucidum et terram tenebrosam, 365, 367, 368. — Lux primo die creata est quaedam lux excellentior luce solis, 380. — Aquae supra et infra firmamentum, 391, 392. — Aquae receperunt tertio die virtutem fluendi, 402. — In astris non est intelligentia, 410. Pisces et aves producti ex aqua, 418-419. — Angeli gratia sancti sunt, 478. — Angeli omnes sunt eiusdem naturae, 514. — Quo sensu Angeli circumscribantur loco, 555. — Angeli creati sunt ante mundum, 732-733. — Angeli creati sunt propter finem supernaturalem, 743. — Angeli in gratia sunt conditi, 753. — Gratia in Angelis proportionatur naturae, 771. — Quid censeat de ordinibus angelicis, 909, sq. — Quid de Angelis custodibus, 977. — Quid doceant de Angelo custode peccatorem deserente, 997.

Basilius Seleuc. (S.). — Num veram vocem protulerit Deus creando mundum, 379, 782. — Peccatum angelorum, 804.

Battifol (Rect. cathol. Univ. Tolos.). — Laudatur, 469.

Beuronensis Schola artium. — Laudatur, 1019.

Bayle. — Finem universi assignat hominis beatitudinem, 60.

Beatitudo. — Anima ordinata est ad beatitudinem, 62-65. — Quomodo ordinata sit felicitas creaturae ad laudem Creatoris, 65.

Beausobrius. — Quaestionem creationis ex nihilo ad religionem vix spectare existimat, 29.

Becanus. — Negat, Angelum posse mo-

veri de loco ad locum, quin pertranseat media, 583.

Becker. — Sola ratione nequit statui, quae sit Angelorum natura, 471.

Beda (S.). — Interpretatur litteraliter cosmogoniam Mosaicam, 315. — Ponit caelum empyreum primo die creatum a Deo, 365, 368. — Angelos conditos ante creaturam sensibilem existimat, 731. — Comparatio eius celebris, 873.

Beelzebub. — Princeps daemoniorum, 937.

Bellarminus. — Citatur, 878.

Benedictus (S.). — Citatur Regula, 58, 419, 798, 961. — Factum vitae citatur, 1018.

Berlage. — Laudatur, 59.

Bernardus (S.). — Incertus est, num Angelis possit tribui corpus, 484, 535-538, 581. — Num Angeli in mentes hominum directe agere valeant, 568, 571. — Diabolus peccavit superbia, appetens similitudinem cum Deo, 815-810. — Lucifer ante lapsum erat Angelorum princeps, 837-838. — De igne daemoni reservato, 871. — De aëre loco poenali daemonum, 874. — Recipit enumerationem Gregorianam ordinum angelicorum, 916. — Doctrina eius de Angelorum missione, 960, 962. — De officiis nostris erga custodes Angelos, 791, 1003, sqq.

Beyschlag. — Citatur 465.

Beza. — Impudenter impugnat doctrinam de hierarchia angelica, 905.

Biel (Gabriel). — Possibilitas creationis ab aeterno, 201. — Differentia specifica inter Angelos, 503. — Num motus continuus Angelorum possit fieri in instanti, 585.

Bien Public (Le). — Laudatur, xiii.

Billiot. — Laudatur, xvii.

Billuart. — Num Angelorum existentia possit demonstrari ex eorum operationibus, 462. — Repugnat plures Angelos esse in una specie, 518. — Diversi modi praesentiae, 551. — Angelus potest esse in duobus locis simul, 562-563. — Num vis abstrahens esse possit in intellectu angelico, 622-623. — Species angelicae quomodo repraesentent singularia, 649. — Quot fuerint instantia meriti in Angelis, 766. — Angeli naturaliter sunt impeccabiles, 788. — Citatur, 854, sq., 881, 894.

Birgitta (S.). — Numerus Angelorum, 501.

Blavatsky. — Recens theosophia, 109-113.

Blignières (de). — Repetit ordinem moralem ab altruismo et egoismo, Deum negando, 83-84.

Boethius. — Mundus nequit esse Deo coaeternus, 197. — Forma sine materia est exemplar ideale, 291-292.

Bonaventura (S.). — Deus omnia creavit de nihilo, 35-36. — Creatio media inter Creatorem et creaturam, 147. — In creaturis omnibus est vestigium Trinitatis, 173-175. — Creatio mundi ab aeterno repugnat, 199. — Quoad dies creationis, praeferenda videtur opinio, quae illos tempore distinctos ponit, 359-360. — Quadruplex sensus narrationis hexaëmeri, 360-361. — Quare creati sint Angeli, 459. — Compositio materiae et formae in Angelis, 493-494. — Multitudo Angelorum in eadem specie, 519-522. — Angeli natura dicit ordinem ad locum, 589-592. — Quinam motus conveniat Angelis, 592-594. — Angelus quomodo alium Angelum cognoscat, 636. — Angeli cognoscunt singularia per applicationem specierum ad ea, 653-655. — Angeli omnes in principio suae conditionis gratiam gratum facientem habuerunt, 757-758. — Meritum in Angelis praemium praecessit natura tantum, 762. — Liberum arbitrium aliter se habet ante confirmationem in bono et postea, 779. — Beatitudo accidentalis in Angelis potest augeri, non vero minui, 781, 782-783. — Peccatum Angelorum incepit a superbia, 801. — Diabolus appetiit simi-

litudinem cum Deo, 808. — Omne opus Dei laudabile, ordinabile, acceptabile, perfectum, 823. — Lucifer, si stetisset, primus inter Angelos fuisset, 840. — Ordo inter peccatum Luciferi et aliorum daemonum, 843. — De omnibus ordinibus aliqui Angeli ceciderunt, 847. — Non idem omnino docet ac S. Thomas de loco poenali daemonum, 871, 876. — De triplici definitione hierarchiae angelicae, 901, sq. — Existimat nomina Angelorum fuisse Paulo divinitus revelata, 913. — Quid censeat de enumeratione ordinum angelicorum, 917. — Quid hierarchia contineat, 920. — De duratione caelestis hierarchiae non omnino concordat cum S. Thoma, 921. — De decimo ordine ex Sanctis efformato, 923. — Doctrina eius de Angelorum missione, 962.

Bonniot (de). — Citatur, 1020.

Borngraber (de). — Impius eius ludus «Giordano Bruno» vituperatur, xi, sq.

Bosizio. — Interpretatio litteralis Mosaïcae cosmogoniae, 318.

Bossuet. — Materia increata non esset subiecta divinae omnipotentiae, 21, 25-27. — Consortium proclamat inter Angelos et homines, 972, sq. — Angeli orationes nostras ad caelum deferunt, 994. — Deferunt et scelera peccatorum, 999. — Hierarchia Angelica exemplar hierarchiae ecclesiasticae, 1007.

Bougaud. — Num plures sint mundi, 230.

Bouquillon. — Laudatur, 52, 58, 65.

Bourdais. — Sex dies creationis interpretatur dies cosmicos, 329.

Bracarense Conc. — Testatur de existentia Angelorum, 457. — Nulla natura per se mala, 821.

Brunetière. — Citatur, xi. — Irrationabilitas incredulorum, 129.

Brunus (Iord.). — Pantheïstarum recentium antesignanus, xi, 88-90. — Ludus scenicus, cui titulus « Giordano Bruno », xi, sq.

Buckland. — Formatio stratorum terrae ante sex dies Moysis, 319.

Büchner. — Auctor libri de vi et materia, 71-72.

Buonpensiere. — Peccatum materialiter sumptum cadit sub ordine Providentiae, non autem formaliter, 269-270.

Caelum. — Quid in Genesi intelligatur sub nomine caeli, 364-368, 395. — Caelum empyreum quid sit, 364. — Caelum crystallinum, 393. — Duodecim caeli, 394. — Emuneratio caelorum secundum Scripturam et Patres, 399.

Caesarius (S.). — Angeli sunt incorporei secundum nos, corporei secundum se, 486, 488. — Doctrina eius de ordinibus angelicis, 910.

Cajetanus. — Citatur, 154, 201, 315, 364-365, 319, 501, 600, 606, 607, 639. — Corpus incorruptibile tribuit daemonibus, 491. — Praesentia Angelorum in loco per operationem explicat, 561, 573. — Potentia motrix in Angelis, 596. — Doctrina eius de loco personali daemonum, 871.

Calmet. — Temporum initio Deus creavit caelum et terram, 211-212. — Elementa scientifica cosmogoniae Mosaicae, 349.

Calvinus. — Leviter impugnat doctrinam de Angelis custodibus, 976.

Cantù. — Citatur, 892.

Canus (Melchior). — Omnia simul creata sunt, 315-316. — Doctrina eius de loco poenali daemonum, 871.

Capreolus. — Possibilitas creationis ab aeterno, 201. — Angeli sunt in loco per operationem, 560. — Num possint Angeli se ipsos per se movere, 595.

Carbonelle. — Absurditas eorum qui negant ordinem intentionalem praeesse mundo, 81.

Carducci. — Citatur, 884.

Cartesius. — Finem universi ponit felicitatem hominum, 60. — Formationem

mundi repetit ex motibus verticalibus materiae, 323.

Cassianus. — Angeli habent subtile corpus, 488. — Daemones per extrinseca iudicia aliquid de cogitationibus hominum scire valent, 667. — Angeli mali peccarunt ex superbia et invidia, 798, 804. — Doctrina eius de utroque angelo bono et malo, 974.

Castelein. — Laudatur eius opus de cosmogonia Mosaica, 351.

Catechismus romanus. — Deus ex nihilo creavit, nulla necessitate coactus, 58, 126. — Angelos creavit Deus, 457. — Angeli creati sunt in gratia, 744. — Citatur, 980.

Cathrein. — Citatur, 105.

Causa. — Ratio causati sequitur rationem entis per participationem, 8.

Causis (liber de). — Citatur, 155.

Censorius. Doctrina eius de Geniis tutelaribus, 973.

Cereseti. — Citatur, xviii.

Chalmers. — Explicatio cosmogoniae Mosaicae per restitutionem, 319.

Chardon. — Citatur, 992.

Cherubim. — Quid sint 928, sq.; et passim ubi de angelica hierarchia.

Christus. — Quid de Angelo custode Christi, 983.

Cicero. — Finis est fundamentum ordinis moralis, 58. — Harmonia orbium caelestium, 62, 393, 394. — Praemia iustis post vitam praesentem reservata, 86-87. — Relatio mentis humanae ad divinitatem, 108. — Religione sublata, etiam societas humana tolleretur, 439. — Spiritus immortales sunt voluntate deorum, non sua natura, 526. — De sorte bonorum et malorum post hanc vitam, 859.

Civitas. — Habet Angelum sum custodem. 985.

Claudianus Mamertus. — Angelos ex corpore et spiritu constare docet, 486-487.

Clemens Alexandrinus. — Creationem ex nihilo non negat, 29, 30. — Citatur, 854.

Clifford. — Cosmogoniam Mosaicam contendit carmen esse liturgicum, 336.

Coloniense Concilium (1860). — Deus ex amore bonitatis suae, propter gloriam suam extrinsecam, omnia creavit, 56, 57.

Combes. — Citatur, 279.

Commer (Cl. Ern.) — Citatur in favorem genuinitatis operum Dion. Areop. 884.

Comte (Aug.). — Positivismi parens, 75, 82.

Concordismus. — Sententia quae cosmogoniam Mosaicam cum scientiis naturalibus concordem asserit, 322-333.

Constantinop. Conc. II. — Creatio tribus divinis personis competit, 167. — Condemnatio Origenistarum, 22.

Contenson. — Citatur, 620.

Corluy. — Laudatur, 323.

Cosmogonia. — Cosmogonia Mosaica declaratur, 295-351. — Tabella synoptica exhibens narrationem Geneseos, 304-305. — Variae interpretationum species, 317. — Interpretationes litterales, 317-321. — Concordismus, 321-333. — Interpretationes idealisticae, 333-343. — Interpretationes mythicae, 343-348.

Courmes. — Auctor catechismi theosophici, 111-114.

Cousin. — Quomodo concipiat creationem, 127-128, 178.

Creatio. — Momentum principo dogmatis creationis, xi, sqq. — Creationis factum probatur ex Scriptura, 9, 14. — Item ex ratione, 16-18. — Num sit repugnantia in conceptu creationis, 97-101. — Definitio vocis creare, 121-136. — Quid sit creatio in creatura, 144-150. — Creare solus Deus potest, 150-162. — Creatio num in tempore facta, 180-214. — Quomodo omnia opera Dei completa sint die sexto, 428. — Respectus dogmaticus, asceticus, moralis, aestheticus doctrinae creationis, 435-442.

CREATURAE. — Aliter a philosopho, aliter a theologo considerantur, 3-4.

CULPA. — Malum culpae est privatio operationis liberae in Deum, 253-255. — Culpa est maius malum quam poena, 255-259.

CULTUS. — De cultu Angelis delecto, 1055, sqq.

CUSCHIERI. — Citatur, XVI.

CUSTOS. — Cf. *Angelus*, 970, sqq.

CUVIER. — Periodi formationis mundi, 319, 321.

CUYCKIUS. — Non bene assecutus est mentem Cassiani, 774.

CYPRIANUS (S.). — Angelus malus ex invidia peccavit, 797, 803. — Doctrina de Angelis custodibus, 974.

CYRILLUS ALEX. (S.). — Deus ex nihilo creat, 24. — Virtus creandi ita est propria Dei, ut nulli creaturae communicari possit, 153. — Una est operatio personarum divinarum, quia una est in altera, 169. — Sol primo apparuit quarto die, 309. — Caelum et terra significant universitatem rerum omnium, 367-368. — Angeli habent corpora subtilia, 482. — Innumerabiles sunt Angeli, 496. — Plures sunt Angeli in eadem specie, plures etiam species angelicae, 513. — Angeli sunt immortales, ita tamen ut immortalitatem habeant a Deo, 526. — Solus Deus cognoscit futura, 659. — Solus Deus cognoscit occulta cordium, 666. — Angelus malus appetiit esse ut Deus, 807. — Enumeratio ordinum angelicorum, 909, 911. — Doctrina de Angelis custodibus, 982.

CYRILLUS HIEROS. (S.). — Aquae positae sunt supra caelum, ut terram opportuno tempore irrigarent, 391. — Immensus Angelorum numerus, 497.

DAEMON. Cf. *Diabolus*, et *Angelus* (malus). — Daemon propria voluntate factus est malus, 819-847. — De numero angelorum in daemones conversorum, 845. — Quaenam cognitio in daemonibus remaneat, 848. — De obstinatione daemonum in malo, 851, sqq. — Quisnam dolor daemonibus insit, 863, sqq. — Quomodo alligentur aëri uti loco poenali, 869, sqq. — De ordinatione daemonum, 932. — De impugnatione daemonum, 1010.

DAILLÉ. — Citatur, 884.

DAMNATIO. — In quo consistat poena damni, 148.

DANIEL. — De visione Danielis, 897.

DANTE. — Cf. *Alighieri*.

DARBOY. — Citatur, 884.

DARWIN. — De evolutionismo Darvinico. 72, sqq.

DAVID (a Dinando). — Deum dixit subiectum rerum omnium, 115.

DAVY (H.). — Citatur. 79-80.

DECHAMPS (Card.). — Valor apologeticus prophetiarum antiqui testamenti, 661.

DE GRYSE. — Eius opinio de sex diebus creationis, 336-337.

DELATTRE (S. I.) — Citatur, XVIII.

DELITSCH (Fr.). — Mythicam originem assignat libris sacris, 346.

DELRIO. — Citatur, 607.

DEMOCRITUS. — Materialistarum parens, 68. — Causa motus universi, 68, 182, 217.

DE MOOR. — Laudatur, 473.

DENIFLE. — Citatur, 588.

DE SAN.—Laudatur. 2, 18, 88, 115, 374, 573.

DESIDERIUS (S. Vict. III. Abb. Cassin.). — A S. Petro Damiani vocatur Archangelus, 913.

DEUS. — Omnium Conditor in Scripturis praedicatur, 9-14. — Deus causa exemplaris mundi, 37-48. — Qua ratione Deus sit causa finalis universi, 48-65. — Soli Deo competit potentia, creandi, 150 162.

DIABOLUS. — Fuit excellentissimus inter Angelos, 836-840. — Cf. *Daemon*.

DIDYMUS. — Æquales in natura Angelos putat, 514. — Enumerat quosdam ordines angelicos, 909.

Dies. — Dies creationis, num litterali an metaphorico sensu intelligendi sint, 317-321. — Quid in istis diebus sit mane et vespere, 383-385.

Dionysius Areopagita. — Exemplares ideae in Deo sunt, 39-40, 41-42. — Vis creatrix comparatur effusioni luminis solaris, 59. — De vestigiis Trinitatis, 172. — Malum est privatio boni, 239. — Angeli sunt incorporei prorsus, 487, 488. — Angeli sunt incorruptibiles, 525, 526. — Quomodo appareant Angeli, 547. — In Angelis est substantia, virtus, operatio, 603. — Brevissima synopsis controversiae de genuinitate eius operum, 884. — Citatur, 892. — Doctrina eius de angelica hierarchia, 901, sqq.; — deinceps saepius citatur. — Novem ordines angelicos recenset, 912. — Discrimen inter enumerationem Dionysii et Gregorii Magni, 915, sq.

Dionysius Carthus. — De vestigiis Trinitatis in creatura, 172. — Lux primo die creata in solem postea contracta est, 380. — Angeli sunt creati in gratia, 755. — Citatur, 873. — Dionysius Areopagita sibi apparentem vidisse fertur, 884.

Discordia. — Qualis inter Angelos esse possit, 1001, sqq.

Dominationes. — Quid sint, 928. — Cf. *Angelus*.

Dorlodot (de). — Citatur, xvii.

Drews. — Philosophia. Ed. de Hartmann, 104.

Dubois. (S. SS. R.) — Laudatur eius opus de exemplarismo divino, 43, 172.

Dumas. — Casu nequit explicari ordo mundanus, 81-82.

Durandus. — Creaturae censet posse communicari virtutem creandi, 153. — Angelos esse ubique existimat, 556. — Cogitationes hominum putat Angelis manifestas fore, nisi Deus impediret, 668. — Doctrina eius de missione Angelorum, 963.

Dydimus. — Patris et Filii et Spiritus S. una operatio, 168.

Edison. — Laudatur, 82.

Egoismus. — Quomodo sit principium moralitatis, 83-84.

Einig. — Laudatur, 2.

Ekkardius. — Creaturas dixit esse purum nihil, 36, 144. — Creandi necessitatem in Deo posuit, 58-59. — Mundum fuisse ab aeterno, concedi posse existimavit, 187. — Peccatum tribuit voluntati Dei, 269.

Elias Cretensis. — Quo sensu Angeli sint incorporei, 482. — Angeli gaudent libero arbitrio, 703.

Empedocles. — Docebat mundum, successive generari et corrumpi, 182.

Empyreum. — Caelum empyreum quid sit, 364. — Num in Genesi significetur, 365. — Num creatum cum materia informi, 366-368. — Caelum empyreum in quo creati sunt Angeli, 738-740.

Ens. — Num esse causatum sit de ratione entis, 8. — Ens, in quantum est ens, non est nisi a Deo, 124.

Ephraem (S.). — Litteraliter interpretatur narrationem creationis, 307. — Spiritum Dei latum super aquas intelligit aërem, 336. — Angelos dicit ignem incorporeum, 487.

Epicurus. — Ethicam in voluptate fundat, deos verbo tantum admittit, 68.

Epiphanius (S.). — Cataractae caeli in diluvio apertae, 391-392. — Angelorum incorporea natura, 475. — Angeli immortalitatem ex Deo habent, 526. — Angeli creati sunt simul cum caelo et terra, 731-732. — Doctrina eius de ordinibus angelicis, 910. — Iudicat doctrinam Origenis, 860. — Citatur, 878.

Esser (Th.). — De possibilitate aeternae creationis, 3, 180, 195, 200, 202.

Estius. — Doctrina eius de loco poenali daemonum, 871.

Eusebius. — Omnia ex nihilo facta sunt, sed ab eo qui solus et semper est, 127.

Natura corporeae substantiae ést vitae expers, 410. — Angeli sunt virtutes materiae expertes, 476. — Mira eius sententia corripitur, 989. — Doctrina eius de Angelo custode, 990.

Exemplaria. — Subiectiva et obiectiva, 38. — In Deo sunt ideae exemplares omnium, 40-48. — In Deo potest dici unum esse exemplar multorum, vel plura exemplaria, 45.

Faber. — Laudatur, 3.

Faye (H.). — Laudatur eis scriptum de origine mundi, 3, 44, 331.

Feldner (O. Pr.). — Citatur, 863.

Ferrariensis, — Num sint plures Angeli in eadem specie, 503. — Quomodo Angeli agant in loca non plene nobis compertum est, 572.

Ferrata (Card.). — Laudatur, xv.

Feuerbach. — Deum ex philosophia eliminare cupit, 69-70.

Finis. — Quo sensu Deus sit finis mundi, 48-51. — Diversae divisiones finis, 50-51. — Finis est primum principium ordinis moralis, 57-58.

Firmamentum. — Quid sit secundum antiquorum conceptionem et secundum Scripturam, 388-390.

Fischer (Engelb.). — De systemate Fr. Nietzsche, 106.

Flake. — Citatur, 107.

Flammarion. — Citatur, 37, 368.

Flavius Iosephus. — Citatur, 12, 187.

Florentinum Conc. — Omnes creaturae a Deo bonae creatae sunt, 208-269, 742.

Forbes S. J. — Laudatur, 78.

Foscoli (Ugo). — Citatur, 103.

Fra Angelico. — Laudatur, 1019.

Franciscus (S. Assis.). — Calumniose exhibetur a modernis uti semi-pantheista, 62, sq.

Franciscus (S. Sales.). — De Angelorum custodum officiis, 993. — Exaltat Angelorum submissionem, 995. — Quomodo afficiantur erga sortem infelicem peccatorum, 998.

Frankenberg. — Citatur, 366.

Frayssinous. — Laudatur, 321.

Freppel. — Citatur, 884.

Friedmann (Ios.) — Citatur, xviii.

Fritz. — Citatur, 20.

Fulgentius (S.). — Nulla creatura sine initio esse potest, 197-198. — Bonitas Dei relucet in omnibus creaturis, 226. — Quare naturae creatae a bono deficere possint, 240. — Angeli nullum cum corporeis elementis habent consortium, 476. — Angeli constant ex spiritu et corpore aethereo, 487. — Limitantur Angeli in sua natura, 495. — Rationalis Angelorum natura, 611. — Solus Deus cognoscit occulta cordium, 665-666. — Angeli et homines in beatitudinis statu creati sunt, 747. — Quomodo Angeli peccare potuerint, 787. Citatur, 854. — Angelos docet in malo obstinatos, 857.

Gabriel (Arch.). — Apparet Danieli, 897; — pluries deinceps de eo fit sermo.

Gatti. — Litterali sensu interpretatur cosmogoniam Mosaicam, 318.

Gayraud. — Iudicium circa opus Loisy de Evangelio et Ecclesia, 117-118.

Gelasius Cyzic. — Christus non potuisset videri ab Angelis, nisi incarnatus, 674.

Gelasius Pp. — Angeli creati sunt in beatitudine, 747, 763.

Genebrardus. — In Origenem nimis benignus, 859.

Gennadius. — Nulla creatura appropinquat ad Dei perfectionem, 527. — Solus Deus cognoscit secreta cordium, 666. — Angeli conditi sunt inter principium, quo Deus caelum et terram fecit, et primum diem, 732. — Angeli creati sunt in beatitudine, 747.

Geologia, — Periodi geologicae formationis mundi, 422-425.

Georgel. — Eius scriptum de deificatione materiae, 478.

Gerard (S. J.). — Laudatur, 118.

Georgius Pachymeres. — Angeli sunt puri spiritus, 610.

Gerhart. — Laudatur, 3.

Gersonius. — Doctrina de Angelis custodibus, 981.

Gesenius. — Sensus vocis creare, 122.

Gloria. — Gloria Dei obiectiva et subiectiva, 51-52. — Gloria Dei est finis creaturae, 51-63.

Glossner. — Laudatur, 2, 50, 116, 136, 143, 491, 493, 502. — Citatur, 888.

Gnostici. — Creationem adscribunt principiis intermediis inter Deum et mundum, 19, 151.

Goerres. — Citatur, 1019.

Goehte. — Pantheismo imbutus, 91. — Laudat cultum christianum, 119-120.

Gonet. — Impossibile tenet, ut Angeli multiplicentur in eadem specie, 502. — Angeli sunt in loco per suam operationem, 560, 565. — Quomodo moveantur Angeli, 576.

Gonzales. — Laudatur, 2.

Gottesminne. — Laudantur Ephemerides huius nominis, 79.

Gotti (Card.). — Num primo instanti suae creationis peccaverit diabolus, 832.

Gredt (O. S. B.). — Laudatur, 2. — Mundi processus non est ab aeterno, neque durabit in aeternum, 203-204. — Distinctio inter essentiam et existentiam, 472. — Citatur, 855.

Gregorius I (S.). — Litteralis interpretatio cosmogoniae Mosaicae, 315. — Qui habent bona, ea in proximi utilitatem impendant, 440. — Angelos testantur fere omnes paginae sacri eloquii, 457. — Angelus per comparationem ad Deum dici potest corpus, 476, 482. — Numerus Angelorum, 498. — Angelus, rationale animal, 531. — Quomodo Angeli loco sint circumscripti, 554-555. — Angeli quo tempori creati, 736-737. — Angeli creati sunt in beatitudine, 748. — Angeli non fuerunt ab initio confirmati in gratia, 754. — Angeli beati in gratia firmati sunt, 777-778. — Sancti nulla compassione erga reprobos moventur, 782. — Omnis creatura est peccabilis, 789. — Ex superbia peccavit diabolus, 799. — Diabolus creatus fuit caeteris Angelis superior, 837. — Diabolus caput est reproborum, 842. — Adhaeret doctrinae S. Augustini de igne daemones torquente, 867, sq. — Docet daemones aëri alligari, 870. — Citatur, 877. — Cognovit opera Dion. Areop., 884. — Vindicat doctrinam de novem Angelorum ordinibus, 905, sq. — Enumeratio eius differt a Dionysiana, 915. — Doctrina eius de missione Angelorum, 964. — De discrimine inter assistere et ministrare, 968, sq. — De cultu Angelis debito, 1006, 1008. — Citatur, 1007, sq.

Gregorius Arimin. — Possibilitas creationis aeternae, 201. — Num Angeli moveantur localiter, 576.

Gregorius de Valentia. — Quam relationem creatura dicat ad Creatorem, 146. — Mundum ab aeterno potuisse creari, non impossibile iudicat, 198, 200. Motum discretum repugnare existimat, 582.

Gregorius Nazianz. (S.). — Singularis est imago personarum S. Trinitatis, quia aequales sunt inter se, 40. — Exemplaria rerum ab aeterno sunt in mente divina, 42. — Plato ideas extra Deum posuit, 44. — Deus creavit mundum ad manifestandam suam perfectionem, 55. — Mundus visibilis creatus est ante hominem, 60. — Una est actio trium personarum divinarum, 168. — Angeli sunt naturae incorporeae, 475, 487. — Angeli sunt omnes eiusdem essentiae, 514. — Angeli possunt plures esse simul in eodem loco, 570. — Angeli sunt splendores secundi, primi splendoris administri, 610. — Angeli creati ante mundum corporeum, 733. — Angeli omnes creati sunt in gratia, 753-754. — Angelus malus

peccavit superbia, 796. — Citatur, 883. — Enumerat ordines angelicos, 911. — Doctrina de Angelis custodibus, 987.

GREGORIUS NYSS. (S.). — Personae divinae non differunt operatione, 168. — Litteralem interpretationem cosmogoniae Mosaicae defendit, 308-309. — Per caelum et terram significantur extrema rerum omnium, 367. — Verba a Deo in creatione mundi prolata significant artificiosam rationem rerum, 379. — Lux primo die creata erat ignis, 380. — Firmamentum censet ex ignea materia constans, 390. — Mundus factus est ante hominem, tanquam expectans suum Regem, 422-423. — Incorporeitas Angelorum, 475. — Numerus Angelorum, 497. — Naturae Angelorum non differunt specie, 514. — Angeli non sunt naturaliter in loco, 553, 554. — Nisi homo peccasset, multiplicatio generis humani facta esset ad modum Angelorum, 726-727. — In Angelis malis fuit peccatum invidiae, 786. — Diabolus non fuit ex superioribus Angelorum ordinibus, 837. — Excessus eius apocatasticus, 863. — Enumerat ordines angelicos, 910, sq. — Doctrina de Angelis custodibus, 982. — Doctrina de impugnatione daemonum, 1011.

GREGORIUS THAUMAT. (S.). — Angeli sunt naturae incorporeae, 475.

GROTIUS. — Agnoscit doctrinam de Angelis custodibus, 976.

GRUBER (S. I.). — Laudatur, 68. 71.

GUBERNATIO. — De omnipotenti virtute creaturas suas gubernat, 1021, sq.

GULIELMUS ANTISSIOD. — Angeli creati sunt in bonitate naturali tantum, 757.

GULIELMUS PARIS. — De numero Angelorum, 495, 498. — Angeli mali voluerunt aequari Deo, 806. — Diabolus fuit creatus excellentior caeteris Angelis, 838. — Citatur, 867.

GULIELMUS II (Germ. Caesar.). — Citatur, XI.

GÜNTHER. — Creationem in Deo posuit necessariam, 59.

GUNKEL. — Citatur, 299, 300, 366, 401, 421-422, 426.

GUTBERLET. — Laudatur, 2. — Iudicium circa philosophiam Ed. de Hartmann, 104. — De opere sex dierum, 351. — De evolutionismo, 406.

HAECKEL. — Prologo impio impium ludum « Giordano Bruno » commendat, XI. — Pampsychismum docet et evolutionem darvinicam, 73-74.

HALÉVY. — Cosmogonia Babylonica, 345.

HARNACK. — Citatur eius opus de essentia Christianismi, 116-117, 119, 147. — Miracula impossibilia esse decernit, 661. — Citatur, 884.

HARTMANN (Ed. de). — Merito reprehendit materialistas, 82. — Eius philosophia entis inconscii, 103-104, 110.

HARTMANNUS (P.). — Laudatur, 63.

HAUGHTON. — Ignota est duratio periodorum geologicarum, 328-329.

HAURÉAU. — Citatur, 503.

HAUSER. — Primum caput Geneseos carmen esse existimat, 337.

HEALY. — Mala socialia ex irreligione procedunt, 78.

HEBBELYNCK (Rect. Magn. Univ. Lovan.) — Citatur, XI.

HÉBERT. — Negat Deum auctorem ordinis mundani, 288.

HEDLEY (Illm̃us). — Laudatur, XV.

HEINE (H.). — Poëta materialisticae sententiae addictus, 69, 91.

HEINRICH. — Laudatur, 2, 355, 364, 462, 479, 543, 546. — Ubi sit caelum beatorum, 369. — Doctrina S. Thomae circa praesentiam Angelorum in loco, 562.

HELMHOLTZ. — Realitatem mundi nonnisi hypothesim ducit, 66-67.

HELVETIUS. — Materialista, 69.

HENOCH. — Liber Henoch citatur, 995, 977.

HENRICUS GANDAVENSIS. — Eius senten-

tia de creatione divinis personis propria, 164-165. — De multitudine Angelorum in eadem specie, 504, 506. — Existimat, motum Angelorum posse fieri in instanti, 585. — Quomodo Angelus se ipse cognoscat, 631. — Citatur, 873.

Heraclides Pontic. — Agnovit motum terrae circa axem, 316.

Hermas (Pastor). — Deus omnia fecit ex nihilo, 16. — De duplici Angelo bono et malo, 997, sq.

Hermes. — Creationem ad perfectionem scientiae Dei necessariam reputat, 59, 60.

Hervaeus Natalis. — Praesentia Angelorum in loco, 559. — Angeli non moventur localiter, 574, 576.

Hesiodus. — Genii, custodes hominum, 490.

Hettinger. — Citatur, 80, 98. — Quare Deus creaverit Angelos, 459. — Deus supra mundum et in mundo, 461.

Hetzel. — Theoriam restitutionis adhibet in explicationem Mosaicae cosmogoniae, 319.

Hickock. — Laudatur, 3.

Hierarchia. — Cf. *Angelus*.

Hieronymus (S.). — In Verbo Deus creavit caelum et terram, 210. — Cosmogonia Mosaica, 309. — Angeli sunt spirituales naturae, 476, 490. — Cogitationes cordium cognoscit solus Deus, 665. — Diabolus coniecturando tantum cognoscit cogitationes hominum, 666. — Angeli diu ante visibilem mundum conditi sunt, 734. — Angeli creati sunt in gratia, 754. — Solus Deus impeccabilis, 789. — Angeli mali peccaverunt ex superbia, 796. — Iudicat Origenem, 860, sq. — Citatur, 867. — Quid censeat de ordinibus angelicis, 909. — Sciscitatur de origine nominum quibus angelici ordines vocantur, 912, sq. — Proclamat dogma custodiae angelicae, 871. — De visione Isaiae, 982. — Doctrina de fundamento terrae, 984. — Eius controversia cum S. Aug., 1002.

Hilarius (S.). — Non propter suam utilitatem nos creavit Deus, 55. — Per Filium omnia fecit Pater, 169, 212. — Omnis ordo et distinctio rerum est a Deo, 223-224. — Chaos praecessit discretionem rerum, 355. — Omne quod est praeter Deum, aliquomodo corporeum dici potest, 480. — Numerus Angelorum quantus sit, 496. — Angeli sunt immortales ex voluntate Dei, 526. — Cognitio futurorum contingentium propria est Dei, 659. — Ante mundum sensibilem creati sunt Angeli, 734. — Enumerat ordines angelicos, 911.

Hildebertus. — Citatur, 871.

Hippolytus (S.). — Deus fecit omnia sicut voluit, 142.

Hobbes. — Materialista, 69, 461.

Hoberg. — Sex dies creationis sunt visiones Adamo patefactae, 334.

Hodge. — Laudatur, 3.

Hoepfl. — Laudatur, xviii. — Citatur, 347.

Hofmann. — Nullum systema aeque ac materialismus repugnat, 80.

Holbach (de). — Auctor systematis naturae, materialista, 69.

Holzhey. — Origo cosmogoniae Mosaicae, 347.

Holzingers. — Citatur, 422.

Hontheim. — Laudatur, 2, 18, 106, 202.

Honorius Augustod. — Angeli de se in nullo sunt loco, 580. — Diabolus voluit esse maior Deo, 807.

Hoonacker (Van). — Citatur, xvii.

Huetius. — Citatur, 878.

Hugo Victorinus. — In Deo est similitudo exemplaris totius mundi, 47-48. — Potentia, sapientia et benignitas Dei in creatura manifestantur, 172. — Litterali sensu interpretandum est opus sex dierum creationis, 315. — Angelos specie differre, probabile est, 503. — Angeli omnes a principio conditionis fuerunt naturaliter boni, 756. — Nulla mora temporis fuit inter conditionem et lapsum daemonum, 835. — De quo-

libet ordine Angeli aliqui ceciderunt. 847. — Quid censeat de loco poenali daemonum, 871. — Doctrina eius de hierarchia angelica, 919. — Quid de Angelorum missione tenuerit, 962. — De Angelorum custodum numero, 979.

Hulst (d'). — De fundamento moralitatis, 83.

Hummelauer. — Cosmogonia Mosaica, 301, 302, 306, 307, 308, 310, 326, 391. — Dies creationis sunt visiones successivae Adamo concessae, 334-335, 404. — Antiquitas narrationis Mosaicae, 343.

Hurtado. — Censet, creaturae tanquam causae instrumentali, posse communicari virtutem creandi, 156.

Hurter. — Creatio ab aeterno repugnat, 202.

Hylezoismus. — Ponit totum mundum viventem, 115.

Idea. — Ideae exemplares divinae, 37-48. — Ideae Platonicae, 43-44.

Ignatius (S. Mart.). — Deus fecit caelum et terrram, 16. — Angeli sunt incorporeae naturae, 475. — Enumerat ordines angelicos, 902, 908, 910.

Ignatius Loyola (S.). — Creatus est homo ut laudet Deum, 58. — Citatur celebre eius effatum, 900.

Innocentius II. — Condemnata propositio Abaelardi, 44.

Innocentius XI. — Propositiones Michaëlis de Molinos proscriptae, 1013.

Ioannes XXII. — Condemnatae propositiones Ekkardii, 36, 58-59, 144, 269.

Ioannes a S. Thoma. — Citatur, 370, 387, 534, 566, 687, 766.

Ioannes Chrysostomus (S.). — In exordio Geneseos proclamatur creatio ex nihilo, 24. — Nullius indigens, omnia Deus creavit, 54-55. — Deus creavit ex nihilo, 126. — Totus ordo rerum est a Deo, 223. — Cosmogonia Mosaica intelligenda est litteraliter, 308. — Spiritus Dei qui ferebatur super aquas, vis est vitalis materiae inhaerens, 356. — Caelum non moveri traditur in Scripturis, 411. — Angeli sunt incorporeae naturae, 475, 486. — Innumerabilis Angelorum multitudo, 496. — Solus Deus cognoscit occulta cordium, 666. — Angeli per Ecclesiam cognoverunt Christi Incarnationem, 672. — Angeli tunc tantum inceperunt videre Filium Dei, quando est incarnatus, 674. — Quare Moyses sileat de creatione Angelorum, 722-723. — Angelus malus peccavit superbia, 795. — Enumerat ordines angelicos, 917. — Inducit Angelos in sacrificio Missae pro hominibus precantes, 988.

Ioannes Damascenus (S.). — In Deo sunt formae exemplares rerum futurarum, 42. — Omnia ex nihilo ad esse deduxit Deus, 126. — Angeli, cum sint creaturae, minime possunt creare, 152, 153, 162. — Creatura nequit Deo esse coaeterna 187, 193. — Malum est boni privatio, 239. — Lux primo die creata ignis erat ex chaos excussus, 380. — Angelus est substantia corporis expers, 476, 482. — Nescimus utrum aequales sint Angeli essentia, an differant, 515. — Angeli sunt immortales, non natura, sed gratia, 525-526. — Locus corporeus et locus intelligibilis, 554, 556. — Angeli, secunda intellectualia lumina, 610. — Angeli praedicunt futura ex Dei revelatione; daemones vero, conjectando, 659. — Intelligibilis substantia creata est ante sensibilem, 733. — Gratia in Angelis proportionata est naturae, 771. — Angelus ex invidia peccavit, 796. — Diabolus non fuit supremus inter Angelos, 837. — Doctrina eius de obstinatione daemonum, 854. — Quomodo iudicet doctrinam Origenis, 861. — Citatur, 868. — Recipit enumerationem Dionysianam novem ordinum angelicorum, 916.

Ioannes Philoponus. — Mundum invisibilem creatum docuit ante visibi-

lem, 28, 211. — Vox Dei in creatione mundi, 378.

Ioannes Thessalonic. — Non omnino incorporeos Angelos existimat, 481-482, 532.

Iob. — Ex libro Iob docemur oeconomiam mpugnationis diabolicae, 1010, sq.

Irenaeus (S.). — Non Angeli sunt auctores mundi, sed solus Deus, 18, 19, 151-152. — Deus creator materiae, 24-25, 125. — Deus omnia secundum ordinem fecit, 81. — Quaecumque sunt praeter Deum, initium habent, 186. — Ante adventum Christi, diabolus nescivit suam damnationem, 675. — Diabolus ex invidia peccavit, 796. — Citatur, 878.

Irish ecclesiastical record. — Citatur, xix.

Isaias. — Videt Seraphim, 899.

Isidorus (S. Hisp.). — Allegorica interpretatio operis sex dierum, 315. — Angeli facti sunt cum Deus diceret: Fiat lux, 731. — Angeli meruerunt beatitudinem, 763. — Angeli beati ulterius non possunt peccare, 777. — Angelus malus superiorem se Deo fecit, 806. — Citatur, 867. — Recipit ordines Angelicos iuxta enumerationem S. Greg. M., 916.

Isidorus (Pelus.). — Mira doctrina de diabolo sortis suae ante Christi adventum ignaro, 878.

Iunilius Africanus. — Deus non eguit tempore ad omnia creanda, 378-379. — Angeli creati sunt ante mundum, 731.

Iustinus (S.). — Deus vere est creator, 24, 30. — Plato posuit rerum ideas extra Deum subsistentes, 43. — Mundus habuit initium, 186. — Num corpora habeant Angeli, 485, 488. — Lapsus Angelorum, 802. — Citatur, 878.

Jacobus Edess. — Citatur, 307.

Janssens (Ios.). — Deus est in natura cognoscendus et amandus, 441.

Janvier. — Laudatur, 704.

Jaurès. — Infinitum necessario est in actu, 290.

Josephus (Flavius). — Narratio excidii Hierosolymitani, 987.

Jourdain. — Sententiae contra S. Thomam in Concilio Parisiensi latae, 503.

Jungmann. — Laudatur, 3.

Kant. — Finem universi in felicitate hominum reponit, 60. — Eius antinomia de initio mundi, 209. — Eius hypothesis cosmogonica, 323.

Katholiek (De). — Citatur, xix.

Katschthaler (Card.). — Laudatur. 2, 320.

Kaulen. — Laudatur, 300, 366, 381.

Keil. — Laudatur, 378.

Kenrick. — Laudatur, 3.

Kern. — Laudatur, 337.

Klee. — Laudatur, 3.

Kleutgen. — Laudatur, 2, 59, 164, 202.

Knoll. — Laudatur, 3.

König. — Laudatur, 3.

Krause. — Auctor panentheismi, 115.

Kuhn. — Ponit in Deo actionem unam immanentem, aliam transeuntem, 142-143. — Quid sentiat de spiritualitate Angelorum, 491.

Lactantius. — Ordinem mundi praesentem a Deo factum esse demonstrat, 80. — Negat sphaericam terrae formam et existentiam antipodum. 412. — Mundum propter hominem fecit Deus, 423. — Angeli seducti ex amore mulierum, 813. — Describit ignem damnatos torquentem, 868.

Lagrange. — Negat concordiam inter periodos geologicas et dies creationis, 328, 335. — Eius sententia de hac re, 344-347. — De nomine Dei, 436.

Lahousse. — Laudatur, 2. — Impossibilitas creationis ab aeterno, 202.

Lambrecht. — Citatur, 85, 86, 321, 323.

Lametrie (de). — Propugnavit materialismum, 69.

Lange. — Citatur, 66, 68, 75.

Laplace. — Eius doctrina circa cosmogoniam, 323.

LAPPARENT (de). — Laudantur eius tractatus geologici, 323.

LASKA. — Explicatio originis, lucis, 331.

LATERANENSE CONC. (a. 649). — Creatio pertinet ad totam Trinitatem, 167.

LATERANENSE CONC. IV. — Deus ab initio temporis simul utramque de nihilo condidit creaturam, 15, 23, 187, 219, 456, 725, 728, 730. — Creatio ad totam Trinitatem spectat, 167. — Omnes Dei creaturae sunt bonae, 268, 742, 821. — Angeli non sunt naturaliter uniti corporibus, 532.

LAURENT. — Litterali sensu interpretatur opus sex dierum, 318.

LE CAMUS, — Laudatur, XVII.

LENORMANT. — Cosmogonia Babylonica, 329. — Influxum mythorum in S. Scripturam admittit, 346.

LEO I (S.). — Nulla natura est mala, 240-241. — Angeli sunt puri spiritus, 476. — Nemo est sapientia, 609. — Christus occultavit daemonibus suam divinitatem, 675. — Diabolus ex invidia et superbia peccavit, 799. — Nulla natura creata est mala, 821.

LEO XIII. — Laudatur Enc. « *Provid. « Deus* », XVIII. — Quid intendant illi, qui instituta christiana subvertere studeant, 95. — Excellentia libertatis, 100. — Divites oportet esse ministros divinae Providentiae, 440. — Posse peccare, vitium est libertatis, 777. — Citatur, 870. — Iubet orari Michaëlem Angelorum Principem, 936.

LEONARDUS (DA VINCI). — Strata geologica detexit, 316.

LEOPARDI. — Citatur, 91.

LEPIDI (Mag. S. Pal. O. P.). — Ordo tract. de creaturis, 6. — Mundus uti nunc est, non potuit esse ab aeterno, 201.

LESSIUS. — De dominio Dei in creaturas, 12. — Dei gloria finis creationis, 51, 61. — Mundus non potest esse ab aeterno, 202.

LIARD. — Scientiam ad ordinem experimentalem limitat, 85.

LIBERATORE. — Censet creationis ab aeterno impossibilitatem non posse demonstrari, 202.

LITTRÉ. — Citatur, 75, 83, 86.

LITURGIA. — Testimonia pro existentia Angelorum, 455-456. — Testimonia pro doctrina de angelica hierarchia, 984; et saepius deinceps, v. gr., 971, 973; 979, 988.

LOISY. — Iudicium circa eius scriptum de Evangelio et Ecclesia, 116-118, 296, 448-449. — Cosmogonia Mosaica, 301, 347. — De loco caeli et inferni quid sentiat, 369. — Demisse sentit de historia populi Israëlitici, 437. — Condemnatio eius operum a S. Officio pronuntiata, 469.

LOMBARDUS. — Cf. *Petrus*.

LONGINUS. — Citatur, 378.

LOTZE. — Soli homini realitatem tribuit, 66.

LUCRETIUS CARUS. — Poëta naturalismi, 68.

LUTHERUS. — Agnoscit doctrinam de Angelis custodibus, 976.

LUX. — Quaenam sit lux primo die creata, 379-381, 385-387.

LUZAC. — Citatur, XVIII.

LYELL. — Periodi successivae formationis mundi, 321, 329.

MACARIUS. — Omnis natura corpus habet, cum etiam Verbum carnem assumpserit, 489.

MAETERLINCK. — Citatur, 91.

MAGICA (ars). — Monitum de arte magica, 949.

MAGNIER. — Laudatur, 844.

MALUM. — Malum est privatio boni, 236-252. — Malum poenae et malum culpae, 252-260. — Qua ratione bonum sit causa mali, 260-265. — Num Deus sit causa mali, 265-270.

MARI (Fr.). — De antiquitate librorum sacrorum, 384.

MARIA. — Angelorum Regina invocatio, XX. — B. V. Maria exaltata super

omnes Angelorum choros, 922. — Quid de Angelo custode B. M. V., 983, 992. — Cultus B. M. V. superexcedit cultum Angelorum, 1009.

MARIANUS CONGRESSUS. — De arte christiana instauranda votum emittit, 1029.

MARIUS VICTORINUS. — Tenebras cogitavit subsistentes, 382. — Aquas superiores poëtice stellarum alimentum fingit, 393.

MARSILIUS (de Inghen). — Angelum seipsum per infusam speciem cognoscere docet, 631.

MARTIN (Raym.). — Citatur, 12.

MASPERO. — Citatur, 409, 411.

MATERIA. — Creata est a Deo, 20-32. — Quid significet, Deum creasse orbem terrarum ex materia invisa, 22, 23. — Quo sensu creata materia dicatur informis, 352-364. — Materia nequit esse sine forma, 352, 355, 357. — Materia praecedit formam ordine naturae, 353-354, 357-358. — Materia caelestium corporum non est alia a materia sublunarium, 361-363.

MATERIALISMUS. — Eius formae diversae, 66-88.

MATHOUD. — Citatur, 878.

MAURUS (Silv.). — Laudatur, 142.

MAXIMUS CONF. (S.). — Creaturae non possunt esse aeternae, 193. — Plures Angeli sunt in eadem specie, 514. — Angeli sunt incorruptibiles, 525.

MAXIMUS TAURIN. (S.). — Angeli sanctitate vestiti sunt, 483-484.

MAZZELLA (Card.). — Laudatur, 2, 136, 154, 156, 202, 320, 558. — Doctrina de spiritualitate Angelorum sine temeritate negari non posset, 492. — Num sint plures in eadem specie, ignoramus, 506. — Angeli in gratia sunt creati, 755.

MEDDI. — Ratio et fides se invicem adiuvant, 118.

MENANDER. — Doctrina eius de quibus custodibus, 978.

MERCIER. — Citatur, x. — Laudatur, 288.

MERLINUS (Iac.). — In Origenem nimis benignus, 859.

METHODIUS (S.). — Quae sit distinctio inter Angelos, 512-513. — De Angelis custodibus, 977, 890.

MICHAEL (Arch.). — Cf. *Angelus*. — Altercatur cum diabolo de corpore Moysis, 897. — Invocatur, 899.

MICHEL. — Laudatur, 180, 199.

MICHELIS. — Laudatur, 338.

MILL (Stuart). — Possibilitatem primae causae mundi concedit, 85-86.

MINISTERIUM. — De angelico ministerio, 881, sqq. — Cf. *Angelus*.

MIRACULUM. — Impossibilitas miraculi stulte ponitur a priori, 661. — Quid circa miracula possint Angeli, 946. — Periculum a modernis scriptoribus, qui argumentum a miraculis desumptum nimis infirmant, 947, sq. — Quid circa miracula valeant daemones, 1016, sq.

MISSIO. — De missione Angelorum cf. *Angelus*.

MOLESCHOTT. — Doctor materialismi, 71.

MOLINA. — Negat possibilitatem motus discontinui, 577, 582. — Motum continuum Angelorum in instanti fieri posse existimat, 585.

MOLINAS. — Propositiones ab Innocentio XI proscriptae, 1013.

MONSABRÉ. — Harmonia mundi, 63. — Num plures sint mundi, 230. — De arte sacra, 442.

MORIN (D. Germ.). — Laudatur, 375.

MORIN. — Citatur, 884.

MOSES BEN-MAJEMON (Rabb.). — Decem angelicos ordines recenset, 912.

MOSES MAIMONIDES. — Mundus ex nihilo factus est a Deo, 128. — Mundum habuisse initium in tempore, ex revelatione at non ex ratione constat, 187, 199. — Spiritus Dei qui ferebatur super aquas, 356. — Angelos dicit non constituere numerum, 494.

MOTUS. — Motus cum materia ortum habuit, 371. — Motus continuus et discretus, 577-579.

MÜLLER. — Cosmogoniae antiquae, 344.
MUNDUS. — Num plures sint mundi, 229-234. — *Cf. Cosmogoniae.*
MUTATIO. — Quid intersit inter mutationem et creationem, 130.

NAZARIUS. — Quomodo Angelus fiat praesens in loco, 560.
NECESSARIUM. — Quod est necessarium, potest habere causam, 7, 8.
NEMESIUS. — Intelligibilia non continentur loco corporeo, 554, 555.
NEWMAN. — Theologia superat alias scientias, 442. — Citatur unum ex eius carminibus, 994.
NICAENUM CONC. II. — Quid doceat de Angelis, 475, 532.
NICEPHORUS (S.). — Christus creator caeli et terrae, 16.
NICEPHORUS (Callisti). — Citatur, 861.
NICOLAS (Aug.). — Concordiam explicat inter scientias naturales et cosmogoniam Moysis, 321.
NIETZSCHE. — Indoles eius doctrinae moralis, 105-107.
NIHIL. — Creaturae non sunt purum nihil, 36-37. — Quo sensu sint creatae ex nihilo, 123-133.

OBSTINATIO. — Quomodo daemones sint obstinati in malo, 851, sqq.
OCCAM. — Possibilitas creationis aeternae, 201.
OECONOMIUS. — Mira opinio de diabolo sortis suae usque ad Christi adventum ignaro, 878.
OFFICIUM. — De Angelorum custodum officiis, 992, sqq. — De officiis nostris erga custodes Angelos, 1003, sqq.
ORDINATIO. — Cf. *Angelus.*
ORIGENES. — Deus omnia creavit, 16, 30. — Deus nullam aliam habuit creandi causam, nisi bonitatem suam, 55. — In principio, hoc est, in Verbo suo, fecit Deus caelum et terram, 210. — Inaequalitas rerum a peccato orta, 220, 221, 225-227, 282-283. — Allegorica interpretatio creationis, 307. — Quomodo intelligi possit, creaturas esse ab aeterno, 375-376. — Creatio tota animata, 409-410. — Num materiam omni creaturae inesse putet, 480-481. — Omnes Angeli eiusdem speciei, 512. — Solus Deus scit cogitationes cordium, 667. — Angeli in Scriptura significantur per caelum, 722, — Angeli sunt antiquiores alia creatura, 731. — Angeli beati num possint adhuc deficere, 777. — Culpatur eius doctrina apocatastatica, 859, sqq. — Quid censeat de ordinibus angelicis, 909. — Quid de Angelis custodibus, 977; 985, sq. — Gravis Origenis error de conditione horum Angelorum, 1000, sq.
ORPHEUS. — Doctrina de geniis custodibus, 978.
OSWALD. — Laudatur eius Angelologia, 520.
OVERBECK. — Ars christiana tendit in laudem Dei, 441.
OVIDIUS. — Eius cosmogonia, 355.

PALMIERI (S. I.). — Laudatur, 2. — Quomodo interpretandum sit, Deum creasse ex materia invisa, 22, 23. — Quonam sensu S. Basilius aliquid mundo anterius adstruat, 28. — Nulla est causa finalis divinae voluntatis, 50. — Ratio formalis propter quam a Deo diligantur creaturae, est ipsa divina bonitas, 61. — Quomodo concipi possit actio formaliter immanens, virtualiter transiens, 140-141. — Virtus creativa non est communicabilis, 152, 156, 158, 161. — Tres personae divinae creant prout sunt unum, 170. — Creatio ab aeterno repugnat, 202. — Sex dies creationis intelligendi sunt longa temporis spatia, 322, 326. — Praeiudicia rationalistica, 461, 468. — Quid de fide tenendum sit circa naturam Angelorum, 491-492. — Num possibilis inter Angelos specierum differentia, 505-506, 516. — De corporibus Angelorum, 532. —

Quomodo Angeli appareant hominibus corporaliter, 541-542. — Angeli possunt moveri motu continuo, continuitate se tenente ex parte spatii. 576. — Angeli non possunt moveri motu discreto, 583. — Angeli intelligunt per determinationem intellectualem a Deo ab initio datam, 615-616. — Num Patres doceant Angelos ante mundum esse creatos, 734. — Angeli creati sunt in gratia, 755. — Num diabolus ut Deus esse voluerit, 807.

Panentheismus. — Quid hoc sit, 114-115.

Pantheïsmus. — Diversae formae pantheïsmi, 88-120.

Paquet. — Citatur, 2, 108, 231, 322, 502, 533, 626, 1022.

Paschasius Ratbertus. — Affirmat doctrinam de Angelis custodibus, 973; 280.

Pastor Hermae. — Doctrina de Angelo custode, 974.

Patrizi. — Citatur, 23.

Paulus (S. Ap.). — Saepissime citatur. — Doctrina eius de angelicis ordinibus, 906, sq.

Perosi. — Citatur eius musica descriptio ultimi iudicii, 858.

Pesch (Chr.). — Laudatur, 2, 18, 202. — Dies creationis respondent longis periodis, 322. — Quid sentiendum de pluralitate Angelorum in eadem specie, 506.

Pesch (T.). — Laudatur, 2, 67, 202. — Dies creationis metaphorice intelligendos existimat, 320. — Angeli stricto sensu non dici possunt naturae, 478.

Pesnelle. — Laudatur, 3.

Petavius. — De mente S. Basilii quoad creationem materiae, 28. — Creatio ab aeterno traditioni Patrum opposita est, 202. — In initio, id est, ante omnia fecit Deus caelum et terram, 210. — Quo sensu Spiritus Dei dicatur ferri super aquas, 357. — De Melchisedechianis, 374. — Lux primo die condita est in nebula vaporis, 380. — Quid sint mane et vespera in diebus creationis, 384. — De natura Angelorum, 485, 400. — Quot homines salutem aeternam assequantur, 498. — Actio quam Angeli in homines exerceant, 570-571. — Angelos a Deo creatos etiam platonici docuerunt, 724. — Iudicium de apocatastasi Origenis, 863. — Laudatur, 867. — Citatur, 870. — Prudens monitum de Concilio Florentino, 872. — Citatur, 877, sq. — Citatur, 988; et infra pluries.

Petrus Lombardus. — Num Angeli habeant corpus, 484. — Angelos dicit creatos in bonitate naturali tantum, 756. — Num Angeli meruerint beatitudinem, 761-762. — Gratia in Angelis est proportionata naturae, 772. — Quid censeat de loco poenali daemonum, 871. — Citatur, 872.

Ppeunigsdorf. — Scripsit contra Nietzsche, 106.

Philippus, Abbas B. Sp. — Angeli ante mundum creati, 731. — Statim post conditionem suam daemones ceciderunt, 834.

Philo. — Citatur, 12, 187, 402. — Cur homo factus sit post alias creaturas, 422. — Lapsus Angelorum per carnale peccatum, 802. — Urget doctrinam de Angelis custodibus, 972.

Photius. — Quomodo iudicet doctrinam Origenis, 861.

Pianciani. — Concordiam demonstrat inter cosmogoniam Mosaicam et scientias naturales, 321.

Picard. — Eius pantheismus evolutionisticus describitur, 91-97.

Picus (Mirandulanus) erga Origenem nimis benignus, 459.

Pius V (S.). — Propositio damnata Baii, 256.

Pius X. — De laude S. Thomae, x, sq. — Monita ad coetus catholicos, 440. — Praecepta de arte christiana, 441. — Laudatur, 1020.

Plato. — Num materiam increatam docuerit, 30, 31. — Necessitatem idea-

rum exemplarium demonstrat, sed extra Deum eas collocat, 43-44. — Eamdem esse materiam omnium corporum dicit, 362. — Angelorum existentiam cognovit, 460. — Spiritus voluntate Dei, non sua natura sunt indissolubiles, 526. — Doctrina eius de sorte hominum post hanc vitam, 859.

Poena. — Quidnam sit malum poenae, 253-256. — Comparatur cum malo culpae, 256-259.

Pomponatius (P.). — Animam mortalem esse docuit, 69.

Portalié. — Laudatur, 469.

Positivismus. — Huius doctrinaè indoles et patroni, 75.

Potestates. — Quid sint, 928, sq. — Cf. *Angelus*.

Praesentia. — Diversi modi praesentiae rei in loco, 550-551.

Praesidentia. — Praesidentia Angeloram super naturam, 940, sqq.

Prat. — Dogmata fidei supponunt certa nonnulla facta historica, 448-449.

Primarius. — Citatur, 982.

Principatus. — Quid sint, 928. — Cf. *Angelus*.

Procopius. — Quae sit vox Dei creantis, falso explicat, 379.

Prosper. — Docet Angelos in malo obstinatos, 857.

Prosper (S.). — Nulla creatura eodem modo, quo Deus, aeterna est, 525. — Quid corripiat in Cassiani doctrina de Angelo custode, 974.

Protestantismus. — An anarchiam doctrinalem conducit, xvii. — Ad omnes opiniones se accommodat, 72, 73.

Prudentius. — Spiritus Dei ferebatur super aquas, 356. — Solus homo factus ad imaginem Dei, 423. — Angelus malus peccavit ex superbia et invidia, 797.

Psellus. — Incorporea non sunt in loco, 554.

Raymundus de Sabunda. — Scala creaturarum, 492.

Raymundus Lullus. — Trinitas per rationem cognoscibilis, 164.

Renan. — Citatur, 75, 434.

Repraesentatio. — De repraesentatione artistica Angelorum et daemonum, 1019, sq.

Reusch. — Sex dies creationis repraesentant principales ideas divinas rerum, 323, 339-340.

Rhabanus Maurus. — Litteraliter interpretatur cosmogoniam Mosaicam, 315. — Septem numerat caelos, 399.

Richardus (a Med.). — Citatur, 871.

Richardus a S. Vict. — Creatio necessario habuit initium in tempore, 198. — Angeli sunt puri spiritus, 535.

Ripalda. — Docet res creatas immediate amari a Deo ob seipsas, 61.

Rive (de la). — Citatur, 81-82.

Rivista delle Riviste *per il clero*. — Citatur, xvi.

Robert. — Filius Dei et filii hominum, 473.

Rosenmuller. — Explicat cosmogoniam Mosaicam ope theoriae restitutionis, 319.

Rosmini. — Verbum dixit materiam ex qua facta sunt omnia, 32. — Eius falsa conceptio creationis, 134-136, 164.

Rossi (Henr.). — Laudatur, xvi, 864, 874.

Rotmanner (O. S. B.). — Inimici religionis christianae ibi desistunt cogitare, ubi esset incipiendum, 434-435.

Rousseau (J. J.). — Citatur, 29.

Rufinus. — Citatur, 861,

Ruge. — Citatur, 84, 93.

Ruiz. — Creatio est communis tribus personis SS. Trinitatis, 163-165.

Rupertus. — Deus omnia condidit secundum rationes exemplares, 46-47. — Narratio sex dierum creationis spirituali sensu intelligenda est, 315 — Angelis sunt corpora caelestia vel aëria, 484. — Angeli non possunt penetrare ipsam substantiam animae humanae, 570-571. — Angeli sunt conditi extra caelum, 740. — Angeli conditi sunt

sine vitio, 756. — Diabolus similis Deo esse voluit, 807. — Non statim post creationem daemon cecidit, 834. — Citatur, 867, 871.

SABATIER. — Citatur, 63, 234, 281.

SADDUCAEI. — Materialismo affines, 68.

SALMANTICENSES. — Qua ratione Angeli sint in loco, 561, 571, 573.

SATOLLI (Card.). — Epistola eius ad Cl. Mercier citatur, x, sq. — Laudatur eius tractatus de Incarnatione, 2. — Item de operationibus divinis, 3. — Errorem philosophorum praesentis aetatis, 44. — Potentia creativa nequit communicari creaturae, 156. — Possibilitas aeternae creaturae, 196, 198. — Concordia inter scientias naturales et cosmogoniam Mosaicam, 321. — Non possunt esse plures Angeli eiusdem speciei, 502. — Diversi modi praesentiae in loco, 501. — Praesentia Angelorum in loco, 561.

SAUTER (Abb. Emaut.). — Laudatur, 58. — Hominem a Deo factum esse, argumentum est humilitatis, 436.

SCHACHLEITER (O. S. B.). — Laudatur, 73.

SCHAEFER. — Dies creationis sunt visiones Adami, 334.

SCHAEPMAN. — Unus Creator, unus Redemptor, 108, 120. — Homo metaphorice dicitur creator, 175.

SCHEEBEN. — Num creatio ab aeterno certo repugnet, 202. — Ordo dierum creationis, 341. — Spiritualitas Angelorum nequit sola ratione demonstrari, 492-493. — Num plures Angeli in eadem specie, 506, 510.

SCHELL. — Eius notio essentiae et existentiae. 103. — Evolutionismo nimis concedit, 116. — Num spiritus sine corpore activus esse possit, 491. — Num sint plures spiritus in eadem specie, 506-507. — Actio inter Angelum et corpora, 534. — Num Angeli intelligant per species, 616, 634. — Doctrina eius de destinatione daemonum, 854, sq.

SCHMID. — De relatione Angelorum ad locum, 573.

SCHMÖLLER. — Laudatur, 355.

SCHOLZ. — Laudatur, 473.

SCHOPENHAUER. — Mundum dicit cuiusvis hominis repraesentationem, 66. — Voluntatem unam ponit fundamentum omnium, 102-103.

SCHWANE. — Laudatur, 726.

SCHWETZ. — Citatur, 2, 16, 322, 337, 457, 476.

SCOTUS (Duns). — Relatio creaturae ad Creatorem est transcendentalis, 145. — Potentia creativa prorsus est incommunicabilis, 156. — Ratione suae substantiae Angelus est alicubi, 557. — Motus discretus non est admittendus, 582. — Angelus alium Angelum cognoscit per speciem, qua sibi illum reddit praesentem, 635-636. — Angeli impeccabiles sunt ratione specialis Dei providentiae, 776. — Doctrina eius de obstinatione daemonum, 854; — de missione Angelorum. 962, sq.

SCOTUS ERIGENA. — Speciem quamdam pantheismi docuit, 114-115, 144.

SECCHI. — Putat plures planetas esse habitatos, 230.

SEGNERI. — Laudatur, 1003.

SEIDL. — Iudicia circa doctrinas Nietzsche, 105-107.

SELOMAH (Rabbi). — Aquae primordiales fuerunt tanquam solium Dei, 357.

SEMERIA. — Citatur, XVI. — Ordinem logicum exhiberi in cosmogonia Mosaica contendit, 338.

SENECA. — Doctrina de Geniis custodibus, 978.

SERAPHIM. — Quid sint, 928, sq. — Cf. *Angelus*. — Utrum Seraphim ad Isaiam missus, et quo sensu, 962, sq.

SEVERIANUS. — Comparantur initia Genesis et Evangelii Ioannis, 213. — Moyses ortum mundi non ut historiographus, sed ut propheta enarravit, 308. — Quis sit spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, 356. — Primo die Deus fecit caelum superius, 367. — Aquae

caeli superiores temperant siderum calorem, 392. — Numerus Angelorum, 496.

SEVERUS. — Provocat ad doctrinam Dionysii Areopagitae, 884.

SIPLEY. — Laudatur eius opus « Carmina Mariana », 2.

SILVIO PELLICO. — Laudatur, 120.

SIMON (Jul.). — Contra Pantheistas urget difficultates quae moventur contra creationem, 98-101. — Quomodo Deus creaverit, intelligere non valemus, 128-129.

SIXTUS SENENSIS. — Citatur, 1001.

SMITH. — Eius inventa circa cosmogoniam Babylonicam, 344.

SOL. — Num quarto die sit creatus, 413-415. — Num sit animatus, 409-410, 415-416.

SOLIPSISMUS. — Doctrina eorum, qui mundum repraesentationem cuiusvis individui existiment, 66-67.

SOPHRONIUS (S.). — Angeli sunt incorruptibiles ex dono Dei, 525, 528.

SORIGNET. — Litteralis interpretatio cosmogoniae Mosaicae, 318.

SPEDALIERI. — Scripsit de iure hominum, 439.

SPENCER (Herbert). — Agnosticismum profitetur circa suprasensibilia, 86.

SPIRITISMUS. — Cf. *Ars magica*.

SPICKER. — Reiicit christianam notionem Dei, 286-288.

SPIRITUS. — Quisnam Dei spiritus, qui ferebatur super aquas, 354, 356.

STENTRUP. — Laudatur, 2, 180, 202. — Dies creationis intelligit litteraliter, 319.

STEPHANUS (Ep. Paris). — Condemnatio propositionum de animatione caeli, 410. — De infinito numero Angelorum, 495. — De motu et loco Angelorum, 588.

STEVENS (Barker). — Negat, existentiam Angelorum ex Scriptura probari posse, 464-468.

STIRNER (Max.). — Dicit, hominem sibi ipsi esse deum, 70, 84.

STÖCKER. — Citatur, 73.

STÖCKL. — Citatur, 2, 180, 199, 323.

STOPPANI. — Allegorice interpretatur cosmogoniam Mosaicam, 338.

STRABUS. — De caelo empyreo quid sentiat, 365, 368.

STRACK. — Citatur, 422.

STRAUSS (Fr.). — Fidem pantheisticam quamdam invexit, 74. — Existentiam Angelorum denegat, 461.

STUFLER. — (S. J.). Recens eius opus iudicatur, 863.

STUMPFFEGGER. — Laudatur, 566, 573.

SUAREZ. — Citatur, 2, 19. — Quo sensu creationem dicat actionem formaliter transeuntem, 142. — Possibilitas creationis aeternae, 201, 202. — Textus Genesis de opere sex dierum litteraliter interpretandus, 319. — Quarto die creationis distinctio inter diem et noctem specialior inducta est, 415. — Existentia Angelorum convenientiae ratione probatur, 459. — Spiritualitas Angelorum est doctrina fidei proxima, 475. — Num Angeli omnes differant specie, 506. — Angelus qua ratione sit in loco, 557. — Voluntas simul activa et receptiva sui actus, 595. — Potentia motiva in Angelis, 595. — Omnis creata substantia instructa est potentiis activis, 602. — Angelus Angelum cognoscit per speciem a Deo acceptam, 636. — Singularia Angeli cognoscunt per species a Deo infusas, 548. — Doctrina eius de obstinatione daemonum, 854, sq. — De missione Angelorum, 963.

SURBLED (Georgius). — Citatur, 950.

SYLVIUS. — Citatur, 131, 154. — Distantia vel finita vel infinita inter duo, 138. — Num creatura dicat relationem realem ad Creatorem, 147. — Potentia creativa nequit communicari creaturae, 156, 160. — Si creatio non admiscetur operibus naturae, multo minus admiscetur operibus artis, 177. — Num probabile sit creaturam potuisse esse ab aeterno, 201. — De caelo beatorum, quid sentiendum, 369. — Mensura in-

trinseca et extrinseca motus, 371. — Num possibilis sit multiplicatio Angelorum in eadem specie, 503, 518. — Angeli possunt corpora assumere propria virtute, 540. — Qua ratione Angeli possint esse in loco, 560. — Angelus potest simul esse in pluribus locis, 562. — Potentia motiva in Angelis, 595, 596. — Res creatae agunt mediantibus potentiis, 602-603. — Angelus Angelum cognoscit per speciem a Deo infusam, 635. — Species angelica quomodo repraesentet singularia, 648.

SYMBOLA. — Deum profitentur Creatorem omnium, 14-15, 23, 151.

SYNESIUS. — Citatur, 859.

TAILLANDIER. — Citatur, 85, 885.

TAINE. — Positivismo addictus, 75, 437.

TANNER. — Censet creaturae, tanquam causae instrumentali posse communicari virtutem creativam, 156.

TANQUEREY. — Laudatur, 2. — Concordia cosmogoniae Mosaicae et disciplinarum naturalium, 326, 330-331, 348. — Citatur, 993, 1022.

TARASIUS. — Incorporeitas Angelorum, 532.

TATIANUS. — Materia producta est a Deo, 31. — Corporeitatem Angelorum defendit, 485.

TEMPUS. — Tempus quid sit, 371. — Tempus concreatum est cum materia informi, 370-374.

TENTATIO. — Quo sensu daemon homines tentat, 1013.

TEPE. — Impossibilitas creationis ab aeterno, 202. — Putat ordinem logicum in cosmogonia Mosaica intendi, 338, 339.

TERTULLIANUS. — Deus omnia ex nihilo creavit, 15-16, 20, 55. — Platonis ideae, 43-44. — Deus mundum fecit in ornamentum maiestatis suae, 55. — Omnis creatura temporalis sit oportet, 193-194. — In initio Deus creavit caelum et terram, 210-211. — Angeli sunt corporeae naturae, 485, 486. — Quomodo Angeli assumant corpora, 541. — Num plures spiritus possint esse in eodem loco, 570. — Angeli moventur localiter, 581. — Scire futura, solius Dei est, 659. — Angelus invidia lapsus, 797, 802. — Diabolus primus inter Angelos creatus est, 837. — Urget doctrinam de Angelis custodibus, 972. — Angeli testes peccatorum, 999.

THEODORETUS. — Deus libere creavit, 142. — Creatura nequit creare, 153. — Quis sit Dei Spiritus, qui ferebatur super aquas, 356. — Deus voce usus est creando, in gratiam Angelorum, 379. — Aquae superiores et inferiores temperant calorem siderum, 393. — Angelorum natura est spiritualis, 476, 482. — Angeli locis adstricti, 553, 738. — Angeli non sunt auctores creationis, 611. — Quid censeat de ordinibus angelicis, 909. — Doctrina de Angelis custodibus, 982.

THEODORUS MOPSUESTENUS. — Creationem mundi invisibilis anterioris mundo visibili admisit, 28. — Vocem qua creavit Deus, tanquam ad creaturas directam cogitavit, 378. — Angelos loco adstrictos dixit, 553. — Angelos simul cum mundo sensibili creatos docuit, 733.

THEOLOGISCHES JAHRESBERICHT. — Citatur, XVIII, 1022.

THEOPHILACTUS. — Citatur, 885.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS (S.). — Deum creasse materiam adstruit contra Platonicos, 24. — Deus omnia fecit ut per opera cognosceretur, 55. — Quare primo Deus caelum fecerit, postea terram, 366-367. — Iudicat doctrinam Origenis, 860. — Quid de angelicis ordinibus tenuerit, 910.

THEOSOPHIA. — Quaenam sint principia recentis theosophiae, 108-114.

THOMAS (S.). — *(Loca extra Summam Theol.)*. — Aliter a theologo, aliter a philosopho consideratur creatura, 3-4. — Necessarium est, omnia creata esse a Deo, 16-17. — Omnia ex nihilo

creata esse oportet, 28-29. — Quia Deus purus actus est, potest esse aliis causa essendi, 139. — Actio creativa est formaliter immanens, virtualiter transiens, 140-141. — Creatio instantanea, 143-144. — Creatio in creatura est relatio ad Creatorem cum novitate essendi, 145-146. — Creaturae, neque ut causae tantum, instrumentali potest communicari vis creatrix, 154-155, 157-158, 161-162. — Possibilitas aeternae creationis, 181-182, 188-190, 207, 209. — Spatium et tempus imaginarium, 205. — Omnis diversitas creaturarum est a Deo, 227-228. — Malum non est essentia 241. — Cosmogonia Mosaica intelligi potest, 315, 334. — Ratio ordinis sex dierum creationis, 341-342. — Repugnat, plures Angelos esse in una specie, 517-518. — Quomodo Angeli assumant corpora, 539-540. — Quomodo Angeli sint in loco, 561. — In Angelis non est idem intelligere et esse, 632. — Angeli cognoverunt mysteria gratiae per Ecclesiam, sed non ab hominibus edocti, 673-674. — Nulla creatura est natura sua impeccabilis, 789. — Et postea saepius.

Thomas de Argent. — Censet, impossibilitatem creationis ab aeterno non posse demonstrari, 200.

Thomson (Lord Kelvin). — Cognitio naturae ducit ad Deum creatorem, 423-424.

Tiberghien. — Quomodo concipiat creaturarum immanentiam in Deo, 115-116.

Tinel. — Laudatur, 63.

Titus Bostrensis. — Angeli sunt spirituales naturae, 475. — Solus Deus scit occulta cordium, 666.

Tobias. — Ex libro Tobiae docemur oeconomiam custodiae angelicae, 993.

Toletus. — Non alia est in Deo actio quam volitio et intellectio, 142. — Creatio ab aeterno repugnat, 202. — Quid de numero Angelorum sentiendum, 501. — Omnes Angelos putat eiusdem esse speciei, 504-505. — Angelus per suam virtutem est in loco, 559-560. — Angelus non movetur discrete, sed continue, 582, 586. — Intelligere Angeli est distinctum ab eius substantia, 600, 603. — Angeli intelligunt per species determinantes potentiam ad cognitionem, 615, 627. — Nonnulla singularia cognoscunt Angeli per species acceptas a Deo, 649. — Cognitiones hominum essent Angelis manifestae, nisi impediret Deus, 663. — Plura fuerunt instantia meritorum in Angelis, 765. — Doctrina de impugnatione daemonum, 853, sq. — Doctrina de loco poenali daemonum, 872.

Tongiorgi. — Creatio ab aeterno repupugnat, 202. — Favet multiplicitati mundorum, 230.

Tournely. — Probabilius Angeli non omnes differunt specie, 504.

Transformismus. — Quousque defendi possit, 405-406.

Tridentinum Concilium. — Deus omnium creator, 15. — Mundus ad Dei gloriam est conditus, 61. — Deus non est auctor mali, 267-268.

Trinitas. — Creatio communis tribus personis divinis, 163-170. — Vestigium Trinitatis in creaturis, 170-175.

Trissl. — Opus sex dierum litterali sensu intelligit, 318.

Turmel. — Doctrina antiquorum scriptorum ecclesiasticorum circa Angelos, 435-487, 492, 503, 533, 535. — Citatur, 885. — Levius iudicat de enumeratione Gregoriana novem ordinum angelicorum, 915. — Minus reverenter exhibet doctrinam de Angelis Ecclesiarum custodibus, 987.

Tyrense (Conc.). — Citatur, 884.

Ubi. — Locale, spirituale, trascendentale, 552.

Universum. — Unitas omnium rerum, 233.

Urràburu. — Laudatur, 2, 19, 151, 152, 154, 156, 164, 651.

VACANT. — Laudatur, 3.
VALENTIA. — Cl. *Gregorius de Val.*
VALLA (Laur.). — Discipulus Epicuri, 69.
VAN BENEDEN. — Fides est, scientia fit, 296.
VENDEPUTTE. — Citatur, 337.
VANDERVELDE. — Citatur, 87-88, 434.
VANNUTELLI (Card. Vinc.). — Laudatur, 1009.
VASQUEZ. — De mente S. Basilii circa creationis materiam, 28. — Angeli constituuntur in loco extrinseco per unionem ad corpus, 559. — Angeli possunt moveri motu continuo vel discreto, 582, 583.
VATICANUM CONCILIUM. — Deus creator visibilium et invisibilium, 15, 23. — Utilitas revelationis circa ea quae ratio etiam attingere valet, 31. — Liberrimo consilio Deus omnia creavit, 44. 58. — Deus bonitate sua, ad manifestandam suam perfectionem condidit creaturam, 56-57. — Quaevis forma Pantheismi damnatur, 116. — Mundus initium temporale habet, 187. — Omnis distinctio rerum est a Deo, 219. — Existentia spiritualis creaturae, 455-457.
VAUGHAN Diana. — Fraus eius detecta, 950.
VETTER. — Laudatur, 303, 333. — Primum caput Geneseos aestimat hymnum esse in honorem Dei, 337. — Narrationem Moysis nihil accepisse a mythologia ethnicorum statuit, 347, 348.
VIARDOT. — Creationem reiicit, quia esset miraculum, 87.
VICTOR UTICENSIS. — Spiritus Dei omnia produxit ex aquis, 357.
VIGIL (Mart.). — Laudatur, 3.
VIGOUROUX. — Concordiam statuit inter cosmogoniam Mosaicam et scientias naturales, 321, 325.
VIRGILIUS. — Citatur de sorte hominum post hanc vitam, 859.
VIVÈS Y TUTO (Card.). — Laudatur, 1009.
VOGT. — Propugnator materialismi, 70.
VONDEL. — Citatur, 45.

WAAGEN (Wilhelm). — Citatur, XVIII.
WAGNER (R.). — Pantheismo addictus, 91, 105.
WALTER. — Laudatur editio operum S. Alphonsi, 534.
WELLHAUSEN. — Sensus vocis hebraicae, qua significatur actio creativa, 301-302.
WIEST. — Citatur, 446, 447.
WISEMAN (Card.). — Hypothesim restitutionis adhibet ad interpretationem cosmogoniae Mosaicae, 319.
WOLF. — Unitas legum mundanarum, 230.
WOLTER (O. S. B.). — In Deo est beatitudo animae, 62.
WOLZOGENIUS. — Admittit doctrinam de Angelis custodibus, 976.

ZACHARIAS MITYL. — Mundus non potest esse Deo coaeternus, 192-193. — Angeli quare creati sint, 722.
ZANCHIUS. Agnoscit doctrinam de Angelis custodibus, 976.
ZAPLETAL. — Cosmogonia Mosaica ad scientias recentes relata, 299, 301, 303. — Origo narrationis Mosaicae, 347, 350. — Pisces producti in aqua, 418. — Quare animalibus terrestribus non sit data benedictio, 422. — Quid sit ornatus seu exercitus caelorum, 425.
ZELLER (Ed.). — Laudatur, 68.
ZIGLIARA. — Laudatur, 2, 3. — Impossibilitas creationis ab aeterno nequit demonstrari, 201.
ZIMMEN. — Citatur, 299.
ZOECKLER. — Citatur, 316.
ZOLA. — Vituperatur, 70.
ZUMEL. — Citatur, 883.

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900 v.6 G
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
3 2400 00181 5590

BX 1749 T5 J2 1900 v.6 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

BX 1749 T5 J2 1900 v.6 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO